D. ALBERTI MAGNI,

RATISBONENSIS EPISCOPI, ORDINIS PRÆDICATORUM,

COMMENTARII

IN IV SENTENTIARUM

(DIST. I-XXII)

B. ALBERTI MAGNI,

RATISBONENSIS EPISCOPI, ORDINIS PRÆDICATORUM,

OPERA OMNIA,

EX EDITIONE LUGDUNENSI RELIGIOSE CASTIGATA, ET PRO AUCTORITATIBUS
AD FIDEM VULGATÆ VERSIONIS ACCURATIORUMQUE
PATROLOGIÆ TEXTUUM REVOCATA, AUCTAQUE B. ALBERTI VITA AC BIBLIOGRAPHIA SUORUM
OPERUM A PP. QUÉTIF ET ECHARD EXARATIS, ETIAM REVISA ET LOCUPLETATA

CURA AC LABORE

STEPH. CÆS. AUG. BORGNET,

Sacerdotis diœcesis Remensis.

ANNUENTE FAVENTEQUE PONT. MAX. LEONE XIII.

VOLUMEN VICESIMUM NONUM

COMMENTARII IN IV SENTENTIARUM (DIST. I-XXII).



PARISIIS

APUD LUDOVICUM VIVÈS, BIBLIOPOLAM EDITOREM,
13, VIA VULGO DICTA DELAMBRE, 13

—

MDCCCXCIV

D. ALBERTI MAGNI,

RATISBONENSIS EPISCOPI,

ORDINIS PRÆDICATORUM,

COMMENTARII

IN QUARTUM LIBRUM SENTENTIARUM.

PROLOGUS.

Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem [1]. *In isto verbo præpostero ordine narrantur materia hujus libri, et divisio. Domus enim sapientiæ nos sumus, quos ædificat ad perpetuam inhabitationem per corporum resurrectionem, de qua domo dicit Psalmista, Psal.* XXV, 8 : Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ. *Decor enim domus tuæ sunt dotes corporis, quas habebimus in resurrectione.*

Et ideo etiam sapientia dicitur ista ædificare sapienter, et exemplariter, et effective. Sapienter, ut ipsa conjunctione limi immortalitatis cum spirituali parte quæ ad imaginem est, admirabilis decor resultet sapientiæ. Exemplariter autem, quia ipse reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ [2]. *Effective vero : quia sicut dicit Glossa, II ad Corinth.* V, 15, *Christi resurrectio causa efficiens est nostræ resurrectionis. Et in hac parte agit Magister a distinctione XLIII usque in finem.*

[1] Proverb. IX, 1.
[2] Ad Philip. III, 21.

Sed tunc quæritur, Quare præpostero ordine hæ partes accipiuntur isto verbo? Et ad hoc dicendum, quod duplex est res hujus sacramenti, scilicet contenta significata et causata, quæ est gratia sacramenti: et determinatur cum quolibet sacramento in eadem parte. Et est quædam res non causata ab aliquo uno sacramento, sed potius in omnibus secundum aliqua quæ sunt in eo figurata et significata: et est gloria resurgentium: et hæc intenta est per omne sacramentum. Et quia intentio prior est in medico ante opus, ideo Salomon in verbo prædicto præposuit id quod intenditur. In ordine autem exsecutionis, id quod intenditur ultimo acquiritur: et ideo post omnia ponitur a Magistro.

In secunda parte illius sermonis accipitur prima pars libri per hoc quod dicit: « Excidit columnas septem. » *Columna enim est cui innititur domus, sicut Ecclesia utitur sacramento: et etiam reficiens ruinam domus, sicut Ecclesia refulcitur gratia sacramentali. Septem ergo columnæ sunt septem gratiæ sacramentales, quæ cum ipsis sacramentis determinantur. Excisæ autem sunt, quia in ipso Christo diligenter præparatæ. Et de illis agit Magister in prima parte hujus libri.*

Et dividitur illa pars in duas, in quarum prima Magister agit de sacramento novæ legis et veteris. Et hæc pars tota continetur in prima distinctione.

In secunda autem agit de sacramento novæ legis: et hæc incipit in secunda distinctione, ibi, A, « Jam ad sacramenta novæ legis accedamus, etc. »

Istam autem distinctionem primam dividit Magister in quatuor, sicut patet cuilibet in Littera, *scilicet quid sit sacramentum? Quare institutum? In quibus consistat et conficiatur? Et quæ sit differentia inter sacramentum veteris et novæ legis?*

Et patet etiam ubi ista incipiunt in Littera.

EPILOGUS BREVIS SUPRA DICTORUM.

His tractatis quæ ad doctrinam rerum pertinent, quibus fruendum est, et quibus utendum, et quæ fruuntur et utuntur, ad doctrinam signorum accedamus.

LIBRI QUARTI

SENTENTIARUM

PETRI LOMBARDI.

DE SACRAMENTIS ET SIGNIS SACRAMENTALIBUS.

DISTINCTIO I.

De sacramentis in genere.

A. *De Sacramentis.*

Samaritanus enim vulnerato appropians[1], curationi ejus sacramentorum alligamenta adhibuit: quia contra originalis peccati et actualis vulnera, sacramentorum remedia Deus instituit: de quibus quatuor primo considerandа occurrunt, Quid sit sacramentum? Quare institutum? In quibus consistat et conficiatur? Et, Quæ sit distantia inter sacramenta veteris et novæ legis?

[1] Luc. x. 30 et seq.

ARTICULUS I.

An sacramentum sit necessarium ?

Incidunt autem quæstiones ante *Litteram* quatuor, scilicet an sacramentum sit ?

Et, de differentia gratiæ sacramentalis ad gratiam quæ est in virtutibus et donis.

Tertio, Quot numero sint sacramenta ?

Quarto, de ordine ipsorum ad invicem.

Ad primum autem horum proceditur sic :

1. Nihil superfluum est in natura : ergo multo minus in gratia : sed per virtutes et dona sufficienter curatur homo a peccato, et adjuvatur ad bonum : ergo superflua sunt sacramenta : ergo non sunt, quia superfluum non est in gratia. Prima constat. Media probatur ex hoc quod quodlibet peccatum expellitur per sibi optatam virtutem, et quælibet virtus ordinatur in bonum sui actus.

2. Item, Non est de ordine sapientiæ quod fortius juvetur ab infirmiori : corporalia autem elementa in quibus omne sacramentum consistit, infirmiora sunt anima hominis et inferiora : ergo videtur, quod sacramentum esse non debeat.

3. Item, Aut debilior ostenditur artifex aut instrumentum suum, qui quandoque curavit uno instrumento morbum aliquem, et postea eget duobus : sed quandoque curavit Deus fide sola morbum, ut habebimus in sequenti distinctione, modo autem curat fide et sacramentis : ergo vel ipse vel fides debilior est, quod cum falsum sit, videtur quod non sit necessarium sacramentum.

4. Item, Philosophus in libro XVI *Animalium* : « Si non tangit, non agit, et non sequitur alteratio : » sed elementum corporale in quo omne sacramentum confertur, ut habebimus in *Littera*, animam non tangit : ergo in ipsam non agit, et non sequitur alteratio sanitatis in anima : ergo sacramentum est inutile.

Sed si forte tu dicas, quod hæc ratio non valet nisi de his quæ sunt causa salutis, et non de his quæ sunt signa : quia spirituale bene significatur corporalibus : licet illa ratio probat, quod non posset curari in ipso. Contra : Dicit Magister Hugo in parte octava libri de *Sacramentis*, quod « illa sacramenta quæ sunt signa tantum, non sunt sacramenta nisi in quantum significant illa quæ sunt causa gratiæ : » si ergo necessarium sit causans, necessarium erit signans : sed necessarium est causans, ut probatum est : ergo necessarium erit signans : et sic omnino necessarium erit sacramentum, ut videtur.

5. Item, Sacramentum videtur esse ritus idololatriæ, et quasi imitamur in eis athletas Gentilium : quia dicit Apostolus, ad Galat. IV, 9 : *Quomodo convertimini iterum ad infirma et egena elementa, quibus denuo servire vultis ?*

Sed contra : Se.

In medicina corporum non est idem modus regendi sanum, et curandi infirmum : ergo nec in medicina spirituali idem modus erit. Constat autem, quod per virtutes et dona regitur sanus : quia si homo non peccasset, ipse haberet virtutes et dona : ergo non per illa debet curari, sed per alia : et hæc sunt sacramenta : ergo sacramenta sunt necessaria. Ad

Solutio. Dicendum, quod sacramenta sunt, et necessaria sunt ad salutem, sine quibus a tempore morbi nulla fuit salus.

Ad primum ergo dicendum, quod per virtutes et dona quantum est de se, non substantialiter curatur morbus. Duo enim

sunt quæ exiguntur in medicina curante morbum : ut per contrarietatem morbum expellat, et hoc solum habent virtutes et dona : et ut leniendo dolorem quasi ungendo et fovendo naturam animæ sanet, et hoc per se habent sacramenta, in quibus ungit sanguis Christi et operatur. Et hæc solutio est vera.

Aliter dicunt quidam, quod multa medicamina ad idem non superfluunt : quia citius sanitas per multa quam per pauca acquiritur. Sed licet hoc verum sit, non tamen virtutes et dona sunt substantialiter ordinata contra morbum peccati : quia etiam haberentur si non esset peccatum : et ideo quod sanant eum quandoque, hoc est per accidens, scilicet quia inveniunt eum in subjecto.

Vel dicatur ad hæc verius : et tunc solvitur totum, quod est solutio morbi a parte nostra : et hæc fit per gratiam quæ est in virtutibus et donis, per quæ nos meremur sanitatem mentis, per peccatum perditam.

Et solutio alia est per virtutem Passionis Christi, sine qua nullum meritum nostrum aliquid valet, sicut habitum est in tertio libro *Sententiarum* : et hæc solutio morbi fit in sacramentis, in quibus Christi Passio operatur.

Ad aliud dubium dicendum, quod de ordine sapientiæ est, ut per humilitatem resurgat superbus. Et nisi natura superior se injuste superiori se opposuisset, non inferiori sublevaretur : sed quia opposuit se et subjecit seipsam, ideo ordinatissimum fuit ut per inferiorem se resurgeret.

Ad aliud dicendum, quod numquam fides sine sacramento legis novæ salutem operata est : sed tantum intererat, quod sanabat antiquitus sacramentum in fide exspectantium, et modo in opere exercitantium.

Alii dicunt aliter, scilicet quod si valuit quandoque fides sola ad justificationem, hoc fuit per se : quod autem modo non sola facit, hoc est per accidens, scilicet gratia status : et non est ex hoc infirmior : sicut præceptum sufficit alicui ad salutem sine voto consiliorum : si autem votum supervenerit, non sufficit : et tamen propter hoc non est debilior obedientia in præceptis quam primum fuit : sed hoc est propter alium statum fidelis.

Ad aliud dicendum, quod sacramentum tangit : et ideo sequitur alteratio in anima : tangit enim in quantum est signum et causa. In sacramento enim non est visibile elementum tantum : sed sanctificatio conjuncta, cujus virtus per fidem pertingit in anima : et ideo alterat et sanat eam. Et hoc infra magis patebit in *Littera*, cum quæretur, Quid sit sacramentum ? Ad 4.

Ad aliud dicendum, quod in sacramentis nullus est ritus athletarum idololatriæ : quia illi convertebant se ad elementa, credendo eis inesse numen ex natura sua. Et ideo diversimode : quia quidam virtutes naturales in elementis, et elementa deos putabant : et cuilibet actui naturæ constituerunt proprium deum, sicut dixit Varro : et stellas *deos* vocabant. Alii dicebant animam mundi diffusam in toto orbe, et præcipue animam quæ est virtus intelligentiæ quam ponebant in decimo ordine, qui est sub sphæra lunæ. Et ideo dicit Apostolus [1] : *Quomodo convertimini iterum ad infirma*, quoad primum, *et egena elementa*, quoad secundum : quia nec virtutem habent ex se, ut *dii* dicantur : nec animæ sunt in eis, ut sic dicantur *egeni*. Sed nostra elementa sunt virtuosa et ditia : virtuosa, quia Passio Christi operatur in eis : ditia vero, quia continent gratiam quam figurant : et ideo salubre est converti ad ipsa. Ad 5.

[1] Ad Galat. IV, 9.

ARTICULUS II.

An sint septem sacramenta, vel plura ? et, An sacramenta substantialem ordinem habeant ad venialem ?

Secundo quæritur de numero sacramentorum.

Videtur enim, quod non sit nisi unum solum necessarium : quia

1. Baptismus delet totum morbum, delet enim quidquid invenit : hoc autem est totus morbus : ergo non est necessaria medicina amplior, ut videtur.

2. Item, In Eucharistia tota gratiæ plenitudo continetur, et ipse gratiæ auctor : ergo videtur, quod sola Eucharistia sufficiat.

ITEM, Videtur, quod non debeant esse nisi duo : quia non sunt nisi duæ species morbi, scilicet naturale peccatum, de quo dicit Psalmista, Psal. L, 7 : *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum*, etc. Et personale de quo dicit idem : *Tibi soli peccavi, et malum coram te feci* [1]. Ergo videtur, quod non debent esse nisi duæ species medicinæ : ergo non debent esse sacramenta, nisi baptismus, et pœnitentia.

4. Item, Dicit Hieronymus, quod « secunda tabula post naufragium est pœnitentia : » naufragium autem illud est periculum fractæ navis gratiæ baptismalis : ergo ante hoc non fuit navis salvans nisi baptismus a periculo amissæ innocentiæ primæ in Adam : ergo non nisi duo sacramenta sunt necessaria.

5. VIDETUR autem, quod sint tria. Sacramentum enim instituitur propter morbum : morbus autem non habet remedium nisi duobus modis, scilicet quia turpitudo quæ curari non potest, excipitur honestate aliqua et excusatur : et quia medela contra morbum ponitur. Primum autem sufficienter fit per matrimonium : secundum per baptismum et pœnitentiam. Ergo non videntur esse necessaria nisi tria sacramenta.

6. Item, Tres vires sunt in homine læso, scilicet rationalis, concupiscibilis, et irascibilis : ergo tribus triplex tantum apponenda est medicina : ergo non erunt nisi tria sacramenta, ut videtur.

7. VIDETUR iterum, quod debeant esse quatuor : quia omne sacramentum debet esse sacramentum Ecclesiæ : ergo debet in manu ministrorum esse : ergo necessarium est ad hoc sacramentum quod constituat ministrum : et hoc est ordo. Et insuper triplex est morbus, scilicet duplicis culpæ, naturalis, et personalis, et pœnæ quæ relinquitur ex utroque.

8. Item, Tres sunt status sub ministris Ecclesiæ, scilicet intrantes, viventes, et exeuntes : ad ministrum autem consummandum exigitur ordo : sed intrantes accipiunt baptismum : viventes, quia vita hæc polluta est, indigent pœnitentia : sed exeuntes unctione extrema : ergo non sunt necessaria sacramenta nisi ista quatuor, ut videtur.

9. ADHUC videtur, quod debent esse quinque : cura enim animæ est ad similitudinem curæ corporalis : in corpore autem cura multiplicatur secundum species morbi, et secundum nocumenta quæ intulit morbus : ut deperditionem curat sapiens medicus per restaurativa humiditatis, debilitatem autem per confortantia, et morbum per expulsiva morbi. Cum igitur sint in anima tres species morbi, scilicet naturalis, actualis mortalis, et actualis venialis : et duo damna illata, scilicet deperditio et consumptio naturalis boni in simplicitate animæ vel spiri-

[1] Psal. L, 6.

tualitate, et debilitas standi vel resurgendi : videtur, quod contra ista quinque tantum debent ordinari quinque sacramenta.

10. Adhuc videtur debere esse sex : quodlibet enim genus morbi suam pœnam habet, et damnum adjunctum : cum ergo sit triplex culpa (ut dictum est) erit triplex pœna illi conjuncta. Cum igitur sacramentum sit inventum, ut excludatur totus morbus in culpa et pœna : videtur, quod tria debent esse contra culpam, et tria contra pœnam.

Item, Creationi debet respondere secundum numerum recreatio : creatio autem fuit in sex diebus : ergo in sex sacramentis tota consistere debet salus recreationis.

11. Quod autem debeant esse plura sacramenta quam septem, videtur ex hoc quod sacramentum est causa et signum gratiæ : sed aqua benedicta causat, et signat gratiam : ergo est sacramentum.

Eadem objectio est de benedictione pontificali, in qua remittuntur venialia : ergo est sacramentum.

12. Item, Objicitur fortius. In veteribus sacramentis fuit materia aqua in aspersione. Item, oleum in multis sacrificiis. Item, fuerunt ibi carnes et sanguis in sacrificiis. Cum ergo illa sacramenta sint signa nostrorum sacramentorum, videtur quod alia debemus habere, in quibus materiale elementum sit caro et sanguis : et hæc non habemus : ergo sumus minuti in sacramentis.

uæst. Ulterius ad intelligentiam quæstionis quæritur, Utrum aliquod sacramentum substantialem ordinem habeat contra veniale ?

Videtur, quod sic : quia

1. Est morbus : ergo recipit medicinam : ergo summe sapiens medicus paravit eam : ergo aliquod sacramentum substantialiter ordinatur contra veniale.

2. Item, Dicit Jacobus : *Oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus : et si in peccatis sit, remittentur ei* [1] : hæc autem non sunt nisi venialia quæ adhæserunt ei, ut videtur : ergo illud est ordinandum contra venialia. Et hoc concedunt quidam.

Sed contra. Sed contra :

1. Venialia sunt in tota vita : ergo in tota vita debet habere remedium, et non in morte tantum : vel insufficiens est medicus.

2. Item, Eadem ratione dicitur Eucharistia valere contra venialia, sicut unctio extrema.

3. Item, Quod curat majus, curat et minus : ergo pœnitentia valet contra veniale et mortale.

4. Item, Infra, in tractatu de *Pœnitentia*, Magister specialem facit tractatum de confessione et satisfactione venialium : ergo videtur, quod hæc sit contra veniale ordinata, sicut et unctio extrema.

5. Item, Si aliqua res curatur æqualiter a plubus causis divisis, nulla illarum erit substantialiter ordinata contra id : sed veniale a pluribus sacramentis divisim curatur : ergo a nullo sicut substantiali medicina contra se ordinata.

Solutio. Solutio. Sine præjudicio hoc ultimum videtur mihi esse concedendum, quod nullum sacramentum secundum se ordinatur contra veniale.

Divisio autem sacramenti multipliciter accipitur a Magistris, sicut patebit infra in principio secundæ distinctionis. Sed mihi videtur hic, quod si vera deberet tradi divisio, quod oporteret eam sumi penes multiplicationem eorum quæ substantialia sunt sacramento : hæc autem sunt causa, et signum. Unde penes divisionem *causæ* dabimus unam, et penes divisionem *signi* dabimus alteram.

Supponitur igitur id quod infra pro-

[1] Jacob. v, 15.

bandum est in quarto articulo quæstionis, quod omnis gratia sacramentalis ordinatur contra morbum peccati. Item supponitur, quod omne sacramentum Ecclesiæ confert gratiam aliquam contra morbum, sicut est matrimonium. Tunc dico, quod morbus est, aut secundum culpam, aut secundum pœnam relictam quidem ex culpa, licet etiam ordinantem ad culpam, sicut est pronitas concupiscentiæ. Culpa autem est duplex, scilicet originalis, et personalis mortalis. Pronitas autem peccandi duplex, scilicet secundum hoc quod pronitas est, quia sic inducit pugnam : vel secundum effectum quem inducit ex frequentia inclinationis in malum : et hæc est duplex tantum, scilicet deperditio spiritualis boni in anima, ita quod indigeat restauratione, et inhabilitas membrorum organicorum, ad hoc quod moveantur ab anima in bonum, et inhabilitas animæ ad movendum : et hæc est quædam reliquia peccati inducens languorem in anima movente, et corpore moto ad bonum per omnem eumdem modum, sicut videmus incendium innaturalis caloris facere in corpore : hoc enim consumit humidum quod est radix vitæ, et stolida facit membra, et virtutes membris affixas debilitat, et aufert a membris flexibilitatem, et a virtutibus facilitatem movendi. Pronitas autem quæ facit pugnam, iterum habet duas considerationes : secundum id quod corrupta tantum : vel secundum id quod corrupta et infecta in delectationibus, secundum concupiscentiam quæ est in generativa.

Dicimus ergo, quod remedia multiplicantur secundum ista vulnera. Morbus enim peccati aut est naturalis : et sic contra eum substantialiter est Baptismus per gratiam contentam et causatam. Aut est personalis mortalis, et tunc habet duplex remedium, scilicet ex parte clavium Ecclesiæ, facientium per meritum Christi taxabilem et proportionatam pœnam, et ideo est Ordo qui ad hoc datur, ut sit potestas ligandi atque solvendi in Ecclesia : aut commutandi æternam pœnam in temporalem per totius culpæ remissionem, et ad hoc est Pœnitentia. Morbus autem concupiscentiæ secundum quod inducit pugnam ex corruptione communi, contra se remedium habet Confirmationem : secundum autem quod suffocat ex corruptione simul et infectione, contra se oppositum remedium habet Matrimonium. Effectus autem vel potius defectus relictus ex continuitate pugnandi, is quidem qui est deperditio boni spiritualis in anima quod erat quasi humidum et fomentum sive radix vitæ, contra se remedium habet Eucharistiam, quæ restaurat deperditum per cibum saginativum spiritualem. Reliquiæ autem quasi immobilitantes, membra, et virtutes animæ moventes, contra se habent Unctionem extremam : et ideo etiam illa datur exeuntibus in remedium animæ et corporis : et si non tollit febrem a corpore, tamen alleviat membra ab isto contrarietatis habitu malo et dispositione, prout est impedimentum supervestitionis gloriæ in resurrectione : et similiter facit in anima, quia utrumque infirmatur ab altero. Hanc puto esse divisionem propriam sacramenti.

Vel sic : Malum movens aut est in se, aut in altero. Si in altero, tunc non habet remedium nisi repressivum : et ad hoc datur Ordo : quia potestas est ad vindictam malorum, laudem vero bonorum [1], ut quietam ac tranquillam vitam agamus [2]. Si in se tunc ut prius, vel secundum culpam, vel secundum pœnam quæ ordinat in culpam : et habebuntur sex alia.

Vel sic : Sacramentum est contra defectum qui est ex peccato : aut ergo contra communem defectum Ecclesiæ, aut contra defectum personæ. Si primo

[1] I Petr. II, 13 et 14 : *Subjecti estote... ducibus, tamquam a Deo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum.*

[2] I ad Timoth. II, 2.

modo iste defectus est ex mortalitate quæ diminuit membra Ecclesiæ, et perimitur : aut ergo erit mortalitas corporalis, et contra hanc datur Matrimonium quantum ad principale suum bonum prolis : aut spiritualis mors, et contra hanc datur Ordo in spirituali generatione verbi, et per exhibitionem sacramenti et dispensationem. Si autem est contra defectum personæ : aut est a malo, aut contra difficultatem quæ est ad bonum. Si primo modo : aut a malo naturali, et tunc est Baptismus : aut a malo personali, et tunc est Pœnitentia. Si autem est contra difficultatem quæ est in bonum : aut per modum confortantis in pugna, et sic est Confirmatio : aut per modum restaurantis deperditum, et sic est Eucharitia : aut per modum sanantis inflicta occulta, et sic est Unctio exterma.

Et aliis modis potest dividi penes signum : nunc autem dabimus divisionem secundum quod sacramentum configurat nos capiti Christo. Sunt autem in Christo patiente et resurgente omnia : quia passio sua operatur in omnibus sacramentis. Dicamus igitur, quod Christus patiendo pro nobis pugnavit fortiter, ipse sacerdos et hostia obtulit semetipsum, sponsus Ecclesiæ per mortem et sanguinem, et surrexit oleo gratiæ delibutus. Pœnitentia ergo trahit vim a Christo patiente et configurat nos ei, Ordo a Christo offerente, et Eucharistia a Christo hostia, Matrimonium a Christo sponsante Ecclesiam sibi in sanguinis arrha, sicut dicitur, Exod. IV, 25 : *Sponsus sanguinum tu mihi es :* et ideo etiam quia ibi extensus brachia in amoris summi amplexus, quando animam pro ea posuit : et tertio, quia sicut de latere primi Adæ dormientis fabricata est Heva, ita de latere morientis et mortui Christi fabricata est Ecclesia, quando duo ex latere ejus principalia sacramenta profluxerunt, scilicet sanguis redemptionis, et aqua expiationis. Per Unctionem autem configuramur Christo resurgenti : quia datur exeunti in figura delibationis gloriæ futuræ, quando tota abscindetur mortalitas ab electis. Infra autem in principio secundæ distinctionis ad hæc revertemur, et opponemus ad opiniones Magistrorum de numero sacramentorum.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod licet baptismus deleat quidquid invenit, non tamen ordinatur substantialiter contra omne genus morbi : et ideo de virtute sua non delet nisi culpam originalem, et reatum sibi annexum. Sed quia Deus non curat in parte, sed in toto, ideo Deus curans in baptismo, curat totum quod invenit. Sacramenta autem inventa sunt ad hoc ut ex substantiali ordine contra peccatum deleant ipsum, et defectus qui sunt ex Christo. Ad 1.

AD ALIUD dicendum, quod licet in Eucharistia contineatur Auctor omnis gratiæ, non tamen continetur ibi ut causans omnes gratias, sed tantum ut cibus spiritualis causans unam : et ideo alia sunt necessaria. Ad 2.

AD ALIUD dicendum, quod vulnus peccati aliud est ab ipso peccato : et sacramenta non sunt tantum contra peccata, sed etiam contra vulnus, ut patet in divisione supra posita. Ad 3.

AD ALIUD dicendum, quod Hieronymus non loquitur de tabulis evadendi periculum pœnæ vel vulnerum, sed tantum de his quæ evadunt culpam. Ad 4.

AD ALIUD dicendum, quod illa ratio bene procederet si medicina non poneretur nisi contra culpam : sed hoc non est verum, ut jam patuit. Ad 5.

AD ALIUD dicendum, quod licet tantum sint tres vires ordinatæ ad opus, tamen plures sunt corruptæ quam tres : et dato quod essent nisi tres corruptæ, non relinqueretur, quod deberent esse tantum tria sacramenta, quia licet tres sint corruptæ, tamen plures modi quam tres sunt corruptionis earum. Ad 6.

AD ALIUD dicendum, quod pœna quæ est tertius morbus, exigit plures medicinas, eo quod pluribus modis variatur. Ad 7.

AD ALIUD dicendum, quod non accipiuntur sacramenta secundum numerum Ad 8.

statuum Ecclesiæ : quia medius status qui est viventium permanentium in hac vita, indiget pluribus remediis propter multos modos corruptionis.

Ad 9. Ad aliud dicendum, quod nullum sacramentum ordinatur contra veniale substantialiter : sed oratio, et alia multa, ut aqua benedicta, tunsio pectoris propter multiplicitatem illius peccati : sed plures sunt defectus quam illi qui enumerantur : et non est omnimo simile de cura corporis : quia anima in quadam parte est corrupta et infecta, et in quadam parte est incendium contra bonum naturæ pugnans : et penes hujusmodi sumitur confirmatio, et matrimonium, quæ necessaria sunt præter quinque enumerata.

Ad 10. Ad aliud quod videtur probare, quod sint sex, dicendum quod penes illam divisionem non accipitur numerus sacramentorum : quia hoc concedimus, quod penes veniale nullum accipitur sacramentum, nec penes pœnam ejus : et ideo illa ratio non procedit.

Ad 11. Ad illud quod objicitur, quod plura quam septem esse debeant, dicendum quod non debent esse plura : quia aqua benedicta et benedictio et hujusmodi non justificant ex opere operato, sed potius ex opere operante. Item, non habent specialem formam verborum in qua fiant. Item, non sunt ad hoc instituta. Et hæc tria exiguntur in omni sacramento, scilicet ut ex opere operato justificet, et ex institutione significet, et ex sanctificatione verbi conferat invisibilem gratiam, ut dicit Magister Hugo.

Ad 12. Ad aliud dicendum, quod caro et sanguis non possunt esse materia in nostris sacramentis : quia nec in sacramentis veteris legis significabant sacramentum secundum rem nostri sacramenti, ut nunc habemus ea in re, scilicet in Eucharistia.

Ad quæst. Et per hoc patet fere solutio ad sequens : quia concedimus, quod veniale non habet unum sacramentum substantialiter contra se ordinatum.

Ad primum autem dicendum, quod habet medicinam, sed non per se, non propter sui multiplicitatem et quia non est morbus per se : sed in quantum est dispositio ad mortale peccatum. Ad 1.

Ad aliud dicendum, quod hoc est de bene esse quod cadit sub pœnitentia, et non de esse, ut infra patebit. Ad 2.

ARTICULUS III.

Quæritur de ordine sacramentorum.

Tertio quæritur de ordine sacramentorum.

Videtur autem, quod primum debeat esse *Ordo :* quia in ipso imprimitur character excellentiæ : ergo instituit in gradu altiori quam alia : ergo dignius et prius.

Item, Ordo habet omnia in dispensatione : ergo videtur, quod ipsum sit prius aliis.

Item, Habet potestatem ad actum excellentissimum, qui est consecrare corpus Domini : et quod habet actum excellentiorem, est primum : ergo ipsum est primum sacramentum.

Sed videtur, quod *Pœnitentia :* quia ab ipsa incipit Dominus prædicare : ordo autem operis respondet ordini doctrinæ : ergo est pœnitentia primo suscipienda.

Item, Augustinus dicit, et infra ponitur in *Littera*, quod nullus novam vitam inchoare potest, nisi pœniteat eum veteris vitæ : ergo pœnitentia est prior.

Item, Si quis adultus ad baptismum venerit, non recipit rem sacramenti sine pœnitentia, quia fictus est : ergo ipsa exigitur ante baptismum : ergo et ante alia sacramenta.

Sed adhuc videtur, quod *Eucharistia* sit prior : quia illud a Sanctis vocatur

sacramentum sacramentorum : ergo dignissimum est : ergo præcedit omnia alia.

Item, Ipsum continet Auctorem omnis gratiæ : sed Auctor gratiæ est ante gratiam quamlibet universalem et particularem : ergo ipsum est ante omnia sacramenta : quia omnia alia imprimunt gratias spirituales.

Videtur autem, quod *Matrimonium* : quia illud ante omnia in paradiso institutum est, ut dicit Magister infra.

Per Magistrum autem probatur, quod *Baptismus* sit primum, quia ipse primo agit de illo : et probat quod est fundamentum omnium sacramentorum.

olutio. Solutio. Ordinanda sunt sacramenta secundum ordinem defectuum contra quos ordinantur, inter quos prius est originalis culpa, et hanc tollit *baptismus*. Et consequens est pronitas ad malum, quam non tollit baptismus, sed diminuit : et ideo contra hanc ordinatur *confirmatio*. Ex pugna autem pronitatis, et quasi ex calore concupiscentiæ oritur deperditio bonorum spiritualium : et ideo contra hanc ordinatur tertio loco *Eucharistia*. Est autem prolapsus concupiscentiæ in actuali peccato, contra quod ordinatur *pœnitentia*. Reliquiæ autem debilitatis semper innascuntur, contra quas ordinatur *extrema unctio*. *Ordo* autem et *matrimonium* sunt ordinata contra defectum communem : et ordo est ante matrimonium : quia secundum digniorem generationem est, ut patuit ex divisione. Et hunc ordinem tenet Magister.

Ad omnia autem objecta est una responsio, scilicet quod non probant ordinem simpliciter : sed quoad hoc quod procedit ratio : sed hic penes illud ordo non consideratur a Magistro : quia nullum illorum est finis sacramenti nisi id quod jam dictum est, scilicet id quod efficit in morbo contra quem ordinatur.

ARTICULUS IV.

Quæ sit differentia inter gratiam donorum et virtutum, et eam quæ confertur in sacramentis ?

Quarto quæritur, Quæ sit differentia inter gratiam virtutum et donorum, et illam quæ est in sacramentis ?

Videtur autem, quod in sacramentis non datur nisi gratia gratis data. Aut enim sacramentum recipitur a ficto, aut a non ficto. Si a ficto, ille nullam recipit gratiam. Si a non ficto. Contra : Ille habet jam accedens gratiam gratum facientem : sed nihil est in potentia ad id quod jam habet : ergo non potest eam ulterius recipere : ergo aut nihil recipit, aut recipit gratiam gratis datum.

Si forte dicas, quod recipit augmentum gratiæ. Contra : Si hoc est substantiale sacramento quod confert augmentum gratiæ : cum semper sit gratia augmentanda, videbitur quod semper sint sacramenta iteranda : sed hoc est falsum, quia principaliora non iterantur : ergo non sunt ad augmentum gratiæ.

Item, Videtur quod in omnibus sacramentis non conferatur nisi una gratia. Probatio : Una enim est gratia, cujus actus est unus : sed actus est remittere peccatum : cum ergo omne sacramentum sit ad hoc, videtur quod omnis gratia sacramentalis sit una.

Præterea, In quo differt a gratia quæ est in donis et virtutibus ? Quæst.

Videtur, quod in nullo : quia utraque gratum facit habentem, et opus ejus gratum reddit : ergo non differt.

Si dicas, quod gratia sacramentalis est contra peccatum : virtutum autem et donorum in bonum. Contra : In natura

idem movens numero est a termino et in terminum : ergo et in spiritualibus idem est movens a malo et in bonum.

Item, Idem et unus motus non habet nisi unam formam moventem : a malo autem in bonum est idem et unus motus : ergo movet in eo gratia una.

Item, Gregorius dicit, quod « dona data sunt in adjutorium contra peccati defectum : » ergo distinctio nulla.

Si forte dicas, quod eadem est gratia quæ confertur in his et in illis. CONTRA : Gratia in virtutibus et donis habet connexionem, ita quod qui habet unam, habet alias : sic autem non est in sacramentis, quia habens unum sacramentum, non habet omnia alia.

Item, Nullo existente præcepto sive peccato, adhuc erunt virtutes et dona et gratia quæ est in eis : sed non sic est de sacramentis : ergo differens est gratia.

Solutio. SOLUTIO. Bene concedo, quod differt gratia sacramentalis ab illa quæ est in virtutibus et donis, duobus illis modis quibus probatum est, scilicet, quia habita una sacramentali, non habentur aliæ necessario : et quia non existente peccato, non essent sacramenta. Et adhuc duobus aliis modis, scilicet, quia sunt contra defectum qui est ordinans in peccatum, vel contra ipsum peccatum : et quia in ipsis operatur passio Christi specialiter : quorum nullum per se convenit gratiæ virtutum et donorum.

DICENDUM ergo ad primum, quod habita gratia virtutum non per se habetur gratia sacramentorum : quia virtutes ordinantur ad actus meritorios, sed sacramenta contra defectum peccati : et ideo licet non fictus habeat gratiam virtutum, non tamen oportet quin bene possit esse in potentia recipiendi gratiam sacramentalem : et hæc est sibi gratia prima, si ante non habuit : vel augmentum gratiæ, si ante habuit gratiam. Hoc autem quod augmentat gratiam ipsum sacramentum, non convenit ei per se : sed in quantum aliam gratiam, non eamdem primum invenit in subjecto.

Et per hoc patet solutio ad primum.

AD ALIUD dicendum, quod supponitur una falsa, quod actus gratiæ sacramentalis sit unus : licet enim genere sit unus qui est gratum facere, tamen specialiter differt, ut patuit supra in divisione : quia una gratia per se tollit originale, et alia actuale, et sic de aliis. Ad quæ

AD ALIUD dicendum, quod differt a donis et virtutibus in hoc quod dona et virtutes dicunt perfectiones potentiarum ad actum : sacramentalis autem gratia dicit perfectionem contra morbum peccati : motus autem a malo ad bonum quandoque est unus, et quandoque duo : quando enim per se intenditur bonum, tunc est motus in illud, et ille per consequens recedit a contrario, et tunc est motus unus : sed quando sunt gratiæ non in motu consideratæ, sed ut habitus perficientes, tunc non oportet quod sint contra malum per se : quia virtutes et dona non sunt contra malum per se, sed potius habitus perficientes potentias ad actus : sed sacramenta non, imo medentur vulneribus peccati per se.

AD ALIUD patet solutio per idem.

AD DICTUM Gregorii dicendum, quod adjutorium ipse non vocat per modum medicinæ, nec defectum talem notat qui est ex peccato et inclinans in id : sed vocat defectum pœnam, sicut est ignorantia faciendorum, et debilitas operabilium. Sed sacramentum est medicina contra defectum inclinantem in malum universaliter : et ideo nullum sacramentum vel gratia sacramentalis determinatum est speciali potentia animæ, sicut dona et virtutes.

B. *Quid sit sacramentum ?*

Sacramentum est sacræ rei signum. Dicitur tamen sacramentum etiam sacrum secretum, sicut sacramentum divinitatis : ut sacramentum sit sacrum signans, et sacrum signatum : sed nunc agitur de sacramento secundum quod est signum. Item, Sacramentum est invisibilis gratiæ visibilis forma. Signum vero est res præter speciem quam ingerit sensibus, aliquid aliud ex se faciens in cognitionem [1] venire. Signorum vero alia sunt naturalia, ut fumus significans ignem, alia data. Et eorum quæ data sunt, quædam sunt sacramenta, quædam non. Omne enim sacramentum est signum, sed non e converso, Sacramentum ejus rei similitudinem gerit, cujus signum est. Si enim sacramenta non haberent similitudinem rerum quarum sacramenta sunt, proprie sacramenta non dicerentur. Sacramentum enim proprie dicitur quod ita signum est gratiæ Dei, et invisibilis gratiæ forma, ut ipsius imaginem gerat et causa existat. Non ergo significandi tantum gratia sacramenta instituta sunt, sed etiam sanctificandi. Quæ enim significandi gratia tantum instituta sunt, solum signa sunt, et non sacramenta : sicut fuerunt sacrificia carnalia, et observantiæ cerimoniales veteris legis, quæ numquam poterant justos facere offerentes : quia, ut ait Apostolus [2] : *Sanguis hircorum et taurorum et cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificabat ad emundationem carnis*, non animæ [3]. Nam inquinatio illa erat contactus mortui. Unde Augustinus : Nihil aliud intelligo inquinationem quam lex mundat, nisi contactum mortui hominis : quem qui tetigerat, immundus erat septem diebus, sed purificabatur secundum legem die tertio et septimo, et ita mundus erat ut jam intraret in templum. Mundabant etiam interdum a corporali lepra illa legalia. Sed numquam ex operibus legis aliquis justificatus est, ut ait Apostolus [4], etiamsi in fide et in charitate fierent. Quare ? quia imposuit ea Deus in servitutem, non in justificationem, et ut figura futuri essent : volens sibiipsi potius offerri ea, quam idolis. Illa ergo signa erant, sed tamen et

[1] Edit. J. Alleaume, *cogitationem*.
[2] Ad Hebr. IX, 13.
[3] Cf. Levit. XVI, 15.
[4] Ad Roman. III, 20 : *Ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo*, scilicet Deo.

sacramenta : licet minus proprie in Scripturis sæpe vocantur : quia signa erant rei sacræ quam utique non præstabant. Illa autem Apostolus opera legis dicit, quæ tantum significandi gratia, vel in onus instituta sunt.

ARTICULUS V.

Quæritur de diffinitionibus sacramenti.

Deinde quæritur de his quæ dicuntur in *Littera.*

Et quæritur primo de hoc quod dicitur, ibi, B, « *Sacramentum est sacræ rei signum.* »

Et ut melius intelligatur quæstio, congregentur omnes simul diffinitiones sacramenti.

Et prima est, ista, « *Sacramentum est sacræ rei signum.* » Secunda ponitur infra in *Littera :* « *Sacramentum est invisibilis gratiæ visibilis forma,* » cujus similitudinem gerat, et causa existat.

Augustinus sic diffinit : « Sacramentum est, in quo sub tegumento visibilium rerum divina virtus secretius operatur salutem. »

Hugo sic : « Sacramentum est corporale vel materiale elementum oculis extrinsecus suppositum, ex similitudine repræsentans, ex institutione significans, et ex sanctificatione invisibilem gratiam conferens. »

Objicitur autem contra primam : quia

1. Serpens in palo erectus, Numer. XXXI, 8 et 9 :

Item, Crux, tabernaculum, templum : omnia enim hæc sunt signa sacrarum rerum : et tamen non sunt sacramenta veteris legis vel novæ : omne autem sacramentum vel est veteris legis vel novæ : ergo videtur, quod diffinitio sit ibi plusquam diffinitum : ergo mala est.

2. Item, Hugo dicit, quod sacramentum perficitur in tribus, scilicet verbis, rebus, et factis : verbis, ut orationes : rebus, ut oleum, aqua, chrisma, et hujusmodi : factis, ut genuflexiones, benedictiones, et hujusmodi : ergo videtur, quod secundum hanc diffinitionem multo plura sint sacramenta quam illa quæ enumerantur.

3. Item, Vita bona est sacræ rei signum et causa, quia vitæ æternæ : ergo videtur esse sacramentum, quod falsum est.

Ulterius objicitur de secunda :

1. Cum enim dicitur *visibilis forma,* non videtur omni sacramento convenire : quia in quibusdam non est visibile, sicut in confessione potius est audibile quam visibile.

2. Item, Character baptismalis (ut infra dicetur) est sacramentum, et tamen non est visibile : ergo videtur, quod non sit generale, quod dicit de forma visibili.

Quæst. Præterea quæritur, Qualiter accipitur ibi *forma* ? Aut enim est extra, aut intra. Si extra, tunc est exemplaris. Sed contra : Exemplaris est juxta quam aliud fit ad formam eamdem : sed nullus demergitur, ut sicut fit in baptismo, vel alio sacramento, ita et ipse faciat baptizando, vel aliud sacramentum perficiendo : ergo non est ibi taliter sumpta forma. Si autem est forma intra. Contra : Illa semper consistit in verbis, sicut Augustinus dicit infra : « Accedat verbum ad elementum, et fit sacramentum : » ergo non deberet dici visibilis, sed audibilis.

Præterea, Loquendo secundum hoc est falsa : quia sacramentum non est sua forma, sicut nec sua materia : sed est illud quod est ex utrisque compositum.

Si autem dicas, quod *forma* dicitur quasi foris manens, sicut dicitur *forma* quarta species quantitatis: hoc nihil esse videtur: quia illa forma non videtur esse nisi alicujus quanti: est enim illa forma idem quod figura, ratione differens tantum: sacramentum autem nullius est figuræ: ergo nec alicujus talis formæ.

3. Item, Objicitur de hoc quod dicitur, *Cujus similitudinem gerat.* Similitudo enim (ut dicit Boetius) est rerum numero differentium eadem qualitas: non autem eadem qualitas est spiritualium et corporalium: cum ergo elementum sit materiale et corporale ipsum sacramentum, non potest habere eamdem qualitatem cum anima interius: ergo nec habet similitudinem.

Quæst. 2. Ulterius quæritur, Cujusmodi causa existit?

1. Aut enim efficiens, aut formalis, aut materialis, aut finalis. Patet autem, quod non efficiens: quia nihil est causa efficiens gratiæ nisi solus Deus, ut dicit Beatus Bernardus: sacramentum autem non est Deus. Item, non formalis: quia tunc esset sacramentum aliquod intraneum quod daret esse gratiæ, quod non potest esse. Item, corporale non potest esse forma spiritualis: ergo sacramentum quod est semper corporale, non est forma gratiæ interioris. Similiter, videtur non esse materialis: quia nec est materia in qua sit gratia, nec ex qua. Quod non *in qua*, hoc patet: quia nihil est materia in qua, nisi quod est subjectum gratiæ proprium: hoc autem numquam est corporale, sed anima vel substantia rationalis alia. Quod autem non *ex qua*, hoc iterum patet: quia gratia non habet talem materiam, cum sit forma simplex. Similiter non est finalis: gratia enim non potest esse propter sacramentum, sed potius e converso: ergo nullo modo videtur esse causa.

2. Si autem tu dicas, ut supra suppositum est, quod est causa disponens in subjecto: hoc non videtur: quia causa disponens debet attingere subjectum quod disponit: sacramentum autem non attingit animam in esse sacramentali, sed corpus tantum: ergo videtur, quod non sit causa disponens.

3. Item, Dispositio aut est ultima necessitas, aut est circa ultimam. Si autem est ultima: ergo talis forma numquam est sine illa: quod non est verum, quia gratia et salus (ut dicetur infra) non sunt alligatæ sacramentis. Si autem citra ultimam: ergo non est necessaria: sed potest contingere ut sacramentum suscipiatur ab aliquo non ficto, et non recipiatur gratia, ut videtur: ergo nullo modo est causa.

4. Si autem dicas, ut fere omnes antiqui dixerunt, quod sacramentum est causa sicut vas: dicitur enim sacramentum continere gratiam, ut pyxis medicinam: hoc nihil videtur: quia pyxis nulla causa medicinæ vel salutis est: ergo sacramentum secundum hoc non haberet aliquam causalitatem respectu gratiæ.

Ulterius objicitur de tertia quæ est Augustini:

1. Non enim videtur esse proprium sacramento, quod tegat, sed potius quod aperiat, cum debeat ostendere gratiam.

2. Præterea, Quod hic dicitur *divina virtus*, non videtur convenire sacramento: quia sacramentum per se debet habere causalitatem: quia aliter male diffiniretur per rationem causæ.

Objicitur etiam de quarta quæ est Hugonis: non enim videtur differentia inter repræsentare, et significare: ergo videtur, quod superfluat unum illorum.

Solutio. Istæ quatuor diffinitiones dantur de sacramento, ita quod prima est de sacramento in genere, sequentes autem tres sunt datæ de sacramento novæ legis. Et prima considerat ea quæ sunt proprietas materiæ et formæ ipsius sacramenti: ex materia enim habet signum esse, ex forma autem habet quod sit causa. Secunda autem considerat effi- Solutio.

cienter operans in omni sacramento. Sed quarta colligit omnia materialiter et formaliter existentia in sacramento: sicut corporale elementum est in sacramento materia, et huic conjuncta est proprietas naturalis qua aptitudinem habet repræsentandi gratiam: sicut refrigerium aquæ repræsentat refrigerium gratiæ ab incendio fomitis, et humidum aquæ vim ablutivam gratiæ ad deponendas sordes spirituales in anima. Quod autem hæc repræsentatio actualiter ducat in gratiam, habet ex institutione divina: sed ex sanctificatione formæ verborum habet conferre gratiam invisibilem.

Et sic patet solutio ejus quod poterat quæri, Penes quid sumantur istæ diffinitiones, cùm unius rei unica sit diffinitio?

Ad diffin. 1. Ad 1. DICATUR ergo ad primum, quod in diffinitione sacramenti sacra res et signum sumuntur in coarctata significatione, scilicet ut dicatur *res sacra,* quæ ordinata est ut medicina contra morbum: et *signum* dicatur, quod ponit similitudinem ad illam ex institutione divina: et tunc diffinitio illa non convenit nisi sacramento veteris legis vel novæ.

Si tamen velit aliquis dicere, quod sacramentum diffinitur pro quacumque re sacra, sive active sive passive dicatur sacramentum, non peccabit, quia hoc videtur velle Magister in *Littera* per divisiones sacræ rei, et per divisiones signi quas subjicit. Sed tamen quia signum non est signatum, debet proprie loquendo differentia esse inter sacramentum quod signum dicitur, et sacram rem quæ dicitur esse signata: serpens autem, crux, et hujusmodi, non sunt instituta ad significandum hujusmodi sacramentum: sed potius ad fugandum dæmones, et ostendendam passionem in typo aliquo, vel ad ostendendam dispositionem Dei, sicut tabernaculum faciebat.

Ad 2. AD ALIUD dicendum, quod Magister Hugo loquitur ibi de quocumque sacramento quod pertinet ad cultum, et non pro illa propria ratione accipit ibi sacramentum.

AD ALIUD dicendum, quod vita bona est gratiæ causa et salutis: sed non ostendit ea in signo similitudinis, sed potius in signo quod est ut meritum est causa præmii: et de tali signo non intelligitur, quando signum ponitur in diffinitione sacramenti. Vel dicatur, quod non habet bona vita significare salutem ex institutione, sed potius ex se. Vel iterum potest dici, quod bona vita ex opere operante operatur salutem, et non ex opere operato: sacramentum autem ex opere operato: et sic patet, quod bona vita non est sacramentum. Ad

AD ID quod subjicitur de secunda, dicendum quod visibile extenso nomine ponitur in diffinitione pro sensibili, eo quod visus generalior sensus est quoad objecta et dignior. Ad diffi. Ad

AD ALIUD dicendum, quod character baptismalis accipitur ut res et ut signum: secundum quod accipitur ut res, sic non est sacramentum: secundum autem quod accipitur ut signum, sic est sacramentum: et tunc licet sit in se invisibilis, tamen relatus ad actionem exteriorem ipse est visibilis: ipse enim secundum se non est sacramentum, sed potius ut reductus in tinctionem exteriorem. Ad

AD ALIUD dicendum, quod *forma* dicitur hic foris manens, et transsumitur: quia sicut per figuræ convenientiam configuratur res rei, ita per similitudinis convenientiam configuratur actio exterior actioni interiori in sacramento: et ideo non procedit objectio, quia transsumpto modo sumitur ibi *forma*. Ad

AD ALIUD dicendum, quod similitudo sumitur ibi secundum proportionalitatem: est enim secundum Boetium in II *Arithmeticæ,* similitudo rerum differentium eadem quantitas, et proportio est similitudo habitudinis inter duo, sed proportionalitas est similitudo proportionum inter quatuor. Et tunc dicemus, quod Ad

sumenda est proprietas elementi exterioris ad effectum quem habet in corpore in parte una, et proprietas gratiæ per effectum quem habet in anima in parte alia : et ponenda est allegorice vel metaphorice similitudo inter illas duas proportiones. Sicut se habet elementum in vi refrigerativa et ablutiva ad corpus, ita gratia ad animam secundum metaphoram. Et tunc cessat objectio.

uæst. 2. d 1. Ad aliud dicendum, quod causa est sacramentum ut disponens in subjecto, et est dispositio quæ est necessitas quantum est de se : non tamen sequitur, quod semper operetur, sed sequitur quod quantum est de se semper operetur : si enim ille fictus est, tunc ponit obicem.

d 2. Ad id autem quod contra objicit, dicendum quod attingit per similitudinem proportionabilitatis, et virtutem ex sanctificatione, ut dicit Augustinus infra, distinct. III. Unde est hæc vis in aqua ut corpus tangat, et cor abluat, nisi ex verbi invocatione.

d 3. Ad aliud dicendum, quod non sequitur, quod sit salus alligata sacramento : quia dicit Magister Hugo, « In illis quidem est, sed non ex illis ut causa efficiente : » et ita intelligitur, quod non alligavit. Si autem quæritur, Ad quam causam reducitur illa dispositio, dicendum ad materiam : quia quidquid est ante formam de dispositionibus materiæ, totum subjicitur formæ cum ipsa materia, sicut patet in scuto quando dealbatur, asser enim cum albedine subjicitur auro quod postea superducitur albedini vel scuto albo.

d 4 Ad id autem quod objicitur de vase, dicendum quod bene dicebant antiqui : sed ipsi accipiebant vasa medicinalia, quæ habebant vim disponendi ad sanitatem, sicut vasa de tamarisco vinum disponunt ad salutem contra hepatis infirmitates. Vel dixerunt vasa operantia ad medicinam, sicut clyster, et embrotum, et hujusmodi : et tunc objectum non habet locum.

Ad aliud dicendum, quod Augustinus vocat ibi tectum id quod non per se videtur, videtur tamen in similitudine, et hoc quod dicit Dionysius in *Ecclesiastica hierarchia* : « Non possibile est nostro animo ad immaterialem cœlestium hierarchiarum ascendere imitationem et contemplationem, nisi ea quæ secundum ipsum est materiali manuductione utatur : visibiles quidem formas invisibilis pulchritudinis imaginationes arbitrans sensibiles suavitates et figuras invisibilis distributionis [1]. » Ad diffin. 3. Ad 1.

Ad aliud dicendum, quod divina virtus in sacramentis effective operatur : et ideo non tollitur quin in sacramento remaneat causalitas dispositionis. Et hoc est quod dicit Hugo in octava parte libri *Sacramentorum*, sic : « Non ad hoc sunt instituta sacramenta ut ex eis esset quod in eis esset : sed ut peritiam suam medicus ostenderet, in illo remedium præparavit, a quo occasionem morbi languidus accepit. » Ad 2.

Ad id quod objicitur contra ultimam, dicendum quod repræsentare et significare differunt, sicut aptitudo per naturam, et complementum per artem : aqua enim de aptitudine naturali habet significare refrigerium fomitis et loturam culpæ : sed ut hoc actu faciat, oportet institutionem adesse : sicut materia aliqua aptitudinem habet ad aliquid, et completur per opus artificis. Ad diffin. 4.

ARTICULUS VI.

An in sacramentis signum sit res aliqua ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, B, circa initium : « *Signum vero est*

[1] S. Dionysius, Lib. de Ecclesiastica hierarchia, cap. 1.

res præter speciem quam ingerit sensibus, etc. »

1. In primo enim libro *Sententiarum* dividit Magister tractatum sacræ Scripturæ, qui est de rebus et signis : ergo videtur, quod signum non sit res.

2. Item, Videtur, quod falsum dicat in hoc quod dicit, *ex se :* quia sacramentum non facit ex se, sed ex institutione, ut videtur.

Solutio. Ad 1. SOLUTIO. Magister accipit hic *signum* prout cadit sub intentione rei : quia, sicut dictum est in primo libro *Sententiarum* [1], quando dividitur tractatus in res et signa, divisio illa potius est per diversos modos rei quam per diversas res, et tantum valet sicut absolutum et relatum ad aliud significandum.

Ad 2. AD ALIUD dicendum, quod signum facit ex se, hoc est, ex se signo, sive formaliter accepto : hoc enim facit res ex se, quod facit ex sua forma, et quod cadit in sua diffinitione. Et hoc non repugnat suæ institutioni : quia signum a Deo et præcipue sacramentale, formam accipit ab institutione, licet aptitudinem habeat a natura, ut prius dictum est.

ARTICULUS VII.

An ea quæ significandi gratia tantum instituta sunt, sint solum signa et non sacramenta ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, B, in medio : « *Quæ enim significandi gratia tantum instituta sunt, solum signa sunt, et non sacramenta*, etc. »

Contra hoc videtur esse quod supra dixit, quod

1. Sacramentum est invisibilis gratiæ visibilis forma : illa autem quæ tantum signa erant, fuerunt talia, ut agnus paschalis, et alia quædam : ergo fuerunt sacramenta.

2. ITEM, Ipse infra dividit sacramentum in sacramentum veteris et novæ legis : ergo illa sunt sacramenta sicut et ista.

3. PRÆTEREA, Ipse vocat ea hic sacrificia carnalia, et observantias cerimoniales : et hoc non videtur. Dicit enim Apostolus, ad Roman. VII, 12 : *Lex quidem sancta, et mandatum sanctum, et justum, et bonum :* ergo non erat carnale.

Si dicas, quod carnale erat carnaliter intelligentibus. CONTRA : Quia intelligens suo intellectu nihil potest mutare de re : res enim in se est hoc quod est, non ex comparatione intellectus mei vel alterius.

Præterea, Secundum eamdem rationem poterit etiam nova lex carnalis esse : quia aliqui carnaliter intelligebant, et adhuc intelligunt, sicut dicit Christus, Joan. VI, 64 : *Spiritus est qui vivificat : caro non prodest quidquam.*

4. PRÆTEREA, Quare vocantur *cerimoniales ?* Non enim potest dici, quod dicuntur cerimonialia a carie quæ est putredo ligni, quia immunda erant : hoc enim habeo pro inconvenienti, quod aliqua de causa immunda præceperit Deus.

Item, Nihil immundum pertinet ad cultum Dei : sacrificia autem illa pertinebant ad cultum Dei : ergo illa sacrificia nihil habebant immundum.

Præterea, Sæpe dicitur de sacrificio quod erat in odorem suavissimum Domino : ergo nihil erat ibi de carie.

Si autem dicas, quod dicuntur cerimonialia a cera, videtur quod hoc non sit verum : quia cera non dicit aliquid pertinens ad cultum divinum.

Sol Ad

SOLUTIO. Dicendum quod Magister determinat sacramentum secundum suum maximum posse : et hoc non est nisi in sacramento novæ legis, quod est causa et

[1] Cf. I Sententiarum, Dist. I. Tom. XXV hujusce editionis.

signum : et ideo illa quæ tantum signa fuerunt dicit non esse sacramenta : quia etiam in veritate illa non fuerunt sacramenta, nisi ideo quia nostra sacramenta significabant : et hoc infra probabitur per auctoritatem.

Per hoc etiam patet solutio ad sequens : quia infra sumit generalius sacramentum quam hic.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod carnalia erant propter carnalem ritum, et propter carnaliter servientium statum : offerebantur enim tunc sacrificia de rebus carnalibus, quæ significabant res quæ sunt sacrificia spiritualia, de quibus dicit Psalmus L, 19 : *Sacrificium Deo spiritus contribulatus : cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.* Et tunc erat status carnalium, et si aliqui spiritualia offerebant, illi pertinebant ad Novum Testamentum.

Ad idem. Ad aliud dicendum, quod lex dicitur *sancta*, ratione moralium, et ratione figuræ : quia non sanctificat nisi per fidem Mediatoris.

Ad 1. Ad aliud dicendum, quod *cerimonialia* dicuntur, ut mihi videtur, eo quod pertinebant ad cultum divinum. Unde Tullius in fine *Primæ rhetoricæ* dicit, quod « religio est, quæ cuidam naturæ quam superiorem vocant, curam cerimoniamque affert.» Et est compositum a *munia* quod est obsequium vel cultus, et *Cere* quæ est dea frugum ; quia forte illa primo colebatur : et a suo cultu ad divinum cultum est transsumptum.

ARTICULUS VIII.

An offerre sacrificia carnalia sit bonum in genere ? et, An fuit juris naturalis ? et, An justificabant ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, B, sub medium : « *Quæ numquam poterant justos facere offerentes.* »

Et quæruntur tria, quorum primum est, Utrum offerre talia fuit bonum in genere ?

Secundo, Utrum fuit juris naturalis ?

Tertio, Utrum justificabant ?

Ad primum proceditur sic : Quæst. 1.

1. Bonum in genere est bonum secundum principium subjectum moris, et hoc est actus voluntarius sicut debita materia, ut pascere esurientem, vestire nudum : ergo similiter erit offerre cui offerendum est : ergo videtur, quod si informaretur charitate, quod erit meritorium : creaturam autem offerre Deo, est offerre cui offerendum est : ergo hoc informatum charitate poterat esse meritorium vitæ æternæ.

2. Item, Nihil est in specie quod non sit in genere : sacrificia offerre est in specie virtutis latriæ : ergo est in genere boni : ergo est bonum in genere, ut videtur.

Sed contra : Sed contra.

Occidere pecus ut comburatur, omnino videtur inutile. Psal. XLIX, 13 et 14 : *Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo ? Immola Deo sacrificium laudis*, etc. Ergo videtur, quod sacrificia offerre numquam fuit de genere bonorum.

Ad secundum proceditur sic : Quæst. 2.

1. Oblatio sacrificiorum in lege naturali incepit, et in lege Moysi fuit : ergo videtur, quod natura inclinaverit ad hoc : ergo est de jure naturali.

2. Item, Omnes tenebantur agnoscere liberatorem futurum per naturæ inclinationem : sed illum ostendebant sacrificia : ergo natura inclinabat ad sacrificiorum oblationem.

Sed contra : Sed contra.

1. Quidquid est de jure naturali, permansit et permanet in lege nova : sacrificiorum oblatio non permanet : ergo non fuit umquam de lege naturali.

2. Item, Quod naturale est, idem est apud omnes : constat autem, quod non

BIBLIOTHÈQUE QUÉBEC UNIVERSITÉ LAVAL

omnes offerebant sacrificia : ergo videtur, quod non erat naturale.

Quæst. 3. Ad tertium proceditur sic :

1. Dicit Beda, quod sacrificia suo tempore conferebant vitam æternam : nihil autem confert vitam æternam nisi quod justificat : ergo sacrificia illa justificabant.

2. Item, Quidquid præcipit Deus ad faciendum, ipse vult fieri : et dico *ad faciendum*, propter præceptum factum Abrahæ, non ad faciendum, sed ad probandum : sacrificia præcepit Deus ad faciendum : ergo illa voluit fieri. Inde sic : Quidquid Deus vult fieri, si fiat ex charitate, meritorium est : sacrificia voluit fieri Deus : ergo si fiebant ex charitate, erant meritoria : ergo justificabant. Si dicas, quod hoc meritum est ex virtute charitatis, et non operis : hoc nihil est : quia omne meritum est virtute charitatis, et non operis.

Item, Moralia etiam non justificabant, nisi cum charitate fierent : ergo hæc non est ratio.

3. Si forte tu dicas, quod habebant hoc ex eo ipso quod significabant nostra sacramenta. Contra : Circumscribamus significationem, et remaneat præceptum de offerendis sacrificiis : tunc præcipit ea Deus ad faciendum, et tunc eadem ratio quæ primum.

4. Item, In secunda parte distinctionis I, in tractatu de *circumcisione*, dicit Gregorius : « Quod apud nos valet aqua baptismi, hoc egit apud veteres circumcisio, vel virtus sacrificiorum : » ergo illa sacrificia habebant virtutem absolvendi a culpa : et hæc non absolvitur sine gratia : ergo conferebant gratiam, ut videtur.

Sed contra. Sed contra :

1. Differentia est inter illa sacramenta et novæ legis, quod illa non sunt vasa continentia gratiam, nostra autem sunt. Quod autem non est gratia in se, et non continet eam, non justificat : ergo sacrificia illa non justificabant.

2. Item, Si justificabant, quæritur, Ad quem effectum justificabant ? Constat, quod non ad collationem gratiæ : quia hoc negat Apostolus, et habetur in *Littera*. Sed quod nec ad dimissionem pœnæ, sic probatur : quia pœna connexa est culpæ : ergo videtur, quod nullo modo justificabant.

3, Item, Isa. I, 11 : *Holocausta arietum, et adipem pinguium.* etc., *nolui.* Glossa dicit, numquam.

4. Item, Ad Ephes. v, 2, super illud : *Tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis*, dicit Glossa, quod sacrificia alia non fuerunt in odorem suavitatis, nisi in quantum fuerunt figura illius : ergo de se nihil conferebant, ut videtur.

5. Item, Jerem. VII, 22 : *Non sum locutus cum patribus vestris, et non præcepi eis... de verbo holocautomatum et victimarum* : ergo numquam voluit illa.

6. Item, Ezechiel. XX, 25 : *Ego dedi eis præcepta non bona, et judicia in quibus non vivent :* ergo non justificabant, quia aliter vitam contulissent.

7. Item, Hesychius dicit, quod grata non habebat, et loquitur de sacrificiis.

8. Item, Augustinus in libro de *Civitate Dei :* « Non placet Deo sacrificium occisi pecoris, sed contriti cordis : » ergo videtur, quod non justificabant.

Quæst. 4. Sed adhuc duo aut tria videntur esse contra hoc valde probabilia.

1. Unum est quod in Canone de sacrosancta hostia dicitur, postquam consecrata est : « Supra quæ propitio et se-« reno vultu respicere digneris : et ac-« cepta habere, sicuti accepta habere di-« gnatus es sacrificium pueri tui justi « Abel, et sacrificium patriarchæ nostri « Abrahæ : et quod tibi obtulit summus « sacerdos tuus Melchisedech : » ergo videtur illud gratum fuisse : ergo justificabant.

2. Item, Exod. XX, 1 et seq., in eadem parte sacrificia conjunguntur cum moralibus : hujus autem ratio non videtur

esse alia, nisi quia justificabant sicut illa.

3. Item, Hoc accipitur a traditione Hebræorum, qui dicunt non differre moralia a sacrificiis, nisi quod moralia audivit populus per se a Domino, unde dicitur ibi, quod cunctus populus audivit voces [1] : sed sacrificia non audivit populus, sed audivit Moyses tantum : et ideo sacrificia receperunt per minstrum, moralia autem (ut dicunt quidam Hebræi) a Domino : ergo sacrificia justificabant, sicut et moralia ipsa.

Solutio. quæst. 1. Ad 1. SOLUTIO. Dicendum ad primum, quod in genere bonum est offerre cui offerendum est : sed bonum in genere recipit determinationem circumstantiarum pro diversitate actus : et ideo determinatio circa hoc bonum, præcipue per rationem determinatur ad statum, et ad tempus : tempus autem fuit, quando morbus fuit et tempus significationis medicinæ : et status fuit status in peccato. Et quoad hoc determinatur sacrificium. Et quia modo non est ita determinabile sacrificium tale, ideo modo perniciosum est tale sacrificium. Licet enim offerre cui offerendum est sit bonum in genere, non tamen determinatio oblati, ut capra, vel ovis, respicit bonum in genere secundum determinationem quæ accipitur per cognitionem significationis.

Ad 2. AD ALIUD dicendum, quod illo tempore bene trahebatur ad speciem : sed hoc non erat virtute materiæ quæ est capra, vel ovis, sed potius ratione actus qui est oblatio. Et bene conceditur ab omnibus, quod ille actus charitate informatus erat meritorius : quia ille est opus operans, non opus operatum.

Object. AD ID quod objicitur in contrarium, dicendum quod non erat inutile ut occideretur pecus hoc modo quo occidebatur : non enim cremabatur ut absorberetur ab igne, sed potius ut proprietate ignis spiritualitas et calor devotionis ostenderetur circa sacrificium spiritus contribulati.

Ad quæst. 2. Ad 1. AD ID quod secundo quæritur, dicendum quod sacrificium in genere bene est de jure naturali : bene enim dictat hoc ratio hominis, quod liberatio sua debebat præsignari : sed non dictabat, quod hoc modo, vel illo, sed hanc determinationem addidit ratio conferens et inquirens, quomodo verum sacrificium melius possit præsignari.

Ad 2. AD ALIUD dicendum, quod omnes tenebantur agnoscere suam liberationem, non explicite, sed implicite : sicut etiam se habebant circa articulos.

Ad object. 1. AD EA autem quæ in contrarium dicuntur, patet solutio : quia non sunt in jure naturali determinata : et ideo nec manent, nec eadem sunt apud omnes.

Ad object. 2. AD ALIUD dicendum, quod triplex est status, scilicet ante idololatriam et legem scriptam, et sub idololatria et lege scripta, et sub gratia promissa et exspectata in utraque lege et naturali et Mosaica. Ante legem et idololatriam placebant sacrificia in figura futuræ oblationis quæ facta est per Christum : sub lege autem displicebant simpliciter, quia tunc erant oblata idolis : sed placebant secundum quid, scilicet ut sibi potius quam idolis offerretur. Sub gratia autem omnino displicent : quia nec tempus, nec status sub gratia permittunt ea determinari.

Ad quæst. 3. Ad 1. AD ID quod tertio quæritur, dicendum quod Magistri bene dicunt, quod est opus operans, et hoc est actus qui pro tempore bonus erat, et hoc poterat informari charitate : et est opus operatum, ut hircus immolatus, et hoc nihil contulit quod intus adjuvaret supra meritum actus. Unde dictum Bedæ intelligitur de primo modo, et non de secundo.

Ad 2. AD ALIUD dicendum, quod signa voluntatis fuerunt de talibus, et non beneplacitum quod dicit quietam voluntatem

[1] Exod. xx, 18 : *Cunctus autem populus videbat voces et lampades*, etc.

in bono : signa autem voluntatis ut præceptum et consilium bene erant ad faciendum, sed pro tempore et statu, ratione jam dicta.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod si circumscribatur signum futuræ liberationis, et sit præceptum de ipsis, adhuc erunt meritoria quoad actus operantes : sed licet circumscribatur significatio in hoc modo vel illo, necesse est ut præsignetur status liberationis aliquo modo quicunque sit ille : et tunc adhuc circumscripto signo futuri, dico quod remanet meritum in opere operante virtute præcepti : sed non dictat ratio ea esse sic offerenda.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod virtus sacrificii refertur ibi ad futurum, et non ad opus operatum præsens. Et hoc patet ex hoc quod dicit Augustinus, quod numquam sine fide Mediatoris salutem habuit, a parvulo recenter nato usque ad senem decrepitum.

Ad object. Ea autem quæ in contrarium objiciuntur, bene concedo.

Ad quæst. 4. Ad 1. Ad aliud dicendum, quod id quod est in Canone intelligitur, ut collatio status ad statum, veritatis ad figuram. Unde sic intelligitur : Ut sicut illud placuit in statu significationis et figuræ, ita placeat istud in statu veritatis et liberationis : non tamen tantum, sed multo amplius : quia etiam per illud, prout determinatum est, nemo habebat rationem placendi nisi per istud : sed bene verum est, quod semper placuit Deo oblatio in genere, quando illud quod Dei erat, sibi offerebatur : sicut etiam modo placet, licet non placeat idem modus qui tunc fuit.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod cum moralibus conjunguntur, non quod pertinerent in specie ad moralia ; sed quia actus in genere moralis erat in cerimonialibus : actum enim in genere dictabat natura, sicut et actum moralium : sed species oblationis diversificatur pro loco et tempore, ut dictum est.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod duplex est de hoc traditio Hebræorum, ut dicit Rabbi Moyses Ægyptius in secunda collatione libri sui quem vocat *Ducem neutrorum* : sapientiores enim Judæi, ut ipse Rabbi Moyses, et Rabbi Josua, et Rabbi Heliazar dicunt, quod audire populi nihil aliud fuit, quam populari ratione in illud cognoscendum posse : et ideo illi dicunt, quod populus non audivit nisi unum mandatum, quod omni homini etiam rudi statim dictat conscientia et ratio : et hoc est primum, scilicet illud : *Audi, Israel : Dominus Deus noster Dominus unus est* [1]. *Non habebis deos alienos in conspectu meo*, etc. [2]. Alia autem novem audiverunt sapientes qui illustrationem revelationis amplius parati erant recipere : quia hoc dictat ratio etiam naturalis, licet non adeo perspicaciter ut primum. Alia autem omnia non audivit nisi solus Moyses : quia ille cognoscebat etiam illa per illuminationem Dei, quæ nullus de aliis ratione poterat investigare.

Alii autem dicunt, quod totus populus audivit decem mandata : quia illa dictat homini jus naturale, et omnes erant capaces illorum : sed non audiverunt sacrificia : quia illa non sunt de jure naturali nisi in genere, ratione cujus etiam moralibus conjunguntur : sed determinata oportuit esse per Prophetam qui amplius cultum Dei pro statu et tempore intellexit.

ARTICULUS IX.

An veniale virtute sacramentorum veteris legis remittebatur ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, B, sub finem : « *Nihil aliud intelligo inquinationem quam lex mundat*, etc. »

[1] Deuter. VI, 4.

[2] Deuter. V, 7 et seq. Cf. Exod. XX, 2 et 3.

Ad 3. Et quæruntur hic duo : quorum primum est, Utrum veniale virtute illorum sacramentorum remittebatur ?

Secundum, Quare in nova lege non est aliquid curans irregularitate sicut in veteri ?

Ad primum proceditur sic :

1. Infra [1], dicit Augustinus, quod venialia semper per sacrificia et cerimonias remittebantur : ergo videtur, quod remittebant saltem aliqua peccata.

2. Item, Majorem habet conformitatem cum gratia quod est non causa sed signum, quam id quod nec causa nec signum est : sed quædam quæ nec causa nec signum sunt, quia non sunt sacramenta, ut aqua benedicta, et benedictio pontificalis, remittuut veniale : ergo multo magis illa quæ signum erant et non causa : talia autem erant sacrificia veteris legis : ergo remittebant veniale.

contra. Sed contra :

Numquam a Deo peccatum dimittitur sine gratia : nullam autem virtute propria gratiam illa sacramenta contulerunt : ergo virtute propria numquam peccatum aliquod curaverunt : quod videtur esse concedendum, nisi per accidens, scilicet per opus operans, præcipue quia hoc expresse dicunt Sancti et Apostolus ad Hebræos.

olutio. ad 1. Ad primum ergo dicendum, quod *veniale* sumitur æquivoce : quia in lege veniale fuit, quod morte temporali non puniebatur, sed puniebatur per exitum extra castra, vel expiationem, vel alio modo : et de hoc loquitur Augustinus, et non de illo quod ex genere suo est venia dignum.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod illud argumentum non habet necessitatem, nisi probaretur primo, quod aliquid secundum substantialem effectum ut sacramentum contra veniale esset ordinatum : nos autem hoc non confitemur, ut supra patuit.

[1] Infra, Dist. XIX.

ARTICULUS X.

Quare in nova lege non est aliquid curans irregularitatem sicut in veteri ?

Ad secundum objicitur sic :

Perfectior est lex nova quam vetus : ergo sacramenta novæ legis quam veteris. Cum ergo illa expiaverunt irregularitates, videtur quod etiam ista hoc facere debeant, et multo amplius.

Præterea quæritur, Quare irregularitas maxime impedit ab hoc sacramento quod est Ordo, et non ab aliis ? Nullus enim est irregularis ab Baptismum, vel ad Eucharistiam, dummodo velit se præparare, nec ad Pœnitentiam, et sic de aliis. Quæst.

Solutio. Dicendum, quod hoc ipsum indicat maximam Novi Testamenti dignitatem et altitudinem. Quia enim in Veteri Testamento non erat nisi umbra sacerdotii et actus sacerdotalis, ideo de levi paratur ibi remedium, per quod homo congruus illi actui efficitur. Quia vero hic est verus actus oblationis Christi et verum sacerdotium, ideo difficulter expiatur, et quandoque non potest expiari irregularitas. Solutio.

Ad aliud dicendum, quod Ordo collocat hominem in duplici statu, scilicet sponsi et sponsæ : desponsatur enim tota Ecclesia in Prælato Deo, et Deus in Prælato conjungitur populo : et ideo medius est inter Deum et populum, et habet locum utriusque, et ideo in quantum est sponsa habet annulum fidei et charitatis, et significatur quod non sit divisus, sicut et Ecclesia indivisa in cor- Ad quæst.

de et corpore significavit, et jungitur Deo : et quoad hoc inidoneitatem et irregularitatem inducit bigamia. Quia vero ipse communionem totius populi facit in loco Dei qui communem facit populum, ideo irregularitatem inducit communio in excommunicatione. Ratione vero spiritualitatis et cultus qui statum prætendit, inidoneitatem facit effusio sanguinis. Et quod hæc non tolluntur, non est defectus legis novæ : quia non sunt peccata, nisi forte per accidens, sed potius inidoneitas quarumdam personarum ad actum excellentis dignitatis et significationis sponsæ et sponsi.

ARTICULUS XI.

An oblationes et sacrificia debuerunt esse ante legem ? et, Utrum tunc omnes tenebantur cognoscere rationes figuræ in qua positæ erant ?

Deinde quæritur de hoc quod dicitur, ibi, B, in fine « *Quia imposuit ea Deus in servitutem*, etc. »

Secundum hoc enim videtur, quod non debuerunt esse ante legem, quod non est verum, cum Abel obtulerit, et Abraham, et alii quidam Patriarchæ.

Quæst. PRÆTEREA, Ratione secundæ causæ qua dicit, quod positæ sint in figura, quæritur, Utrum quilibet tenebatur cognoscere rationem illius figuræ, an non ?

Videtur, quod sic : quia

1. Aliter inutilis fuisset oblatio, vel nociva alicui figura : ille enim crederet, quod esset per se Deo accepta : ergo videtur, quod omnes tenebantur agnoscere figuræ rationem.

2. Item, Omnis homo tenebatur agnoscere venturam necessariam liberationem futuram : ergo illam tenebatur præsignare : sicut etiam nos modo corde credimus ad justitiam, ore autem confitemur ad salutem [1] : cum ergo præsignatio sit per sacrificia, ipse tenebatur scire rationem sacrificiorum.

SED CONTRA : Sed c

1. Determinatam non habebant talem relationem ad passionem Christi quæ in illis significabatur, quod hoc dictaret ratio sine revelatione : ergo nisi revelaretur, videtur quod nullus tenebatur illam significationem scire.

2. Item, Alius modus erat possibilis, ut dicit Augustinus. Detur ergo, quod alius fuisset : ergo tunc illa sacrificia non figurassent Passionem Christi : ergo non tenebantur scire quod ista figurabant ea, scilicet quæ futura erant in Novo Testamento.

3. Item, Ulterius videtur ex hoc sequi, quod non tenebantur ad sacrificia : quia spirituales cognoverunt se premi onere, et illa Deo non placere : ergo videtur, quod poterant desistere a sacrificiis quando volebant, quod falsum est : ergo præcepta erant eis ad faciendum, et non tantum pro figura imposita, ut hic dicit Magister.

SOLUTIO. Dicendum, quod secundum supra dicta triplex est status. Ante legem enim bene puto, quod simpliciter placebant Deo, in quantum cultus significabatur in illis et figura futuræ liberationis : et hoc modo obtulerunt Patriarchæ. Sed postquam populus didicit in Ægypto offerre idolis, non placuit Deo talis ritus, nisi secundum quid, scilicet ut sibi potius quam idolis offerretur. Solu

AD ALIUD dicendum ut supra, quod omnes tenebantur, sed non explicite, sed hoc modo ut intenderent illas offerre in significatione et ritu majori qui futuram revelationem intelligebant. Ad q

[1] Ad Roman. x, 10 : *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.*

Ad 1. Ad id quod contra objicitur: ad primum quidem patet solutio.

Ad 2. Ad secundum autem dicendum, quod modus liberationis significabatur in genere, scilicet quod oportuit ipsum esse in modo satisfaciendi, ita ut offerretur ex parte nostra cor contritum et humiliatum : et quicumque modus fuisset, semper illud exigebatur ex parte nostra : et sic semper remanet modus liberationis ex parte nostra in futurum significandus per sacrificia.

ARTICULUS XII.

Quis est effectus cineris vitulæ rufæ et aquæ quæ fiebat per commixtionem ejus?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, B, in fine : « *Illa autem Apostolus opera legis dicit*, etc. »

Specialiter dubitatur de cineribus vitulæ rufæ de qua fiebat aqua aspersionis per totum annum, sicut legitur, Numer. xix, 2 et seq.

Videtur, quod duo contraria fecerit aqua illa : quia sacerdotem immolantem immundabat, et præcipiebatur ei ut maneret extra castra, et immundus esset usque ad vesperam : populum autem aspersum emundabat, et vasa tabernaculi, et ipsum tabernaculum, et librum, et omnia alia quæ per aquam aspergebantur. Si enim dicatur, quod hoc fuit ideo, quia tetigit morticinum immolando : non videtur ; quia etiam aspersus sanguine morticino tangebatur, et tamen mundabatur : ergo videtur, quod sacerdos immolans mundior ex hoc fieri deberet.

Solutio. Hic est duplex solutio bona, et aliæ sunt trufæ. Augustinus enim dicit, quod cinis vitulæ qui est reliquiæ ignis, significat peccata jam infrigidata a concupiscentia, et combusta ab igne contritionis : sanguis autem est sanguis redemptionis Christi : aqua autem commixta, populi unio cum Christo, vel fons lacrymarum : et ex his conficitur aspersio munda. Sed sacerdos immundus est : quia numquam ita aspergimur quin immunditia nobis adhæreat venialium : ideo extra castra puræ societatis manebimus usque ad vesperam, et tunc lustrati purgatorio, puri ingrediemur in sortem et habitationem Sanctorum : et hæc est optima solutio. Solutio.

Aliam dant Magistri, quod sacerdos immolans significat sacerdotem nostrum celebrantem et sumentem corpus Christi : quod licet sanctissimum sit, tamen quia nos inidoneos reputare debemus respectu ejus, ideo quando celebramus, lavamus manus, et reputamus nos extra castra Sanctorum usque ad vesperam mortis.

Et per hoc patet solutio ad contrarium.

C. *De causa institutionis sacramentorum.*

Triplici autem de causa sacramenta instituta sunt : propter humiliationem, eruditionem, et exercitationem. Propter humiliationem quidem, ut dum homo insensibilibus rebus quæ natura infra ipsum sunt, ex præcepto Creatoris se reverendo subjicit, ex hac humilitate et obedientia Deo magis placeat, et apud eum mereatur : cujus imperio salutem quærit in inferio-

ribus se, etsi non ab illis, sed per illa a Deo. Propter eruditionem etiam instituta sunt, ut per id quod foris in specie visibili cernitur, ad invisibilem virtutem quæ intus est, cognoscendam mens erudiatur. Homo enim qui ante peccatum sine medio Deum videbat, per peccatum adeo habuit, ut nequaquam divina queat capere, nisi humanis exercitatus. Propter exercitationem similiter instituta sunt : quia cum homo otiosus esse non possit, proponitur ei utilis et salubris exercitatio in sacramentis, qua vanam et noxiam declinet occupationem : non enim facile capitur a tentatore, qui bono vacat exercitio. Unde Hieronymus monet : Semper aliquid boni operis facito, ut te occupatum diabolus inveniat [1].

ARTICULUS XIII.

An triplex causa institutionis sacramentorum a Magistro sit bene assignata ?

Deinde quæritur de secunda parte illius partis, ubi dicit : « *Triplici autem de causa sacramenta instituta sunt*, etc. »

Quæritur enim de istis causis.

Videtur enim, quod nullæ sint : quia

1. Contra ordinem rectum est hominem humiliari sub eo quod infra ipsum est : elementum autem corporale est infra dignitatem hominis : ergo contra rectum ordinem est hominem humiliari usque ab hoc quod quærat salutem in elemento corporali.

2. Item, Non juvatur ad surgendum qui amplius deprimitur quam ceciderat : ergo videtur, quod nulla sit causa quam quærit primo.

3. Similiter, Secunda causa nulla esse videtur : quia quanto aliqua eruditio est apertior, tanto erudit efficacius : ergo aliud quod aperte ostenderet et conferret gratiam, magis erudiret et conferret ad gratiam, quam sacramentum quod ostendit nobis in elemento corporali.

4. Item, Si eruditio illa est, est secundum aliquam rationem vel viam rationis : nulla autem via rationis investigat gratiam in eo quod non est causa gratiæ, sed potius a Deo exspectat qui est auctor omnis gratiæ : ergo videtur, quod nulla sit eruditio in sacramento.

5. Item, Objicitur de tertia causa quæ est exercitatio. Unicus enim actus non potest dici exercitium : cum igitur potiora sacramenta non accipiantur nisi semel, non sunt instituta ad exercitium, ut videtur.

6. Item, Virtutes videntur dari magis ad exercitium : quia actus illarum iteratur per totam vitam, et non actus sacramentorum : ergo videtur, quod nulla harum causarum rationabilis sit.

Item quæritur, Penes quid accipiatur numerus harum causarum ? Quæst.

Solutio. Dicendum ad hoc ultimum primo, quod in sacramento sunt tria, scilicet materia, ratio signi, et ratio causandi. Et penes materiam quæ inferior est accipitur causa prima. Penes rationem autem signi accipitur secunda : quia signum aliud facit venire in notitiam rei præter speciem quam ingerit sensibus. Solutio. Ad quæst.

[1] S. Hieronymus, In epistola ad Rusticum.

Penes rationem autem causandi accipitur tertia : quia causat gratiam cujus actus iteratur in exercitio vitæ.

Ad 1. Ad primum ergo dicendum, quod humiliatio existentis in peccato alia est ab humiliatione naturæ secundum se consideratæ. Dico ergo, quod quia homo humiliando seipsum dejecerat, ideo conveniens fuit, ut humiliaretur sub hoc quod infra ipsum fuit, propter Deum : ut tanto humilior descenderet sub eo quod infra ipsum fuit per naturam, quanto ipse superbior se erexerat in id quod supra ipsum fuit, concupiscendo Dei æqualitatem.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod si humiliaretur sub elemento propter elementum, tunc illa ratio procederet : sed ipse humiliatur sub elemento propter Deum : et ideo illa humilitate resurgit.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod eruditio est ex nobis propriis, ut dicit Dionysius : quia noster intellectus non accipit divina nisi materialibus velata : et ideo licet in se sit obscurior quam ipsa veritas, tamen nobis magis congruit : sicut etiam in philosophia sæpe facilior est doctrina ex ignoratioribus simpliciter, notioribus autem quoad nos, quam e contra.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod illa eruditio est per viam rationis quæ contemplatur exigentiam peccati nostri : quia per rationem congrui, peccantem oportet manuduci per connaturalia : sed, ut dicit Dionysius, ut per similitudines corporalium surgat ad incognita : et per ea quæ modo didicit, discat spiritualia quæ non novit [1]. Licet enim ratio quærat salutem in elementis corporalibus, non tamen quærit ex ipsis, ut supra notatum est in auctoritate Magistri Hugonis.

Ad 5. Ad id quod objicitur de tertia causa, dicendum quod exercitium non refertur hic ad actum sacramenti, sed ad actum gratiæ sacramentalis, qui frequenter est iterandus.

Ad 6. Ad aliud dicendum, quod exercitium non est in virtutis actu, sed est alterius rationis : quia non est ordinatum ita directe contra peccatum sicut actus gratiæ sacramentalis.

D. *De triplici genere exercitationis.*

Sunt autem exercitationum tres species : una ad ædificationem animæ pertinet, alia ad corporis fomentum, alia ad utriusque subversionem. Cum igitur absque sacramentis (quibus non alligavit potentiam suam) Deus homini gratiam donare posset, prædictis de causis sacramenta instituit. Duo autem sunt in quibus sacramentum consistit, scilicet verba, et res. Verba, ut invocatio Trinitatis : res ut aqua, oleum, et hujusmodi.

(1) Cf. S. Gregorium, Homil. XI in Evang. : « Cœlorum regnum idcirco terrenis rebus simile dicitur, ut ex his quæ animus novit, surgat ad incognita quæ non novit : quatenus exempla visibilium se ad invisibilia rapiat, et per ea, quæ usu didicit, quasi confricatus incalescat, etc. »

ARTICULUS XIV.

An in omni sacramento sunt duo, scilicet verba, et res ?

Deinde quæritur de tertia parte hujus distinctionis, ibi, D, in fine : « *Duo autem sunt in quibus sacramenta consistunt*, etc. »

Hoc enim non videtur esse generale in omnibus : quia

1. In matrimonio consensus facit matrimonium, etiamsi desint verba : ergo videtur, quod non omne sacramentum consistit in verbis.

2. Item, In contritione dolor contriti cum gratia delet peccatum : et non sunt ibi verba.

3. Item, Objicitur de altera parte, de qua dicit, quod res est in sacramento. Est enim quædam res sacramenti chrisma : et hæc res non fuit in Veteri Testamento. Et quæritur, Quare, cum fuerit ibi oleum, et vinum, et panis, et aqua, quæ sunt res aliorum sacramentorum ?

Solutio. Ad 1.

Solutio. Dicendum, quod verba sunt in omni sacramento in quantum est sacramentum Ecclesiæ. Matrimonium enim multipliciter consideratur, scilicet in quantum est officium naturæ, et in quantum est bonum Ecclesiæ : et quoad hoc potest sufficienter effici per consensum in maritalem copulam : sed tertio modo est in remedium, et sic ponitur sub clavibus Ecclesiæ : et est in dispensatione ministrorum, et quoad hoc habet formam in facie Ecclesiæ expressam, et accipit benedictionem Ecclesiæ, et efficitur Ecclesiæ non quidem sacramentum secundum se, sed sacramentum Ecclesiæ, ut sit medicina ex vi clavium ipsius Ecclesiæ.

Ad 2.

Ad aliud dicendum, quod verba sunt in pœnitentia, secundum quod ipsa in tribus suis partibus est unum sacramentum, et hæc sunt verba quæ dicit sacerdos, quando ligando ad satisfactionem absolvit.

Ad 3.

Ad id quod objicitur contra aliam partem, dicendum, quod in confirmatione datur Spiritus sanctus ad robur : et ideo etiam non nisi ab illo datur, qui est in altiori gradu Ecclesiæ : et ideo in statu imperfectionis non conveniebat esse suam materiam propriam.

E. *De differentia sacramentorum veterum et novorum.*

Jam videre restat differentiam sacramentorum veterum et novorum : et sacramenta vocamus quæ antiquitus res sacras signabant, ut sacrificia, et oblationes, et hujusmodi. Eorum autem differentiam breviter Augustinus assignat dicens, quia illa promittebant tantum et significabant, hæc autem dant salutem [1].

[1] S. Augustinus, Super titulum Psal. lxxiii.

ARTICULUS XV.

Utrum sacramenta veteris legis dederunt salutem, sicuti sacramenta novæ legis ?

Deinde quæritur de quarta parte, quæ dividitur in duas partes, in quarum prima determinat differentiam sacramentorum Novi et Veteris Testamenti in genere. In secunda autem tangit excipiendo de circumsione : quia illa non videtur cadere sub dicta differentia. Prima incipit ibi, E, « *Jam videre restat distantiam*, etc. » Secunda incipit ibi, F, « *Fuit tamen inter illa sacramenta sacramentum quoddam*, etc. »

Incidit autem quæstio de primo quod dicit de differentia prima.

Videtur enim quod illa dederunt salutem sicut et ista : quia

1. Ita dicit Apostolus, ad Galat. III, 12 : *Qui fecerit ea, vivet in illis.* Non autem loquitur de vita corporali : ergo de spirituali : ergo dabant vitam spiritualem : ergo salutem per consequens.

2. Item, Magister Hugo de Sancto Victore in libro de *Sacramentis* : « Ex quo homo lapsus est in peccatum, continuo Deus sacramenta adhibuit, alia ante legem, alia sub lege, alia sub gratia, differentia quidem in specie, sed unum habentia effectum [1]. » Effectus autem novorum sacramentorum est conferre salutem : ergo et illorum quæ fuerunt ante legem, et in lege : ergo omnia curabant, et dabant salutem.

3. Item, I ad Corinth. x, 1 et seq. : *Nolo enim vos ignorare, fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes mare transierunt : et omnes in Moyse baptizati sunt, in nube et in mari : et omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt : et omnes eumdem potum spiritalem biberunt* (*bibebant autem de spiritali, consequente eos, petra : petra autem erat Christus*). Ergo videtur, quod idem effecerunt eis sua sacramenta quod nobis nostra.

4. Item, Augustinus : « Idem valuit manna edentibus quod corpus Christi sumentibus : » ergo eumdem habuit effectum.

5. Item, Sapient. XVI, 20 : *Paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem.* Hoc autem non potuit esse nisi contineret totum spirituale bonum gratiæ, sicut et nostrum : ergo videtur, quod idem faciebant illa quod nostra.

SED CONTRA :

1. Ad Hebr. IX, 9 : *Quæ non possunt juxta conscientiam perfectum facere servitium*, etc.

2. Item, ad Hebr. VII, 19 : *Lex nihil ad perfectum adduxit.*

3. Item, Si data esset lex quæ posset justificare, vere per legem esset justitia.

SOLUTIO. Dicendum, quod lex non justificabat quoad sacramentalia, sed promittebat salutem. Et assignatur multiplex differentia : tamen tres tangit Magister Hugo hic : quarum prima est, quod nostra sacramenta sunt signa gratiæ : sed illa sacramenta non immediate sunt signa gratiæ, sed nostrorum sacramentorum. Secunda est, quia nostra sacramenta sunt signa et causæ : illa autem sunt signa tantum. Tertia, quia illa promittunt quod non continent : ista autem dant quod continent. Alii assignant differentiam ex parte implentium, per Augustinum qui dicit, quod « differentia brevissima legis et Evangelii est timor et amor. » Solutio.

DICENDUM ergo ad primum, quod Apostolus ibi loquitur de decalogo, et non Ad 1.

[1] HUGO DE S. VICTORE, Lib. de Sacramentis, parte VIII.

de sacramentalibus: tamen nec decalogus de se conferebat gratiam, sicut Novum Testamentum. Et ad hoc intelligendum, sciendum est quod legis latio vetus, tota fuit in timore in igne et fumo et terribilibus : sed nova, tota in benignitate et gratia : et ipse etiam Mediator gratiam sanctificationis pro omnibus attulit et dedit.

Ad 2. AD ALIUD dicendum, quod magister Hugo hoc intelligit de effectu signi, non de effectu causalitatis : quia scilicet idem omnia ista significabant.

Ad 3. AD ALIUD dicendum, quod non biberunt sacramentaliter patres, sed in spiritu, sicut dicit Christus, Joan. VIII, 56 : *Abraham, pater vester, exsultavit ut videret diem meum : vidit, et gavisus est :* et ideo non procedit argumentum : quia illud erat potius virtus devotionis, quam virtus alicujus sacramenti.

Ad 4. AD ALIUD dicendum, quod idem valuit in genere, et spiritualiter : sed non in specie, et sacramentaliter. Nos enim dupliciter sitimus, scilicet spiritualiter, et sacramentaliter : ipsi autem spiritualiter, et in typo tantum : et hoc non habebant de ratione status, sed potius ex privilegio quodam, in quantum pertinebant per charitatem ad Novum Testamentum.

Ad 5. AD ALIUD dicendum, quod hoc fuit in typo et spiritu, et non in veritate et sacramento.

ARTICULUS XVI.

Utrum Testamentorum fuit gravius?

Sed ad hæc incidit quæstio, quid illorum sit gravius?

Videtur autem, quod Novum : quia magis est difficile relinquere omnia quæ sunt in Novo, quam subjicere omnia quæ sunt in Veteri.

Item, Christus multa addidit veteribus, Matth. v, 1 et seq. Quod autem habet tantum et amplius, illud est gravius : ergo Novum est gravius quam Vetus.

Item, Vetus cohibet manum, et non animum : Novum autem manum, et animum : magis autem est difficile cohibere et manum et animum, quam manum solam : ergo Novum Testamentum est gravius.

SED CONTRA : Sed con

Dicitur, Act. XV, 10 : *Quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri neque nos portare potuimus?* ergo gravius est quam Novum.

Item, Matth. XI, 28 et 30 : *Venite ad me, omnes qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et humilis corde : et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve.* Econtra igitur videtur, quod sint æqualiter levia.

SOLUTIO. Omnia hujusmodi argumenta leve est determinare : quia sicut vadunt auctoritates et rationes, ita innunt quamdam distinctionem. Sciendum ergo, quod Novum et Vetus possunt considerari, ut typus, et veritas : et sic est unum in alio. Si autem considerentur quoad materiam præceptorum et motivum ad implendum, tunc Vetus est multo gravius : quia plura habet præcepta, et timor movet ad implendum ea. Si autem considerentur quoad perfectionem status eorum quæ præcipiuntur, sic Novum est magis difficile. Solutio

Et per hoc jam patet solutio ad omnia.

F. *De Circumcisione.*

Fuit tamen inter illa sacramenta sacramentum quoddam, scilicet circumcisionis, idem conferens remedium contra peccatum, quod nunc baptismus præstat. Unde Augustinus : Ex quo instituta est circumcisio in populo Dei, quæ erat tunc signaculum justitiæ fidei, ad purgationem valebat magnis et parvulis originalis veterisque peccati : sic baptismus ex illo valere cœpit ad innovationem hominis, ex quo institutus est [1]. Item, Beda : Idem salutiferæ curationis auxilium circumcisio in lege contra originalis peccati vulnus agebat, quod baptismus agere revelatæ gratiæ tempore consuevit, excepto quod regni cœlestis januam nondum intrare poterant : tamen in sinu Abrahæ post mortem requie beata consolati, supernæ pacis ingressum spe felici exspectabant [2]. His aperte traditur per circumcisionem, ex quo instituta fuit, remissionem peccati originalis et actualis parvulis et majoribus a Deo præstitam, sicut nunc per baptismum datur.

DIVISIO TEXTUS.

« *Fuit tamen inter illa,* etc. »

Hic incipit Magister agere de circumcisione.

Et tangit quinque circa ipsam : quorum primum est de ejus effectu. Secundum, de suscipientibus, ibi, G, « *Quæritur autem de viris,* etc. » Tertium, de institutione, ibi, H, « *Hic dicendum est, in quo instituta fuerit,* etc. » Quartum, de ritu ejus, ibi, I, « *Fiebat autem octava die,* etc. » Quintum et ultimum est, de quibusdam quæstionibus dubiis circa ritum, ibi, L, « *Si vero quæritur de parvulis,* etc. »

ARTICULUS XVII.

An circumcisio a Damasceno sit bene definita ?

Incidit ergo hic primo quæstio, Quid sit circumcisio ?

Diffinit enim eam sic Joannes Damascenus : « Circumcisio signum erat determinans Israel a Gentibus cum quibus conversabatur. »

[1] S. Augustinus, Ad Valerium, Lib. II de Nuptiis et concupiscentia, cap. 11, in fine.

[2] Vener. Beda, Super illud Lucæ, II, 21 : *Et postquam consummati sunt dies octo,* etc.

Sed contra hanc diffinitionem multipliciter opponitur.

1. Primo sic : Sicut patuit prius ex dictis Hugonis, veteris legis sacramenta dicuntur sacramenta in comparatione ad sacramenta novæ legis quæ significant : ergo videtur, quod in comparatione ad illa deberent diffiniri : et hoc non fit de circumcisione.

2. Si forte dicas, quod aliud est de circumcisione : quia illa effecit quod figurabat. CONTRA : Ita dicit Damascenus, ibidem : « Circumcisio typus erat baptismatis : » typus autem diffiniendus est in comparatione ad id cujus est typus. Item, parum infra : « Veritate apparente inutilis est typus et umbra. Quare superfluum est circumcidi, et contrarium sancto baptismati. » Ex hoc habetur idem quod prius.

3. Ulterius objicitur de hoc quod dicit : « *Determinans Israel a Gentibus*, etc. » Aut enim loquitur de distinctione conversationis : aut de distinctione loci quoad habitationem. Si de conversationis distinctione. CONTRA : Lex erat data ad hoc, sicut dicit Psalmus CXLVII, 20 : *Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis*. Ergo videtur, quod non ad hoc dabatur circumcisio. Si de habitationis distinctione loquitur : tunc videtur, quod postea habitantes in pace in terra promissionis non debebant circumcidi : quia tunc non erant permixti aliis Gentibus, quod frivolum est : ergo nullo modo determinat.

4. Item, Omnis distinctio datur per signum manifestum : circumcisio est determinatio quædam : ergo deberet fieri in fronte, vel in alio loco manifesto, ut videtur.

5. Item, Cum duo sint in sacramento : sanctificare, et signare : sanctificare, est principalius : ergo per illud magis est diffinienda circumcisio, quam per determinationem quæ competit signo. Si vero dicas, quod non sanctificat de se, sed virtute fidei. CONTRA : Ita dicit Hugo : « Circumcisionis sacramentum semini Abrahæ sanctificando et signando datum est : » ergo circumcisio data est ad sanctificandum : et sic principaliter per actum santificationis deberet diffiniri.

SOLUTIO. Dicendum, quod principalis actus circumcisionis est remedium peccati originalis, et sanctificatio quædam temporis, scilicet qualis per circumcisionem tunc temporis poterat præstari. Solutio.

AD HOC autem quod objicitur de Damasceno, dicendum quod non diffinit eam in comparatione ad baptismum : quia ipsa in lege effectum quemdam gratiæ habuit in remedium contra originale : et talis effectus semper est principalis in sacramento : licet tamen aliter esset etiam typus baptismatis. Ad 1 et 2.

AD ALIUD dicendum, quod intelligitur principaliter determinatio conversationis ex gratia circumcisionis, et per consequens etiam determinatio habitationis : et ideo ipse Damascenus dicit, quod quadraginta annis quibus fuerunt in deserto, non circumcidebantur : quia tunc aliis gentibus non erant permixti : et in hoc tantum tangit causam secundariam : quia causa vera erat, quod sub nube fuerunt, et oportebat eos moveri ad motum nubis, et non potuissent vulnera sanari si circumcisi fuissent. Ad 3.

Et ad hoc quod contra hoc objicitur, dicendum quod lex dabatur ad conversationem, ut regula morum et operum, sed circumcisio ut signum et mitigativum concupiscentiæ moventis ad conversationem malam.

AD ALIUD dicendum, quod duo fuerunt in circumcisione : quia ibi erat signum, et remedium originalis : et ex utroque conjunctim oportuit ei determinare locum, scilicet in loco propagationis originalis, ut infra dicet Magister : in fronte autem, vel alio loco non significasset per hunc modum. Ad 4.

AD ALIUD dicendum, quod sanctificatio non convenit circumcisioni nisi indirecte, ut patebit jam in sequenti quæstione : et ideo non explicite ponitur in diffinitione, Ad 5

sed implicite in hoc quod dicitur, determinans, innuitur.

ARTICULUS XVIII.

An circumcisio etiam impresserit characterem?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, F, circa initium : « *Ex quo instituta est circumcisio in populo Dei, quæ erat tunc signaculum justitiæ fidei*, etc. »

Ex hoc enim videtur, quod

1. Circumcisio impresserit characterem : quia character idem est quod signaculum.

2. Item, Adhuc sunt aliæ rationes : quia non iterari et imprimere characterem concomitantur se in omnibus sacramentis, sicut probatur per inductionem : circumcisio autem non iterabatur : ergo characterem imprimebat.

3. Item, Distinctio interior debet respondere distinctioni exteriori, cujus exterior est causa : cum ergo circumcisio sit distinctio exterior, videtur ei debere respondere distinctio aliqua interior.

4. Item, Illud sacramentum efficit quod figurat : ponamus autem, quod aliquis fictus acceperit, constat quod recedente fictione ei valere incipit : ergo oportet, quod ponatur ei aliquid in quo manet sacramentum, sicut facimus in baptismo : hoc autem non potest esse nisi character : ergo impressit characterem, ut videtur.

Sed contra.

Sed contra :

1. Perfectissima sacramenta imprimunt characterem : sed circumcisio est sacramentum imperfectum, sicut patet, quia mutatum est in baptismum : ergo characterem non impressit.

2. Item, Detur quod impresserit characterem alicui, et ille postea sit baptizatus, constat quod iterum reciperet characterem : ergo haberet duos : et cum uterque sit fidei, quia baptismus (ut dicit Augustinus) est sacramentem fidei, et circumcisio (ut dicit Apostolus) signaculum fidei : ergo erunt in uno homine duo characteres ejusdem specici, quod esse non potest : ergo non impressit characterem.

3. Item, Character est configurans Trinitati : et hoc convenit tam masculis quam fœminis : circumcisio autem solis maribus : ergo circumcisio characterem non impressit.

Solutio.

Solutio. Dicendum, quod circumcisio characterem non impressit : quia character est configuratio spiritualis trinitatis creatæ quæ est in imagine ad Trinitatem increatam.

Ad 1.

Ad primum ergo dicendum, quod erat signaculum corporale, et non spirituale : ita scilicet quod in ipsa significatur diminutio concupiscentiæ a parte corporis, præter hoc quod imprimeret signum in anima.

Ad 2.

Ad aliud dicendum, quod illa propositio vera est de sacramentis novæ legis, quæ nullo modo possunt iterari : sed non est vera de illis quæ non iterantur super eamdem materiam, licet iterentur super aliam ut pœnitentia, et unctio, et matrimonium, et Eucharistia : sed circumcisio non iterabatur, eo quod significabat id quod non est iterandum, scilicet baptismum. Vel melius dicatur, quod non iterabatur : quia erat contra morbum originalis peccati, qui non iteratur, et non propter impressionem characteris.

Ad 3.

Ad aliud dicendum, quod non sequitur, quod distinctio exterior sit frustra, nisi sit data ad hoc ut causa ad effectum : et hoc falsum est : quia habet actum alium respectu cujus non est frustra, sed utilis.

Ad 4.

Ad id quod fictione recedente incipit valere circumcisio, dicendum quod non ideo est, quod gratia velut in vase in

charactere aliquo contineretur : sed potius ideo, quia Spiritus sanctus obstaculum non invenit qui gratiam influit, et id quod corporaliter fieri debuit, est expletum : et ideo illud non tenetur revocare : sicut et in aliis corporalibus actionibus, ad quas aliquis tenetur, si peragit illas fictus, non oportet iterum facere. Si enim vovi pauperibus dare centum libras, si do eas in mortali existens, et postea pœniteo, non injungitur mihi ut iterum dem : quia licet datio transeat, tamen damnum manet, et tamen illud postea secundum approbationem potest mihi valere. Ita dico etiam de circumcisione : quia fuit etiam signum corporale, si aliquis proselytus eam fictus accepit, non oportebat ut non fictus iterum circumcideretur.

Si forte objiciatur, quod aliquis circumcisus dignoscibilis est a non circumciso a visu Angeli vel spiritualis oculi : et hoc non potest esse nisi signum aliquod sit in anima, sicut etiam per characterem dignoscitur anima baptizati ab anima non baptizati. Dicendum, quod illa nota non est character : quia sic etiam nota mortalis peccati character esset : sed tantum character dicitur, quando est configuratio imaginis ad Trinitatem increatam, et hoc non est in circumcisione.

ARTICULUS XIX.

An circumcisio justificabat ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, F, circa initium : « *Ad purgationem valebat magnis et parvulis originalis veterisque peccati*, etc. »

Ex hoc enim accipitur, quod justificabat : quod etiam videtur alia ratione : quia

1. Ad minus contra morbum in quem necessarium erat incidere, non ex voluntate, sed ex natura corrupta, oportuit habere medicinam, præcipue propter parvulos quorum innumerabiles aliter fuissent damnati : hæc autem medicina non fuit nisi circumcisio : ergo circumcisio valuit contra originale peccatum, ut videtur.

2. Item, Circumcisio non erat ex lege, sed ex patribus, et dabatur in signum justitiæ Abrahæ justo : aliis autem in causam justificationis, ut dicitur hic in *Littera* : ergo valebat contra originale peccatum.

3. Item, Nihil dimittit peccatum nisi conferat gratiam : sed circumcisio, ut patet in *Littera*, dimittebat peccatum : ergo conferebat gratiam.

Sed contra :

Sed c

1. Morbus numquam intermissus est : ergo si circumcisio fuit substantialiter contra morbum instituta, circumcisio etiam intermitti non debuit : sed intermissa fuit quadraginta annis : ergo videtur, quod cum tunc aliud remedium non fuit institutum, quod non fuit substantialis medicina contra morbum.

2. Item, Morbus universalis est in maribus et fœminis : ergo et medicina si substantialiter est ordinata contra morbum, universalis esse debuit : sed non fuit data nisi maribus : ergo non fuit universalis.

3. Item, In sacramento sunt duo, scilicet signum, et causa : et causalitas non se extendit extra ultra rationem signi : ergo quodlibet sacramentum tantum causat de gratia quantum signat de ipsa : circumcisio autem nihil conferebat, sed auferebat : ergo non causabat alicujus boni collationem, sed tantum mali ablationem.

4. Item, In malo duo sunt, culpa scilicet, et pœna : culpa autem si aufertur, in toto aufertur : sed circumcisio non aufert nisi partem : ergo non significat ablationem culpæ quæ in toto aufertur : ergo nec causat eam, cum causalitas non se extendat extra rationem significandi :

ergo videtur, quod circumcisio non causabat nisi illius pœnæ dimissionem, quæ in parte, et non in toto dimittitur : et hæc est pronitas concupiscentiæ, et non reatus carentiæ visionis : ergo non causabat nisi diminutionem fomitis, ut videtur.

Solutio. SOLUTIO. Dicendum, quod peccatum dimittebatur in circumcisione : sed circumcisio a posteriori operabatur peccati diffinitionem. Verbi gratia, in peccato sunt tria sibi connexa, scilicet culpa, et carentia visionis Dei, et incensio fomitis : et si aliquid debeat directe delere peccatum, oportet quod primam causalitatem habeat ad delectionem culpæ : et quia alia duo connexa sunt illi, ideo remittitur posterius pœna carentiæ visionis in toto, et incensio fomitis in parte. Et sic operatur baptismus : quia potentia gratiæ lavat sordes culpæ primo, et posterius etiam cadunt pœnæ adjunctæ. Sed circumcisio, sicut probat ultima objectio, causalitatem ponit contra fomitis incensionem, et ideo incipit delere peccatum a posteriori : remittit enim incensionem fomitis : et quia illa non potest diminui, nisi cesset reatus in toto, ideo ille in toto dimittitur : quia vero ille connexus est culpæ, ideo etiam culpa dimittitur. Et hoc est quod quidam de antiquis scripserunt, quod circumcisio de se operatur diminutionem pœnæ : sed virtus fidei in ipsa operabatur rèmissionem culpæ : et sic intelliguntur rationes primæ quæ probant, quod fuit remedium originalis.

Ad 1. AD ID autem quod contra objicitur, dicendum quod fuit ordinata quidem contra morbum, sed non substantialiter : et ideo aliqua de causa (quæ supra dicta est) poterat intermitti.

Ad 2. AD ALIUD dicendum, quod licet morbus universalis esset, tamen propagatio est in uno, et in altero passive tantum : et ideo in illo remedium debuit poni. Et hoc infra magis patebit.

Ad 3. AD ALIUD bene concedo, scilicet, quod circumcisio a parte posteriori et non directe delere incepit peccatum.

ARTICULUS XX.

Quid dicatur sinus Abrahæ ? *et, An parvuli decedentes sint in aliqua miseria ?*

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, F, sub finem : « *Tamen in sinu Abrahæ post mortem requie beata consolati,* etc. »

Quid enim hic dicitur *sinus Abrahæ ?* Si forte dicas secundum Hieronymum, quod sinus Abrahæ vocatur requies bonorum patrum : hoc non videtur, quia

1. Requies illa est in cœlo in quo non fuerunt patres ante adventum Christi.

2. Item, Si dicas secundum aliquos, quod sinus dicitur protectio ab interiori et exteriori miseria : iterum non videtur convenire : cum miseria non tollatur, nisi per suum contrarium, quod est beatitudo : et patres tunc beati non fuerunt, cum visione Dei non perfruentur.

3. Præterea, Si diceres quod dicitur protectio non uri igne, et non lædi verme conscientiæ : hoc iterum non videtur convenire : quia etiam pueri ante baptismum decedentes (ut creditur) non cremantur igne, nec roduntur verme conscientiæ, cum nullum secum ferant delictum proprium, de quo solo est vermis : ergo videtur, quod non posset hoc modo dici hic sinus.

4. Præterea, Videtur, quod sinus iste non fuerit in inferno : quia, Luc. XVI, 23, dicitur, quod *elevans oculos suos* dives, *cum esset in tormentis, vidit Abraham a longe, et Lazarum in sinu ejus :* ergo sinus erat longe supra infernum : ergo non in inferno,

Sed contra. SED CONTRA : hoc est quod Christus in morte descendit ad limbum : et hoc fuit

descendere ad infernum : ergo limbus iste et sinus est in inferno.

Quæst. ITEM quæritur, Quare dicitur sinus Abrahæ potius quam Adam, vel Abel, vel alterius : cum ab Adam omnes multiplicati descenderunt, et ab Abel inceperit Ecclesia, ut dicit Augustinus.

Solutio. Ad 1. SOLUTIO. Dicendum, quod *sinus* dicitur proprie, et communiter. Communiter est requies beatorum patrum, ut dicit Glossa super Lucam, XVI, 23. Proprie autem dicitur locus in ora inferni sequestratus ad habitationem electorum, quia ante Christi adventum mortui, spe felici redemptionis pretium exspectabant. Unde etiam *limbus* vocatur. Limbus ora est vestimenti, sicut locus ille in ora fuit inferni. Et per hoc patet solutio ad primum.

Ad 2. AD SECUNDUM dicendum, quod protectio dicitur a puniente actualiter, et ideo vocatur miseriæ : non enim vocatur hic protectio omnis indigentiæ : quia hoc non fuit nisi per beatitudinem.

Ad 3. AD ALIUD dicendum, quod miseria est in pueris, scilicet desperatio visionis Dei : et ideo non ab omni miseria proteguntur : tamen bene concedo, quod pueri non habent ignem nec vermem.

Ad 4. AD ALIUD dicendum, quod iste locus est in ora inferni superior, et longe ab inferno damnatorum, loco, et differentia mansionis : quia secundum spatium loci infernus longe est subtus, et secundum differentiam habitationis in inferno est pœna affligens æterna, et caligo densa, et vermis conscientiæ : quorum nihil fuit in limbo patrum, quia aliquam lucem habuerunt propter fidem et spem quam habebant.

Ad qu AD ULTIMUM dicendum, quod dicitur *sinus Abrahæ* propter tria : quorum unum est, quod ipse obedivit exire ab idololatris et patria : et ideo ut esset pater in patria meruit. Secundum est, quia ipse benedictionem benedicti seminis primus accepit. Tertium est, quia Pater est credentium in circumcisione, et credentium in præputio : et in utroque semen habuit per Ismael et Isaac.

G. *De viris qui fuerunt ante circumcisionem, et de fœminis quæ fuerunt ante et post.*

Quæritur autem de viris qui fuerunt ante circumcisionem, et de fœminis quæ fuerunt ante et post, quod remedium contra peccatum habuerint? Quidam dicunt sacrificia et oblationes eis valuisse ad remissionem peccati. Sed melius est dicere, illos qui de Abraham prodierunt, per circumcisionem justificatos : mulieres vero per fidem et operationem bonam, vel suam si adultæ erant, vel parentum si parvulæ. Eos vero qui fuerunt ante circumcisionem, parvulos in fide parentum parentes : vero per virtutem sacrificiorum, scilicet quam intelligebant spiritualiter in illis sacrificiis, justi-

ficatos. Unde Gregorius : Quod apud nos valet aqua baptismi, hoc egit apud veteres vel pro parvulis sola fides, vel pro majoribus virtus sacrificii, vel pro his qui ex Abrahæ stirpe prodierunt, mysterium circumcisionis [1].

ARTICULUS XXI.

Quare fœminæ non circumcidebantur ?

Deinde quæritur de hoc quod dicitur : « *Quæritur autem de viris qui fuerunt ante circumcisionem, et de fœminis,* etc. »

Et est dubium,

1. Quare fœminæ non circumciderentur, cum haberent originale, sicut et mares ?

2. Item, Quare circumcisio in maribus fiebat circularis, et non abscissio cujusdam portionis ?

3. Item, Quare fiebat in membro generationis potius quam in alio loco ?

4. Item, Cum Genes. XVII, 11, dicatur : *Circumcidetis carnem præputii vestri*, videtur quod hoc numquam fuit impletum : quia dicit Ambrosius, quod caro præputii dicitur caro illa virgæ, quæ est ante cartilaginosos nervos : et illa non abscindebatur, sed pellicula.

5. Item, Si ad temperamentum æstus concupiscentiæ fiebat illa abscissio : tunc videtur, quod debuit fieri incisura in carne : quia in illa magis viget sensus et delectatio quam in pelle.

6. Item, Nihil est quod quidam videntur dicere, quare mulieres non circumcidebantur : quia scilicet id in quo damnatur libido in mulieribus sit intus : quia in viris non abscinditur id in quo damnatur libido : hoc enim, ut dicunt physici sermones, non est pellicula, sed caro in capite virgæ : pellicula autem in muliere ita poterat abscidi sicut in viro.

Solutio. Ad 1.

SOLUTIO. Dicendum, quod mulieribus non fiebat tribus de causis : quarum una est, quia natura nostra non est corrupta in muliere, quia in illa non fuit tota, sed potius in Adam : et ideo in filiis similibus illi conveniens fuit poni remedium. Secunda causa est, quod vir principalis est in generatione, et in semine viri est virtus formativa, et semen mulieris est sicut materia formata et patiens : et ideo dicunt etiam Doctores, quod si Adam non peccasset, sed mulier sola, non transfusum fuisset in nos originale quoad culpam, sed quoad pœnam quæ vocatur passibilitas naturæ, non vitium : et ideo congruebat iterum in Adam poni characterem obedientiæ mandatæ circumcisionis. Tertia causa est, ut ostenderetur imperfectio sacramenti, et aliud generalius et melius exspectaretur : et puto quod hæc causa melior est.

Ad 2.

AD ALIUD dicendum, quod circularis fiebat : ut notaretur circulus peccati : quia illud (ut dicit Apostolus [2]) primo fuit in persona in primis parentibus, et deinde serpens quasi cancer corrupit naturam in ipsis, et ex illa naturam in parvulis, et corrupta natura in parvulis, corrumpit personam parvulorum : et sic concluditur circulus a persona in personam. Vel sic : quia anima corrupit carnem in parentibus, et caro carnem seminatam in parvulis, et caro animam infusam in eisdem : et sic iterum concluditur circulus maledictionis primæ.

[1] S. GREGORIUS, Lib. IV Moralium, c. 2 de consec. dist. VI, cap. *Quod apud* (Nota ed. Lugd).

[2] Ad Roman. III, 1 et seq.

Ad 3 et 4. Ad aliud dicendum, ut Magister dicit in *Littera :* quia inobedientia primo percepta est eo quod concupiscentia loco illo corrupta sit et infecta.

Ad 5. Ad aliud dicendum, quod illa abscissio est periculosa, et contra bonum prolis in matrimonio : sed incisio fit in pellicula operiente carnem illam, ut notetur, quod eadem caro debet refrigerari ab æstu libidinis.

Ad 6. Ad aliud dicendum, quod mulieres non circumcidebantur ratione superius dicta.

H. *De institutione et causa circumcisionis.*

Hic dicendum est, in quo instituta fuerit circumcisio, et quare, et cur mutata per baptismum. Abraham primus mandatum circumcisionis habuit, ad probationem obedientiæ [1] : nec ei soli præcepta fuit circumcisio, sed et semini ejus, id est, omnibus Hebræis : quæ fiebat secundum legem octava die lapideo cultro in carne præputii [2]. Data autem fuit circumcisio pluribus de causis, scilicet ut per obedientiam mandati Abraham placeret Deo, cui per prævaricationem Adam displicuerat. Data etiam fuit signum magnæ fidei Abrahæ, qui credidit se habiturum filium in quo fieret benedictio omnium [3]. Deinde, ut hoc signo a cæteris nationibus discerneretur populus ille. In carne vero præputii ideo jussa est fieri circumcisio, quia in remedium instituta est originalis peccati, quod a parentibus trahimus per concupiscentiam carnis, quæ in parte illa magis damnatur [4] : et quia in parte illa culpam inobedientiæ primus homo sensit, decuit ut ibi signum obedientiæ acciperet.

I. *Quare die octavo, et petrino cultro ?*

Fiebat autem octava die, et petrino cultro [5] : quia et in resurrectione communi et octava ætate futura, per petram Christum omnis ab electis abscin-

[1] Genes. xvii, 10 et seq.
[2] Josue, v, 2 et seq.
[3] Genes. xxii, 16 et seq.
[4] Edit. J. Alleaume, dominatur.
[5] Genes. xvii, 12; Josue, v, 2.

detur corruptio : et per Christi resurrectionem octava die factam, circumcidetur a peccatis anima cujusque in eum credentis. Duæ ergo res sunt illius sacramenti.

K. *Quare in baptismum mutata sit circumcisio ?*

Ideo autem mutata est circumcisio per baptismum : quia sacramentum baptismi communius est et perfectius : quia pleniori gratia accumulatum. Ibi enim peccata solum dimittebantur, sed nec gratia ad bene operandum adjutrix, nec virtutum possessio vel augmentum ibi præstabatur, ut in baptismo : ubi non tantummodo abolentur peccata, sed etiam gratia adjutrix confertur, et virtutes augentur. Unde aqua refectionis [1] vel regenerationis [2] dicitur, quia aridos fœcundat, etiam fructificantes ampliori ubertate donat. Quia quantumcumque per fidem et charitatem ante habitam aliquis justus ad baptismum accedit, uberiorem ibi recipit gratiam : sed non ita in circumcisione. Unde Abrahæ per fidem jam justificato signaculum tantum fuit, et nihil ei intus contulit.

L. *De parvulis defunctis ante diem octavum.*

Si vero quæritur de parvulis qui ante diem octavum [3] moriebantur, antequam fiebat circumcisio ex lege, utrum salvarentur vel non [4] ? Idem potest responderi quod sentitur de parvulis ante baptismum defunctis, quos perire constat. Unde Beda [5] : Qui nunc per Evangelium suum terribiliter et salubriter clamat : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei* [6], ipse dudum clamabat per suam legem : *Masculus cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa*

[1] Psal. xxii, 2 : *Super aquam refectionis educavit me.*
[2] In edit. J. Alleaume desunt hæc verba, *vel regenerationis.*
[3] Edit. J. Alleaume, *octavam.*
[4] Non tenetur hic Magister (Nota ed. Lugd.)
[5] Vener. Beda, super cap. ii Lucæ.
[6] Joan. iii, 5.

de populo suo : *quia pactum meum irritum fecit* [1]. Forte tamen sub lege, ingruente necessitate mortis, ante octavum diem circumcidebant sine peccato filios, sicut modo fit in Ecclesia de baptismo.

ARTICULUS XXII.

An omnes tenebantur ad circumcisionem ?

Deinde quæritur de hoc quod dicitur, ibi, H, « *Hic dicendum est, in quo instituta fuerit circumcisio*, etc. »

Videtur enim, quod omnes tenebantur ad circumcisionem : quia in omnibus damnabatur libido.

Item, Genes. XVII, 12, dicitur : *Tam vernaculus, quam emptitius* : et nullus excipitur : ergo generatio Rachelis obligatur ad hoc, et generatio Esau.

SED CONTRA hoc est quod dicit Glossa Ambrosii super epist. ad Roman. v, 13 : « Non possumus dicere ad circumcisionem teneri nationum populos, nisi fuerint in domo Patriarcharum nutriti, vel pretio empti. »

Et breviter quæritur, Qui obligabantur mandato circumcisionis, et qui non, et qua ratione obligabantur ?

Solutio. SOLUTIO. Dicendum, quod ratio circumcisionis fuit diminutio concupiscentiæ in his qui pertinebant ad semen benedictum et promissum : pertinebant autem dupliciter, scilicet in hæreditate percipienda, et ut per quos semen descenderet : et ideo nulli alii obligabantur, ut dicit Ambrosius, nisi illi tantum : familia autem obligabatur quamdiu relationem habuerat per dominos suos ad hæreditatis obsequium et usum, id est, quamdiu erant in domo ejus qui verus erat hæres : et ideo Ismael et Esau et alii, quando separabantur a jure hæreditatis, et spe repromissi seminis, statim cessante in eis causa circumcisionis, absolvebantur a circumcisionis mandato, et amplius non tenebantur.

Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICULUS XXIII.

An tres causæ circumcisionis tactæ a Magistro sint bene assignatæ ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, H, circa medium : « *Data autem fuit circumcisio pluribus de causis*, etc. »

Tres enim causas tangit hic, scilicet probationem obedientiæ Abrahæ, et signum magnæ fidei Abrahæ, et discretionem populi de quo Christus nasci voluit. His tribus adduntur duæ in Glossa super epist. ad Roman. v, scilicet ut castitatem mentis et corporis indicaret, et ut figura esset baptismatis.

Et quæritur, Penes quid sumuntur causæ istæ ?

1. Item, Quæritur de prima : quia Adam tentatus est in re una indifferenti : Abraham autem in duabus : una sacrificiali, ut ita dicam, et alia sacramentali, et utraque valde pœnali. Et quæritur, Quare hoc ?

2. Item, De secunda : quia signum et signatum debent habere aliquam similitudinem : sed circumcisio nullam videtur habere similitudinem.

[1] Genes. XVII, 14.

3. Item, Contra tertiam : quia circuncisio figura est baptismi : et baptismus nullum distinguit, sed omnes unit : ergo nec circuncisio aliquem debuit distinguere.

4. Item, Contra quartam : quia genus humanum aliis virtutibus defecerat, sicut et castitate : ergo videtur, quod signum ad illas valens debuit recipere, sicut et ad castitatem accepit.

Item, Signum erat fidei, ut dicit secunda causa : ergo potius accipiebatur ad fidem indicandam, quam ad indicandam castitatem.

5. Item, Contra quintam : quia non videtur habere similitudinem cum baptismo, nec in materia, nec in forma : ergo non fuit signum ejus.

Solutio. Solutio. Ad primum dicendum, quod istæ causæ quædam sunt sumptæ a parte suscipientis eam primo, et quædam ex ratione circumcisionis.

Ex parte suscipientis tripliciter, secundum quod tria exiguntur ad consequendum semen promissum. Unum ex parte vitæ quod facit dignum per modum congruitatis, et hoc est obedientia. Alterum ex parte rei promissæ, et hoc exigit fidem : et istæ sunt duæ primæ. Tertium est ex parte idoneitatis ad carnalem descensum benedicti seminis : et hoc est castitas, et hæc est causa quarta.

Ex ratione autem circumcisionis duæ sumuntur, quia ex parte illa qua signum est, sumitur materia : ut ille populus charactere cardinali esset distinctus, et hæc est tertia. Ex parte autem effectus sumitur quinta : quia per effectum significabat baptismum.

Ad 1. Dicendum ergo ad primum, quod Adam tentabatur pro modo sui status, in eo in quo obedientia magna commendabilis erat : et non nisi uno, quia non indiguit multis adhuc, sed tantum ut experimentum acciperet suæ obedientiæ, indifferenti. Sed Abraham tentabatur, ut homo indigens liberatione et liberatore : et ideo in rebus difficilibus : et liberatoris indigentiam præsignabant tentatio de immolatione filii, liberationis autem tentatio de circumcisione.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod circumcisio est signum fidei, non quantum ad quemlibet articulum, sed, ut dicit Augustinus, quia credidit se habiturum filium in quo fieret benedictio omnium : et quoad hoc per locum generationis ponit similitudinem ad rem creditam.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod est figura baptismi, sicut imperfectum ejus quod est perfectum, et sicut particulare ejus quod est universale : et ideo distinguit, licet baptismus nihil distinguat.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod licet in aliis defecerat genus humanum, tamen quoad generationem seminis exigebatur præcipue reparatio in fide ut curaretur, et castitate ut congruenter reciperetur.

Ad 5. Ad ultimum dicendum, quod convenientiam habet in effectu cum baptismo, et quoad hoc figurat ipsum.

Alia quæ quærenda sunt, Magister bene determinat in *Littera*, præter hoc solum, quod Hebræi tradunt, quod non nisi principales circumcisiones lapideis cultris factæ sunt, scilicet filii Moysi cum educi debebat populus filiorum Israel in colle præputiorum in terram promissionis [1] : quia hoc significabat statum resurrectionis, quando per petram Christum omnis ab electis circumcideretur corruptio.

[1] Josue, v, 2 et seq.

DISTINCTIO II.

Introductio ad sacramenta novæ legis, et de baptismo Joannis.

A. *De sacramentis novæ legis,*

Jam ad sacramenta novæ legis accedamus : quæ sunt Baptismus, Confirmatio, Panis benedictio, id est, Eucharistia, Pœnitentia, Unctio extrema, Ordo, Conjugium. Quorum alia remedium contra peccatum præbent, et gratiam adjutricem conferunt, ut Baptismus : alia in remedium tantum sunt, ut Conjugium : alia gratia et virtute nos fulciunt, ut Eucharistia et Ordo [1].

DIVISIO TEXTUS.

« *Jam ad sacramenta novæ legis accedamus*, etc. »

Hic incipit tractatus in speciali. Et dividitur in septem secundum septem sacramenta : et satis patent loca inceptionis uniuscujusque partis.

Tractatus iste qui est de Baptismo, dividitur in duas partes : in quarum prima Magister agit de baptismo Christi : et hæc incipit in sequenti distinctione, scilicet tertia, ibi, A, « *Post hæc videndum est, quid sit baptismus*, etc. »

Hæc distinctio iterato dividitur in duas partes : in quarum prima tangit breviter numerum sacramentorum et tempus inceptionis et institutionis. In secunda autem ponit tractatum brevem de baptismo Joannis, ibi, D, « *Nunc vero de baptismi sacramento videamus*, etc. »

ARTICULUS I.

An contra omnes pœnas debent ordinari sacramenta ? et, Quæ sit eorum divisio ?

CIRCA PRIMUM nota, quod præter divisiones quas supra posuimus secundum divisionem signi et causæ, alii quidem faciunt alias divisiones.

[1] Non tenetur hic Magister (Nota ed. Lugd.)

Et ideo objiciamus sic :

1. Supra suppositum est ex *Littera*, quod sacramentum sit ordinatum contra peccatum : quia hoc probavit Lucas per parabolam vulnerati qui incidit in latrones [1] : sed cum sint quidam defectus in quos incidit homo ex peccato, videtur quod contra illos sacramenta habere debeamus. Sunt autem quatuor, ut dicunt Gregorius et Beda, scilicet ignorantia agendorum, infirmitas faciendorum, concupiscentia noxiorum, et malitia contra bona. Nos autem nullum habemus sacramentum contra ignorantiam, et nullum contra malitiam in quantum hujusmodi.

2. Item, Etiam in operibus misericordiæ est septenarius contra defectus in quos incidimus. Unus quidem septenarius ex parte corporis, qui notatur in versu :

Visito, poto, cibo, tectum do, colligo, condo.

Sex enim in verbis hic exprimuntur : sed primum accipitur in duplici significatione : in visitatione infirmorum, et pro visitatione captivorum.

Si forte tu dicas, quod isti defectus sunt corporales, et contra eos non ordinatur gratia sacramentalis : tunc est quæstio de septem spiritualibus qui notantur alio versu :

Instrue, castiga, solare, remitte, fer, ora.

Hæc etiam sex verbis exprimuntur : sed *castigare* sumitur in redargutionem publice delinquentium, et admonitionem occultam delinquentium. Sic vero isti omnes spirituales videntur. Ergo videtur, quod debeamus habere remedia contra illos, aut diminutus erit numerus sacramentorum.

Solutio. Solutio. Hic assignabimus convenientias Doctorum, et sunt tres.

Quidam enim volunt accipere numerum sacramentorum penes numerum virtutum : ut Baptismus sit sacramentum fidei : Extrema unctio spei, quia ille qui ungitur, sperat statum resurrectionis : Eucharistia autem sit sacramentum charitatis : Confirmatio autem fortitudinis, propter pugnam ad quam ille confirmatur : Pœnitentia autem justitiæ, propter satisfactionem : et ordo prudentiæ, propter claves scientiæ quæ conferuntur ordinato : et Matrimonium temperantiæ, eo quod libido in illo sacramento honestate excipitur nuptiarum.

Alii volunt ordinare contra septem capitalia vitia sic : ut baptismus sit contra superbiam, eo quod homo se ibi humiliat sub communiori elemento : contra invidiam autem Eucharistia, quia invidia contrariatur charitati, propter hoc quod invidia dolet de quo charitas gaudet : contra acediam confirmatio, qua homo confirmatur, ut sit fortis in spiritualibus laboribus, in quibus tristatur quis, et sic dicitur *acediosus* : contra iram extrema unctio, quia ira provenit ex tumore cujus mitigativum est oleum : contra avaritiam est ordo, quia Levitæ solo Deo contenti, partem inter fratres suos non habebant, sicut et clerici quando coronam vel primam tonsuram accipiunt, dicunt per os Episcopi : *Dominus pars hæreditatis meæ*, etc.[2]. Contra gulam operatur pœnitentia per afflictionem carnis et abstinentiam : et contra luxuriam matrimonium, concupiscentiam turpem excipiendo honestate nuptiarum.

Alii volunt accipere secundum status contemplantium et activorum in Ecclesia sic : Status activorum, est ingredientium, et pugnantium, et vulnera sanantium, habens supra se ducem et auxilium, unde milites cadentes restituantur, et sunt egredientes emeriti. Status autem contemplantium est in gustu divinorum. Dicunt ergo, quod baptismus est intrantium, procedentium ad pugnam est confirmatio, sed sanantium sua vulnera est pœnitentia, et loco ducis est ordo sive

[1] Cf. Luc. x, 30 et seq.

[2] Psal. xv, 5.

ordinatus, exeuntes et emeriti unguntur, et numerus eorum restituitur per matrimonium, sed contemplativorum gustantium est Eucharistia, vel etiam activorum intrantium propter hoc quod est viaticum.

Ad 1. Dicimus ergo ad primum, quod illæ pœnæ peccati quæ non directe ordinantur in peccatum, sed potius sunt promotivæ in bonum, non habent contra se sacramenta ordinata, sicut fames, sitis, et hujusmodi. Et per hoc patet solutio ad secundum numerum defectuum. Aliæ autem pœnæ spirituales quæ sunt effectus : aut habent aliunde medicinam magis substantialem eis, ut ignorantia faciendorum cui providetur per doctrinam : aut reducuntur ad has contra quas sunt sacramenta, sicut infirmitas faciendorum curatur in confirmatione, concupiscentia autem præcipue in matrimonio : malitia autem non dicit specialem defectum, sed inclinabilitatem in malum, et illa curatur non in uno sed in pluribus sacramentis, eo quod ipsa est generalis defectus facilius inclinabilis in malum quam in bonum. Et per hoc patet solutio ad id quod objicitur de prima divisione pœnarum sive defectuum.

Ad ultimum dicendum, quod isti defectus omnes præter unum reducuntur ad pœnitentiam : quia omnes illi consistunt in peccato actuali alterius hominis, qui est proximus nobis per naturam : ille autem est defectus ignorantiæ, qui substantialiorem causam habet, tam per doctrinam exteriorem quam per sacramentum : et ideo penes illos non multiplicantur gratiæ sacramentales, sed potius modi virtutis misericordiæ, quos non habere possumus, subveniendo aliis qui nostri indigent. Ad 2.

B. *Quare mox post hominis casum non fuerint instituta ?*

Si vero quæritur, Quare non fuerint hæc sacramenta instituta mox post hominis lapsum, cum in his sit justitia et salus ? Dicimus non ante adventum Christi, qui gratiam attulit, gratiæ sacramenta fuisse danda : quæ ex ipsius morte et passione virtutem sortita sunt. Christus autem venire noluit, antequam homo de lege naturali et scripta convinceretur, quod neutra juvari posset [1].

[1] Cf. Hugo de S. Victore, Lib. I, parte II, cap. 8.

C. *Quod sacramentum conjugii fuit ante peccatum.*

Fuit tamen conjugium ante peccatum institutum [1] : non utique propter remedium, sed ad sacramentum, et ad officium : post peccatum vero fuit ad remedium contra carnalis concupiscentiæ corruptelam, de quo suo loco tractabimus.

ARTICULUS II.

Quare non fuerunt sacramenta instituta mox post hominis lapsum ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit ibi, B, « *Si vero quæritur, Quare non fuerint hæc sacramenta instituta mox post hominis lapsum*, etc. »

Videtur, quod statim debebant esse : quia

1. Facilius curatur morbus a principio quam in fine : ergo sapiens medicus magis a principio adhibere debuit medicinam.

2. Item, Non valet solutio quam ponitur in *Littera*, quod homo debuit convinci de lege naturali et scripta : quia morbus diu continuatus in subjecto, vertitur in soporem, ut dicit Bernardus in primo ad Eugenium Papam [2] : ergo videtur, quod quanto diutius exspectavit, tanto minus homo morbum suum recognovit : et sic nulla est causa quæ assignatur in *Littera*.

3. Item, Hugo dicit, quod quam cito est morbus, tam cito est tempus medicinæ : sed morbus fuit a principio ex quo Adam peccavit : ergo ex tunc fuit tempus exhibendi sacramenta in medicinam.

4. Item, Nulla videtur causa quam tangit, quod sacramenta habentia vim a Passione Christi, non debebant ante Christi adventum institui : quia etiam antiqui virtute Passionis in fide venturi salvati sunt, ut habitum est in tertio libro *Sententiarum* [3] : ergo eodem modo Passio tradenda, licet non expleta in opere, potuit operari in sacramentis veteris legis et legis naturalis.

Quæst. 1.

Ulterius quæritur, Quare quædam sacramenta patres habuerunt in lege naturæ, et Moysi, sicut et nos : quædam autem secundum partem, et non secundum totum : quædam autem in figura tantum : et quædam nec in toto, nec in parte, nec in aliqua figura determinata ? Verbi gratia matrimonium in toto habebant : pœnitentiam in parte, quia conterebantur sicut et nos, sed non confitebantur sicut et nos : sed ordinem et Eucharistiam habebant in figura : confirmationem et extremam unctionem in nullo videntur habuisse : non enim potest dici, quod in

[1] Cf. Genes. II, 24.

[2] S. Bernardus, Lib. I de Consideratione.

[3] III Sententiarum, Dist. XXXV.

tribus unctionibus David significetur triplex unctio, sed potius nulla : quia non ungebatur unctione Levitarum, nec unctione pugnantium. nec unctione morientium vel infirmorum : ergo patet quod nullam istorum figurabat.

Præterea, Illæ unctiones David singulares erant : sed istarum duæ, scilicet confirmatio, et extrema unctio sunt universales : ergo non significabantur in illa, nec in alia aliqua regali unctione, ut videtur.

Quæst. 2. ITEM, Quæritur de hoc quod dicunt quidam hic, quod non tantum matrimonium sit institutum ante peccatum, sicut Magister dicit in *Littera* in hoc verbo, cum dixit : Quacumque die comederitis ex eo, morte moriemini [1] : quod exponunt quidam Sancti de morte pœnitentiæ. Videtur enim non esse conveniens : quia pœnitentia est directa medicina actualis peccati : ergo ante peccatum non debuit institui.

Item, Si hoc intellexerit Dominus ut ibi institueret homini casuro tempus pœnitentiæ, nec totus periret, sicut Angelus semel cecidit, et damnatus est, quare non dixit aperte : Si comederitis, dabo vobis spatium pœnitentiæ in alio loco quam in isto : qui locus erit luctus, et mortis, et laboris ?

Solutio. Ad 1, 2 et 3. SOLUTIO. Dicendum, quod a principio morbi fuit tempus medicinæ, vel in signando, vel in causando : erat enim aliter de morbo mentis, et de morbo corporis : quia oportet hominem præcognoscere quod ægrotet, et destitutionem auxilii quod credit habere ex se : et oportet eum cognoscere potentiam medici, et modum medicinæ. Et hoc ideo est, quia cura mentis dependet a consensu nostro et devotione : sed non est ita de corporis morbo : et ideo morbus mentis longam ante præexigit moram : non enim cognoscitur per experimentum, cum sit in delectabilibus dulcibus concupiscentiæ, sed potius investigatur ratione, divina illuminatione eam ad hoc elevante.

Et per hoc patet solutio ad tria prima.

AD ALIUD dicendum, quod sacramenta Christi non habebant vim ante Passionem : sed Passio vim habuit in fide : et hæc non est vis sacramentorum novæ legis. Vis enim istorum sacramentorum est in continendo, et dando statim : sed illis patribus totum promittebatur in futurum : et ideo non poterant esse ante Passionem actu pretium redemptionis solventem. Ad 4.

AD ALIUD dicendum, quod ego non dico, quod totum effectum matrimonii secundum quod est sacramentum, habuerunt ante Passionem antiqui : quia ego puto, quod confert gratiam, scilicet sacramentum ordinatum sub clavibus Ecclesiæ, et in fide naturarum unitarum duarum in Christo celebratum. Sed verum est hoc, quod integritatem suorum bonorum habuit antiquitus. Et tunc dicemus, quod hoc contingit propter generalitatem illius defectus materialis, qui corporali actu reparatur. In aliis autem agit actus gratiæ spiritualis contra defectum : et tunc aut est sacramentum plenissimæ gratiæ quoad statum, aut non. Et si est plenissimæ gratiæ quoad statum : tunc illud nullo modo habuerunt, sicut in confirmatione, quæ dat Spiritum sanctum ad robur : et extrema unctio, in qua significatur plena puritas corporis et animæ per amotionem omnium impedientium gloriam utriusque partis hominis. Dico autem *plenissimæ gratiæ quoad statum :* quia quædam sunt gratiæ plenæ quoad statum, ut duo dicta sacramenta : quædam autem quoad effectum, sicut baptismus : quædam autem quoad dignitatem rei contentæ et significatæ, ut Eucharistia : et quædam quoad gradum prælationis, ut ordo. Et per hoc patet solu- Ad quæst.

[1] Vulgata habet, Genes. II, 17 : *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris.* Cf. Genes. III, 3.

tio fere ad totum præter ultimum, Pœnitentiam enim antiqui ex parte habebant, et in parte non habebant, propter peccatum personale contra quod ordinatur pœnitentia. Et necessarium est, quod quælibet persona per se satisfaciat interius et exterius si potest. Sed quia vim clavium non habebant, et pœnitentia in confessione se præsentat clavibus, non habebant confessionem nisi in figura : alia autem sacramenta habebant in figura.

Ad ultimum dicendum, quod pœnitentia, aut non fuit instituta in statu innocentiæ : aut si hoc invenitur, et tunc fuit ut medicina purgativa, et tunc non aperte significari debuit : ne ex præscientia casus desperatio angeret eos qui nondum adhuc peccaverunt : quia si Deus prædixisset aperte, concepissent æstimationem aliquam sui status futuri : et hoc impossibile esse monstratur in secundo *Sententiarum*. Ad quæst. 2.

D. *De baptismo.*

Nunc vero de baptismi sacramento videamus, quod inter novæ gratiæ sacramenta primum est.

Baptismum igitur Christi Joannes suo baptismo prænuntiavit : qui primus baptizasse legitur, sed in aqua, non in spiritu, sicut ipse ait : *Ego baptizo vos in aqua*, id est, *in pœnitentiam* [1]. Sola enim corpora abluebat, a peccatis vero non mundabat. Baptismus Joannis erat in pœnitentiam, non in remissionem : baptismus vero Christi, in remissionem [2]. Quia Joannes baptizans homines, ad pœnitentiam vocabat : et quos baptizabat, pœnitere docebat secundum illud : Veniebant ad Joannem in Jordanem, *confitentes peccata sua* [3]. Sed in baptismo Joannis non dabatur peccatorum remissio, quæ data est in Christi baptismo. De baptismo Joannis.

ARTICULUS III.

An baptismus Joannis contulit gratiam ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit : « *Nunc vero de baptismi sacramento videamus*, etc. »

Ibi enim tangit de baptismo Joannis, determinans de ipso quatuor per ordinem in *Littera*, scilicet utrum habuit effectum ?

Et, quare dicitur baptismus Joannis ?

Et, An sit sacramentum ?

Et, Utrum rebaptizandi erant qui baptizabantur abipso ?

Incidit autem quæstio circa primum, Utrum baptismus Joannis contulit gratiam vel non ?

[1] Matth. III, 11. Cf. Marc. I, 8.

[2] Cf. Joan. I, 26 et seq.

[3] Vide Matth. III, 6 ; Marc. I, 5 ; Luc. III, 3 et seq.

Videtur autem, quod non.

1. Quidquid enim erat ante Passionem a qua omnia sacramenta trahunt virtutem, hoc non conferebat gratiam, ut habitum est in præcedenti capitulo : sed baptismus Joannis fuit ante Passionem : ergo non conferebat gratiam.

2. Item, Ita est in charitate, quod id quod introducit eam, non dat charitatem vel gratiam gratum facientem, ut timor servilis : ergo naturaliter id quod est introductio baptismatis, non debet dare gratiam baptismatis : hoc autem est baptismus Joannis : ergo non conferebat gratiam.

3. Item, Si contulisset gratiam, eadem ratione impressisset characterem : ergo postea baptizati baptismo Christi habuissent duos characteres, quod est impossibite.

Sed contra. SED CONTRA :

1. Cessante umbra, debuit statim gratia venire : sed Lex et Prophetæ fuerunt usque ad Joannem [1] : ergo in baptismo Joannis gratia debuit venire : ergo contulit gratiam.

2. Item, Constat, quod non erat sacramentum veteris legis : ergo novæ : ergo effecit quod figurabat : ergo contulit gratiam.

3. Item, Baptismus Joannis vicinior erat baptismo Christi quam circumcisio : quia medium erat inter baptismum Christi et circumcisionem : ergo videtur, quod pleniorem gratiam contulit quam circumcisio : sed circumcisio aliquo modo contulit gratiam, ut prius habitum est : ergo multo magis baptismus Joannis.

4. Item, Missus erat Joannes ut pararet Domino plebem perfectam [2] : sed perfecta plebs esse non poterat nisi suus baptismus conferret gratiam : ergo gratiam conferebat.

5. Item, Baptismus Joannis est post legem : ergo aliud addit supra legis sacramenta : sed illa significabant gratiam : cum ergo proximum vicinius post agnitionem sit curatio, videtur quod baptismus Joannis curaverit.

SOLUTIO. Dicendum, quod baptismus Joannis nullam contulit gratiam, sicut communiter dicunt omnes Sancti. Solutio.

AD ID autem quod objicitur, dicendum quod umbra non cessavit ante Passionem, sicut dicetur in sequenti distinctione : sed declinare incepit in baptismo Joannis : et ideo dicitur, quod Lex et Prophetæ fuerunt usque ad Joannem : sicut dicitur cessare febris quando est in declinatione, et cessare umbra quando est in declinatione. Ad object.

AD ALIUD dicendum, quod non proprie erat sacramentum, ut infra patebit : sed erat medium inter sacramenta novæ legis et veteris, et ideo conveniebat cum utrisque : cum illis in non conferendo gratiam, cum istis autem in actu et materia. Ad object.

AD ALIUD dicendum, quod erat vicinior baptismo Christi quoad quid, et remotior quoad quid quam circumcisio : quoad actum enim et materiam erat vicinior, sed quoad effectum erat remotior : et ideo non ponitur medium nisi in ratione significandi non causandi, Ad object.

AD ALIUD dicendum, quod perfectio quam fecit Joannes erat perfectio doctrinæ non gratiæ. Unde dicitur, Joannis, 1, 8 : *Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine.* Testimonium autem ex parte doctrinæ, et non ex parte gratiæ. Ad object.

AD ULTIMUM dicendum, quod erat post signationem circumcisionis : et non sequitur si addidit rationem signi, quod addidit causalitatem, quia signo ad signum ejusdem est expressius : et illam expressionem addidit : et ideo non sequitur, quod contulit gratiam. Ad object.

[1] Matth. XI, 13.

[2] Luc. I, 17.

ARTICULUS IV.

An baptismus Joannis erat in pœnitentiam, et non in remissionem peccatorum ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, D, circa medium : « *Baptismus Joannis erat in pœnitentiam, non in remissionem*, etc. »

1. Videtur, quod potius pœnitentia fuerit in baptismum, quam e converso : quia prius docuit pœnitere, et postea baptizabat : ergo potius pœnitentia erat in baptismum, quam e converso.

2. Item, Videtur fuisse baptismus in baptismum : quia habuit ordinem ad baptismum Christi : ergo erat in baptismum, et non in pœnitentiam.

3. Item, Si fuit in pœnitentiam, tunc videtur, quod fuit occasio erroris : quia baptismus non exigit gemitum et planctum : ergo si baptismus Joannis erat in pœnitentiam, hoc videtur esse doctrina in signo quod baptismus gemitum et planctum requirat : ergo fuit erroris occasio, ut videtur.

Solutio. Ad 1.

Solutio. Dicendum, quod baptismus Joannis dicitur in pœnitentiam quæ præexigebatur, ne baptismus Christi baptizandos a se fictos inveniret : et ideo pœnitentia sequebatur baptismum Joannis ordine intentionis, licet forte tempore præcederet.

Ad 2.

Ad aliud dicendum, quod non dicitur baptismus in baptismum nisi determinetur : quia aliter pro eodem baptismo acciperetur, et tunc idem esset : sed quia immediate ordinabat ad pœnitentiam quæ removit obicem fictionis ad baptismum Christi, ideo dicitur *in pœnitentiam*.

Ad 3.

Ad aliud dicendum, quod baptismus Christi non exigit gemitum et planctum exteriorem : sed tamen, ut dicit Augustinus, omnis qui voluntatis suæ est arbiter constitutus, novam vitam inchoare non potest, nisi pœniteat eum veteris vitæ : et ideo exigit gemitum et planctum interiorem, ne ficti inveniantur qui sunt baptizandi.

E. *Quid utilitatis habebat baptismus Joannis ?*

Ad quid ergo utilis erat baptismus Joannis ? Quia homines usu baptizandi præparabat ad baptismum Christi.

Sed quæritur, Quare dictus est baptismus Joannis : sicut veritas dicit, *Baptismus Joannis unde erat* [1] ? Quia ibi Joannis operatio tantum visibilis erat, exterius lavantis, non invisibilis gratia Dei interius operantis. Sed tamen et illa Joannis operatio a Deo erat : et baptismus ille a Deo erat, non ab homine tantum : sed hominis dictus est, quia nihil ibi gerebatur quod non ageret homo.

[1] Matth. xxi, 25. Cf. Luc. xx, 4.

Si vero quæritur, an sacramentum fuerit ? satis potest concedi ex eo sensu, quo legalia signa dicuntur sacramenta. Significabat enim baptismus Joannis rem sacram, scilicet baptismum Christi, qui non tantum est pœnitentiæ, sed et remissionis peccatorum.

ARTICULUS V.

Quare dicitur baptismus Joannis ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit ibi, E, § 2 : « *Sed quæritur, Quare dictus est baptismus Joannis*, etc. »

1. Videtur enim, quod eadem ratione dicatur baptismus Pauli : quoniam baptizavit et Paulus.

2. Item, Hoc videtur accipi ab eo quod dicitur, I ad Corinth. 1, 12 : *Ego quidem sum Pauli : ego autem Apollo : ego vero Cephæ :* ergo gloriabatur in baptizatis : ergo cujuslibet baptismus suus dicebatur.

3. Item, Dicitur Evangelium Pauli quod Paulus prædicabat, et Petri quod prædicabat Petrus : ergo a simili dicetur baptismus Pauli quo baptizabat Paulus, ut videtur.

4. Item, Si forte dicas, quia discipuli baptizabant in nomine Christi : et baptismus, ut dicit Augustinus, in ejus nomine datur : ergo videtur, quod non est baptismus Joannis dicendus, sed Christi : quia ipse baptizabat (ut dicitur) in nomine venturi, et venturus erat Christus.

Solutio. Solutio. Dicendum, quod *baptismus Joannis* dicitur, quia nihil erat in eo nisi operatio Joannis, ut dicit Augustinus in *Littera* : sed sic non erat in baptismo discipulorum, in quo principalis operatio tota fuit Christi, scilicet interior operatio vel baptizatio. Cum enim duæ sint operationes in baptismo, exterior, et interior : interior est principalior, et exterior varia : et ideo baptismus illius dicitur qui operatur principaliori operatione. Quia autem hoc deficit in baptismo Joannis, ideo non dicitur nisi baptismus Joannis.

Ad 1 et 2. Ad primum et secundum ergo dicendum, quod illa contentio reprehensibilis fuit, et corrigebatur ab Apostolo : unde dicebat : *Divisus est Christus ?* aut, *Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis* [1] ? Quasi diceret : Vos vestra contentione dimittitis Christum, tamquam baptismus dividatur secundum merita baptizatorum : quod non est verum, cum Christus crucifixus in omni baptistarum baptismo baptizet.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod non est simile de Evangelio et baptismo : quia illud non habet ex re operata virtutem immediate a Passione Christi : sed sæpe impeditur et promovetur verbum prædicationis ex meritis bonis vel malis prædicantium : ideo actus ille dicitur exercentis eum in ministerio : non autem sic dicitur in baptizando.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod Joannes non baptizabat in nomine Christi tamquam in forma baptizantis : sed potius tamquam in nomine ejus in quod dirigebat baptizatos a se. Apostoli autem baptizabant in nomine Christi vel Trinitatis tamquam in forma baptizantis.

Si vero tu objicias, quod hoc est contra *Litteram* in qua dicitur, quod hæc erat forma sua, quia baptizabat in nomine venturi. Respondeo, quod non erat forma in qua esset invocatio ad sanctificationem

[1] I ad Corinth. 1, 13.

baptismi, sed potius forma, id est, modus in baptizando : quia scilicet venturum nominabat, et populum ut in eum crederet monebat : tamen nulla ex hoc sanctificatio baptismi ab illo alii conferebatur.

ARTICULUS VI.

An baptismus Joannis fuerit sacramentum ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, E, § 3 : « *Si vero quæritur an sacramentum fuerit*, etc. »

Videtur enim fuisse sacramentum : quia fuit sacræ rei signum : ergo fuit sacramentum.

Sed contra.

Sed contra hoc videtur esse, quod ad omne sacramentum exigitur institutio divina. Baptismus autem Joannis non erat institutus a Deo : ergo non erat sacramentum.

Solutio.

Solutio. Ad hoc leve est respondere secundum prædicta. Dicendum enim, quod est potius continuatio novorum sacramentorum ad vetera : sed tamen propter similitudinem cum sacramentis in ratione significandi, accipit nomen sacramenti.

Ad object.

Ad id autem quod contra objicitur, potest dici quod non erat sine institutione divina : ita enim dicitur, Joan. 1, 33 : *Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit : Super quem videris Spiritum descendentem, et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto.*

F. *De forma baptismi Joannis, et de baptizatis ab eo.*

Hic considerandum est, si baptizati a Joanne iterum baptizati sunt baptismo Christi, et qua forma verborum usus sit Joannes. Illi qui baptizati sunt a Joanne, nescientes Spiritum sanctum esse, ac spem ponentes in illius baptismo, postea baptizati sunt baptismo Christi. Baptismus autem Joannis in nomine venturi tradebatur [1]. Unde Hieronymus super Joelem [2] : Qui dicit se in Christum credere, et non credit in Spiritum sanctum, nondum habet claros oculos. Unde baptizati a Joanne in nomine venturi, id est, Domini Jesu, quia dixerunt : *Sed neque si Spiritus sanctus est audivimus* [3], iterum baptizabantur, imo verum baptisma accipiebant. Illi vero qui spem non posuerunt in baptismo Joannis, et Patrem et Filium et

[1] Cf. Act. XIX, 4.
[2] S. Hieronymus, Super Joelem, ad cap. 2. Hic non tenetur Magister. (Nota ed. Lugd.)
[3] Act. XIX, 2.

Spiritum sanctum credebant, non post baptizati fuerunt : sed impositione manuum ab Apostolis super eos facta, Spiritum sanctum receperunt [1]. Alii vero qui non ita credebant, baptizati sunt baptismo Christi, ut prædictum est. Unde Hieronymus [2] : Qui Spiritum sanctum nesciebant, cum baptismum a Joanne acceperunt, iterum baptizati sunt baptismo Christi, ut prædictum est, ne quis ex Judæis vel Gentibus putaret aquam sine Spiritu sancto ad salutem posse sufficere. De hoc etiam Ambrosius in primo libro de *Spiritu sancto* : Quidam negaverunt se scire Spiritum sanctum, cum baptizatos se dicerent baptismo Joannis, qui in advenientis Jesu, non in suo baptizavit nomine. Isti ergo quia nec in Christi nomine, neque cum fide Spiritus sancti baptizati fuerant, non potuerunt accipere baptismi sacramentum : baptizati sunt ergo in nomine Christi, nec iteratum est in his baptisma, sed innovatum [3].

ARTICULUS VII.

An baptizati a Joanne fuerint rebaptizandi ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, F, « *Hic considerandum est, si baptizati a Joanne iterum baptizati sunt*, etc. »

Videtur enim, quod Joannes aliquos baptizabat, qui non erant baptizandi : quia

1. Dicitur in *Littera*, quod si aliquis baptizabatur a Joanne, spem non ponens in suo baptismo, sed fidem habens Trinitatis, quod ille non rebaptizabatur : ergo non omnes erant iterum baptizandi.

2. Item, Act. VIII, 15 et seq., dicitur, quod Petrus et Joannes *oraverunt pro ipsis*, scilicet conversis in Samaria, *ut acciperent Spiritum sanctum : nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum.* Ergo videtur, quod per manus impositionem tantum supplebatur quod illis defuit, et non iterum baptizandi erant.

3. Item, Ponamus, quod aliquis baptizatus sit tantum baptismo Joannis, et habeat fidem totius Trinitatis : numquid audebimus dicere, quod ille baptizatus sit propter fidem quam habet ? Videtur, quod non : quia tunc nihil esset forma verborum expressa, quæ exigitur in baptismo : ergo videtur, quod tales fuerunt baptizandi.

4. Item, Nullus baptismus confert gratiam in quo non potest haberi spes gratiæ, sicut habetur spes in sacramento : ergo nihil est dictum, ut videtur, quod spem non ponentes in suo baptismo consequebantur in eo gratiam, spem autem ponentes non consequuntur.

5. Item, Licet infra dicatur, quod verbum quod facit baptismum esse sacramentum, sit invocatio Trinitatis : non quia dicitur, sed quia creditur : tamen

[1] Act. VIII, 17.

[2] S. HIERONYMUS, In Epist. de unius uxoris viro.

[3] S. AMBROSIUS, Lib. I de Spiritu sancto, cap. 3.

oportet exprimi tres personas, sive credatur, sive non : ergo videtur, quod nostra spes vel fides non confert baptismo formam sanctificationis aliquam : ergo sive posuerunt spem, sive non, erant semper baptizandi qui baptismate Joannis fuerunt baptizati.

Solutio. Solutio. Super illa quæstione inducere nituntur quidam opiniones, tamquam liceat alicui opinari, quod sine forma sacramenti possit esse sacramentum a nostra fide, vel a nostra spe.

Unde dicendum, quod absque dubio numquam in baptismo Joannis gratia conferebatur, ut dicunt omnes Sancti communiter : sicut etiam ipse dixit, Joan. I, 26 : *Ego baptizo in aqua*, etc.

Ad 1. Ad id ergo quod dicitur in *Littera*, sic potest responderi, quod baptizatus a Joanne non spem ponens, et ex hoc ipso aliud baptisma quærens, ut discipulorum Christi post pnssionem, non baptizabatur.

Ad 2. Ad hoc autem quod objicitur de Actibus, nihil cogit : quia ibi loquitur de hoc quod est confirmationis, non baptismatis. Confirmatio autem supplet defectum baptismatis, ut videtur innuere Augustinus : non in esse sacramenti, quia baptismus est perfectum sacramentum, sed potius in eo, quod baptismus diminuit fomitem, et non exstinguit : sed confirmatio amplius debilitat eumdem. Et hoc patet in Actibus, XIX, 2, ubi inveniuntur baptizati a Joanne non habentes notitiam Spiritus sancti in auditu formæ baptismi : et ideo illi baptizati fuerunt.

Ad 3 et 4. Ad aliud autem ego bene concedo, quod fides et spes non dant esse baptismi, sed tantum removent fictionem, ut baptismus possit consequi effectum justificationis in nobis.

DISTINCTIO III.

De Baptismo.

A. Quid sit baptismus ?

Post hæc videndum est quid sit baptismus, et quæ sit forma, et quando institutus, et causa institutionis. Baptismus dicitur intinctio, id est, ablutio corporis exterior, facta sub forma verborum præscripta. Si enim ablutio fiat sine verbo, non est ibi sacramentum : sed accedente verbo ad elementum, fit sacramentum : non utique ipsum elementum fit sacramentum, sed ablutio facta in elemento. Unde Augustinus : Verbo baptisma consecratur : detrahe verbum, et quid est aqua, nisi aqua ? accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum. Unde est hæc tanta virtus aquæ, ut corpus tangat et cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur ? Nam et in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud est virtus intus manens [1]. In duobus ergo consistit sacramentum baptismi, scilicet in verbo, et elemento. Ergo etsi alia desint quæ ad decorem sacramenti instituta sunt, non ideo minus est verum sacramentum et sanctum, si verbum sit ibi et elementum. Nam et in hoc sacramento et in aliis quædam solent fieri ad decorem et honestatem sacramenti, quædam ad substantiam et causam sacramenti pertinentia. De substantia hujus sacramenti sunt verbum et elementum, cætera ad solemnitatem ejus pertinent.

[1] S. Augustinus, Super Joannem, Tract. 80.

DIVISIO TEXTUS.

« *Post hæc videndum est quid sit baptismus*, etc. »

Hic aggreditur Magister de baptismo.

Et dividitur in tres partes iste tractatus : in quarum prima agit de substantialibus baptismi. In secunda autem agit de baptismo ex parte suscipientis : et hæc incipit in sequenti distinctione, scilicet quarta, ibi, A, « *Hic dicendum est aliquos suscipere sacramentum*, etc. » In tertia, agit de baptismo ex parte dantis sive baptizantis : et hæc incipit in quinta distinctione, ibi, A, « *Post hæc sciendum est sacramentum baptismi a bonis et a malis ministris dari*, etc. »

In prima harum quinque determinantur circa baptismum : quorum primum est, quid sit baptismus, et quæ forma ejus : quia hæc pertinent ad idem : quia penes formam datur diffinitio. Secundo, agit de institutione, ibi, F, « *De institutione baptismi quando cœpit*, etc. » Tertio, agit de materia, ibi, H, « *Celebratur autem hoc sacramentum tantum in aqua*, etc. » In quarta, agit de modo immersionis, quæ est actus baptismi, ibi, I, « *De immersione vero si quæritur, quomodo fieri debeat*, etc. » In quinta et ultima, agitur de cessatione circumcisionis, adveniente baptismo, ibi, K, « *Solet etiam quæri, Si circumcisio amisit*, etc. »

Prima harum dividitur in tres : in quarum prima agitur, quid sit baptismus in re et diffinitione. In secunda, de forma baptismi quæ est, et quæ fuit quandoque, ibi, B, « *Sed quod est illud verbum*, etc. » In tertia facit quasdam quæstiones circa formam, ibi, C, « *Hic quæritur, An baptismus esset verus*, etc. »

Ex his patet sententia et ex sequenti disputatione.

ARTICULUS I.

An diffinitiones baptismatis sunt bene assignatæ ?

Incidit autem primo hic dubium, quid sit baptismus ?

Et in *Littera* ponitur ista diffinitio : « Baptismus est instinctio in aqua facta, verbo vitæ sanctificata [1]. »

Dionysius autem in *Ecclesiastica hierarchia* : « Baptismus est principium sanctissimorum mandatorum sacræ actionis, ad aliorum divinorum eloquiorum et sacrarum actionum susceptivam opportunitatem formans animales nostros habitus, ad supercœlestis quietis anagogen nostrum iter faciens, et sacræ ac divinissimæ nostræ regenerationis traditio [2]. »

Aliam iterum dat Damascenus in libro quarto de *Fide orthodoxa* : « Baptismus est per quod primitias Spiritus sancti accipimus, et principium alterius vitæ fit nobis, et regeneratio, et sigillum, et custodia, et illuminatio . »

Quæst. 1. ET QUÆRITUR primo, Cum unius rei unicum sit esse, penes quid accipiantur tres baptismatis diffinitiones ?

Quæst. 2. ITEM, OBJICITUR contra primam.

Quæritur enim, Quid secundum illam diffinitionem dicatur baptismus, aut

[1] Verba *Litteræ* sunt : « Baptismus dicitur intinctio, id est, ablutio corporis exterior, facta sub forma verborum præscripta. »

[2] S. DIONYSIUS, De Ecclesiastica hierarchia, cap. 2.

[3] S. J. DAMASCENUS, Lib. IV de Fide orthodoxa, cap. 1.

aqua, aut tinctio, aut character, aut gratia?

1. Videtur autem, quod *aqua* : quia cum omne sacramentum sit ex similitudine significans, et sua causalitas non extendatur extra virtutem signi : videtur, quod in illo tota substantia sacramenti sit, in quo est tota ratio significandi : hæc autem tota est in proprietate aquæ, quæ abluit, nitere facit, refrigerat, vivificat etiam propter naturam perspicui quæ est in ipsa per convenientiam cum cœlo : ergo videtur, quod ipsa sit sacramentum : ergo in recto debuit cadere in sacramenti diffinitione, et non in obliquo.

Sed contra hoc videtur esse, quod aqua non manet in baptismo : sed baptismus semper manet : ergo aqua non est baptismus.

2. Si forte dicatur, sicut Augustinus in *Littera* videtur velle, quod *tinctio* ipsa est baptismus.

Contra hoc est eadem objectio : quia tinctio transit postquam facta est tinctio : ergo cum baptismus maneat, non videtur quod tinctio sit baptismus.

Item, Tinctio non videtur esse de omni baptismo : ergo non substantialiter ponitur in diffinitione. Quod autem non sit de omni, videtur, quia est baptismus sanguinis, et pœnitentiæ, quibus non convenit baptismi tinctio in aqua : ergo tinctio non dicitur baptismus nisi accidentaliter : ergo non deberet diffiniri per tinctionem.

Item, Cum dicitur, « Baptismus est tinctio, etc. : » forma propria deberet exprimi in baptismo : verbum enim vitæ est verbum prædicationis, et omnium aliorum sacramentorum : ergo sicut male diffiniret hominem, diffiniens materialiter sic, Homo est quod componitur ex corpore et sensu : ita male videtur diffiniri, cum dicitur, Baptismus est tinctio, etc.: quia verbum vitæ convenit multis, et non soli baptismo.

3. Si forte dicatur, quod *character* sit baptismus.

Contra : Illi nullo modo convenit diffinitio sacramenti : quia non est visibilis forma invisibilis gratiæ : ergo ipse baptismus non dicitur.

4. Præterea, Videtur, quod *gratia* debeat dici baptismus : quia unumquodque denominatur ab ultimo et optimo sui : gratia autem est ultimum et optimum baptismi : ergo ipsa denominat baptismum : et baptismus habet diffiniri per eam, ut videtur.

Sed contra hoc videtur : quia gratia est effectus baptismi : effectus autem et causa non sunt idem in substantia : ergo gratia non est sacramentum.

Item, In sequenti distinctione dicit, quod quidam suscipiunt sacramentum, et non rem sacramenti : ergo sacramentum secundum substantiam potest esse sine gratia : ergo gratia non est sacramentum.

Objicitur autem de secunda diffinitione : quia

1. Baptismus non dicitur esse principium mandatorum sacræ actionis : præcedunt enim ipsum confessiones, et abrenuntiationes : confitentur enim ibi fidem, et abrenuntiant diabolo et pompis ejus ante baptismum.

2. Si forte dicas, quod hoc faciunt patrini : hoc nihil est : quia si adultus foret, oporteret ipsum facerere per seipsum.

Præterea, Ipsi patrini faciunt hoc in persona parvuli. Unde dicit Dionysius in *Ecclesiastica hierarchia* : « Neque enim hic, scilicet patrinus ait sic : Ego pro puero abrenuntiationes et sacras confessiones facio : sed quia puer abrenuntiat, hoc est, confiteor puerum credere in sensum sacrum venientem nostris divinis anagogis, abrenuntiare quidem universaliter contrariis, confiteri autem et cooperari divinas confessiones [1]. » Ergo

[1] Cf. S. Dionysium, De Ecclesiastica hierarchia, cap. ultim.

videtur, quod hæc puer faciat, qui non est capax præcepti : et tamen capax est baptismatis, ut dictum est : ergo non debuit per hoc diffiniri, quod sit principium mandatorum.

3. Item, Objicitur de secunda parte : Animales enim habitus formare, non videtur convenire baptismo : sed cum animal, ut dicit Augustinus in Glossa super Epist. I ad Timoth. III, dicatur dupliciter, scilicet vita, et sensu, videtur animalem vitam formare virtus temperantiæ, et animalem sensum videtur formare fides, et non baptismus.

4. Item, De tertia parte objicitur : quia ad supercœlestis conversationis anagogen magis facit nostrum iter contemplatio, quam baptismus : ergo non deberet poni in baptismi diffinitione.

De tertia diffinitione baptismi etiam objicitur :

1. Si aliquis sanctificatus jam accedit ab baptismum ut Cornelius centurio, et alii multi, ille non accipit ibi primitias Spiritus sancti.

2. Præterea, Homo in natura habet sigillum quo configuratur Trinitati in imagine : ergo non accipit hoc in baptismo, ut videtur.

3. Præterea, Quare ponit ibi Damascenus tot clausulas in diffinitione? Illuminatio enim magis pertinet ad virtutes intelligibiles, ut fidem, scientiam, intellectum, sapientiam, prudeutiam, et hujusmodi, quam ad baptismum pertineat, ut videtur.

Solutio. Ad quæst. 1. Solutio. Dicendum ad primum, quod illa diffinitio quæ est Augustini et ponitur in *Littera* per alia verba, colligit essentialia baptismo in materia et forma : quia tinctio in aqua secundum quod est ex parte tincti, non tingentis, est materia baptismi : sed forma in verbo vitæ. Secunda autem datur de baptismo, secundum quod est fundamentum omnium aliorum sacramentorum, sine quo non contingit intrare ostium Ecclesiæ : et hoc patebit in explanatione ipsius. Tertia autem quæ est Damasceni, datur per effectus generales baptismi : et hoc etiam infra patebit.

Ad quæst. 2. Ad diffin. 1. Ad 1. Ad aliud ergo quod quæritur, Quid dicatur baptismus secundum diffinitionem? jam possumus dupliciter respondere, scilicet vel quod dicatur baptismus tinctio in aqua cum conjunctione ad characterem quem imprimit, et sic videtur velle Augustinus in *Littera*, vel quod dicatur e converso baptismus character, secundum quod est a tinctione tali, et non absolute.

Si primo modo dicimus, tunc respondemus ad argumentum dicendo, quod licet in aqua inveniantur hujusmodi proprietates, tamen illas non exercet in actu, nisi secundum quod est tingens : et ideo ipsa non est sacramentum, nisi hoc modo considerata, et tunc est materialis : ipsa autem tinctio dicit constitutum ex ipsa et verbo sanctificante.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod manent aqua et tinctio non in se, sed secundum conjunctionem ad characterem manentem, et ideo non simpliciter transeunt.

Ad aliud dicendum, quod baptismus sanguinis et flaminis non absolute dicuntur baptismus, sed secundum quid tantum, scilicet in quantum supplent vicem baptismi : ubi articulus necessitatis, et non contemptus religionis sacramentum excludit.

Ad aliud dicendum, quod verbum vitæ est uno modo in sacramentis, scilicet invocatione Trinitatis, exceptis Eucharistia, et unctione extrema, et pœnitentia, et matrimonio : in tribus enim invocatio est Trinitatis. Sed hoc ideo est, quia non est ita de Deo, sicut de formis creatis : in formis enim creatis nullæ duæ æque speciales se habent uno modo ad suum formatum : sed Deus uno modo se habet ad omne quod est, et non omnia uno modo se habent ad ipsum : et ideo verbum vitæ quod est in aliis, scilicet invocatio Trinitatis est etiam in

baptismo : sed verum est, quod aptatur baptismo per actum baptizandi et intentionem specialem. Vel possumus dicere, quod vita est primus actus spiritus, et vivere est primum esse viventibus : et quia in baptismo datur primum esse vitæ spiritualis, cum ipsum sit fundamentum totius vitæ, competit verbum vitæ spiritualiter baptismo magis quam aliis. Quod autem hoc verum sit, patet per Dionysium in *Ecclesiastica hierarchia*, ubi dicit sic : » Si esse divinitus est divina generatio, nequaquam aliquando quid noverit a Deo traditorum, neque quidem quid operatus sit, qui neque subsistere divinitus habuit [1]. » Et intendit dicere, quod sicut in naturis id quod non est, neque intelligit, neque operatur : sic etiam in divinis qui non est primo per baptismum, non potest operari, nec bene intelligere.

Ad 3. Ad id quod objicitur contra hoc, quod character dicatur baptismus. Dicendum, quod propriissime, meo judicio, character baptismus dicitur. Et ad objectum dicendum, quod visibilis est, non in se, sed in comparatione ad tinctionem a qua imprimitur, vel in qua imprimitur a Deo, quod magis proprie dicitur.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod gratia nullo modo potest dici sacramentum. Et ad objectum dicendum, quod ab illo ultimo est denominatio quod est perfectio rei intranea suæ essentiæ : gratia autem nihil est de essentia sacramenti, sed est effectus ejus.

Ad diffin. 2. Ad id quod quæritur de secunda diffinitione, dicendum quod illam melius possumus intelligere per verba alterius translationis, quæ dicit sic : « Quæritur quod est principium venerandissimorum præceptorum sacræ operationis, quod ad aliarum sanctarum locutionem et sanctificationum susceptionem format nostros animales habitus, et ad supercœlestis situs sursum actionem nos conducit, quod sanctam et divinissimam nostram regenerationem tradit. » Ex hoc etiam patet, quod ipse vult, quod baptismus sit principium præceptorum, id est, quia pro nobis fieri præcipitur, quia per ipsum ingredimur in januam Ecclesiæ : et ordinat nos ad tria, scilicet ad esse per regenerationem, et hoc tangit ultimo : et ad operari, et hoc tangit secundo, quia ordinat animales sensus ad spiritualia in operibus et verbis secundum activam : et reordinat nos ad superiora ut quiescamus in eis tamquam in fine nostrarum actionum in contemplativa : et hoc est quod intendit.

Dicendum ergo ad primum, quod omnes illæ confessiones et sacræ actiones contrahunt virtutem a baptismo, prout est in voluntate : vult enim Augustinus, quod omne præcedens baptismum et sequens virtute baptismi operatur : et ita ipsum secundum naturam est primum, licet secundum tempus sequatur. Et quod hoc verum sit, accipitur a verbis ipsius in fine libri primi de *Nuptiis et Concupiscentia*, ubi sic dicit : « Sic accipiendum quod ait Apostolus : *Christus dilexit Ecclesiam* [2], ut verbo sanctificationis omnia prorsus mala hominum regeneratorum mundentur atque sanentur : non solum peccata quæ omnia nunc remittuntur in baptismo, sed etiam quæ posterius humana ignorantia vel infirmitate contrahuntur : non ut baptisma quoties peccatur, toties iteretur : sed quia ipso quod in eo datur fit, ut non solum antea, verum etiam postea quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur : quid enim prodesset, vel ante baptismum pœnitentia, nisi baptismus sequeretur : vel post, nisi baptismus præcederet ? » Quasi diceret : Nihil. Et ex hoc patet propositum. Ad

Ad aliud dicendum, quod puer non est capax præcepti nisi secundum habitum et ordinem ad præcepta : et hoc Ad

[1] S. Dionysius, de Eccles. hierarchia, cap. 2.

[2] Ad Ephes. v, 25.

modo etiam baptismus est principium operationis præceptorum.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod animalitas sumitur hic large pro habituali obedientia concupiscentiæ : format autem hic sensum baptismus conferendo generalem gratiam spiritualis vitæ, quæ incipit in ipso debilitando fomitem universaliter.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod per rem significatam et non contentam ducit ad anagogen supercœlestis quietis : hæc autem res nitor est et fulgor futuræ resurrectionis, quando lavabimur ab omni corruptela, sorde, et macula : unde aliter ducit quam contemplativa : quia contemplativa ducit per confessionem et studium, sacramentum autem per similitudinem quam habet cum æternis.

Ad diffin. 3. Ad 1. Ad id autem quod objicitur de tertia diffinitione, dicendum prout jam patuit, quod etiamsi primitiæ Spiritus ante baptismum dentur, illud tamen est in virtute baptismi in proposito existentis habitu, sicut in Cornelio : vel actu, sicut in aliis qui sciunt et credunt articulos explicite.

Ad aliud dicendum, quod homo in natura habet sigillum similitudinis quoad imaginem, sed non quoad characterem configurantem in habitu tali, sicut dat baptimus : et ideo objectio non procedit. Ad 2.

Ad ultimum dicendum, quod hæc quinque ponuntur in diffinitione baptismi, secundum quod quinque modis baptismus operatur contra originale : originale enim dicit pronitatem ad omne malum causa carentiæ justitiæ debitæ : carentiam autem justitiæ sequitur dissimilitudo nostri ad Deum, et reatus ad mortem : pronitatem autem ad malum sequitur inconsideratus casus, ut excæcatio qua excæcacatur per affectum boni commutabilis. Contra culpam ergo dat primitias Spiritus, contra reatum mortis dat principium vitæ per regenerationem, et contra dissimilitudinem dat signaculum vel sigillum, contra præcipitium casus dat custodiam, et contra cæcitatem ex parte nostri dat illuminationem : et sic patet quare has quinque clausulas ponit in diffinitione. Ad 3.

B. *De forma baptismi.*

Sed quod est illud verbum, quo accedente ad elementum, fit sacramentum ? Veritas te docet, quæ hujus sacramenti formam tradens, ait discipulis: *Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti* [1]. Invocatio igitur Trinitatis verbum dicitur quo baptisma consecratur : et hæc est forma verborum sub qua traditur baptismus. Unde Bonifacio Episcopo Zacharias Papa ait : Firmissime præceptum est in synodo Anglorum, ut quicumque sine invocatione Trinitatis mersus fuisset, quod sacramentum regenerationis non haberet : quod omnino verum est [2], quod

[1] Matth. xxviii, 17.
[2] Edit J. Alleaume, *esset*.

si mersus in fontem baptismi quis fuerit sine invocatione Trinitatis, perfectus Christianus non est, nisi in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti fuerit baptizatus [1]. Legitur tamen in Actibus Apostolorum, Apostolos baptizasse in nomine Christi [2] : sed in hoc nomine, ut exponit Ambrosius, tota Trinitas intelligitur. Intelligitur enim cum Christum dicis, et Pater a quo unctus est, et ipse qui unctus est, et Spiritus sanctus per quem unctus est. Unde Nicolaus Papa ad consulta Bulgarorum [3] : A quodam Judæo multos baptizatos asseritis, et quid inde agendum sit consulitis. Hi profecto si in nomine sanctæ Trinitatis, vel in nomine Christi, sicut in Actibus Apostolorum legimus [4], baptizentur, baptizati sunt : unum enim idemque est, ut exponit Ambrosius.

C. *Si in nomine Patris tantum vel Spiritus sancti possit tradi baptismus ?*

Hic quæritur, An baptismus esset verus, si diceretur in nomine Patris tantum, vel Spiritus sancti tantum, ut cum dicitur in nomine Christi ? Ambrosius videtur dicere, quod si fide mysterium Trinitatis teneatur et una persona tantum nominetur, plenum esse sacramentum : et e converso si tres nominentur, et non recte de aliquo illorum sentiatur, vacuum fieri mysterium Trinitatis. Ait enim sic : Ubi non est plenum baptismi sacramentum, nec principium, nec species aliqua baptismi æstimatur. Plenum autem est, si Patrem et Filium et Spiritum sanctum fatearis. Si unum neges, totum subrues : et si unum in sermone comprehendas, vel Patrem vel Filium vel Spiritum sanctum, fide autem nec Patrem nec Filium nec Spiritum sanctum abneges, plenum est fidei sacramentum. Ita etiam licet Patrem et Filium et Spiritum sanctum dicas, et Patris et Filii et Spiritus sancti minuas potestatem, vacuum est omne mysterium. Cum enim dicitur in nomine Christi, per unitatem nominis impletum est mysterium : nec a Christi baptismate Spiritus separatur, quia Christus baptizavit in Spiritu [5].

[1] De consec. dist. IV, cap. *In synodo* (Nota ed. Lugd.)
[2] Cf. Act. VIII, 16 et X, 48.
[3] De consec. dist. IV (Nota ed. Lugd.)
[4] Cf. Act. VIII, 16 et X, 48.
[5] S. AMBROSIUS, Lib. de Spiritu sancto, cap. 3.

D. *Quæstio Ambrosii.*

Nunc consideremus, utrum sicut in Christi nomine legimus baptismi plenum esse sacramentum, ita etiam Spiritu sancto tantum nuncupato nihil desit ad mysterii plenitudinem. Rationem sequamur : qui unum dixerit, Trinitatem signavit. Si Christum dicas, et Patrem a quo unctus est Filius, et ipsum qui unctus est, scilicet Filium et Spiritum sanctum quo unctus est, designasti. Scriptum est enim hunc esse Jesum a Nazareth, quem unxit Deus Spiritu sancto [1]. Et si Patrem dicas, Filium ejus et Spiritum oris ejus pariter indicas, si tamen id etiam corde comprehendas. Et si Spiritum sanctum dicas, Deum Patrem a quo procedit, et Filium ejus cujus est Spiritus, nuncupasti. Unde, ut rationi copuletur auctoritas, Dominus dicit : *Vos autem baptizabimini Spiritu sancto* [2], ex quo indicat nos recte posse baptizari in Spiritu sancto.

E. *Perstringit præmissorum intelligentiam cum determinatione cujusdam dicti.*

Ex his aperte intellexisti in nomine Christi verum baptisma tradi : unde nihilominus insinuari videtur, verum baptisma tradi [3] posse in nomine Patris tantum, vel Spiritus sancti tantum : si tamen ille qui baptizat, fidem Trinitatis teneat : quæ Trinitas in quolibet horum nominum intelligitur. Si autem aliquis perverse credens, et errorem inducere intendens, unum de tribus tantum nuncupet, non complet mysterium. Quod vero ait nominatis tribus vacuum esse mysterium, si baptizans minuat potestatem Patris vel Filii vel Spiritus sancti, id est, si male sentiat de potentia alicujus horum, non credens unam potentiam trium : intelligendum est hoc super eum qui non intendit nec credit baptizare : qui non tantum caret fide, sed

[1] Act. x, 38.
[2] Act. I, 5. Cf. Matth. III, 11 ; Marc. I, 8. Luc. III, 16 ; Joan. I, 26.
[3] Edit. J. Alleaume, *dari*.

etiam intentionem baptizandi non habet. Qui ergo baptizat in nomine Christi, baptizat in nomine Trinitatis, quæ ibi intelligitur. Tutius est tamen tres personas ibi nominare, ut dicatur, In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti : non *in nominibus*, sed in nomine, id est, in invocatione, vel in confessione Patris et Filii et Spiritus sancti. Invocatur enim ibi tota Trinitas, ut invisibiliter ibi operetur per se, sicut extra visibiliter per ministerium. Si autem dicatur *in nominibus*, non est ibi sacramentum, quia non servatur forma baptismi.

ARTICULUS II.

An sit aliqua forma baptismi ? et, De singulis verbis positis in forma baptismi.

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, B, « *Sed quod est illud verbum, quo accedente ad elementum, fit sacramentum ?* »

Quæst. 1. Incidit enim hic quæstio de forma baptismi. Et quæritur, Cum dicitur : Ego baptizo te in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, utrum pronomen *ego* sit de essentia formæ ?

1. Videtur quod sic : quia

Intentio baptizantis exigitur. Hæc autem non exprimitur nisi per demonstrationem intendentis, et non fit demonstratio nisi per pronomen *ego :* ergo pronomen est de forma.

2. Item, Baptizare convenit ministro Ecclesiæ : ergo videtur, quod ministrans exprimi debet : ergo cum non exprimitur nisi pronomine, ideo videtur ipsum esse de forma.

Sed contra. Sed contra hoc videtur esse regula Grammaticorum dicentium, quod in verbis primæ et secundæ personæ certus et determinatus intelligitur nominativus : ergo non est necessarium quod apponatur.

Item quæritur ulterius, Utrum verbum *baptizo* sit de forma ? Quæst. 2.

Videtur quod non : quia

1. Plus est exprimere facto quam verbo : ergo cum sit ibi expressio facto, non oportet quod verbo dicatur.

2. Item, Cum Christus dicit : *Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizates eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* [1], videtur injungere exercitium, et non præcipue expressionem actus : ergo virtute illius baptizationis non importatur quod sit de forma, nec virtute ulterius potest haberi : ergo non est de forma.

3. Item, Ipse dixit : *Ite, docete, baptizantes* : sed cum doceret, non oportuit dicere ante : Ego doceo vos, sed tantum actum exercendo expleverunt mandatum : ergo a simili etiam actum baptismi exercendo, expleverunt mandatum baptismi.

4. Item, In aliis benedictionibus et signaculis, ut est benedictio panis, non exprimitur ante actus benedictionis : ergo etiam hoc non exigitur in actu baptizandi.

5. Item, Exod. xiv, 15 : *Quid clamas ad me ?* dicit Glossa, quod desiderio cordis clamabat : ergo videtur, quod sufficit intendere, et non exprimere.

6. Item, Aqua est de substantia bap-

[1] Matth. xxviii, 19.

tismi : et tamen non exigitur, quod sermone exprimatur, ut sic dicatur : Ego baptizo te in aqua : ergo videtur, quod nec exigitur expressio actus baptismi.

7. Item, Cum Christus sit qui vere et interius baptizet, videtur, quod melius exprimatur dicendo : Baptizet te Christus, etc., quam, Ego, baptizo te.

8. Item, Græci et Dalmatæ ita baptizant : « Baptizetur servus Christi in nomine, etc. »

Si forte dicas, quod non sunt baptizati. CONTRA : Beatus Nicolaus et alii sancti ita sunt baptizati, ut dicitur.

Item, Dominus Gregorius Papa super hoc consultus, de consilio respondit, quod non rebaptizarentur illi qui sunt sub Ecclesia Romana in Dalmatia, sed caveretur ne amplius fieret : ergo videtur, quod hoc sufficit ad formam : quia aliter rebaptizandi essent.

9. Si autem tu dicas, quod propter intentionem exigitur expressio actus. CONTRA : Secundum hoc melius diceretur : Ego intendo te baptizare, etc.

ed contra. SED CONTRA : Hoc sacramentum est sacramentum necessitatis ad quod exigitur intentio actus quod facit Ecclesia : ergo ad hoc ut excludatur omnis error, exigitur expressio actus per verbum primæ personæ et præsentis temporis indicativi modi.

Quæst. 3. ULTERIUS quæritur, Quid dicat hoc quod dicit, *in nomine ?*

Aut enim supponit essentiam, aut personam. Si supponit essentiam : ergo videtur, quod essentia possit poni loco ejus, ut dicatur : Ego baptizo te in essentia Patris et Filii et Spiritus sancti. Si autem supponit personam, tunc videtur, quod debeat poni in plurali, ut dicatur : In nominibus Patris, etc.

Quæst. 4. ULTERIUS quæritur, Utrum possint poni alia nomina idem significantia loco istorum ?

Et videtur quod sic : quia

1. Dicit Augustinus, quod eodem modo dicitur Filius Verbum, et Filius : et eodem Spiritus sanctus donum, et amor, quo Spiritus sanctus : ergo videtur, quod possit baptismus sic fieri : Ego baptizo te in nomine Patris et Verbi et Amoris vel Doni.

2. Item, Cum genitor et genitus idem sint quod pater et filius, videtur quod possit fieri baptismus sic dicendo : Ego baptizo te in nomine genitoris et geniti et doni procedentis.

3. Item, Cum Pater et Filius et Spiritus sanctus una indivisibili operatione operentur in baptismo, et ad operandum ordinent potentia, sapientia, et bonitas, videtur melius dici : Baptizo te in potentia sapientia et bonitate, quam, In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.

Quæst. ITEM, Quæritur de hoc quod dicitur a Luca [1], quod Apostoli baptizaverunt in nomine Christi.

1. Dicit enim Apostolus, ad Ephes. IV, 5 : *Unus Dominus, una fides, unum baptisma.* Constat autem, quod illud unum est quod unitate formæ unum est, sicut quælibet res est una : ergo videtur, quod cum Christi baptismus est unus, unam semper debuit habere formam : sed constat, quod si Apostoli baptizaverunt in nomine Christi, non eamdem habuerunt formam quam nos habemus : ergo non fuit unum baptisma : ergo baptismus Ecclesiæ non est unus, et ita erat fides quoad hunc articulum, qui est unum baptisma, quod est impossibile : ergo Apostoli male baptizaverunt in nomine Christi.

2. Item, Unde fuerunt Apostoli tantæ audaciæ, quod mutaverunt formam a Christo traditam, cum in baptismo nulla sit institutio habens valorem nisi divina ?

Quæst. 6. ITEM, Numquid in alio nomine idem poterat fieri ut in nomine Jesu ?

[1] Act. x, 48, et alibi.

Videtur, quod sic : quia Jesus et Christus nominat eamdem personam : ergo quod poterat fieri in uno, poterat etiam fieri in alio.

Sed contra. SED CONTRA : In hoc nomine, *Jesus*, non ita exprimitur fides Trinitatis : quia Jesus interpretatur *salvator*, quod nomen sua vi non sonat nisi potentiam deitatis sine distinctione personæ : ergo non poterat fieri in illo.

Quæst. 7. ITEM, Quæritur a simili, Utrum Papa modo posset idem instituere si vellet ?

Videtur autem, quod sic : quia ipse est Vicarius Christi in terris : si ergo Apostoli fecerunt hoc, et ipse similiter videtur hoc posse.

Sed contra. SED CONTRA :

1. In sacramentis operatur tantum institutio divina : Papa autem non est Deus : ergo non potest instituere illud.

2. Item, Aqua in sacramento inferior est quam forma, quia ipsa est ut materia : et constat, quod Papa non possit mutare materiam : ergo multo minus potest mutare formam.

Quæst. 8, ULTERIUS quæritur, Utrum in nomine unius personæ possit fieri baptismus ?

Et videtur, quod sic : quia

1. Ita dicitur in *Littera*.

2. Item, Relativa posita se ponunt, et unum intelligitur in alio : ergo videtur, quod sufficit nominare unum.

Sed contra. IN CONTRARIUM est, quod non est forma in baptismo nisi invocatio Trinitatis : Trinitas autem non est persona una : ergo invocatio Trinitatis non est invocatio personæ unius.

Quæst. 9. ITEM, Quæritur, Utrum in nomine Trinitatis possit baptizari, ut dicatur sic : Ego baptizo te in nomine Trinitatis ?

Videtur, quod sic : quia tunc

1. Nulla personarum dimittitur, quæ non invocetur super baptisma : ergo verus erit baptismus.

2. Item, In *Littera* dicitur, dummodo fides sit integra, sufficit unum nominare : ergo multo magis sufficit si ipsa Trinitas nominetur.

ULTERIUS, Quæritur de appositione, Utrum licet aliquid apponere, ut dicatur : Baptizo te in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti et sanctæ Mariæ, vel aliud, vel plura hujusmodi ? Quæst. 1

Et videtur, quod sic : quia hoc facit ad majorem devotionem, et tamen non tollit formam.

SED CONTRA : Sed cont

Secundum hoc dicam : In nomine Patris majoris, Filii minoris, et Spiritus sancti coævi utriusque. Videtur, quod esset baptismus, cum nihil dimissum sit de forma.

ULTERIUS, Quæritur de transpositione sic : Baptizo te in nomine Filii et Spiritus sancti et Patris. Quæst. 1

Et videtur, quia personæ sunt æquales : ergo videtur, quod non differt quæ earum sit prior in oratione vel posterior.

SED CONTRA : Sed cont

1. Secundum hoc non servatur ordo naturæ quem Augustinus ponit in divinis.

2. Item, Secundum hoc possemus dicere : Baptizo te in nomine Filii secundi, et Patris primi, et Spiritus sancti tertii : in qua forma per ordinem distinctionum ordinatum exprimitur Sabelliana hæresis.

ULTERIUS, Quæritur de corruptione, ut dicatur : In nomine patria et filiabus et spiritibus sanctibus, utrum sit baptismus ? Quæst.

Et videtur quod sic : quia alias illi qui non possunt proferre propter linguæ balbutiem et imperitiam, omnes male baptizarent : et secundum hoc multi parvuli damnarentur, et multi essent rebaptizandi.

SED CONTRA : Sed cont

Declinatio quædam est in principio, sicut et in fine : ergo si licet corrumpere in fine, licet etiam corrumpere in princi-

pio, quod nullus dicit : quia non est baptismus, si dicatur, Baptizo te in nomine atris et ilii, etc.

olutio. Solutio. Dico sine præjudicio, quod aliud est de forma secundum statutum Ecclesiæ, et aliud secundum institutionem divinam.

quæst. 1. Secundum statutum Ecclesiæ existens de forma, si violetur et servetur institutio divina, peccat baptizans, et Ecclesia potest severe agere in ipsum : sed baptizatus non est rebaptizandus. Et hoc modo dicunt quidam, quod pronomen *ego* est de forma : quod tamen non puto : sed puto, quod potest dimitti si vult aliquis, sine magna culpa : sed dico, quod securius est apponere. Sed quoad institutionem Ecclesiæ dicunt multi, quod verbum *baptizo* est de forma : ita ut reprehendatur tamquam pro criminali qui hoc dimiserit. Sed ego puto verius, quod est de forma secundum necessitatem, ita quod si dimittitur, non sit baptizatus qui baptizatur : sed judicio omnium invocatio Trinitatis est etiam de forma secundum institutionem divinam.

1 et 2 Secundum hanc igitur meam opinionem quæ plurium est et celebrior hodie, responderi potest ad primum quod intentio magis exprimitur in actu et pronuntiatione verbi : et hoc ideo, quia non exigitur intentio personæ quam determinat, sed potius Ecclesiæ in cujus persona ille baptizat.

Et per hoc patet solutio ad sequens.

æst. 2. Ad id quod quæritur de verbo, *baptizo*, sine præjudicio aliorum dico, quod est de forma necessitatis baptismi, et sine quo baptismus non est, nisi occurrat casus propter quem aliter ad tempus sit faciendum, sicut Apostoli fecerunt.

ad 1. Ad id quod contra objicitur, dicendum quod non exprimitur ipso facto intentio baptismi : quia ille modus tinctionis etiam in aliis lavacris est, præcipue cum infra dicatur, quod infans semel vel ter possit immergi, et oportet exprimere verbo significante Ecclesiæ regenerationis actum, ut mihi videtur.

Ad aliud dicendum, quod Christus injunxit eis exercitium cum determinatione modi, et utrumque intellexit in hoc quod dixit : *Baptizantes eos in nomine*, etc. [1]. Et hoc ideo, quia istud est sacramentum necessitatis, et ideo exigitur summa cautela circa ipsum. Ad 2.

Ad aliud dicendum, quod non est simile de doctrina : quia illa potest esse præter intentionem, nec est de necessariis ad salutem : et ideo non exigitur ibi expressio talis. Ad 3.

Ad aliud dicendum, quod ille benedictiones sunt orationes, in quibus non est magna vis intentionis. Ad 4.

Ad aliud dicendum, quod non est simile, quia in oratione quæ est pius affectus in Deum directus, non respicitur principaliter nisi cor. In sacramentis autem invisibilis pecie operatur virtus divina : et ideo exprimitur intentio circa illud. Ad 5.

Ad aliud dicendum, quod non est simile de aqua : quia intentio non refertur ad aquam, sed ad actum, et ideo in actu debet exprimi. Ad 6.

Ad aliud dicendum, quod licet Christus operetur interius, tamen sua operatio non est nisi operatione ministri præexistente, et ideo illa requirit intentionis expressionem. Ad 7.

Ad alia quæ objiciuntur de ritu Græcorum, puto quod corrigendi essent si acquiescerent. De illis autem qui baptizati sunt, potest esse quod primo tradita fuit eis hæc forma, propter hoc quod putabant in baptismo nihil fieri nisi operationem hominis : et ideo sicut Apostoli baptizaverunt in nomine Christi, ita et consilio Spiritus sancti tradiderunt eis, ut actus ad Christum referretur, vel impersonaliter ad Christum et Ecclesiam : et hoc ad tempus : et ideo peccant ob- Ad 8.

[1] Matth. xxviii, 19.

servantes ritum istum, sicut etiam peccaremus si nos in nomine Christi baptizaremus.

Vel dicatur, quod cum dicitur : Baptizetur servus Christi, etc., præintelligitur expressio vel intellectus verbi primæ personæ, et quoad hoc tolerari potuit ad tempus, propter scandalum, et ex imperio Spiritus sancti inspirante Ecclesiam. Tamen Papa in hoc dubius fuit : quia de illis qui sunt in Dalmatia primo respondit, quod rebaptizarentur, et postea permisit, et ut caveretur in posterum præcepit : quosdam autem fratres in ordine nostro existentes, tres ad minus in urbe Roma rebaptizari præcepit.

Ad 9. AD ALIUD dicendum, quod non bene dicitur : Ego intendo te baptizare : quia ex hoc non posset inferri, quod ego baptizarem secundum actum, vel quod ille baptizatus esset secundum actum : quia multa intendimus quæ non facimus : et ideo expresse convenienter fieri non potuit nisi in enuntiatione actus baptismi.

Ad quæst. 3. AD ALIUD dicendum, quod ly *nomine* dicit essentiam notam se reddentem in effectu gratiæ quam operantur indifferenter tres personæ : et ideo cessat objectio, quia licet supponat essentiam, tamen supponit eam sub alio modo significandi : et ideo loco ejus supponi non potest.

Ad quæst. 4. AD ALIUD dicendum, quod nulla nomina possunt poni loco istorum : quia tantum exprimunt personas, ut sunt in se perfectæ et distinctæ ab invicem, ut probatum est in primo libro *Sententiarum*.

Ad 1. AD ALIUD quod contra objicitur, dicendum, quod Verbum et Filius differunt eadem ratione quæ est relatio, sed non eadem ratione nominis : quia Verbum ut Verbum non nominat personam in se perfectam, sed potius Verbum ut in divinis : et similiter donum, et amor : et ideo non possunt poni loco illorum.

Ad 2. AD ALIUD dicendum, quod genitor et genitus dicuntur relativa, quæ secundum intellectum sunt ab actu generandi : Deus autem Pater, et Filius dicunt personas distinctas : unde omnis pater generat, sed non convertitur : et similiter omnis filius genitus est, sed non convertitur : et ideo patet, quod differentis significationis sunt illa nomina et ista.

Ad 3 AD ALIUD dicendum, quod potentia, sapientia, voluntas sive bonitas, licet nominent ea quæ exiguntur ad operandum, tamen non nominant nisi unitatem essentiæ, eo quod hæc in singulis personis sunt : sed forma baptismi secundum fidei confessionem distinctam, debet nominare unitatem essentiæ et tres personas : et ideo illa nomina non conveniunt.

Ad quæ AD ALIUD dicendum, quod tria concurrebant ad hoc quod Apostoli baptizarent in nomine Christi, quorum unum est significatio nominis quæ implicite exprimit Trinitatem. Secundum autem fuit necessitas, quia odiosum fuit illud nomen salutare, in quo oportet omnem hominem salvari : et ideo ut videntes Spiritum sanctum visibiliter descendere ad invocationem hujus nominis, et sic amabile et reverendum nomen ostenderetur, voluit Spiritus sanctus ut in illo nomine baptizaretur ad tempus, donec notum et venerabile fieret. Tertium est institutio divina per instinctum et revelationem Spiritus sancti, quæ licet non legatur, tamen puto quod Apostoli numquam præsumpsissent, nisi Spiritus sanctus hoc fieri jussisset.

Ad AD ALIUD dicendum, quod salvata est unitas formæ implicite : quia in nomine Christi intelligitur ungens Pater, unctus Filius, et unctio quæ est Spiritus sanctus.

AD ALIUD patet solutio per ante dicta.

Ad q AD ALIUD dicendum, quod hoc nomen, *Jesus*, non ita conveniens erat : quia non ita exprimit Trinitatem : tamen nolo contradicere quin eisdem causis concurrentibus hoc fieri posset in alio nomine sicut in isto.

Ad quæst. 7. AD ALIUD dicendum, quod Papa non potest sicut nec Apostoli potuerunt, nisi per revelationem Spiritus sancti, et magnam Ecclesiæ necessitatem.

Ad quæst 8. Ad 1. AD ID quod quæritur de nomine unius personæ, dicendum quod non potest fieri, nec umquam factum est : et quod dicit Ambrosius, sic intelligitur : Qui unum dicit exprimendo in fide Trinitatis, quæ fit in confessione etiam aliorum. Vel dicatur melius, quod loquitur in eodem casu in quo Apostoli in nomine Christi baptizaverunt : tunc enim fieri posset illis tribus concurrentibus, et aliter est absolute falsum quod dicitur in *Littera*.

Ad 2. AD ALIUD dicendum, quod licet relativa se ponant per intellectum, tamen non sunt sic forma baptismi, sed potius expressa in voce : non enim sufficit cogitare vel intelligere, sed oportet exprimere voce.

Ad quæst. 9. AD ALIUD dicendum, quod Trinitas non nominat personas nomine proprio : et ideo non est forma : quia in nominibus propriis sunt articuli fidei et forma baptismi.

Ad quæst. 10. AD ID quod quæritur ulterius de appositione, dicendum quod peccat apponens. Si autem apponit quod non sonat corruptionem formæ, non est rebaptizandus.

Et per hoc patet solutio ad sequens : quia illa appositio, In nomine Patris majoris, etc., sonat formæ corruptionem : et ideo non puto illum baptizare qui sic baptizat.

Ad quæst. 11. AD ALIUD dicendum, quod peccat qui transponit : tamen puto esse baptismum, si nihil amplius fiat nisi transpositio. Si autem apponat quod sonat formæ corruptionem, tunc puto quod non est baptismus, ut In nomine Patris primi, etc.

Ad object. 1 et 2. Ad id quod contra objicitur, dicendum quod ordo naturæ etiam nominibus transpositis salvatur in intentionibus nominum : quia Pater semper dicitur qui non ab alio, a quo alius : Filius qui ab alio, a quo alius : et Spiritus sanctus qui ab aliis, a quo nullus.

Ad quæst. 12. AD ID quod quæritur ulterius de corruptione, dicendum cum Doctoribus quod si propter linguæ impedimentum vel ignorantiam loquelæ corrumpit in fine, non officit baptismo. Si autem ex hoc intendat deridere et inducere errorem, tunc significat se non intendere quod facit Ecclesia, et tunc non baptizat.

Ad object. Ad id quod quæritur de corruptione in principio, communiter dicitur et verum est (ut dicunt Grammatici) quod declinatio in fine dictionis non variat nisi consignificatum, et non significatum : et ideo corruptio illa non aufert formam baptismi : declinatio autem in principio dictionis variat significatum, et ideo corruptio in principio dictionis tollit baptismi formam.

Quæst. SI ADHUC quæritur, Quare dicatur hæc forma *invocatio Trinitatis*, cum invocatio habeat fieri in modo deprecativo : forma autem baptismi exprimitur in modo indicativo per modum enuntiationis de præsenti ?

Solutio. Et ad hoc dicendum, quod est quædam deprecatio habens vim indicationis, ut quidam Prophetæ, quando prophetare desiderabant quod prophetabant, sicut, Isa. LXIV, 1 : *Utinam dirumperes cœlos, et descenderes*. Ita etiam e converso sunt quædam enuntiationes, quæ habent vim invocationum : quia quod enuntiative profertur, hoc est ideo quia intentionis expressio in eis exigitur, et sic est enuntiatio in sacramentis, et est sensus : Baptizo te, etc., id est, ego baptizo te exterius invocans Patrem, etc., ut interius te baptizet.

Quæst. SI AUTEM quæritur, Quare ita non dicitur : Invoco te ?

Solutio. Dicendum, quod hoc fit ut non ponatur sub dubio aliquo quin Spiritus sanctus interius baptizet.

Et per hoc patet solutio ad totum.

F. *De institutione baptismi.*

De institutione baptismi quando cœpit, variæ sunt æstimationes. Alii dicunt tunc esse institutum, cum Nicodemo Christus ait : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto*, etc. [1]. Alii dicunt institutionem baptismi factam cum Apostolis dixit : *Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* [2]. Sed hoc dixit eis post resurrectionem, præcipiens eis de vocatione Gentium, quos ante passionem binos miserat ad prædicandum in Judæa [3], et ad baptizandum, dicens : *In viam gentium ne abieritis* [4]. Jam ergo institutus erat baptismus : quia baptizabant simul et prædicabant.

G. *De forma in qua baptizaverunt Apostoli ante passionem Christi.*

Si vero quæritur, In qua forma tunc baptizaverunt Apostoli ? Sane dici potest, in nomine Trinitatis, scilicet in ea forma in qua postea baptizaverunt Gentes : quæ ante passionem potest intelligi fuisse tradita, licet non sit scriptum. Non ergo tunc illam formam Christus prius tradidit, cum ad Evangelizandum Gentibus misit : sed quam ante tradiderat mittens eos in Judæam, post iteravit cum ad Gentes misit. Commodius ergo dicitur institutio facta, quando Christus a Joanne baptizatus est in Jordane [5], quod dispensavit, non quia mundari voluit cum sine peccato fuerit, sed quia contactu mundæ carnis suæ vim regenerativam contulit aquis, ut qui postea immergeretur invocato nomine Trinitatis, a peccatis purgaretur [6]. Tunc ergo invocato nomine Trinitatis, institutus est baptismus Christi : in quo Trinitas, cujus mysterium ibi innotuit, interius hominem baptizat.

[1] Joan. III, 5.
[2] Matth. XXVIII, 19.
[3] Luc. X, 1.
[4] Matth. X, 5.
[5] Matth. III, 13.
[6] De consec. dist. IV, cap. *Numquam aqua* (Nota ed. Lugd.).

ARTICULUS III.

Quando baptismus est institutus?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, F, « *De institutione baptismi quando cœpit*, etc. »

Videtur enim, quod baptismus debuit institui a principio : quia magis valet efficax medicina in principio, quam in fine morbi.

Si dicas, quod trahit efficatiam a passione Christi, et ideo ante passionem non debuit institui : videtur hoc nihil esse : quia in fide venturi profuit passio illis qui fuerunt ante Christi incarnationem : ergo et baptismus potuit prodesse.

Quæst. PRÆTEREA, Ista varietas quam Magister tangit in *Littera*, habet reduci ad aliquam concordiam, quæ igitur est illa?

Solutio. SOLUTIO. Dicendum, quod baptismus non debuit incipere ante Christi passionem : et hujus causa est, quia baptismus est sacramentum pleni effectus, et plenæ curæ : cura autem morbi plenaria non fuit nisi post passionem et resurrectionem Christi : quia tunc reatus originalis in toto cessavit, et janua cœli aperta fuit quoad beatitudinis perceptionem.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod non habuerunt plenam liberationem qui fuerunt ante Christi incarnationem, sed tantum pro se quilibet satisfecit : sed reatus naturæ mansit usque ad Christum quoad descensum ad limbum, et januæ clausionem.

Ad quæst. AD ALIUD dicendum, quod baptismus multipliciter institutus est, scilicet officialiter, et causaliter, et quoad effectum salutis.

Officialiter, Matth. x, 1 et seq., quando misit Apostolos baptizare in eadem forma in qua nunc baptismus fit, ut dicit in *Littera*, præcipiens eis, ibi, In viam Gentium ne abirent, et in civitates Samaritanorum ne intrarent.

Causaliter autem quatuor modis, scilicet materialiter, Matth. III, 16 et seq., quando tactu suæ mundissimæ carnis vim regenerativam contulit aquis in baptismo, scilicet quo baptizatus est : in quo tamen baptismo res Trinitatis fuit, licet non sub forma verborum præscripta : quia Pater in voce, Filius in carne aquam tangente, Spiritus sanctus in columba. Quia etiam aqua materia non est nisi verbo vitæ sanctificata, nisi quis vocet materiam omnino indispositam : habet enim se materia tripliciter ad baptismum, scilicet ut materia tantum : et sic aqua a principio creationis est materia, cum Spiritus Domini ferebatur super aquas, ut dicit Chrysostomus. Habet etiam se ut materia disposita, ut postquam Dominus tactu suæ mundissimæ carnis vim regenerativam aquis contulit. Habet etiam se ut materia informata, quando est sub invocatione Trinitatis. Secundum causam autem formalem institutus est baptismus, Matth. XXVIII, 19 : *Baptizantes eos in nomine Patris*, etc. Et quoad causam finalem, Joan. III, 5 : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Efficienter autem et significative quoad causam operantem in baptismo, Joan. XIX, 34, institutus est, ubi aqua fluxit et sanguis de latere Christi, ad ostendendum quod de latere Christi habet efficaciam salutis.

Sed *quoad effectum salutis*, institutus est, Marc. XVI, 16, ubi dicit : *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.*

H. *Quare in aqua tantum fiat ?*

Celebratur autem hoc sacramentum tantum in aqua, non in alio liquore, ut ait Christus : *Nisi quis renatus*, etc. [1]. Ideoque uniformiter id fieri in aqua præcipitur, ut intelligatur quod sicut aqua sordes corporis ac vestes abluit, ita baptismus maculas animæ, sordesque vitiorum emundando abstergit. Vel ideo, ut nullum inopia excusaret : quod posset fieri, si in vino vel oleo fieret : et ut communis materia baptizandi inveniretur apud omnes : quod aqua signavit quæ de latere Christi manavit [2], sicut sanguis alterius sacramenti signum fuit. Non ergo in alio liquore potest consecrari baptismus nisi in aqua.

ARTICULUS IV.

An conveniens materia baptismi sit aqua ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, H, « *Celebratur autem hoc sacramentum in aqua*, etc. »

Videtur autem, quod materia conveniens non sit aqua :

1. Baptismus enim, ut supra habitum est, principium est novæ vitæ : sed principium vitæ non est in gratia baptismi, nisi significetur in proprietate materiæ sacramenti : quia sacramentum nullius rei causa est cujus non est signum : causa autem vitæ in elementis non est humidum cum frigido, sed potius humidum cum calido : cum ergo aqua sit frigida, et humida, et oleum vel vinum calidum et humidum, videtur potius materia debere esse oleum vel vinum quam aqua.

2. Item, Gratia in sacramento habet aliquid simile lumini, sicut characterem : et aliquid simile sananti, quia gratia sanat peccatum : et reficit etiam gratia sacramentalis, ut dicit Magister infra, distinctione sequenti, quod jam sanctificatos uberiori gratia reficit : cum igitur oleum (ut dicit) luceat et sanet, et reficiat, videtur conveniens materia baptismi esse oleum.

Sed contra est, quod Sed co

1. Status recreationis per conformitatem debet respondere statui creationis : in creatione autem majoris mundi anima viva prima apparuit in aquis, super quas ferebatur [3] : ergo in recreatione minoris mundi debet anima incipere vivere in aquis, super quas Spiritus ferebatur.

2. Item, Non habet virtutem generandi nisi quod tactum est mundissima carne Salvatoris : hoc autem elementum est

[1] Joan. III, 5.
[2] Joan. XIX, 34.
[3] Genes. I, 2.

aqua : ergo sola aqua est materia, et non aliud.

3. Item, Chrysostomus in Homilia XXVI *super Joannem :* « Aqua assumpta est in baptismo, genitrix ejus qui gignitur fœtus : quod matrix fœtui, hoc fideli aqua : in aqua enim plasmatur, et figuratur. »

4. Item, Ibidem, « Primum quidem dicebatur, Educat aqua reptilia animarum viventium [1] : ex quo autem ascendit a Jordanis rivis dominator non adhuc reptilia animarum viventium, sed animas rationales et spiritiferas aqua reddit. »

5. Item, Ambrosius super Epistolam ad Romanos : « Ideo uniformiter baptismus in aqua fieri præcipitur, ut intelligatur quod sicut aqua sordes corporis ac vestes abluit, ita baptismus maculas animæ sordesque vitiorum emundando abstergit. »

Quæst. ultima. Sed tunc fiunt quæstiones multæ a latere. In aqua potest fieri baptismus, utrum in simplici, vel in composita ?

Si tantum in simplici, tunc in mari non posset : quia immixtum habet terrestre combustum, propter quod est falsum.

Item, In brodio non fieret, nec in cervisia tenui, nec in medone, nec in aliis aquis mixtis.

Item, Nulla aqua pluvialis, nec aliqua aqua apud nos : ergo in nulla aqua apud nos fieret baptismus, ut videtur. Quod autem omnis aqua apud nos sit mixta, probatur per hoc quod congelatur frigido, et hoc non fieret nisi esset permixta, ut dicit Alexander Philosophus.

Solutio. Solutio. Dicendum quod sola aqua est materia baptismi : cujus plurimæ sunt causæ, sed sex sufficiant, quarum tres inveniuntur in *Littera*, quarum prima sumitur ex proprietatibus aquæ : quia habet vim refrigerandi per frigidum, et ablutivam sordium per humidum : et ideo significat gratiam abluentem maculas culpæ, et refrigerantem incendium quod est in æstu fomitis et concupiscentiæ : et isti sunt principales et primi effectus baptismi. Secunda sumitur ex levitate habendi : quia nulli inopum prohibetur aqua, et hoc competit sacramento generalis necessitatis. Tertia sumitur ex communitate inveniendi : quia in omni parte mundi prope invenitur ubi homines habitant, et hoc iterum competit sacramento generaliter necessario. Quarta etiam innuitur in *Littera :* quia aqua non vinum vel oleum fluxit de latere Salvatoris. Quinta et sexta inducuntur in auctoritatibus Chrysostomi in objectionibus, scilicet quia spiritus vivificans primo super aquas apparuit : et quia Salvator in Jordanis rivis hoc elementum tetigit, dans ei virtutem ut spiritiferas animas facere possit.

Ad primum ergo dicendum, quod baptismus est principium vitæ novæ : sed ille non est primus ejus effectus, sed potius ablutio maculæ, et refrigerium fomitis, et per consequens gratia in virtutibus facit in anima novam vitam. Et non oportet, quod sacramentum habeat similitudinem ad omne illud quod quocumque modo causat, sed ad id quod causat substantialiter et primo, secundum quod ordinatur contra defectum peccati. Ad 1.

Ad aliud dicendum, quod illuminationis quædam proprietas relucet in aqua quantum ad naturam perspicui, et hoc sufficit ad significandum characterem : oleum autem magis ponit similitudinem ad sanitatem pœnæ, et ideo assumitur pro parte materiæ in chrismate, ubi sit unctio contra fomitis pœnam ne labatur in præceps, et in oleo infirmorum : sanitas autem baptismi perficitur potius per ablutionem culpæ. Ad 2.

Ad id quod quæritur de diversitatibus aquarum, dico generaliter, quod si est commixtio tollens speciem elementi, et trahens ad speciem aliam, in illa aqua Ad quæst. ultimam.

[1] Genes. I, 20 : *Producant aquæ reptile animæ viventis.*

non potest fieri baptismus, sicut est brodium pinguium vel aliorum quod infrigidatum congelatur. Et constat similiter, quod cervisia et urina et lixivia quædam quæ multam habet admixtionem acutorum corporum, et aquæ quas faciunt Alchimistæ ad mutanda metalla. Est autem quædam mixtio non removens proprietates aquæ, quin ipsa remaneat in impetu refrigerandi, et virtute abluendi : abluendi, inquam, non dissolvendi corpus, sicut faciunt aquæ acutæ, ut urina, et lixivia quædam : et in talibus potest fieri baptismus, et non impedit : unde in mari, pluviis, aquis turbidis, et aliis hujusmodi potest fieri baptismus. Et etiam si esset brodium non remotum a specie elementi, ex eo quod coctum est, in eo bene crederem posse fieri baptisma.

I. *De immersione, quoties fieri debeat ?*

De immersione vero si quæritur, quomodo fieri debeat, præcise respondemus, vel semel, vel ter, pro vario more Ecclesiæ. Unde Gregorius : De trina immersione baptismi nil verius responderi potest, quam quod vosipsi sensistis : quia in una fide nihil officit Ecclesiæ sanctæ consuetudo diversa. Quia enim in tribus subsistentiis una substantia est, reprehensibile esse nullatenus potest infantem in baptismo ter vel semel immergere : quia et in tribus mersionibus personarum trinitas, et in una potest divinitatis singularitas designari. Nos vero qui tertio immergimus, etiam triduanæ sepulturæ sacramentum signamus [1]. Secundum hoc licet non modo ter, sed etiam semel immergere. Ibi tamen dumtaxat immergere semel licet, ubi consuetudo Ecclesiæ talis existit. Si quis vero id facere incipiat ubi consuetudo talis non est, vel semel tantum mergendum asserat, reprehensibilem se constituit. Unde Haymo : In suo sensu abundabat Cyprianus, cum semel mergebat in baptismo parvulos : qui [2] quod intelligebat, studiose implebat bonis operibus abundando, licet in hoc nescius delinqueret : sed quia bonis operibus abundabat, postea correptus a Deo abundavit altiori sensu, ter illos mergendo [3]. Ecce habemus, quia deliquit qui semel mersit. Sed hoc ideo, quia aliter se habebat consuetudo illius Ecclesiæ : vel quia unam tantum faciendum mersionem asserebat. De trina mersione Augustinus [4] ait : Postquam nos credere promisimus, tertio ca-

[1] S. Gregorius, Leandro episc. Epist. 41.
[2] Edit. J. Alleaume, *quia*.
[3] Haymo, Super illud Epist. ad Roman. xiv, 5 : *Unusquisque in suo sensu abundet.*
[4] Habetur de consec. dist. IV, cap. *Postquam* (Nota ed. Lugd.)

pita nostra in sacro fonte dimersimus : qui ordo baptizandi duplici mysterii significatione celebratur. Recte enim tertio immersi estis, qui accepistis baptismum in nomine Trinitatis. Recte tertio immersi : quia accepistis baptismum in nomine Christi, qui die tertia resurrexit a mortuis. Illa enim tertio repetita immersio, typum Dominicæ exprimit sepulturæ. Constat ergo baptizandos tertio debere immergi : et tamen si semel tantum immergantur, verum baptisma accipiunt. Et qui semel immergit tantum, non peccat nisi consuetudo Ecclesiæ obsistat, vel hoc modo tantum debere fieri asserat.

ARTICULUS V.

Utrum in baptismo necessaria sit trina immersio, aut una sufficiat ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit : « *De immersione vero si quæritur*, etc. »

Videtur enim semel esse immergendum tantum : quia

1. Per verbum exprimitur trinitas personarum : cum ergo etiam unitas debet exprimi essentiæ, videtur quod illa exprimenda sit in factis : ergo per modum immersionis : ergo semel immergendum est, et revelandum, ut significetur unitas essentiæ.

2. Item, Per immersionem configuramur sepulturæ : sed Christus semel sepultus est et resurrexit : ergo semel immergendum est, et relevandum.

3. Item, Hoc videtur dicere Chrysostomus *super Joannem*, sic : « Sicut in quodam sepulcro in aqua submergentibus nobis capita, vetus homo sepelitur, et submersus deorsum occultatur totus omnino : deinde respicientibus nobis ex aqua novus ascendit. » Rursus, « Sicut enim facile baptizari et respicere, ita facile Deo sepelire hominem veterem, et monstrare novum [1]. » Hoc autem totum potest fieri immersione una. Ergo superfluæ sunt aliæ, ut videtur.

Sed contra.

Sed contra :

1. Chrysostomus, ibidem, « Triplex fit immersio, ut discas quoniam virtus Patris et Filii et Spiritus sancti omnia hæc implet. »

2. Item, Damascenus, « Quoniam typus mortis Christi baptisma, per tres immersiones tres dies sepulturæ significantur [2]. »

3. Item, Dionysius in libro de *Ecclesiastica hierarchia* : « Sacræ baptizandorum symbolica doctrina mystice docet tribus in aqua dimersionibus et elevationibus divinam triduo totidemque noctibus in sepultura Jesu vitæ datoris imitari mortem, quantum possibile viris divina imitatio [3]. »

Ad hoc etiam Magister in *Littera* plurima adducit.

Quæst 1.

Sed tunc quæritur :

1. Ratione Ecclesiarum semel tantum immergentium.

2. Item, Quædam Ecclesiæ non immergunt, sed semel vel bis aqua perfundunt : ergo videtur, quod non sit baptismus qui sic exhibetur.

[1] S. Joannes Chrysostomus, Homilia XI super Joannem.

[2] S. Joannes Damascenus, Lib. IV de Fide orthodoxa, cap. 1.

[3] S. Dionysius, Lib. de Ecclesiastica hierarchia, cap. 2, in theoria baptismi.

3. Item, Quidam sacerdotes dividunt invocationem Trinitatis secundum numerum immersionum: quia in prima immersione dicunt, In nomine Patris, et in secunda, In nomine Filii, et in tertia, In nomine Spiritus sancti.

Et quæritur secundum illos si decedat baptizandus in prima immersione facta ante secundam, utrum sit baptizatus?

Et videtur, quod non: quia non est invocatio Trinitatis completa: ergo non est ibi forma.

Item, Sepulturæ Christi non est configuratus: ergo non mortuus peccato: ergo videtur, quod talis non sit baptizatus.

Solutio. Solutio. Dicendum ad hoc, quod inter omnes consuetudines magis rationabilis est consuetudo Ecclesiæ Romanæ, quæ ter immergit: quia in illa consuetudine actus conformatur formæ sepulturæ et effectui baptismi: quia, sicut dicit Augustinus, una sua morte nos Christus a duplici morte absolvit, scilicet culpæ, et pœnæ æternæ: vel animæ, et corporis: quia licet corpus moriatur, tamen in morte detineri non potest. Si tamen semel tantum immergatur, puto corrigendum esse baptizantem: sed infans nullo modo rebaptizandus est: quia plenum habet baptismi sacramentum.

Ad 1. Ad primum ergo dicendum, quod actus debet respondere formæ: quia in forma exprimitur unitas essentiæ per hoc quod dicitur, *In nomine*, et in figura respondet huic unitati unitas baptismi, et Trinitati trina immersio debet respondere.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod non tantum configurari debemus sepulturæ, sed etiam modo sepulturæ, ut habitum est in auctoritatibus inductis.

Ad Ad aliud dicendum, quod ut patet in sequentibus, Chrysostomus non intendit, quod semel tantum sit immergendum, sed quod sit immergendum absolute, et postea docet formam immersionis.

Ad qu Ad id quod quæritur, Utrum dividenda sit forma secundum tres immersiones?

Dico quod non, sed continue pronuntianda est propter periculum infantium. Si tamen aliquis dividat, et infans moriatur, Patre nominato, et una immersione facta, dico quod baptizatus est: quia supplet tunc summus sacerdos quod minister explere non potuit: et ideo puto esse dicendum, si nominato uno, sacerdos moriatur, quod ille puer est baptizatus propter supplementum summi sacerdotis.

Ad aliud dicendum, quod perfundens aqua totum corpus, vel quando potior pars, id est, caput immergitur et tingitur aquis, baptizatur: sed non videtur mihi esse laudabilis consuetudo, sed immergendi consuetudo laudabilior est.

Quæs Quod autem quidam quærunt, utrum in balneo fiat baptismus, vel aqua calida vel thermis?

Solu Constat, quod sic: quinimo si sacerdotes facerent fieri aquam calidam, melius esset, quia quandoque ita penetrantur frigore aquæ parvuli, quod contrahunt mortales infirmitates, et moriuntur.

K. *Quando circumcisio amisit vim suam ?*

Solet etiam quæri, Si circumcisio amisit statim vim suam ab institutione baptismi ? Ad quod dicimus in Christi morte terminata esse legalia omnia [1]. Ex tunc ergo circumcisio perdidit vim suam, ita quod postea non profecerit, sed potius obfuerit observatoribus suis. Sed usque ad oblationem veræ hostiæ potuit prodesse. Si enim ante passionem legalia finem habuissent, non ea imminente vetus pascha cum discipulis manducasset.

L. *De causa institutionis.*

Causa vero institutionis baptismi, est innovatio mentis : ut homo qui per peccatum vetus fuerat, per gratiam baptismi renovetur : quod fit depositione vitiorum, et collatione virtutum. Sic enim fit quisque novus homo, cum abolitis peccatis ornatur virtutibus. Abolitio peccatorum pellit fœditatem : appositio virtutum affert decorem : et hæc est res hujus sacramenti, scilicet interior munditia.

ARTICULUS VI.

An adveniente baptismo cessaverit circumcisio ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit ultimo, ibi, K, « *Solet etiam quæri, Si circumcisio amisit statim vim suam*, etc. »

1. Videtur enim, quod adveniente veritate, debuit cessare umbra : ergo adveniente baptismo, statim cessavit circumcisio, et alia legalia : ergo videtur, quod ex tunc mortua et mortifera fuerunt.

2. Item, Agnus typicus ad verum est terminatus in cœna, quia figura ejus fuit : ergo similiter cum circumcisio fuerit figura baptismi, statim ut apparuit baptismus, debuit irrita esse circumcisio et cessare.

3. Item, Superfluum est servari minus perfectum, cum perfectum habet statum :

[1] Joan. XIX, 30, ubi dicit Jesus : *Consummatum est.*

ergo cum baptismus magis perfectus quam circumcisio habuit statum, superfluum fuit manere circumcisionem quæ minus fuit perfecta.

4. Item, Res quam fecit circumcisio, fiebat per baptismum : ergo permansit inutiliter.

Quæst. 1. Adhuc autem redit quæstio, Quare alia legalia post passionem non permittebantur ab Apostolis exerceri in fidelibus conversis, sed circumcisionem permiserunt permanere ad tempus aliquod post passionem?

Quæst. 2. Item, Quare Apostolus circumcidit Timotheum [1], et non circumcidit Titum [2]?

Quæst. 3. Item quæritur, Utrum peccavit circumcidendo Timotheum, cum ipse reprehenderit Petrum, quod cogebat Gentes judaizare, et dixerit : *Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit* [3]?

Solutio. Solutio. Dicendum, quod veritate veniente, cessavit umbra : sed veritas venit duobus modis, scilicet quoad ostensionem Filii in carne, et tunc non statim debuerunt cessare : venit etiam quoad operationem salutis, et hoc factum est in passione, et tunc legalia mortua fuerunt in se, licet non statim mortifera observantibus.

Unde adhuc ulterius distinguendum est, quod aliud est esse mortuum, et aliud est esse mortiferum. Mortuum est, quod ex se non confert salutem : mortiferum est, quod facienti fert mortem æternam, et hoc fecerunt legalia, postquam divulgatum est Evangelium, et exivit sonus Apostolorum in omnem terram [4]. Et hoc iterum fit duobus modis, scilicet per auditum prædicationis, et per decursum temporis : per auditum prædicationis, sicut apud illos qui audiverunt Apostolos : per decursum temporis, sicut apud nos est modo, etiamsi non audivissemus prædicationem verbi Dei : quia non esset rationabile, quod Deus populo projecto et statu veteris legis, curam mundi reliquisset ita diu.

Dicendum ergo ad primum, quod Christus ante passionem (ut vult Magister Hugo) ritum baptismi familiari suo Nicodemo ut consilium revelavit. Unde ante passionem non fuit baptismus nisi consilium : qui tamen omnibus eum accipientibus valuit in medicinam, et ideo quia fuit in consilium, cum eo efficax cucurrit circumcisio. Sed post passionem soluto pretio universalitatis, fuit in præceptum, præcipue post tempus resurrectionis postquam dictum est : *Docete omnes gentes, baptizantes eos*, etc. [5] : et tunc circumcisio mortua est, sed cum honore ad tumulum deferenda : sed spem ponentibus in ea non omnibus fuit mortifera, nisi quibus determinatum est tempus passionis vel auditu prædicationis, vel consideratione status temporis : illis enim si spem posuerunt, fuit mortifera : qui autem spem non ponebant, sed ex dispensatione Apostolorum propter scandalum Judæorum, et ne ut sacrilega videretur abjicienda, ad tempus in ritu permanserunt, non fuit mortifera, sed mortua. Ad 1

Ad aliud dicendum, quod duo erant ante passionem ad idem non eodem modo : unum in consilium ut inchoandum, et aliud in præceptum ut terminandum. Ad

Ad aliud dicendum, quod illa ratio tenet ex quo determinata et præcepta est perfectio baptismatis, et ante non.

Ad aliud dicendum, quod secundum quosdam eadem ratio est de omnibus legalibus : secundum alios tamen præcipue circumcisio quoad tempus cucurrit, quia illa solum erat in remedium origi- Ad

[1] Cf. Act. xv, 1 et seq.
[2] Ad Galat. II, 3.
[3] Ad Galat. v, 2, et sæpe in hoc cap.
[4] Psal. xviii, 5: *In omnem terram exivit sonus eorum.*
[5] Matth. xxviii, 19.

nalis : et secundum illos non est simile de agno et de circumcisione.

d quæst. 1. Ad aliud dicendum, quod Apostolus circumcidit Timotheum, dictis de causis, quia non spem ponens in circumcisione, sed potius quia filius fuit mulieris Judææ, patre gentili, et præficere eum volebat Judæis habitantibus in illis locis : gentilem autem Titum non circumcidit, quia Gentibus in Dalmatia habitantibus præficiebatur.

Ad aliud dicendum, quod reprehendit Petrum, quia suum factum fuit coram infirmis, qui credebant spem esse ponendam in legalibus, qualis non fuit Timotheus. Ad quæst. 2.

Ad idem dicendum, quod Galatis jam erat prædicatum de Christo, et receperant, et postea aversi sunt ad fidem circumcisionis, et ideo erat eis mortifera. Ad quæst. 3.

M. *Quæritur, An baptismus aperuit cœlum, quod non aperuit circumcisio ?*

Si quæritur, Utrum baptismus aperuit cœlum, quod non aperuit circumcisio ? Dicimus, quia nec baptismus, nec circumcisio regni nobis aditum aperuit, sed hostia Salvatoris : quæ si tempore circumcisionis oblata fuisset, illius temporis homines regnum intrassent. Res ergo hujus sacramenti justificatio est.

ARTICULUS VII.

An baptismus aperuit cœlum ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, « *Si quæritur, Utrum baptismus aperuit cœlum*, etc. »

Et quæruntur hic duo, scilicet quid cœlum aperuit ?

1. Supra enim, distinctione 1, dixit Beda, « Fuit tamen illa, etc. » Et excipit dicens : « Excepto quod januam regni « cœlestis non aperuit. » Ergo si illa exceptio bona quæ distinguit inter effectum circumcisionis et baptismi, videtur quod baptismus januam regni cœlestis aperuerit.

2. Item, Matth. III, 17 super illud : *Et ecce vox de cœlis*, etc., dicit Glossa : « Flammam vibrantem quæ viam paradisi prohibuit, aqua baptismi exstinxit. »

3. Item, Luc. III, 21, super illud : *Jesu baptizato et orante, apertum est cœlum*, dicit Glossa Bedæ : « Dum aquas Jordanis Salvator subiit, nobis januam cœli pandit : dum caro innoxia frigentibus aquis tangitur, opposita nobis quondam romphæa exstinguitur. »

4. Item, Marc. I, 10 : *Et statim ascendens de aqua*, etc., dicit Beda, quod « virtute baptismatis aperiuntur cœli. »

Si autem hoc concedatur, contrarium hic dicitur in *Littera*.

Item, Ad Coloss. I, 20 : *Pacificans... sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt.*

Ibi Augustinus in originali sic dicit : « Qua hora sanguis redemptionis Christi de latere ejus pendentis exivit, dimissum est peccatum Adæ, et tunc patuit introitus in regnum cœlorum. » Sed videtur iterum hoc per hoc quod dixit latroni, Luc. XXIII, 43 : *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.*

Sed contra. SED CONTRA videtur quod in resurrectione : quia ita dicitur in oratione paschali : « Deus qui hodierna die per Unigenitum tuum æternitatis nobis aditum devicta morte reserasti, etc. »

Item videtur, quod ascensio : quia tunc ascendit pandens iter ante eos, ut prædixerat Prophetia [1].

Quæst. ULTERIUS quæritur de secundo, quid vocetur hic *janua* ? Sed hoc supra determinatum est.

[1] Mich. II, 3 : *Ascendet pandens iter ante eos.*

Solutio. SOLUTIO. Dicendum, quod omnia hæc quodammodo aperuerunt differenter : quia baptismus quoad solutionem reatus impedientis et culpæ ex parte nostra : passio autem quoad solutionem pretii quod statutum erat solvendum ex decreto Patris : resurrectio autem quoad adeptionem gloriæ in capite, quæ arrha est adipiscendæ gloriæ in membris : sed ascensio quoad ingressum in cœlum, quæ determinat locum congruum beatitudini.

Et per hoc patet solutio ad totum.

Ad quæ AD ALIUD quod ulterius quæritur, Quid vocetur *janua ?*

Dicendum, quod repagulum reatus ex parte nostra, et statutum debitum ex parte statuti decreti Dei. Alii tamen aliter dicunt, sed non est vis.

DISTINCTIO IV.

De baptismo per comparationem ad recipientes.

A. *Quod alii suscipiunt sacramentum et rem, alii sacramentum et non rem, alii rem et non sacramentum.*

Hic dicendum est aliquos suscipere sacramentum et rem sacramenti, aliquos sacramentum et non rem, aliquos rem et non sacramentum. Sacramentum et rem simul suscipiunt omnes parvuli, qui in baptismo ab originali mundantur peccato : quamvis quidam diffiteantur illis qui perituri sunt parvulis, in baptismo dimitti peccata, innitentes illi verbo Augustini : Sacramenta in solis electis efficiunt quod figurant [1] : non intelligentes illud ita esse accipiendum, quia cum in aliis efficiunt sacramenta remissionem, non hoc eis faciunt ad salutem, sed solis electis. Nam quod omnibus parvulis in baptismo remittatur peccatum per baptismum, Augustinus evidenter dicit : A parvulo, inquit, recenter nato usque ad decrepitum senem, sicut nullus prohibetur a baptismo, ita nullus est qui non peccato moriatur in baptismo : sed parvuli tantum originali, majores vero etiam omnibus quæ male vivendo addiderunt ad illud quod nascendo traxerunt, nisi enormitas vitæ impediat, id est, fictio [2]. Adulti quoque qui cum fide baptizantur, sacramentum et rem suscipiunt.

DIVISIO TEXTUS.

« *Hic dicendum est aliquos suscipere sacramentum,* etc. »

Hic agitur de baptismo ex parte suscipientis.

Et ponitur hic quæstio triformis, et subjunguntur dubia orta ex illis.

Prima pars quæstionis est de illis qui suscipiunt rem et sacramentum. Secunda est de his qui suscipiunt sacramen-

[1] S. AUGUSTINUS, Lib. de Baptismo parvulorum, cap. 2.

[2] IDEM, In Enchiridion, cap. 43.

tum et non rem, ibi, B, « *Qui vero sine fide accedunt*, etc. » Tertia est de his qui suscipiunt rem et non sacramentum, ibi, C, « *Sunt et alii, ut supra posuimus*, etc. »

Quæstiones autem ex his consequentes sunt quatuor : quarum prima est, Quid suscipiunt jam justi ad baptismum accedentes ? quam tractat, ibi, F, § 1 : « *Solet etiam quæri de illis qui jam sanctificati*, etc. » Secunda est, cur pœnalitas non tollitur in baptismo, sicut omnis culpa ? ibi, F, § 2 : « *Cum vero in baptismo peccatum deleatur, et satisfactio exterior*, etc. » Tertia est, ibi, G, « *Si quæritur. Cujus rei sit baptismus*, etc. » Ultima est, Quid parvuli accipiant in baptismo, utrum gratiam tantum, vel virtutem tantum, vel utrumque ? ibi, « *Solet etiam quæri, Si parvulis in baptismo*, etc. »

Et hæc omnia prolixe determinantur et bene in *Littera* : et ideo quæstiones hic sunt succinctæ.

ARTICULUS I.

An in parvulis qui recipiunt rem et sacramentum, sit æqualis effectus baptismi ?

Quæritur tamen primo circa primam partem quæstionis, Utrum in parvulis qui recipiunt rem et sacramentum, sit effectus baptismi æqualis ?

Et videtur quod sic : quia

1. Dicit Philosophus, « Causa una eodem modo se habens, facit unum : » sed baptismus est causa una, et eodem modo se habens : ergo facit unum.

2. Item, Una passio Christi operatur in baptismo, sive suscipiatur ab hoc, sive ab illo : ergo videtur, quod æqualiter.

3. Item, Fides aliena operatur in omnibus parvulis ad justificationem : ergo videtur, quod æqualiter.

Sed cont

Sed contra hoc videtur esse, quod

1. Secundum naturalia, Angeli gratuita etiam differenter acceperint, ut dicit Magister in libro II *Sententiarum :* ergo videtur, quod similiter et parvuli : ergo non receperunt æqualem gratiam.

2. Item, Nos videmus cum adolescunt, quod non æqualiter dispositi sunt ad actus. Cum ergo actus sint ex habitibus, videtur quod nec habitus æqualiter acceperunt.

3. Item, Quidam accipiunt gratiam finaliter in baptismo : alii autem non, ut præsciti : ergo videtur, quod inæqualis sit effectus baptismi in omnibus parvulis.

Solutio

Solutio. Dicendum, quod æqualis est effectus baptismi in omnibus parvulis, ut probant primæ objectiones : sed non sic se habet in adultis, ut infra probabitur.

Adobjec

Ad primum autem quod contra objicitur, dicendum quod non est simile de Angelis : quia illi multorum judicio secundum differentiam ordinum differunt specie, sed parvuli sunt in specie una : nec hominibus datur quantitas gratiæ, secundum proportionem naturalium, sed potius secundum modum præparationis, et hic æqualis est cum parvulis, quia non habent præparationem nisi ex merito Christi, et illa æqualiter exhibetur omnibus.

Adobjec

Ad aliud dicendum, quod differens usus est, non ex difformitate habitus, sed potius ex difformitate liberi arbitrii.

Adobjec

Ad aliud dicendum, quod finalem habere gratiam, vel secundum præsentem justitiam non dicunt gratiæ quantitatem, sed qualitatem : et ideo in illo argumento mutatur quid in quale.

B. *De ficte accedentibus.*

Qui vero sine fide vel ficte accedunt, sacramentum, non rem, suscipiunt. Unde Hieronymus : Sunt lavacra gentilium, hæreticorum : sed non lavant ad salutem. In Ecclesia etiam qui non plena fide accipiunt baptisma, non spiritum, sed aquam suscipiunt [1]. Augustinus etiam ait : Judæis omnibus communia erant sacramenta, sed non communis omnibus erat gratia, quæ est virtus sacramentorum : ita et nunc communis est baptismus omnibus baptizatis, sed non virtus baptismi, id est, ipsa gratia. Item, Omnis qui jam suæ voluntatis arbiter constitutus est, cum accedit ad sacramentum fidelium, nisi pœniteat eum veteris vitæ, novam non potest inchoare. Ab hac pœnitentia, cum baptizantur, soli parvuli immunes sunt [2]. His aliisque testimoniis aperte ostenditur, adultis sine fide et pœnitentia vera in baptismo non conferri gratiam remissionis : quia nec parvulis sine fide aliena, qui propriam habere nequeunt, datur in baptismo remissio. Si quis ergo ficte accedit, non habens veram cordis contritionem, sacramentum sine re accipit. Videtur tamen Augustinus [3] dicere, quod etiam ficte accedenti, qui etiam habet odium fraternum, in ipso momento quo baptizatur, omnia condonentur peccata, et post baptismum mox redeant. Sed non hoc asserendo dicit, imo hanc opinionem et præmissam sententiam conferendo : ait enim sic : His qui ficto corde baptizantur, aut peccata nullatenus dimittuntur : quia *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum :* aut in ipso temporis puncto per vim sacramenti dimissa, iterum per fictionem replicantur : ut etiam illud verum sit, *Quicumque in Christo baptizati estis,* etc. [4], et illud, *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum* [5] : ut induat eum Christum sanctitas baptismi, et exuat eum Christum pernicies fictionis. Nam redire dimissa peccata ubi fraterna charitas non est, aperte Dominus docet etiam in illo servo, a quo dominus dimissum debitum

[1] S. Hieronymus, Ad cap. xvi Ezechiel.

[2] S. Augustinus, Lib. de pœnit. medicina, cap. 2, et ponitur de consec. dist. IV, cap. *Omnis qui* (Nota ed. Lugd.)

[3] Idem, Lib. I de Baptismo contra Donatistas, cap. 12. De consec. dist. IV, cap. *Quomodo Deus* (Nota ed. Lugd.).

[4] Ad Galat. III, 27.

[5] Sapient. I, 5.

petiit, quia ille conservo dimittere noluit [1]. Sic non impeditur baptismi gratia quo minus omnia peccata dimittantur, etiamsi fraternum odium in ejus cui dimittuntur, animo perseverat. Solvitur enim hesternus dies, et quidquid superest : et solvitur etiam ipsa hora momentumque ante baptismum, et in baptismo. Deinceps autem continuo reus incipit esse non solum consequentium, sed etiam præteritorum dierum, horarum, momentorum, redeuntibus omnibus quæ dimissa sunt. Hoc autem, ut prædiximus, non sub assertione dixit : quod ostenditur ex eo quod ait in eodem libro sic : Si ad baptismum fictus accedit, dimissa sunt ei peccata, aut non sunt dimissa : eligant quod voluerint [2]. Ecce aperte cernis, si tamen attendis, id dixisse Augustinum non asserendo, sed quærendo, et aliorum opinionem referendo. Idem enim ait : Tunc valere incipit ad salutem baptismus, cum illa fictio veraci confessione recesserit : quæ corde in malitia perseverante, peccatorum ablutionem non sinebat fieri. Non ergo ficte accedenti peccata dimittuntur.

ARTICULUS II.

Quid sit fictio ?

Deinde quæritur de secundo quod tangit, ibi, B, « *Qui vero sine fide vel ficte accedunt,* etc. »

Et hic quæruntur tria, quorum primum est, Quid sit fictio ?

Secundo, Qualiter impedit baptismum ?

Tertio, Qualiter redit effectus baptismi cessante fictione ?

Ad primum proceditur sic :

1. Fictus est (ut dicit Augustinus) qui non credit, vel indevotus accedit, vel qui aliter celebrat sacramentum quam institutum est, vel qui contemnit suscipere : qui autem non credit, ille non se subjicit sacramento : ergo videtur, quod ille non suscipit.

2. Item, Baptismus est sacramentum fidei : ergo videtur, quod contrarium fidei sit contrarium sacramento : sed discredentia est contraria fidei : ergo contrariatur sacramento : ergo nihil suscipit qui non credit.

3. Item, Cum multi sint articuli fidei, potest aliquis non credere unum, et credere alium : ut non credens resurrectionem, potest credere baptismum : et quæritur, Utrum ille suscipiat baptismum ?

Et videtur, quod sic : quia iste intendit suscipere quod exhibet Ecclesia : ergo videtur, quod suscipiet illud.

Sed contra: Sed

Sapient. 1, 5 : *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum :* ergo Spiritus sanctus nihil operatur in baptismo : ergo nihil suscipit.

Ulterius quæritur de secundo modo, Que qui dicitur *indevotio.* Devotio enim est

[1] Cf. Matth. xviii, 23 et seq.

[2] S. Augustinus, Lib. I de Baptismo contra Donatistas, in initio cap. 12. De consec. dist. IV, cap. *Ostenditur illos* (Nota ed. Lugd.)

quidam fervor animi in compunctione peccatorum, vel amore charitatis, ut dicit Ambrosius super Epistolam ad Romanos : sed multi sunt qui non ita accedunt ad baptismum : ergo videtur, quod multi sunt qui non habent affectum mortalis peccati, qui tamen ficti sunt : et hoc nullus dicit.

Quæst. 2. Ulterius quæritur de tertio modo ficto :

1. Qui enim aliter celebrat, non servat formam sacramenti : ergo non recipit sacramentum : et in contrarium ejus dicitur in *Littera*.

2. Item, Qui contemnit suscipere, non videtur proprie dici *fictus*, sed aperte malus : quia fictus simulat ad minus.

Quæst. 3. Ulterius quæritur de numero harum fictionum.

Solutio. Solutio. Ad hoc ultimum primum respondeo, quod quadruplex fictio colligitur a dictis Augustini : tamen triplex fictio ponitur præcipue in suscipiente sacramentum Eucharistiæ, sed per simile etiam est in suscipiente baptismum : et illa est aut ex parte dantis sacramentum, aut ex parte suscipientis. Vel aliter et melius, aut ex parte ritus sive actus sacramenti, aut ex parte operis operati quod facit Ecclesia. Si primo modo, tunc est qui aliter suscipit quam Ecclesia exercet ritum, et hoc intelligo de eo qui derideat ritum Ecclesiæ, et tamen intendit accipere quod facit Ecclesia, licet derideat : ille enim percipit sacramentum. Si autem ex parte operis operati : tunc aut est secundum rationem, et tunc non est non credens : aut secundum concupiscibilem, et tunc est indevotus : aut ex parte irascibilis, et tunc est contemnens.

Ad 1. Ad primum ergo dicendum, quod est non credens, volens tamen suscipere idipsum secundum quod videt facere Ecclesiam : et ille est de quo loquitur Magister in *Littera*, quod suscipit sacramentum quoad characteris impressionem : si autem averteret eum infidelitas ut nollet suscipere nec susciperet, tunc non esset dubium, quod nihil susciperet.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod baptismus est sacramentum fidei quoad hoc quod est fundamentum sacramentorum, sicut fides ædificii spiritualis in vita. Sed quod contrariatur fidei, dummodo intendat suscipere quod facit Ecclesia, non contrariatur nisi gratiæ sacramentali, et non characteri : et ideo suscipitur character.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod discredulitas omnium articulorum impedit rem sacramenti, et si omnes simul discredat, et tamen velit suscipere id secundum quod nihil credit facere Ecclesiam, ipse suscipit characterem.

Ad quæst 1. Ad id quod quæritur de secunda fictione, dicendum quod *indevotus* hic dicitur a privatione habitus devotionis, et hoc est quando est in statu et effectu mortalis peccati : quia talis non recipit nisi characterem.

Ad quæst. 2. Ad 1. Ad aliud dicendum, quod qui aliter celebrat, si non servat formam, nihil exhibet : sed hic principaliter accipitur ex parte suscipientis, qui scilicet susceperit aliter quam Ecclesiæ ritus sit : suscipit enim pro quadam abusione, tamen hoc ipsum abusivum intendit suscipere, et propter efficaciam sacramenti dicitur recipere characterem.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod est contemptus abjiciens opus, et est contemptus vilipendens tamquam vile, quod tamen facere intendit. Et primus quidem nihil suscipit, quia sacramento se non subdit : secundus autem suscipit characterem.

ARTICULUS III.

An fictio possit impedire baptismum ?

Secundo quæritur, Qualiter impedit baptismum ?

Videtur enim, quod non possit impedire :

1. Fortius enim non impeditur a minus forti : gratia autem sacramentalis fortior est fictione, et omni peccato : ergo videtur, quod impedire non debeat, nec possit.

2. Præterea, Si peccatum impedit : tunc etiam peccatum originale in parvulis videtur impedire posse : et hoc non est verum.

3. Item, Peccata quædam venialia sunt in adultis non baptizatis. Ponamus ergo, quod adultus aliquis nimis diligens uxorem, vel parvulos, et plus quam Deum, et tamen baptizetur : constat quod ille amorem illum in baptismo non amittat, nec deponat : ergo peccatum manet : ergo videtur esse fictus : quia Deus aut nihil, aut totum indulget.

Solutio. Solutio. Dicendum, quod fictio impedit ex eo quod ponit obicem Spiritui sancto per dissensum actualem voluntatis ad effectum sacramenti : vult enim aliquid quod non potest stare cum gratia sacramentali.

Ad 1. Ad primum ergo dicendum, quod peccatum de se est debile, sed cum voluntate retinente gratiæ efficitur forte ad impediendum gratiam : quia qui creavit te sine te, non justificabit te sine te : non enim vult malitiam Deus, ut dicit Damascenus, nec compellit virtutem, quia jam sorderet laus boni, si etiam contra voluntatem daretur.

Ad aliud dicendum, quod in parvulis non est voluntas renitens, quin potius est ibi præparatio meriti Christi contra peccatum alienum, ut prius dictum est.

Ad aliud dicendum, quod nihil prohibet propter adhærentiam venialis veniale peccatum manere : quia hoc non facit fictionem : quia nec in eadem parte est cum gratia, nec etiam gratiæ contrariatur : et ideo tota venia habetur, et tota sanctitas etiam non habita remissione venialis.

ARTICULUS IV.

Qualiter redeat effectus baptismi cessante fictione ?

Tertio quæritur, Qualiter redit effectus baptismi cessante fictione ?

Quia videtur, quod non redeat :

1. Opera enim mortua non vivificantur : opera autem in mortali peccato facta, sunt mortua : ergo non vivificantur : baptismus autem hujusmodi est in mortali peccato factus : ergo non redit baptismi effectus, sed iterum debet baptizari.

2. Si dicas, quod in ficto imprimitur character, et gratia illius non debet baptizari. Videtur, quod non imprimitur : quia *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum*[1] : ergo non imprimit ei quidquam : ergo nec characterem.

3. Præterea, Character est lumen spirituale, ut infra habebitur, et lumen spirituale non potest stare cum spirituali tenebra : peccatum autem, ut dicit Damascenus, est tenebra spiritualis : ergo videtur, quod ficto character imprimi non possit.

4. Item, Gratia sacramentalis est effe-

[1] Sapient. 1, 5.

cta a sacramento baptismi : sed quando non est, non efficitur : ergo non efficitur quin iste fictus baptizetur. Similiter videtur, quod nec postea efficitur : quando enim non est causa, tunc nihil efficit causa : postea autem non est baptismus, quia jam transiit : ergo non efficit postea : ergo non efficitur umquam a baptismo gratia illa : ergo non redit.

5. Item, Non redit quod numquam affuit : sed isti ficto numquam affuit gratia : ergo non redit ei postea cessante fictione.

6. Item, Ponamus, quod iste fictus inter baptismum suum, et ante pœnitentiam, multa committat peccata, et postea pœniteat de fictione : aut illa peccata remittuntur sine gemitu exteriori et planctu, aut non. Si sic : ergo peccatum actuale commissum post baptismum remittitur sine exteriori satisfactione, quod non dicitur a Doctoribus. Si non remittitur : ergo gratia baptismi non delet quidquid invenit.

7. Præterea, Causa debet esse conjuncta effectui : sed gratia delens peccatum est effectus baptismatis : ergo debet esse conjuncta cum ipso : et hoc non est in talibus : ergo videtur, quod necesse sit iterum baptizari.

Si forte dicatur, quod manet character, et ille est causa gratiæ in talibus : istud non videtur esse verum, quia character æqualiter est in bonis et in malis : ergo non est magis causa boni quam mali : quia causa per se boni non potest esse cum malo, sicut nec bonum : et causa mali per se et formaliter, non potest esse cum bono, sicut nec malum.

olutio. Ad 1. SOLUTIO. Dicendum ad primum, quod fictus recipit characterem : et aliter est de opere hominis, et aliter de opere Dei : opus enim hominis potest per hominem esse mortuum et mortificatum, et hoc est quod procedit a libero arbitrio : opus autem Dei non potest esse mortuum, et hoc est sacramentum, in quo, sicut infra [1] habebitur, divina virtus sub tegumento visibilium specierum in baptismo salutem operatur : et ideo non tenet ista objectio de sacramentis. Sed fictus ponit obicem sive repagulum gratiæ ne in eo fiat.

AD ALIUD dicendum, quod Spiritus sanctus in quantum sanctus, effugiet fictum, quia non operatur in eo sanctitatem, sed non in quantum est Spiritus operans in sacramentis. Ad 2.

AD ALIUD dicendum, quod character lumen est spirituale ex parte imaginis creatæ distinguens fidelem ab infideli secundum fidei statum, ut infra dicemus in quæstione de *charactere* [2] : sed illud lumen non habet contrarietatem ad peccatum, sicut nec lumen fidei informis : nec hoc ideo dicitur, quod sit fides informis, sed est splendor quidam procedens a charactere increato in imaginem creatam, ad distinctionem baptizati a non baptizato : et ideo potest salvari cum peccato. Ad 3.

AD ALIUD dicendum, quod baptismus manet in ficto per mansionem characteris, qui vocatur proprie sacramentum : et ideo non habens obstaculum operatur gratiam, eo modo quo ipsum est causa, scilicet disponens, et Deus tunc efficit gratiam in isto : unde hæc fuit falsa, quod baptismus transiit, quia mansit ut est character. Ad 4.

AD ALIUD dicendum, quod effectus non dicitur redire : sed dicitur in *Littera*, quod baptismus ex eo tempore incipit valere, quod recedit fictio. Si tamen redire dicatur, tunc dicendum est, quod prius affuit in causa disponente, licet non in se. Ad 5.

AD ALIUD dicendum, quod virtute baptismatis non delentur in isto nisi quæ usque ad horam baptismi commiserit : sed virtute pœnitentiæ delentur sequentia : et ideo pro istis debet recipere pœnitentiam exteriorem. Ad 6.

[1] Cf. Infra, Dist. XIII.

[2] Cf. Infra, Dist. VI.

Et quod dicitur, quod baptismus delet quidquid invenit, bene exponitur ab Augustino in *Littera* : quia deletur ibi externus dies, et ipsa hora ante baptismum, sed non ea quæ fiunt post, sed potius virtute contritionis et pœnitentiæ : quia non potest dimidia venia a Deo accipi : ut homo habeat gratiam simul, et culpam : et simul habitet in eo Deus, et diabolus.

Ad ultimum dicendum, quod baptismus ut est causa gratiæ, manet in charactere. A

Et quod objicitur de mansione causæ, dicendum quod hoc est verum de causa formali : sed baptismus est causa disponens tantum, quæ tamen necessario inducit effectum, nisi a contraria voluntate impediatur.

C. *Quomodo intelligatur illud*, Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis ?

Quæritur ergo quomodo illud accipiatur : *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis* [1] ? Potest dici, quod qui in Christo, id est, in Christi conformitate baptizantur, scilicet ut moriantur vetustati peccati, sicut Christus vetustati pœnæ, induunt Christum, quem per gratiam inhabitantem habent [2]. Potest et aliter solvi. Duobus enim modis Christum induere dicimur, vel assumptione sacramenti, vel rei perceptione. Unde Augustinus [3] : Induunt homines Christum aliquando usque ad sacramenti perceptionem, aliquando usque ad vitæ sanctificationem : atque illud primum bonis et malis potest esse commune, hoc autem est proprium bonorum et piorum. Omnes ergo qui in Christi nomine baptizantur, Christum induunt, vel secundum sacramenti perceptionem, vel secundum vitæ sanctificationem.

[1] Ad Galat. III, 27. Cf. ad Roman. VI, 3.
[2] Ad Ephes. IV, 23 et 24.
[3] S. Augustinus, Lib. V de Baptismo contra Donatistas, cap. 24.

ARTICULUS V.

An verum sit illud dictum Apostoli, Quicumque baptizati estis, Christum induistis ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, « *Quæritur ergo quomodo illud accipiatur*, etc. »

1. Christus enim non habetur ut indumentum nisi per habitum virtutis : ergo videtur, quod tales accipiunt habitum virtutis.

2. Item, Non induitur Christus nisi per novum hominem, sicut videtur dicere Apostolus dicens : *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, et sanctitate veritatis* [1]. Fictus autem non innovatur. Ergo non induit Christum.

3. Item, Secundum ea quæ dicit in *Littera*, tunc character est sacramentum : ergo est invisibilis gratiæ visibilis forma : et hoc patet esse falsum, quia character non est sensibilis, neque visibilis.

Si dicas, quod videtur a glorificatis et beatis : hoc nihil est : quia secundum hoc etiam gratia est visibilis, quia videtur ab eis.

4. Si dicas, quod in alio videtur, hoc est, in tinctione facta in aqua : hoc nihil videtur esse : si enim aliquid in alio videtur, illo non existente in quo videtur, id quod videbatur in ipso, non videbitur : sed character non nisi in tinctione videtur : ergo non existente tinctione, nullo modo videbitur : sed cessante tinctione non est tinctio : ergo tunc nulla est in isto visibilis forma : ergo nullum sacramentum.

Solutio. Ad 1.

Solutio. Dicendum, quod licet character secundum nomen sit in prædicamento relationis, sicut signum distinguens, tamen secundum id quod est, est habitus cujusdam luminis illustrantis imaginem per modum dispositionis non omnino sufficienter ad salutem : et ille dicetur hic habitus quo habetur sacramentum, et in eo secundum quid induitur Christus, et non simpliciter : et ideo etiam *Littera* non dicit, quod simpliciter induunt Christum, sed cum hac determinatione, usque ad sacramenti susceptionem [2].

Ad 2.

Per hoc patet solutio ad sequens, quia Apostolus loquitur de simpliciter induentibus Christum.

Ad 3.

Ad aliud dicendum, quod character est sacramentum, et est visibilis in tinctione.

Ad 4.

Ad hoc quod objicitur contra, dicendum quod licet tinctionis actus exercitus transeat, tamen secundum suscepisse non transit, sicut quando de præterito ex præteritione sua non præterit : et ad illam tinctionem refertur visibilitas characteris : quia illa tinctio visibilis fuit in exercitio sui, et reliquit cognoscibilitatem characteris in ipsa sic peracta.

D. *De illis qui suscipiunt rem, et non sacramentum.*

Sunt et alii, ut supra posuimus, qui suscipiunt rem, et non sacramentum. Qui enim effundunt sanguinem pro nomine Jesu, etsi non sacramentum, rem tamen accipiunt. Unde Augustinus : Quicumque non percepto re-

[1] Ad Ephes. iv, 24.

[2] *Littera* habet : « Christum induunt, vel secundum sacramenti susceptionem, vel, etc. »

generationis lavacro pro confessione Christi moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte baptismi [1]. Audistis quod passio pro Christi nomine suscepta, supplet vicem baptismi. Nec tantum passio vicem baptismi implet, sed etiam fides et contritio, ubi necessitas excludit sacramentum : sicut aperte docet Augustinus [2], dicens baptismi vicem aliquando implere passionem. De latrone illo cui non baptizato dictum est : *Hodie mecum eris in paradiso* [3], Beatus Cyprianus in libro IV de *Baptismo* non leve documentum assumit : Quod etiam atque etiam ego considerans, invenio, non tantum passionem pro nomine Christi id quod baptismo deerat posse supplere, sed etiam fidem conversionemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium baptismi in angustiis temporum succurri non potest. Neque enim ille latro pro nomine Christi crucifixus est, sed pro meritis facinorum suorum : nec quia credidit passus est, sed dum patitur credit. Quantum ergo fides valeat, etiam sine visibilis baptismi sacramento, quod Apostolus ait : *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* [4], in illo latrone declaratum est, sed tunc impletur invisibiliter, cum mysterium baptismi, non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit. Et baptismus quidem potest esse ubi conversio cordis defuerit : conversio autem cordis potest quidem inesse non percepto baptismo, sed contempto baptismo non potest : nec ullo modo dicenda est conversio cordis ad Deum, cum Dei sacramentum contemnitur. Ecce hic habes non solum passionem, sed etiam fidem et contritionem conferre remissionem; ubi non contemnitur sacramentum : ut in latrone illo ostenditur, qui non per passionem, sed per fidem salvatus est sine baptismo. Sed dicunt quidam hoc retractasse Augustinum. Retractavit quidem exemplum, sed non sententiam. Ait enim in IV libro *Retractionum* : Cum dicerem vicem baptismi posse habere passionem, non satis idoneum posui illius latronis exemplum : quia utrum non fuerit baptizatus, incertum est [5]. Constat ergo baptismo aliquos justificari et salvari. Unde Ambrosius de Valentiniano : Ventrem meum doleo, ut prophetico utar eloquio [6] : quia quem regeneraturus eram, amisi : verumtamen gratiam quam ille poposcit, non amisit [7].

[1] S. Augustinus, Lib. XIII de Trinitate, cap. 7.
[2] Idem, Lib. IV de Baptismo contra Donatistas, cap. 22. De consec. dist. IV, cap. *Baptismi vicem* (Nota ed. Lugd.)
[3] Luc. xxiv, 43.
[4] Ad Roman. x, 10.
[5] S. Augustinus, Lib. IV Retractationum, cap. 18.
[6] Jerem. IV, 19 : *Ventrem meum, ventrem meum doleo.*
[7] S. Ambrosius, Lib. de obitu Valentiniani.

ARTICULUS VI.

An baptismus sanguinis et pœnitentiæ suppleat vicem baptismi qui fit in aqua?

Deinde quæritur de tertia parte primæ quæstionis, ibi, D, « *Sunt et alii, ut supra posuimus*, etc. »

Et ibi quæruntur distincti modi baptismatum, quos tangit Magister : quia

1. Si baptismus sanguinis supplet totum baptisma, tunc videtur, quod imprimat characterem. Et eadem objectio est de baptismo pœnitentiæ : sed hoc non faciunt : ergo sunt imperfectioris effectus quam baptismus aquæ.

2. Sed contra hoc videtur esse quod dicit Damascenus, quod baptismus sanguinis est valde bonus, eo quod secundis sordibus non coinquinatur.

3. Item, Pœnitentia in jam adulto exigitur ante baptismum aquæ, et tamen tenetur ad baptismum : ergo videtur, quod non potest supplere locum ipsius.

4. Præterea, Si supplerent ista locum baptismatis, oporteret quod aliquid haberent simile illi : et quid est illud? Si dicatur, quod gratia remittens peccatum : hoc nihil est : quia secundum hoc quælibet virtus suppleret locum baptismi : nihil autem aliud invenitur in quo assimilentur, ut videtur : ergo non supplent locum baptismi.

5. Item, Joannes Damascenus non ponit tantum tria genera baptismatum, sed novem, scilicet baptismatum, diluvii quo baptizatus est mundus, et baptismum Maris rubri, de quo dicit Apostolus : *Patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes mare*, scilicet rubrum, *transierunt, et omnes in Moyse baptizati sunt, in nube et in mari* [1]. Tertius est baptismus lustrationis in Veteri Testamento. Quartus, baptismus Joannis. Quintus, baptismus quo Dominus baptizatus est. Sextus, baptismus Christi quo nos baptizamur. Septimus, baptismus in Spiritu sancto et igne, de quo dixit Dominus discipulis : *Vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multo hos dies* [2]. Octavus, baptismus pœnitentiæ. Nonus, baptismus sanguinis.

Quare igitur Magister tangit hic tantum tria genera baptismatum?

Solutio. Dicendum, quod Magister non tangit hic baptismata nisi similia baptismo nostro in effectu principali, qui est remissio peccati : et illa non sunt nisi duo, scilicet pœnitentia, ubi articulus necessitatis, non contemptus religionis sacramentum excludit : et effusio sanguinis, ubi etiam aqua baptismi, impediente tyranno, haberi non potest. Solutio.

Ad id ergo quod primo objicitur, dicendum, quod non imprimunt characterem, quia character est pars sacramenti : sed effectum totum supplent, sed ea quæ sunt de sacramento non exhibent : et ita intelliguntur auctoritates inductæ in *Littera*. Ad 1.

Ad aliud dicendum, quod baptismus sanguinis in hoc melior est, quod non inquinatur secundis sordibus, et quia adducit meritum aureolæ, et quia radit falce acerbitatis venialium adhærentiam : quorum nullum necessario facit baptismus aquæ : sed non in hoc quod imprimit characterem, quia ille debetur invocationi trinæ benedictionis in elemento aquæ. Ad 2.

Ad aliud dicendum, quod illa pœnitentia non exigitur propter baptismi imperfectionem, sed potius ut tollatur fictio ab eo qui vult baptizari ne ponat obicem Spiritu sancto. Ad 3.

Ad aliud dicendum, quod resumenda est quædam auctoritas Augustini supra Ad 4.

[1] I ad Corinth. x, 1 et 2.

[2] Act. I, 5.

notata, per quam probat, quod quidquid ante et post baptismum culparum remittitur, totum fit virtute baptismi : et ideo pœnitentia non supplet vicem baptismi, nisi in quantum baptismus est in proposito : et similiter martyrium, et hoc est quod dicit in *Littera,* ubi sacramentum articulus necessitatis, non contemptus religionis excludit. Et per illud propositum non tantum efficitur simile, sed idem operans differenter : quia in baptismo aquæ per se, in baptismo autem pœnitentiæ et sanguinis operatur in proposito, in quantum est in ipso qui moritur præventus necessitate mortis naturalis vel martyrii.

Ad 5. Ad divisionem Joannis Damasceni dicendum, quod Magister non ponit hic nisi illa quæ accedunt ad similitudinem baptismi ex parte causalitatis : et illa non sunt nisi duo directe, et unum quod accedit ad ipsum, in quantum est diminutivum pœnæ quæ est infirmitas et pronitas concupiscentiæ, quod est baptismus in igne et Spiritu sancto, quando sublata est ab Apostolis infirmitas et carnalitas : sed Magister non tangit hoc, quia hoc potius est confirmationis quam baptismi.

Quæst. Si autem quæritur de sufficientia divisionis Damasceni,

Solutio. Dicendum quod octo genera baptismatum sumuntur secundum accessum propinquiorem vel remotiorem ad novum, quod est baptisma verum. Possunt autem accedere aut a parte signi, aut a parte causæ : quia verum baptisma est signum et causa. Si est ex parte signi : aut illud signum est respectu aquæ tantum, et est baptismus diluvii : aut respectu aquæ et Spiritus et sic est baptismus Maris rubri, propter columnam ignis et nubis quæ Spiritum significat : unde etiam dicit Apostolus, quod *in nube et in mari baptizati sunt* [1] : aut ex parte aquæ et Spiritus et passionis operantis in sacramento baptismatis, et sic signum fuit baptisma lustrationis in veteri lege, in quo fuit aqua et cinis per ignem hostiæ quoad spiritum, et sanguis immixtus propter figuram passionis. Aut accedit ex parte aquæ, spiritus, passionis, et actus : et sic est baptismus Joannis, in quo fuit forma in nomine venturi, præsignans Spiritum, et patientem, et aquam, et actum immersionis. Aut poterat ponere signum ad formam et virtutem regenerativam ex parte materiæ, et sic signum fuit baptisma quo baptizatus est Dominus, ubi Trinitas apparuit in figura formæ, et vis regenerativa collata est aquis. Nec plura sunt in vero baptismo ex parte signi nisi aqua, passio, Spiritus operans, et actus, et vis regenerans, et forma : et ideo non sunt plura genera accedentia ad ipsum in ratione significandi. In ratione autem causandi est accessus vel ex parte diminutionis pœnæ, et sic accedit baptismus in Spiritu sancto et igni, quo baptizati sunt Apostoli in die Pentecostes : aut ex parte remissionis culpæ, et sic accedit baptismus pœnitentiæ et sanguinis : et hæc omnia iterum colligit verum baptisma : quia remittit culpam totam, et partem pœnæ infirmitatis et pronitatis.

Alibi autem de hoc plura quæsita inveniuntur, quæ hic ponere non oportuit.

ARTICULUS VII.

An latro in cruce fuit martyr, et baptizatus baptismo sanguinis ?

Deinde quæritur de hoc quod dicitur, ibi, D, circa medium : « *De latrone illo cui non baptizato dictum est,* etc. »

[1] 1 ad Corinth. x, 1.

Videtur enim, quod iste latro fuit martyr, et sic baptizatus sit baptismo sanguinis, non contritionis et fidei in pœnitentia.

1. Dicit enim sic Hieronymus : « Christus de cruce latronem in paradisum intulit : et ne quis aliquando seram putaret conversionem, fecit homicidii pœnam martyrium. »

2. Item, Actus martyrii est pœna mortis illatæ in charitate Christi : sic autem patiebatur latro : ergo fuit martyr.

3. Item, Innocentes reputantur martyres propter actum sine voluntate : ergo multo magis latro martyr reputabitur, qui et actum habuit et voluntatem.

Sed contra. Sed contra hoc est, quod

1. Communiter dicitur, quod causa facit martyrem, non pœna : latro autem causam mortis martyris non habuit, sed latronis.

2. Item, Petrus : Si tamquam malefactores patimini, quam gloriam habebitis [1] ? Quasi diceret : Nullam. Ergo videtur, quod martyr non fuerit.

Solutio. Solutio. Dicendum, quod in rei veritate martyr non fuit : et quod dicit Hieronymus primo est intelligendum quoad effectum quemdam martyrii, scilicet quoad deletionem reatus culpæ : quia pœna temporalis informata charitate et fidei confessione delevit sibi pœnam illam, quam jam pati debuit pro culpis suis : non tamen contulit cumulum gloriæ in aureola quam habet martyr. Ad 1.

Ad aliud dicendum, quod actus martyrii est unus in latrone et martyre : sed ille non facit martyrem, ut patet in objiciendo. Ad 2.

Ad aliud dicendum, quod in infantibus cum actu fuit causa : quia in eis quærebatur Christus, et causa facit totam rationem martyrii, licet non facit totam gloriam martyris : quia charitas patientis et devotio faciunt ad cumulum gloriæ patientis. Ad 3.

E. *Quæ videntur obviare prædictis.*

His autem videtur obviare quod Dominus dicit : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei* [2] : quod si generaliter verum est, non videntur esse vera superius posita. Sed illud intelligendum est de illis qui possunt et contemnunt baptizari. Vel ita intelligendum est : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto*, id est, ex ea regeneratione quæ fit per aquam et Spiritum sanctum, non salvabitur. Illa autem regeneratio fit non tantum per baptismum, sed etiam per pœnitentiam et sanguinem. Unde auctoritas [3] dicit, ideo Apostolum pluraliter dixisse fundamentum baptismatum, quia est baptismus in aqua, in sanguine, in pœnitentia. Hoc autem non ideo

[1] I Petr. II, 20 : *Quæ enim est gloria, si peccantes et colaphizati suffertis ?*
[2] Joan. III, 5.
[3] Glossa, super Epist. ad Hebræos, VI, 2.

dicit, quod sacramentum baptismi fiat non nisi in aqua: sed quia ipsius virtus, id est, sanctificatio datur non modo per aquam, sed per sanguinem vel pœnitentiam interius. Ratio etiam id suadet. Si enim non valentibus credere parvulis sufficit baptismus, multo magis sufficit fides adultis volentibus, sed non valentibus baptizari. Unde Augustinus [1]: Quæris quid sit majus, fides an aqua? non dubito quin respondeas [2] fides. Si ergo quod minus est sanctificare potest, nonne quod majus est, id est, fides? de qua Christus ait: *Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet* [3]. Sed dicunt aliqui nullum adultum in Christum credere vel charitatem habere sine baptismo, nisi sanguinem fundat pro Domino, subdita introducentes testimonia. Augustinus ait: Ex illo tempore quo Salvator dixit: *Nisi quis renatus fuerit*, etc. [4], absque sacramento baptismi, præter eos qui in Ecclesia sanguinem fundunt aliquis vitam æternam accipere non potest [5]. Item, Nullum catechumenum quamvis in bonis operibus defunctum, vitam æternam habere credimus, excepto martyrio, ubi tota sacramenta baptismi complentur [6]. Item, Baptizatis iter tantum salutis esse credimus. Sed quod in his minus dixit, in aliis capitulis supra positis supplevit. Et ideo hæc sic intelligenda sunt, ut illi soli habentes tempus baptizandi excipiantur. Si enim aliquis habens fidem et charitatem voluerit baptizari, et non valet necessitate prævenlus, supplet omnipotentis benignitas quod sacramento defuerat. Dum enim solvere potest, nisi solvat, tenetur: sed cum jam non potest et tamen vult, non imputat ei Deus, qui suam potentiam sacramentis non alligavit. Quod vero invisibilis sanctificatio sine visibili sacramento quibusdam insit, aperte Augustinus tradit super Leviticum [7], dicens invisibilem sanctificationem quibusdam affuisse et profuisse sine visibilibus sacramentis. Visibilem vero sanctificationem quæ fit sacramento visibili sine invisibili, posse adesse, non posse prodesse: nec tamen visibile sacramentum ideo contemnendum est, quia contemptor ejus invisibiliter sanctificari non potest. Hinc Cornelius et qui cum eo erant, jam Spiritu sanctificati baptizati sunt [8]. Nec superflua judicanda est sanctificatio visibilis, quia invisibilis præcessit. Sine visibili ergo invisibilis sanctificatio

[1] S. Augustinus, De unico baptismo.
[2] Edit. J. Alleaume, *respondeam*.
[3] Joan. xi, 25.
[4] Joan. iii, 5.
[5] S. Augustinus, Lib. de Fide ad Petrum.
[6] Idem, Lib. de Ecclesiasticis dogmatibus, cap. 44.
[7] Idem, Super Leviticum, q. 88.
[8] Act. x, 47.

esse potest et prodesse : visibilis autem quæ fit sacramento tenus, sine invisibili prodesse non potest, cum illa [1] sit omnis illius utilitas. Simoni mago visibilis baptismus non profuit, quia invisibilis non affuit [2] : sed quibus invisibilis affuit, profuit : nec tantum valet fides aliena parvulo, quantum propria adulto. Parvulis enim non sufficit fides Ecclesiæ sine sacramento : quia si absque baptismo fuerint defuncti, etiam cum deferuntur ad baptismum, damnabuntur, sicut multis sanctorum autoritatibus comprobatur. Ad quod hoc unum sufficiat. Augustinus [3] : Firmissime tene parvulos, qui vel in uteris matrum vivere incipiunt et ibi moriuntur, vel de matribus nati sine sacramento baptismi de hoc sæculo transeunt, æterno supplicio puniendos : quia etsi propriæ actionis peccata non habuerunt, originale tamen peccatum traxerunt carnali concupiscentiæ conceptione. Et sicut parvuli qui sine baptismo moriuntur, infidelium adscribuntur numero : ita qui baptizantur, fideles dicuntur : qui a fidelium consortio non separantur, cum orat Ecclesia pro fidelibus defunctis. Fideles ergo sunt non propter virtutem, sed fidei sacramentum. Unde Augustinus : Parvulum etsi nondum fides illa quæ etiam in credentium voluntate consistit, jam tamen fidei ipsius sacramentum, id est, baptismus, fidelem facit : sicut credere respondetur, ita etiam fidelis vocatur, non rem ipsam mente annuendo, sed ipsius rei percipiendo sacramentum [4].

ARTICULUS VIII.

Utrum parvuli qui in utero matris moriuntur, vel nati sine baptismo decedunt, æterno supplicio, vel sensibili puniantur, aut pœna damni tantum ?

Deinde quæritur de hoc quod dicitur, ibi, E, sub finem : « *Firmissime tene parvulos*, etc. »

1. Ex his verbis videtur Augustinus innui, quod parvuli sensibilibus pœnis patiuntur : quia non vocatur supplicium nisi pœna sensibilis.

2. Hoc etiam alia ratione videtur : Omnis enim peccati deformitas corrigitur per pœnam a justitia judicis : quia aliter peccatum remaneret inordinatum in natura : sed fœditas peccati sentitur in corpore parvulorum, et in anima, quia caro respersa est concupiscentia quæ parvulum facit concupiscibilem, et adultum concupiscentem, ut dicit Augustinus : ergo videtur, quod sensibili pœna debeat puniri.

3. Item, Ignis purgabit mundum propter infectionem peccati : et si mundus in elementis haberet sensum, sensibiliter puniretur : ergo videtur, quod multo magis corpora infantium infecta peccato, igne debent puniri, et etiam animæ.

[1] Edit. J. Alleaume, *ista*.
[2] Act. VIII, 13.
[3] S. AUGUSTINUS, Lib. de Fide ad Petrum, et habetur de consec. dist. IV, cap. *Firmissime* (Nota ed. Lugd.)
[4] IDEM, Epist. 23 ad Bonifacium.

Sed contra. SED CONTRA :

1. Peccatum quod omnino præter voluntatem propriam contractum est, et quod necesse fuit incidere, nec evitari poterat, maximam meretur innocentiam : tale autem est peccatum parvulorum : ergo maximam meretur innocentiam : ergo non debet sensibili pœna puniri.

2. Item, Involuntarium per ignorantiam facti et per violentiam invincibilem, meretur innocentiam, cum tamen in illo aliquo modo non volens sit faciens : sed in originali est involuntarium et impotentia, et nulla concomitantia cum actu : ergo debet multo plus excusari : ergo non debet aliqua pœna sensibili puniri.

3. Item, Augustinus dicit, quod magis volunt sic esse quam non esse : constat autem quod illi qui sensibilibus pœnis æternaliter damnati sunt, optant mortem, et mors fugit ab eis : ergo videtur, quod sensibiles pœnas non patiuntur.

Solutio. QUOD CONCEDIMUS dicentes, quod non patiuntur nisi pœnam damni. Distinxerunt enim antiqui et bene inter pœnam damni, et pœnam sensus, dicentes quod pœna damni est in ablatione alicujus, quod debetur nobis per ordinem naturæ, sicut est carentia visionis Dei, et carentia felicitatis æternæ : pœna autem sensus est, qua sentitur dolor contrarius ex aliquo afflictivo, ut ustio ignis, vel constrictio frigoris, vel hujusmodi, quales pœnæ erunt in inferno.

Ad 1. AD PRIMUM ergo dicendum, quod Augustinus improprie loquitur, vocans supplicium pœnam damni.

Ad 2. AD ALIUD dicendum, quod malum illud in corpore punitur per necessitatem et amaritudinem mortis et incinerationem, et non per pœnam sequentem, nisi adsit reatus pœnalis, non naturalis tantum.

Ad 3. AD ALIUD dicendum, quod ignis ille cremabit rubiginem actualis peccati inficientis elementa : quia paradisus in quo factum est originale, mundatus fuit per ejectionem peccatorum.

SED ADHUC objicitur :

1. Constat enim, quod sciunt sibi ablatum esse regnum æternum propter peccatum originale : aut ergo dolent de amissione, aut non dolent. Si non dolent, ergo videtur, quod stulti sunt et in malitia obstinati. Si dolent : ergo actualem habent pœnam.

2. Item, Aut vermis remordet eos, aut non. Si non : ergo non remurmurant contra omne peccatum. Si sic : cum ergo corrosio vermis sit quædam actualis pœna, videntur puniri sensibiliter et actualiter.

Et ad hoc dicendum, quod sciunt se privatos esse regno, sed sine culpa propria, et ideo excusant se intrinsecus, et vellent habere regnum : sed illa voluntas non inducit angorem propter causam amissionis : eo quod non est propria, sed aliena cum excusatione sufficienti. Soluti Ad 1

AD ALIUD dicendum, quod vermis numquam remordet de hoc quod non est ex propria culpa factum, sed potius ex culpa aliena cum severitate decreti Dei : et ideo illa objectio fundatur super falsum. Ad 2.

ARTICULUS IX.

An orandum sit pro parvulis ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, E, sub finem : « *A fidelium consortio non separantur, cum orat Ecclesia pro fidelibus*, etc. »

Talibus enim videtur fieri injuria, quando oratur pro eis : quia tenetur, quod illi immediate evolant.

Et ad hoc dicendum, quod orationes sunt laudes pro securis, et suffragia pro his quos remanserunt in via.

F. *Quid prosit baptismus his qui cum fide accedunt ?*

Solet etiam quæri de illis qui jam sanctificati Spiritu, cnm fide et charitate ad baptismum accedunt : quid eis conferat baptismus ? Nihil enim eis videtur præstare, cum per fidem et contritionem jam remissis peccatis justificati sunt. Ad quod sane dici potest, eos quidem per fidem et contritionem justificatos, id est, a macula peccati purgatos, et a debito æternæ pœnæ absolutos : tamen adhuc teneri satisfactione temporali, qua pœnitentes ligantur in Ecclesia. Cum autem baptismum percipiunt, et a peccatis si quæ interim post conversionem contraxerunt, mundantur, et ab exteriori satisfactione absolvuntur : et adjutrix gratia omnisque virtus in eo augetur, ut vere novus homo tunc dici possit. Fomes quoque peccati in eo amplius debilitatur. Ideo Hieronymus dicit, quod fides quæ fideles facit, in aquis baptismi datur vel nutritur : quia non habenti aliquando ibi datur, et jam habenti ut plenius habeat datur [1] : sic et de aliis intelligendum est. Qui ergo mundus accedit, ibi fit mundior, et omni habenti ibi amplius datur. Quia vero omnis exterior satisfactio ibi relaxetur, Ambrosius ostendit super illum locum, *Sine pœnitentia sunt dona et vocatio Dei* [2], dicens : Gratia Dei in baptismo non requirit gemitum vel planctum, vel aliquod opus : sed et omnia gratis condonat. Quod quidem de exteriori gemitu vel planctu accipiendum est. Nam sine interiori nemo adultus renovatur : sed exteriores satisfactiones et afflictiones, scilicet sordes pœnitentium, ibi dimittuntur. Multum ergo confert baptismus etiam jam per fidem justificato : quia accedens ad baptismum, quasi ramus a columba portatur in arcam [3] : qui ante intus erat judicio Dei, sed nunc etiam judicio Ecclesiæ intus est.

Cum vero in baptismo peccatum deleatur, et satisfactio exterior non imputetur : quæritur cur pœnalitas cui pro peccato addicti sumus, non tollatur ? Hoc ideo tradunt fieri Sancti, quia si a pœna homines per baptismum liberarentur, ipsam putarent baptismi pretium, non æternum

[1] Cf. Matth. XIII, 12 ; Luc. XIX, 26 ; Marc. IV, 25.
[2] Ad Roman. XI, 29.
[3] Genes. VIII, 11.

regnum. Ideo soluto reatu peccati, temporalis pœna tamen manet : ut illa vita studiosius quæratur, quæ erit a pœnis omnibus aliena. Ideo etiam manet, ut sit fideli et certandi materia, et vincendi occasio : qui non vinceret si non pugnaret, nec pugnaret si in baptismo fieret immortalis.

ARTICULUS X.

An unus et æqualis sit effectus baptismi in omnibus baptizatis ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, F, § 1 : « *Solet etiam quæri de illis qui jam sanctificati*, etc. »

Et de sanctificatione quidem in universo posset hic quæri, sed disputatum est in libro II *Sententiarum* [1], et late persecutum.

Videtur autem hic unus esse effectus in omnibus accedentibus ad baptismum :

1. Unius enim causæ uno modo causantis actus est unus : baptismus autem est una causa uno modo causans in omnibus baptizatis : ergo effectus est unus.

2. Item, Omnes in merito passionis Christi justificantur : sed hoc uno modo se habet ad omnes : ergo æqualem omnes in baptismo gratiam recipiunt.

3. Item, Si dicas, quod in baptismo exigitur præparatio : sed præparatio non est nisi ut non inveniat obstaculum, quia aliter parvuli non reciperent gratiam in baptismo : ergo videtur, quod parvulus et adultus in baptismo æqualem gratiam recipiunt, et quilibet adultus non fictus cum quolibet non ficto.

4. Ad hoc dicunt quidam, quod triplex est actus gratiæ baptismalis, scilicet deletio universalis culpæ, et diminutio pœnæ, et ordo virtutum in meritis. Et quoad primos actus datur gratia æqualiter in omnibus, sed non quoad tertium.

Sed contra hoc videtur esse, quia uni remittuntur centum, et alii decem peccata : quia inæqualiter peccaverunt : ergo videtur, quod actus remissionis culpæ non sit æqualis in baptismo. Sed contra

Solutio. Dicendum, quod solutio ista bona est : et ad primum dicendum, quod licet baptismus sit causa una, tamen non eodem modo se habent accedentes ad baptismum tamquam ad causam illam : et ideo fit differens effectus quoad meritum : sicut etiam ignis causa una est incendii, tamen inæqualiter incendit ligna viridia et arida. Solutio Ad 1.

Ad aliud eodem modo est respondendum : quia passio Christi non causat gratiam in nobis nisi continuata nobis : continuatur autem per fidem et devotionem, et hæc differentiam magnam habent ex parte nostra. Ad 2.

Ad aliud dicendum, quod non tantum est præparatio in vitatione obstaculi : licet enim illa sufficiat quoad operationem baptismi, tamen multum operatur ad cumulum meriti quantitas contritionis et devotionis, ut dictum est. Ad 3.

Ad id quod objicitur contra solutionem, dicendum, Quod in uno delet plura et in alio pauciora, hoc est per accidens, quia in subjecto invenit plura vel pauciora : sed est idem quoad efficaciam suam de uno et de mille. Ad 4.

[1] Cf II Sententiarum, Dist. III. Tom. XXVII hujusce editionis.

ARTICULUS XI.

An pœnalitas cui per peccatum addicti sumus, per baptismum non tollatur?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, F, § 2 : « *Quæritur cur pœnalitas cui pro peccato addicti sumus*, etc. »

Videtur enim, quod causa illa nulla est quam tangit Magister : quia

1. Sicut exercitium pugnæ valet ad diminutionem peccati, ita jucunditas justitiæ valet ad augmentum meriti, et hoc est melius bonum quam diminutio debiti pro peccato.

2. Item, Alia causa nulla videtur esse, ne homines spem beatitudinis ponerent in baptismo : quia si omnis pœnalitas tolleretur, tunc etiam tolleretur ignominia, et sic scirent bene quod in alio esset beatitudinis spes ponenda.

3. Item, Videtur quod deleatur pœna concupiscentiæ, vel quod redeat originale : posita enim causa sufficienti et efficienti ponitur effectus : sed infectio carnis per pœnalitatem, et non culpam (pœnalitatem dico concupiscentiæ) tota causa est quod anima fœdatur originali culpa, quando infunditur : ergo si eadem causa manet in corpore post baptismum, redibit idem effectus : ergo inficietur originali culpa, sicut prius.

Si dicas, quod tunc habet gratiam repugnantem formæ : et ideo inficere non potest. CONTRA : Tollatur gratia sicut tollitur per sequens actuale : ergo tunc cum peccato actuali redibit originale. Ne ergo hoc fiat videtur, quod debuit tolli ad minus tota pœna concupiscentiæ.

Si forte hoc concedatur. CONTRA : Habens originale debet baptizari, vel non deletur in ipso originale : sed nullus iterato baptizandus est : ergo nullus recipit originale postquam semel eo caruit.

SOLUTIO. Præter causas hic assignatas consueverunt Doctores ponere septem alias, quarum prima est ut homo humilietur, Unde, Job, VI, 4 : *Sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum*, id est, superbiam. Solutio.

Secunda, ut hujusmodi timor incutiatur, Job, VI, 4 : *Terrores Domini militant contra me.*

Tertia est, ut detur exemplum non peccandi ex vestigio plagarum antiquarum, Zachar. XIII, 5 : *Adam exemplum meum ab adolescentia mea.*

Quarta est, ut homo seipsum recognoscat, Isa. XXVIII, 19 : *Tantummodo sola vexatio intellectum dabit auditui.*

Quinta, stimultatio eunti ad Dominum, Michææ, II, 10 : *Surgite, et ite, quia non habetis hic requiem.*

Sexta, amicitiæ ostensio, ad Hebr. XII, 6 : *Flagellat autem omnem filium quem recipit.* Osee, XI, 4 : *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.*

Septima, virtutum exercitatio, Judicum, III, 1 : *Hæ sunt gentes quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Israelem.*

Alias causas causat Magister in *Littera*, ut patet.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod homini punito et facto superbo per dispositionem ad peccatum, nihil est melius et cautius quam causa humiliationis : quia si non haberet unde humiliaretur, tunc esset dispositus ad malum : sic ut oportet post lapsum primum numquam crederet, quod caderet per appetitum sublimium, sicut primo cecidit. Unde aliud potest esse melius in se, et tamen non esse melius homini sic disposito. Ad 1.

AD ALIUD dicendum, quod non potest tolli tota pœnalitas in hac vita, nec iste potest esse effectus sacramenti, sed potius est effectus gloriæ : sed Magister assignat quamdam causam quare noluit Deus ut esset effectus gratiæ sacramentalis. Ad 2.

AD ALIUD dicendum, quod fomes manens in carne, non manet in eadem vi in Ad 3.

qua erat prius : quia non manet in vi infectionis animæ cujus ipse est subjectum. Sed verum est quod ab ipso descindi potest semen quod inficiet animam quæ sibi unienda creabitur. Et hoc ideo, quia debilitatus est fomes quoad hanc animam, et non quoad aliam, per passionem Domini et sacramentum : et hoc bene contingit : quia cum granum excutitur a palea, ad idem granum non producit paleam, sed ad aliud. Similiter cum præputiatus est circumcisus, non potest amplius esse præputiatus, sed bene generat præputiatum.

Et si quæritur causa hujus, dico quod hoc est, quia fomes virtutem inficiendi animam trahit a sententia Domini, et a culpa : et ideo non potest inficere nisi ubi est in ratione originis primæ : in isto autem qui purgatus est, non est in ratione originis primæ : quia non est in ratione seminali Adæ infecta : et ideo illum amplius non inficit, sed alium in quo est in ratione originis primæ, scilicet in omni patre qui ut generat, est Adam respectu sui geniti.

G. *Cujus rei rei baptismus qui datur jam justo, sit sacramentum ?*

Si quæritur, Cujus rei baptismus ille sit sacramentum, qui datur jam justo ? Dicimus sacramentum esse et rei quæ præcessit, id est, remissionis ante per fidem datæ, et remissionis temporalis pœnæ sive peccati si habetur, si quod interim committitur, et novitatis ac omnis gratiæ ibi præstitæ. Omnis etenim rei signum est, cujus causa est. Nec mireris rem aliquando præcedere sacramentum, cum aliquando etiam longe post sequatur : ut in illis qui ficte accedunt : quibus, cum postea pœnituerint, incipiet baptismus prodesse : in quibus fuit baptismus sacramentum hujus sanctificationis, quam pœnitendo habent. Sed si numquam pœniterent, nec a figmento recederent : cujus rei sacramentum esset baptismus ab illis susceptus ? Potest dici, rei quæ ibi fieret (alias, foret [1]) si non eorum enormitas impediret.

[1] Hæc verba, *alias*, *foret*, desunt in edit. Joan. Alleaume.

ARTICULUS XII.

An in ficte baptizato res præcedat sacramentum ? et, Utrum non recedente fictione sit vere signum ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, G, circa medium : « *Nec mireris rem aliquando præcedere,* etc. »

Videtur enim, quod solutio Magistri hic non sufficiat : quia

1. Ponamus, quod fictio numquam recedat, tunc non videtur esse signum, nec causa : ergo non est sacramentum.

2. Item, Omne signum est alicujus signum : ergo oportet illud ponere vel in futuro, vel in præsenti, vel in præterito : ergo si nullo horum modorum ponitur, videtur quod non sit signum.

Solutio Ad 1.

Solutio. Dicendum, quod est signum gratiæ quam causat quantum est de se : sicut sol semper causat splendorem quantum est de se, licet oppositione nubis impediatur : et per hoc patet solutio ad primum.

Ad 2.

Ad aliud dicendum, quod ponitur effectus quoad ordinem causæ ad causatum : et hic nihil est inconveniens : quia multa futura sunt in ordine causarum, quæ numquam evenient : et ideo etiam signum rei quæ futura est secundum quid, id est, in ordine causæ.

H. *Si parvulis datur in baptismo gratia qua possunt in majori ætate proficere ?*

Solet etiam quæri, Si parvulis in baptismo datur gratia, qua cum tempus habuerint utendi libero arbitrio, possint bene velle [1] et currere [2]. De adultis enim qui digne recipiunt sacramentum, non ambigitur quin gratiam operantem et cooperantem perceperint : quæ in vacuum eis cedit, si per liberum arbitrium post mortaliter deliquerint : qui merito peccati gratiam appositam perdunt. Unde dicuntur contumeliam Spiritui sancto facere, et ipsum a se fugare [3]. De parvulis vero qui nondum ratione utuntur, quæstio est, An in baptismo receperint gratiam, qua ad majorem venientes ætatem possint velle et operari bonum ? Videtur quod non receperint : quia gratia illa charitas est, et fides quæ voluntatem præparat et adjuvat. Sed quis dixerit eos accepisse fidem et charitatem ? Si vero gratiam non receperint, qua bene operari possunt cum fuerint adulti ; non ergo sufficit eis in hoc statu gratia in baptismo data, nec per illam

[1] II ad Corinth. VI, 1 et seq. Cf. ad Philip. II, 13.
[2] Edit. J. Alleaume, *operari.*
[3] Ad Hebr. X, 29.

possunt modo boni esse, nisi alia addatur : quæ si non additur, non est ex eorum culpa, quia justificati sunt a peccato. Quidam putant gratiam operantem et cooperantem cunctis parvulis in baptismo dari in munere, non in usu : ut cum ad majorem venerint ætatem, ex munere sortiantur usum, nisi per liberum arbitrium usum muneris exstinguant peccando : et ita ex culpa eorum est, non ex defectu gratiæ quod mali fiunt : qui ex Dei munere valentes habere usum bonum, per liberum arbitrium renuerunt, et usum pravum elegerunt.

ARTICULUS XIII.

An parvulis in baptismo datur gratia ? et, Utrum habeant virtutes ?

Deinde quæritur de ultimo capitulo hujus distinctionis, ibi, H, « *Solet etiam quæri*, etc. »

Videtur enim, quod habeant virtutes : quia

1. Virtus est bona qualitas mentis qua recte vivitur, qua nemo male utitur, quam Deus operatur in nobis sine nobis : ergo habent virtutes.

2. Item, Constat, quod innascitur in eis habitus malus peccati : ergo minus posset jam sacramentum Redemptoris quam peccatum Adæ, si non causaretur in eis habitus generaliter justificans : ergo habitus virtutum.

3. Item, Potentia animæ semper respicit determinatum objectum, sive procedat in illud, sive non : ergo perficitur habitu determinato : hoc autem est virtus : ergo parvuli habent virtutes, et recipiunt eas in baptismo.

Sed contra. SED CONTRA hoc est, quod

1. Dicit Glossa Joannis Chrysostomi super id, *Nam pro bono forsitan quis audeat mori*, etc. [1]. Ibi enim distinguit Glossa inter bonum et justum : quia bonus est innocentia vitæ, ut parvuli : justus autem exercitio virtutum : ergo parvuli non habent virtutes.

2. Item, Si parvuli habent virtutes, et qui habet unam, habet omnes : tunc habent fidem et spem, quod Augustinus notat, quia dicit : « Non habent fidem nisi secundum quod baptismus est fidei sacramentum. »

Solut. SOLUTIO. Dicendum, quod leve est hic determinare prolixitatem, quam quidam ponunt hic magnam. Et Magister optime solvit in *Littera*, scilicet quod habent virtutes in munere, et non habent eas in usu : et hoc non contingit propter imperfectionem virtutum, sed potius propter imperfectionem liberi arbitrii quod est subjectum virtutum.

Ad Unde in primo argumento vis est in eo quod dicitur, « qua recte vivitur : » si enim intelligatur qua recte vivitur in habitu, verum est : quia ut dicit Augustinus in libro de *Bono conjugali*, habitus est quo quis aliquid agit, cum tempus sit : et ita parvulus habet apud se unde potest bene vivere : ut dicit Dionysius : « In sensu veniens, id est, in usum liberi arbitrii. »

Ad 2 AD ALIUD dicendum, quod habent vir-

[1] Ad Roman. v, 7.

tutes in munere habitus, ut dicit Magister.

Et per hoc etiam patet solutio ad sequens.

object. 1. Ad id quod contra objicitur, dicendum quod nihil videtur : quia dicit Glossa justum in exercitio virtutum, et exercitium dicit actum : sed parvuli dicuntur justi ab habitu.

Ad aliud dicendum, quod fidem habent in habitu : et sacramentum baptismi pro tanto dicitur esse sacramentum fidei, quia dat fidem in habitu, licet non in actu. Ad object. 2.

DISTINCTIO V.

De ministro baptismi.

A. *Quod baptismus æque sanctus est a bono et a malo datus bono vel malo.*

Post hæc sciendum est sacramentum baptismi a bonis et a malis ministris dari, sicut a bonis et a malis sumitur. Nec melior est baptismus qui per meliorem datur, nec minus bonus qui per minus bonum datur, nec malus qui per malum datur, nec majus munus datur in baptismo dato a bono, nec minus in baptismo dato a malo, sed æquale : quia non est munus hominis, sed Dei : quod totum subditis declaratur testimoniis. Augustinus ait [1] : Baptismus talis est qualis ille in cujus potestate datur, non qualis est ille per cujus ministerium datur. Item, Prius fieri potest ut aliqui verum habeant baptisma, et non habeant veram fidem. Item, Si inter bonos ministros cum sit alius alio melior, non est melior baptismus qui per meliorem datur : nullo modo malus est qui etiam per malum datur, quia idem baptismus datur : et ideo per ministros dispares Dei munus est æquale, quia non illorum, sed ejus est. Item, Cum baptizat malus, illud quod datum est, unum est, non impar propter impares ministros, sed par et æquale, propter hoc : *Hic est qui baptizat* [2]. Item, Ego dico et nos dicimus omnes, quia justos oportet esse per quos baptizatur : justos oportet esse tanti judicis ministros. Sint ministri justi si volunt : si autem noluerint esse justi qui sedent in cathedra Moysi [3], securum me facit Magister meus, scilicet Christus, de quo Spiritus sanctus dicit : *Hic est qui baptizat* [4]. Item, Quos baptizavit Judas, Christus baptizavit. Si quos ergo baptizavit ebriosus, homi-

[1] S. Augustinus, Super Joannem, tract. V, et habetur de consec. dist. IV (Nota ed. Lugd.)
[2] Joan. I, 33.
[3] Matth. XXIII, 2 : *Super cathedram Moysi sederum Scribæ et Pharisæi*, etc.
[4] Joan. I, 33.

cida, adulter : si Christi erat baptismus, Christus baptizavit. Non timeo adulterum, nec ebriosum, nec homicidam : quia columbam attendo per quam mihi dicitur : *Hic est qui baptizat.* Item, Homicida dedit baptismum Christi : quod sacramentum tam sanctum est, ut nec homicida ministrante polluatur. Item, Si in hæresi quacumque vel schismate quisquam in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti baptismi sacramentum acceperit, integrum sacramentum accepit : sed salutem, quæ virtus est sacramenti, non habebit si extra Ecclesiam catholicam ipsum sacramentum habuerit. Debet ergo ad Ecclesiam redire : non ut sacramentum baptismi iterum accipiat, quod nemo debet in aliquo repetere : sed ut in societate Catholica vitam accipiat. Baptismus enim extra Ecclesiam nequit prodesse. Ibi enim cuisque prodesse potest baptismus, ubi potest prodesse eleemosyna, scilicet in Ecclesia. Item, Isidorus : Romanus Pontifex non hominem judicat qui baptizat : sed spiritum Dei subministrare gratiam baptismi, licet paganus sit qui baptizat. In his perspicue cernis baptismum verum bonis et malis dari, et a bonis et a malis : et ipsum tamen æque sanctum esse, et munus ejus æquale in bonis sive a bonis, sive a malis baptizentur.

DIVISIO TEXTUS.

« *Post hæc sciendum est sacramentum baptismi,* etc. »

In hac distinctione quinta quærit Magister, si quis possit baptizare? quia bonus et malus æqualiter. Secundo, quod potestas auctoritatis manet apud Deum : potestas autem ministerii apud homines est, ibi, B, « *Quia ministerium tantum habent,* etc. » Tertio, determinat quæ sit potestas quam potuit dare et non dedit, ibi, C, « *Hic quæritur quæ sit illa potestas,* etc. »

ARTICULUS I.

An ille qui debet baptizare, debet habere ordinem et jurisdictionem, et esse justus ?

Incidit autem hic quæstio circa principium, quis debeat baptizare. Et quæruntur tria, scilicet utrum oportet habere ordinem et jurisdictionem ad hoc quod baptizet?

Secundo, Utrum oportet habere vitam bonam?

Tertio, de quibusdam casibus qui eveniunt quandoque circa baptizatos.

Ad primum objicitur sic :

1. Baptismus Ecclesiæ sacramentum est : ergo consistit in dispensatione ministrorum : ministri autem sunt habentes ordinem et jurisdictionem : ergo vi-

detur, quod non debet nec potest baptizare, nisi habens utrumque.

2. Item, Isidorus : « Constat baptismum solis sacerdotibus esse traditum ejusque ministerium : nec ipsis diaconibus esse permissum : » ergo videtur, quod non debet nec potest baptizare, nisi sacerdos habens jurisdictionem.

3. Item, Inter sacramenta unum est quod est sacramentum sacramentorum, et hoc est Ordo : ergo qui hunc non habet, non habet potestatem baptizandi : cum baptizare sit dispensare maximum sacramentum.

4. Item, Ordo Ecclesiæ est sicut ordo corporis : sed in corpore non descendit nutrimentum ab ore ad quodlibet membrum, sed ad stomachum, et ab illo per venas ordinate ad hepar, et cor, et alia membra per consequens : ergo similiter debet esse in corpore mystico : ergo si non servatur ordo ille, non consequitur baptizatus gratiam : ergo videtur, quod non debet baptizare, nisi qui in gradu ab Ecclesia constitutus est.

Sed contra

SED CONTRA :

Vetula baptizat, et baptizatum est : ergo non exigitur quod dictum est.

Quæst. 1.

SED ULTERIUS quæritur de secundo :

1. Dicit enim Augustinus, et habetur in *Littera*, quod justos oportet esse baptizantes : « justos oportet esse tanti judicis ministros : » ergo videtur unum duorum sequi : aut quod injusti non baptizant, aut si baptizant, quod peccant mortaliter baptizando.

2. Item, In baptismo est actus hominis et actus Dei : actus autem hominis numquam est gratus nisi ille sit in gratia qui gratum facit eum : ergo cum iste peccator intingit, ingratum est Deo opus suum : quia intinctio est opus hominis : ergo aut nihil confertur puero vel baptizato, aut baptizans peccat mortaliter : quia super alterum aut super utrumque necesse est cadere offensam ingratitudinis divinæ.

3. Item, Nos videmus in corpore nostro, quod membrum aridum quamvis officiale ex forma et figura, tantum propter defectum spiritus in eo non derivatur ab eo vita et sensus ad alia : sed potius si est de principalibus, omnia alia membra moriuntur : sed dispensantes sacramenta sunt Ecclesiæ membra, per quæ transfunditur vita gratiæ et sensus intelligentiæ Dei in totam Ecclesiam : ergo ipsis arescentibus in vita, omnia alia membra corrumpuntur : ergo necesse est quod ministri sint boni.

4. Item, Quando Christus determinavit ministros, ipse determinavit eos per signa sanctitatis, sicut habetur, Marc. XVI, 16, et ad Hebr. II, 4 : *Contestante Deo signis, et portentis, et variis virtutibus, et Spiritus sancti distributionibus secundum suam voluntatem.* Sed non licet transgredi determinationem Christi. Ergo necesse est adhuc esse tales ut non possint dispensare sacramenta.

5. Item, Malach. II, 2 : *Maledicam benedictionibus vestris.* Et ibidem, Glossa Hieronymi : « Quidquid a vobis benedicitur, a me male dicitur. » Ergo videtur etiam, quod periculosum sit tales permittere baptizare.

SED CONTRA :

Sed co

1. In *Littera* habetur quod baptizavit Judas, et baptizatum est.

2. Item, Sive sit ebriosus sive homicida, etc., quod semper baptizatum est si baptizat.

ULTERIUS quæritur hic de sacerdote simoniaco qui vendit sacramenta, et non vult baptizare nisi pretio conductus, utrum in tali casu debet permitti?

Quæst.

Videtur, quod non : quia

1. Non sunt facienda mala ut eveniant bona : sed emens efficitur simoniacus, sicut et vendens : ergo videtur, quod talis potius debet mori sine baptismo.

Si forte dicas, quod in illo casu alius potest baptizare. CONTRA : Ponamus, quod non sit alius nisi sacerdos, et adultus baptizandus : tunc videtur, quod potius debet mori quam sic baptizari.

2. Item, Ponamus quod nullus habeat aquam nisi sacerdos, et pater pueri videat puerum periclitari : aut emet, et tunc committit simoniam : aut non, et tunc permittit puerum perire cum possit adjuvare : videtur autem, quod debeat permittere perire : quia nullus debet se committere discrimini etiam per veniale ut alius evitet mortem æternam : ergo multo minus propter liberationem pueri debet se committere discrimini simoniæ.

Solutio. Ad 1. Solutio. Dicendum ad primum, quod verus minister quoad Dominum et Ecclesiam est habens ordinem et jurisdictionem et vitam : tempore autem necessitatis est quælibet etiam vetula, nec sexum virilem, nec ordinem, nec jurisdictionem, nec vitam bonam habens.

Ad id quod contra objicitur, dicendum quod illæ rationes non probant, nisi qualis debet esse minister : sed in isto sacramento aliquid reformat peccatum, scilicet necessitas : et ideo largissima pietas Dei, quæ neminem vult perire : sicut providit communem materiam quæ ab omnibus potest haberi, et ubique inveniri : ita etiam voluit ut tempore necessitatis quilibet alium posset immergere.

Ad object. Dicendum tamen ad primum, quod dispensatio duobus modis est, scilicet quoad officium, et sic verum dicit ratio illa : et quoad abundantiam misericordiæ Dei et necessitatem sacramenti, et sic non tenet.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod Isidorus istius auctoritatis excipit tempus necessitatis, dicens, « nisi tempore necessitatis, in quo omnibus permittitur. »

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod laicus baptizans vel vetula, baptizat, et non habet potestatem baptizandi ex ordine. Est enim potestas ex ordine, et de illa procedit objectio : est etiam potestas ex necessitate salutis, et hæc immediate in quemlibet descendit a Deo qui potestatem suam sacramento ordinis non alligavit.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod illa similitudo Apostoli corporis mystici ad naturale, non attenditur nisi in ordine officiorum, et non in descensu gratiæ : quia gratiam quilibet immediate habet a Deo : et ideo etiam actus ministerii salutis, necessitate cogente, quilibet a Deo suscipit.

Ad quæst. 1 Ad 1 et 2. Ad id quod ulterius quæritur in parte sive distinctione, respondendum est, quod et tempora oportet distinguere. Quantum enim ex parte baptismi, æqualis est baptismus sive a bono sive a malo detur : sed ex parte baptizantis, si est in mortali peccato, dico quod aut illud peccatum est notorium, aut occultum. Si notorium, aut est in loco necessitatis, ut scilicet non sit alius baptizans, et sic periculum : tunc dico, quod cum timore propter necessitatem baptizans non efficitur reus, sed benefacit. Si autem non est tempus necessitatis : tunc scandalizat, et usurpat actum sacramenti indignus, et puto, quod peccat mortaliter vel graviter. Si autem est occultum, aut timetur scandalum si non baptizat : et est tempus necessitatis, vel non necessitatis : aut non timetur ex hoc scandalum ad hoc si non baptizat. Si autem timetur scandalum præsumptionis peccati contra famam ejus, et est tempus necessitatis, potest baptizare sine peccato. Item, si non est tempus necessitatis, et timetur scandalum, puto quod adhuc cum timore potest baptizare. Si autem nullum timetur scandalum, nec tempus est necessitatis, puto quod graviter peccat præsumens baptizare : et per hoc satis patet solutio ad duo prima.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod non est simile de membris officialibus in corpore nostro, et de gratia sacramentali : quia nostra membra dant et præparant interiori præparatione nutrimentum sibi invicem : sed in Ecclesia minister non operatur nisi exterius : et ab ipso non est gratia, sed immediate a Deo : et ideo sine corruptione transit gratia ad ani-

mam per ministerium hominis quod est tantum exterius.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod Christus non tam determinat ministrum quoad idoneitatem quam etiam secundum optimum statum ministrorum : tamen quia Judam non repulit, innuebat tolerandos etiam quandoque fore ministros malos.

Ad 5. Ad aliud dicendum, quod pronomen *vestris* notat discretionem, scilicet, *Maledicam benedictionibus vestris*, scilicet, quia ita sunt *vestræ*, quod non sunt meæ : tales autem benedictiones non sunt sacramenta, quia illa sunt benedictiones divinæ.

Ad Glossam Hieronymi dicendum eodem modo, quod cum dicitur : « Quidquid a *vobis* benedicitur, » notat discretionem in pronomine.

Ad quæst.2. Ad id quod ulterius quæritur de casibus, sunt qui diversimode respondent : quidam enim concedunt objecta sicut concludunt. Sed mihi videtur, quod non sunt concedenda : eo quod quærens baptismum non emit aquam, nec actum baptizandi emit : sed tempore necessitatis potest redimere vexationem sui juris, et per se si baptizandus est, sicut dicit primus casus : et pro parvulo, si filium vel alium habet quem velit baptizari. Et tunc non fiunt mala ut eveniant bona, nec committitur simonia ex parte quærentis baptismum, nec etiam committit se discrimini pro salute alterius.

Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICULUS II.

Utrum ebriosus, homicida, adulter possunt baptizare ?

Deinde quæritur de hoc quod dicitur, ibi, A, circa medium : « *Si quos ergo baptizavit ebriosus, homicida, adulter.* »

Ebriosus enim dicit oppilationem discretionis : et si non habetur discretio, non habetur intentio, sed perversitas in actu baptizandi : non habita autem intentione et actu debito, non est baptismus : ergo ebriosus baptizare non potest, ut videtur.

Juxta hoc quæritur, Cum aliquis est ita ebriosus ut ligata sit lingua, et non amissus sit usus rationis et discretionis, utrum possit baptizare ? Quæst.

Si sic : tunc non prolata forma verborum ab eo qui gnarus est latini eloquii potest esse baptismus, quod videtur esse falsum, quia forma est de substantia sacramenti. Si non : hoc videtur falsum : quia ponamus, quod sit tempus necessitatis, et nullo modo adsit qui possit baptizare, nisi talis, et ille non amisit discretionem per vinum : ergo dictat ei conscientia quia debet isti subvenire : ergo si non facit, peccat mortaliter : ergo esset perplexus, quod est contra Doctores qui dicunt neminem esse perplexum.

Solutio. Dicendum ad primum, quod aliud est de ebrio et ebrioso : ebriosus enim non semper est ebrius : et ideo quando sobrius est, habens tamen peccatum ebrietatis, potest baptizare non resistente peccato : et in tali casu loquitur Augustinus. Ebrius autem in quo suffocata est ratio, non videtur posse baptizare. Solutio

Ad alium casum dicendum, quod si non esset alius, tunc talis debet baptizare : quia etsi ebrietas talis percutiat nervos inordinato motu linguæ, tamen potest formare dictiones cum studio : et quia discretionem habet, ad hoc studere potest et debet : sed si nullam posset exprimere formam, secus esset : sed tantum effectum non valet habere talis ebrietas quæ non ligat rationem. Ad quæst

ARTICULUS III.

An hæreticus et schismaticus possunt baptizare ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, A, circa medium : « *Si in hæresi quacumque vel schismate*, etc. »

Contra enim hoc est, quod

1. Qui non credit, non videtur posse intendere : ergo hæreticus non baptizat, cum intentio exigatur ad sacramentum.

2. Item, In Marco, XVI, 16, primo præmittitur fides, et sequitur baptismus, cum dicitur : *Qui crediderit et baptizatus fuerit*, etc. : ergo fides necessaria est ad sacramentum : ergo hæreticus non potest baptizare.

3. Si dicas, quod hoc verum est ex parte Ecclesiæ vel baptizati, sed non ex parte baptizantis : hoc nihil est : quia ibi etiam præmittitur de baptizante : cum præceperat prædicari Evangelium, postea subjungit : *Baptizantes eos*, etc. : ergo ex parte baptizantis exigitur fides.

4. Item, Baptismus dicitur sacramentum : ergo videtur, quod fides exigatur ad sacramentum illud.

Item, Confessio fidei requiritur etiam a baptizante cum baptizat, ŭt servetur debita solemnitas baptismi, sicut patet in interrogationibus patrinorum : ergo videtur, quod etiam ipse debet habere fidem : ergo hæreticus non baptizat.

Sed contra. CONTRARIUM autem hujus probatur multipliciter in sequenti distinctione.

Solutio. SOLUTIO. Dicendum, quod hæreticus baptizans in forma hæretica, non baptizat : et secundum hunc intellectum dixit Cyprianus martyr non baptizare hæreticos : sed hæreticus baptizans in forma Ecclesiæ, etiam cum intentione, baptizat in forma fidei et fide Ecclesiæ : et ideo baptizatum est quod sic baptizat. Et Augustinus in libro *contra Donatum*, de hoc dat conveniens exemplum : quia sicut Jacob semen benedictum non tantum genuit per uterum liberarum, sed etiam per uterum ancillarum, ita Christus non tantum regenerat ministerio fidelium, sed etiam ministerio infidelium : eo quod actus suus est, non hominis : et in hoc ostenditur efficacia sacramenti.

Ad 1. DICENDUM igitur ad primum, quod qui non habet fidem, potest intendere facere quod facit Ecclesia, licet non intendat effectum baptismi inducere : talis autem intentio actus quam facit Ecclesia, sufficit sacramento baptismi.

Ad 2. AD ALIUD dicendum, quod illa fides quæ exigitur ad baptismum, est fides Ecclesiæ, et non baptizantis.

Ad 3. AD ID quod contra objicitur, dicendum quod prædicare Evangelium non præcedit baptismum tamquam necessarium, sed tamquam expediens, in quo docemur, qualiter baptisma servabitur : et ideo facit ad bene esse, et non ad esse sacramenti.

Ad 4. AD ALIUD dicendum, quod hoc totum est de bene esse, et non de esse, quod sacramentum dicitur esse sacramentum fidei non dantis, sed suscipientis : etsi ille etiam infidelis est, et tamen in forma Ecclesiæ suscipit sacramentum, dicitur fidei quæ deberet esse, non quæ sit, sicut Magister dicit supra de ficto permanente in fictione usque ad finem vitæ.

B. *De potestate baptismi et ministerio.*

Quia ministerium tantum habent, non potestatem baptismi: potestatem enim sibi retinuit: quod novit Joannes cum vidit columbam descendentem super Christum [1]. Unde Augustinus [2]: Quid noverat Joannes Baptista? Dominum. Quid non noverat? potestatem Dominici baptismi in nullum hominem a Domino transituram, sed ministerium plane transiturum. Potestatem a Domino in neminem, sed ministerium in bonos et malos. Non exhorreat columba ministerium malorum: respiciat potestatem Domini. Quid facit tibi minister malus, ubi bonus est Dominus? *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat: sed qui incrementum dat Deus* [3]. Si superbus fuerit minister, cum diabolo computatur: sed non contaminatur donum Christi: quod per illum fluit, purum est. Per lapideum canalem transit aqua ad areolas: in canali lapideo nil generatur, sed hortus fructus plurimos affert. Habent ergo non modo boni, sed etiam mali ministerium baptizandi, sed neuter potestatem baptismi. Ministerium enim dedit Christus servis, sed potestatem sibi retinuit, quam si vellet poterat servis dare, ut servus daret baptismum suum tanquam vice sua. Et potestatem suam constituere poterat in aliquo vel in aliquibus servis suis, ut tanta vis esset in baptismo servi, quanta est in baptismo Domini: sed noluit, ne servus in servo spem poneret. Baptizat servus ut minister, baptizat Dominus tamquam potestatem habens: quam si daret servis, ut scilicet ipsorum esset quod Domini erat, tot essent baptismi quot servi: ut sicut dictus est baptismus Joannis, sic diceretur baptismus Petri, vel Pauli. Quod ne fieret retinuit sibi Dominus potestatem baptismi, servis autem ministerium dedit. Si ergo servus dicit se baptizare, recte dicit: sed tamquam minister baptizat, et ideo non differt, sive bonus sive malus baptizet. Inde etiam nemo dicit, baptismus meus: cum tamen dicat Evangelium meum, prudentia mea, licet sint hæc a Deo in quibus differentia est. Alius enim alio melius

[1] Joan. I, 32 et seq. Cf. Matth. III, 16; Marc. I, 10; Luc. III, 22.
[2] S. Augustinus, Tract. V super cap. I Joannis.
[3] I ad Corinth. III, 7.

operatur in evangelizando, et alius alio prudentior est. Alius autem alio magis minusve baptizatus sive ab inferiori sive a majori baptizetur, dici non potest.

ARTICULUS IV.

Quæ est potestas quam Dominus sibi retinuit, et quam ministris dedit, et quam potuit dare et non dedit?

Deinde quæritur de hoc quod dicitur, ibi, B, « *Quia ministerium tantum habent, non potestatem baptismi,* etc. »

Quæritur hic quæ potestas est quam Dominus sibi retinuit, et quam ministris dedit, et quam potuit dare et non dedit?

Videtur enim quod

1. Potuit dare potestatem cooperationis ad emundationem interiorem : ut sicut cooperatur Domino exterius, quod ita secum mundaret interius : primo quia hoc dicit Magister in *Littera* sequentis capituli.

2. Secundo, quia dedit homini potestatem expellendi dæmones : sed minus est expellere effectum quam causam : cum igitur peccatum sit effectus dæmonis, ipse potuit hoc conferre homini ut expelleret peccatum.

3. Item, Dignior est creatura quæ est substantia quam illa quæ est accidens, et inter substantias dignissima est rationalis : sed gratia est accidens, et homo est substantia rationalis : ergo homo dignior est quam gratia : gratiæ autem contulit Deus potestatem expellendi peccatum : ergo multo magis potuit hoc conferre homini vel animæ rationali.

4. Item, Joan. 1, 33, super illud : *Hic est qui baptizat,* dicit Glossa, id est, a peccatis mundat.

Item, Ibidem Augustinus dicit, quod Joannes didicit a Christo, quod potestatem mundandi a peccatis potuit dare ministris, et non dedit : hoc autem est per potestatem remittendi peccatum, et cooperationis ad munditiam interiorem : ergo hanc potuit dare.

5. Item, Objicitur communiter, quod dedit herbis et verbis et lapidibus quibusdam potestatem curandi morbos spirituales.

Sed contra.

Sed contra hoc videtur esse quod

1. Dicit Augustinus, quod majus est de impio facere pium, quam creare cœlum et terram : sed potestatem creandi cœlum et terram non potuit dare, ut dicunt : ergo nec potestatem faciendi de impio pium.

2. Item, Non fit impius pius nisi aliqua creatura de nihilo creata, scilicet gratia : cum igitur actus omnipotentiæ sit creare, ut in principio libri II *Sententiarum* probatum est, non potuit hoc convenire alicui creaturæ : ergo non potuit communicare potestatem illam.

3. Item, Esto quod dederit homini potestatem illam : ergo potest exire in actum mundandi : ergo potest mundare peccatorem velit nolit peccator, quod esset inordinatum : ergo non potuit illam potestatem conferre homini.

4. Item, Si dicas, quod Deus potuit conferre, sed nullus ministrorum potuit recipere : hoc nihil est : quia hic quæritur de potestate quam potuit dare et minister recipere, sed non dedit eam Deus.

Solutio.

Solutio. Doctores distinguunt hic multiplicitatem potestatis, scilicet auctoritatis, invocationis, excellentiæ, ministerii, et cooperationis. *Auctoritatis* qua Deus est prima causa justificationis in baptismo, et sine qua nulla alia potestas aliquid potest : et hanc (ut dicunt) non po-

tuit ita alii communicare : sicut non potest alii communicare, quod sit Deus : et hoc habetur in *Littera*.

Potestas autem *invocationis* est, ut daret nomini alicujus hominis potestatem, ut ad invocationem sui nominis efficeretur sanctificatio, et effectus baptismi : sicut fit ad invocationem Trinitatis, sicut etiam fit quandoque ad invocationem nominis Christi : et hanc (ut dicunt) potuit conferre, sed noluit : et hoc sapienter ne spes salutis et adjutorii poneretur in homine, et sic paulatim pro Deo coleretur, vol coli inciperet.

Potestas autem *excellentiæ* dupliciter a diversis exponitur. Communis expositio est, ut scilicet secundum merita et gradus baptizantium esset excellentior, vel minus excellens effectus baptismi : ut melior esset a meliore vel majore in Ecclesia datus : et hanc iterum (ut dicunt) potuit dare, sed noluit, ne tot essent baptismi quot baptizantes : quia unum debuit esse baptisma, sicut una passio quæ operatur in ipso, et unum originale peccatum quod substantialiter curatur in ipso. Alii quidem pauci aliter exponunt potestatem excellentiæ, scilicet quod sit excellentiæ in actu, ut scilicet sine ritu baptismi ille posset absolvere a peccato, quasi sine clave regnum aperire : et hanc dicunt soli Christo esse collatam. Et prima expositio melior et communior est. Hanc autem non dedit nisi Christo qui est Deus et homo : ut non sint plura capita Ecclesiæ, sicut Ecclesia tantum una est.

Potestas autem *ministerii* est ut committatur dispensationi ritus exterior baptismi : et hanc Deus omnibus Ecclesiæ ministris contulit.

Potestas autem *cooperationis* est illa quam Magister tangit in *Littera*, scilicet ut homo haberet ministerium intus curandi vel cooperandi Deo, sicut habet exterius : et hanc potuit secundum Magistrum conferre, sed noluit, ne spes salutis crederetur in alio esse, vel ab alio dependere quam a Deo : et ne gratia putaretur dependere ab actu hominis, si Deus opus hominis ad conferendum gratiam requireret.

Potestatem igitur auctoritatis nec potuit conferre, nec contulit : potestatem autem ministerii exterioris in quo cooperatur minister Deo, potuit conferre et contulit. Potestatem autem invocationis, excellentiæ et cooperationis interioris potuit conferre, sed non contulit prædictis de causis.

Secundum hanc distinctionem,

Ad objecta dicendum, quod prima objecta videntur probare, quod potuit conferre homini ut justificaret : et hoc non est verum : sed potuit conferre, ut operatione aliqua potestatis spiritualis disponeret ad justificationem, sicut sacramentum operatur disponendo.

Unde dicendum ad primum, quod Magister in *Littera* intelligit de cooperatione dispositionis. Ad 1

Ad aliud dicendum, quod dæmonem expellere ab infestatione corporis, minus est quam expellere peccatum : quia solus Deus peccatum dimittit per hoc quod solus Deus creat gratiam, qua formaliter dimittuntur peccata. Ad 2

Ad aliud dicendum, quod tales rationes nihil valent : quia dignitas gratiæ et creaturæ rationalis est æquivoca. Dignitas enim rationalis creaturæ est inter substantias, quia ipsa beatificabilis est, et in hoc præfertur gratiæ. Dignitas autem gratiæ est dignitas formæ per contrarietatem expellentis peccatum, et gratia in hoc præfertur homini, quia homo vel rationalis creatura talis forma esse non potest. Ad

Ad aliud dicendum, quod hoc intelligitur de potestate dispositionis ad emundationem, et non de potestate dandi vel creandi gratiam. Ad

Ad aliud dicendum, quod nihil est simile de curatione corporum, et animarum : quia lapides et herbæ ex virtutibus consequentibus contrarietates complexiones suas habent ad causas morborum corporalium : sed nullam potest homo Ad

habere talem comparationem ad causam morbi spiritualis : verba autem non curant nisi per invocationem.

Ad object. Ad aliud quod in contrarium objicitur, dicendum, quod omnia illa non probant nisi de potestate effectiva justificationis et vivificationis et non dispositiva. Et bene conceditur, quod illam dare non potuit, nec Christo homini, nec alii, nec etiam potestatem creandi : et ratio hujus expedita est in tertio *Sententiarum*[1].

ARTICULUS V.

An Joannes novit Christum, et quid de eo novit ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, B, circa initium : « *Quid noverat Joannes Baptista? Dominum. Quid non noverat,* etc. »

Dicit enim Augustinus quod novit eum esse agnum tollentem peccata mundi : sed non novit, quod potestatem baptizandi esset sibi retenturus et non aliis daturus, Hieronymus autem et Chrysostomus contrarium huic dicunt, scilicet quod non novit eum esse Christum in mundo natum, et per mortem suam esse redempturum mundum. Ergo contrarietas videtur esse inter eos.

Solutio. Solutio. Dicendum, quod utrumque verum est : quia est notitia Christi simplex, et est notitia ejus in hac vel in illa forma qua venit ad Joannem. Scivit ergo ipsum esse natum et mundum redempturum : sed nescivit, quod iste homo qui venit ad eum inter alios fuit Christus, antequam vidit columbam descendentem, sicut dixerat ei Deus in eremo : et tunc dixit : *Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me*[2] ! Et hujus causam assignat Chrysostomus in Commento, dicens quod in juventute noverat eum, sed longo tempore conversatus in eremo amiserat imaginationem faciei : et ideo non cognovit eum sub forma venientis ad se, et cognovit eum talem natum esse in mundo.

C. *Quæ fuit potestas baptismi quam potuit Christus dare servis.*

Hic quæritur, Quæ sit[3] potestas baptismi quam Christus sibi retinuit, et potuit dare servis? Hæc est, ut plurimi volunt, potestas dimittendi peccata in baptismo : sed potestas dimittendi peccata quæ in Deo est, Deus est : ideo alii dicunt hanc potestatem non potuisse dare alicui servorum : quia nulli potuit dare ut esset quod ipse est, vel ut haberet essentiam quam ipse habet, cui hoc est esse quod posse. Dicunt enim, Si hanc potentiam alicui

[1] Cf. III Sententiarum, Dist. XXXIV. Tom. XXVIII hujusce novæ editionis.
[2] Matth. III, 14.
[3] In edit. Joan. Alleaume additur *illa*.

dare potuit, potuit ei dare creaturas creare : quia non est hoc majoris potentiæ quam illud. Ad quod dici potest, quia potuit eis dare potentiam dimittendi peccata, non tamen ipsam eamdem qua ipse potens est, sed potentiam creatam qua servus posset dimittere peccata : non tamen ut auctor remissionis, sed ut minister : nec tamen sine Deo auctore : ut sicut in ministerio habet exterius sanctificare, ita in ministerio haberet interius mundare : et sicut illud facit Deo auctore, qui cum eo et in eo operatur illud exterius, ita interius mundaret Deo auctore, qui ejus verbo velut quodam ministerio uteretur. Ita etiam posset Deus per aliquem creare aliqua, non per eum tamquam auctorem, sed ministrum cum quo et in quo operaretur [1] : sicut in bonis operibus nostris ipse operatur et nos : nec ipse tantum, nec nos tantum, sed ipse nobiscum et in nobis : et tamen in illis agendis ministri ejus sumus, non auctores. Ita ergo potuit dare servo potestatem dimittendi peccata in baptismo, id est, ut in mundatione interiori servus cum Domino operaretur : non servus sine Domino, nec Dominus sine servo : sed Dominus cum servo et in servo : sicut in exteriori ministerio Dominus operatur cum servo, et in servo. Unde et Dominus dicitur sanctificare, et servus : sed Dominus invisibili gratia, servus visibili sacramento. Unde Augustinus [2] super Leviticum : Dominus ait, *Ego Dominus qui sanctifico* [3]. Et de Moyse etiam dictum est : *Et sanctificabis eum* [4]. Sed Moyses sanctificat visibilibus sacramentis per ministerium : Dominus autem invisibili gratia per Spiritum, ubi est totus fructus visibilium sacramentorum. Sine hac sanctificatione visibilia sacramenta nil prosunt. Si quis hoc melius aperire poterit, non invideo.

ARTICULUS VI.

An Christus homo habuit potestatem dimittendi peccata ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, C, sub finem : « *Ita ergo potuit dare*, etc. »

Videtur ergo, quod Christus homo habuit potestatem dimittendi peccata : quia

1. Matth. IX, 6, dicitur : *Ut autem sciatis quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata*, etc. Filius enim hominis est Christus secundum humanam naturam. Ergo videtur, quod etiam alii homini potest conferre.

2. Item, In tertio libro *Sententiarum* [5] habitum est, quod Christus secundum humanam naturam est redemptor : sed redimere non potuit nisi peccatum di-

[1] Hic non tenetur Magister (Nota edit. Lugd.)
[2] S. AUGUSTINUS, Super Leviticum, cap. 84.
[3] Levit. XX, 8. Cf. Exod. XXXI, 13.
[4] Exod. XXVIII, 41.
[5] Cf. III Sententiarum, Dist. VIII. Tom. XXVIII hujusce novæ editionis.

mitteretur : ergo videtur, quod ipse secundum hanc naturam peccata dimittere potuit.

Item, Plus est redimere quam creare, ut dicit Augustinus. Si ergo potuit redimere secundum humanam naturam, potuit etiam secundum eam creare gratiam qua justificatur homo.

ed contra. SED CONTRA :

Dicit Bernardus, quod gratia non est ab homine Christo, sed solum a Deo : ergo non potuit habere potestatem mundandi animam : sed sæpe supra probatum est, quod creare est actus infinitæ potentiæ, et solius omnipotentiæ divinæ : Christus autem secundum hominem non fuit susceptibilis illius potestatis, quod justificaret animas interius.

Solutio. SOLUTIO. Quasi omnes dicunt, quod Christus secundum hominem non fuit susceptibilis illius potestatis.

AD ID ergo quod contra objicitur, dicendum quod Filius hominis probare ibi voluit suam deitatem : et ideo hoc convenit Filio hominis in quantum Deus est. Ad 1.

AD ALIUD dicendum, quod redemptor est Deus, et homini attribuitur baptismus : quia in humana natura pertulit passiones, quibus pro nobis satisfecit. Ad 2.

SI AUTEM quæritur quæ fuit potestas quam dedit ei Pater præ aliis? Quæst.

Dicendum secundum Doctores, quod illa fuit potestas excellentiæ ad actum, scilicet ut solveret sine officio clavium tamquam Dominus universæ Ecclesiæ. Christus enim non legitur recepisse ordinem, sed dedisse : nec habuisse potestatem ad mensuram, sed ad omnia : et hæc potestas excellentiæ data est Christo, quæ aliis in virtute clavium et ordinis et limitata est et tradita. Solutio.

DISTINCTIO VI.

Quibus est collata potestas baptizandi?

A. *Quibus liceat baptizare?*

Nunc quibus liceat baptizare addamus. De hoc Isidorus ait[1] : Constat baptismum solis sacerdotibus esse traditum, ejusque ministerium nec ipsis diaconibus implere est licitum absque Episcopo vel presbytero, nisi his procul absentibus, ultima languoris cogat necessitas : quod etiam laicis fidelibus permittitur. Ex concilio Carthaginensi quinto : Item, Mulier quamvis sancta, baptizare non præsumat, nisi necessitate cogente[2].

De illis vero qui ab hæreticis baptizantur, utrum rebaptizandi sint quæri solet. Ad quod breviter dicimus, quia quicumque sit qui baptizet, si servatur forma a Christo tradita, verum baptismum dat : et ideo qui illum sumit non debet rebaptizari. Unde Beda : Sive hæreticus, sive schismaticus, sive facinorosus quisque in confessione sanctæ Trinitatis baptizet, non valet ille qui baptizatus est a bonis[3] Catholicis rebaptizari, ne confessio et Trinitatis invocatio videatur annullari[4]. Item, Augustinus[5] : Quamvis unum sit baptisma et hæreticorum, scilicet eorum qui in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti baptizant, et Ecclesiæ Catholicæ : qui tamen foris Ecclesiam baptizantur, non sumunt ad salutem baptismum, sed ad perniciem : habentes formam sacramenti, virtutem autem ejus abnegantes, et ideo Ecclesia non eos rebaptizat, quia in nomine Trinitatis baptizati sunt : et ipsa est forma sacramenti. Item, Rebaptizare hæreticum qui hæc sanctifi-

[1] S. Isidorus, Lib. de Officiis, et habetur de cons. dist. IV, cap. *Constat* (Nota ed. Lugd.)
[2] De consec. dist. IV, cap. *Mulier* (Nota ed. Lugd.)
[3] Edit. J. Alleaume, *nobis*.
[4] Vener. Beda, In Homil. 36, et habetur de consec. dist. IV, cap. *Sive* (Nota ed. Lugd.)
[5] S. Augustinus, Ad quæstiones Orosii, et habetur de consec. dist. IV, cap. *Quamvis* (Nota ed. Lugd.)

cationis signa perceperit, omnino peccatum est : Catholicum vero, immanissimum scelus est. Ex his aperte colligitur, quod qui etiam ab hæreticis baptizati sunt, servato charactere Christi, rebaptizandi non sunt : sed tantum impositione manus reconciliandi, ut Spiritum sanctum accipiant, et in signum detestationis hæreticorum. Sunt tamen nonnulli Doctorum, ut Cyprianus, et alii quidam, qui dicere videntur ab hæreticis non posse tradi baptismum : et eos esse rebaptizandos cum veniunt ad Ecclesiam, qui ab illis dicuntur baptizari. Sed hoc de illis verum est qui extra formam Ecclesiæ baptizare præsumunt. Cyprianus tamen ibi a veritate deviasse videtur, qui ait de hæretico : Quomodo sanctificare aquam potest, cum ipse immundus est, et apud quem Spiritus sanctus non est ? cum Dominus dicat in lege : Quæcumque tetigerit immundus, immunda erunt [1] : quis potest dare quod ipse non habet ? Hoc ergo ex ignorantia eum dixisse Augustinus innuit, dicens : Martyrem Cyprianum gloriosum, qui apud hæreticos vel schismaticos datum baptismum nolebat cognoscere, dum eos nimis detestaretur, tanta ejus merita usque ad triumphum martyrii secuta sunt, ut ex charitatis qua excellebat luce, obumbratio illa fugaretur, et si quid purgandum erat, passionis falce tolleretur. Nec nos qui baptismi veritatem et hæreticorum iniquitatem agnoscimus, ideo Cypriano meliores sumus : sicut nec Petro, quia Gentes judaizare non cogimus [2].

B. *Quod nullus in materno utero baptizetur* [3].

Hoc etiam sciendum est, quod licet ter immergatur propter mysterium Trinitatis, tamen unum baptisma reputatur.

Illud etiam ignorandum non est, quod in materno utero nullus baptizari potest, etiamsi mater baptizetur. Unde Isidorus : Qui in maternis uteris sunt, ideo baptizari non possunt : quia qui natus adhuc secundum Adam non est, secundum Christum non potest renasci : neque regeneratio in eum dici potest, quem generatio non præcessit [4]. Item, Augustinus :

[1] Vulgata habet, Numer. XIX, 22 : *Quidquid tetigerit immundus, immundum faciet*, etc.

[2] S. Augustinus, De unico baptismo.

[3] Edit. Lugdunensis habet hunc titulum cap. B : *Hieronymus super epistolam ad Romanos*, nescio qua ratione. Novus titulus sumitur ex edit. J. Alleaume.

[4] S. Isidorus, Lib. de Summo bono, cap. 23 : et habetur de consec. dist. IV, cap. *Qui in maternis* (Nota ed. Lugd.)

Non potest quisquam renasci antequam natus sit. Si vero opponitur de Jeremia [1] et de Joanne Baptista [2], qui ab utero sanctificati leguntur : quod etiam de Jacob quidam putant [3]. Dicimus, si sanctificatio ibi accipitur interior emundatio, in miraculis divinæ potentiæ esse habendum, ut Augustinus ait, ambigue super hoc loquens : Si usque adeo, inquit, in illo puero acceleratus est usus rationis et voluntatis, ut intra materna viscera jam posset agnoscere et credere, quod in aliis parvulis exspectat ætas ut possint, in miraculis habendum esse divinæ potentiæ, non ad humanæ trahendum exemplum naturæ. Nam quando voluit Deus, etiam juramentum locutum est [4]. Idem de Jeremia legitur : Priusquam exires de ventre, sanctificavi te [5]. Illa tamen sanctificatio qua efficimur templum Dei [6], non nisi renatorum est. *Nisi* enim *quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei* [7]. Nemo autem renascitur, nisi prius nascatur. Unde illa sanctificatio potest secundum prædestinationem accipi. Ecce videtur dubitanter loqui, qui etiam in eodem dicit : Non dictum est quia credidit infans in utero, sed exsultavit : nec Elisabeth dicit : Exsultavit in fide, sed *Exsultavit in utero meo* [8]. Et potuit esse hæc sanctificatio, tantæ rei a majori cognoscendæ indicium, non a parvulo cognitæ. Absque assertione de hac sanctificatione loquitur, non diffiniens qualiter intelligenda sit illa sanctificatio : an sit signum futuræ rei, an veritas justificationis per Spiritum factæ. Sed melius est, ut dicamus illos præter communem legem in uteris justificatos, et gratia prævventos, dimissis omnibus peccatis : quod etiam multis Sanctorum testimoniis edocetur.

C. *Si baptismus sit verbis corrupte prolatis?*

Quæri etiam solet, Si corrupte proferantur verba illa, an baptismus sit? De hoc Zacharias Bonifacio scribit [9] : Retulerunt mihi nuntii tui, quod

[1] Jerem. I, 5.
[2] Luc. I, 15.
[3] S. Augustinus, Epist. 57 ad Dardanum de Joanne Baptista.
[4] Numer. XXII, 28.
[5] Vulgata habet, Jerem. I, 5 : *Priusquam te formarem in utero, novi te : et antequam exires de vulva, sanctificavi te,* etc.
[6] I ad Corinth. III, 16.
[7] Joan. III, 5.
[8] Luc. I, 44 : *Exsultavit in gaudio infans in utero meo.*
[9] De consec. Dist. IV, *Retulerunt* (Nota ed. Lugd.)

fuerit sacerdos in eadem provincia, qui Latinam linguam penitus ignorabat : et dum baptizaret, nescius Latini eloquii, infringens linguam diceret : Baptizo te in nomine patria et Filia et Spiritus sancta : et propter hoc considerasti rebaptizare. Sed si ille qui baptizavit, non errorem inducens vel hæresim, sed pro sola ignorantia Romanæ locutionis, infringendo linguam baptizans dixisset : non possumus consentire ut denuo baptizetur.

DIVISIO TEXTUS.

« *Nunc quibus liceat baptizare addamus*, etc. »

In hac ultima parte, de baptismo agit ex parte baptizantis.

Et dividitur hæc distinctio in duas partes : in quarum prima tangit quinque quæstiones circa baptizantes et baptizandos. In secunda autem parte agit de sacramentalibus, ibi, G, « *Porro cuncti ad baptismum venientes*, etc. »

In prima harum (ut dictum est) quinque sunt quæstiones, scilicet de potestate baptizantium. Secunda est, Utrum in matris utero habitum gratiæ baptismalis aliquis consequatur? ibi, B, « *Hoc etiam sciendum est, quod in materno utero*, etc. » Tertia est, de corruptione verborum ex ignorantia linguæ, ibi, C, *Quæri etiam solet, Si corrupte*, etc. » Quarta est de hoc quod dubitatur an sit baptismus, ibi, D, « *Præterea sciendum est, quod illi de quibus nulla exstant indicia*, etc. » Quinta, de jocose baptizatis, ibi, E, « *Solet etiam quæri de illo qui jocans*, etc. »

Etiam ibi adjunguntur aliqua de intentione baptizantium, et de tempore baptismi.

ARTICULUS I.

An quilibet potest esse minister Ecclesiæ ?

Incidit autem dubium circa primam partem, Utrum minister baptismi sit quilibet, sicut in *Littera* dici videtur?

Videtur autem, quod non : quia

1. Baptismus est sacramentum Ecclesiæ : sed sacramenta Ecclesiæ committuntur dispensationi ministrorum Ecclesiæ : ergo et baptismus. Cum igitur ministri Ecclesiæ non sint nisi Prælati, videtur quod non habeant potestatem baptizandi nisi soli Prælati.

2. Item, Inter sacramenta est unum quod est sacramentum sacramentorum, scilicet Ordinis : ergo videtur, quod administratio omnium aliorum pertinet ad ordinatum : non ergo ad quemlibet, ut videtur in *Littera* dici.

3. Item, Matth. XXVIII, 18 et 19, non misit Christus nisi Apostolos et discipulos ad baptizandum : ergo videtur, quod non habent potestatem baptizandi nisi successores illorum : hi autem sunt Prælati : ergo videtur, quod non debeat baptizare nisi Prælatus.

4. Item, *Non est potestas nisi a Deo*, ut dicitur, ad Roman. XIII, 1 : quæ autem a Deo sunt, ordinata sunt : ergo videtur, quod sub ordine illo cadit baptis-

mi potestas : nullus autem actus ordinatus ex potestate aliqua committitur omnibus indifferenter : ergo nec actus baptizandi : ergo non quilibet potest baptizare, ut videtur.

6. Item, Apostolus dicit [1], quod *sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra,* cum sint multa, *non eumdem actum habent : ita multi unum corpus sumus in Christo* : ergo sicut est in corpore naturali, ita debet esse in corpore mystico : sed in corpore naturali in uno membro digeritur nutrimentum et transmittitur ad alia, quod non immediate datur singulis : ergo similiter debet esse in corpore mystico : ergo determinati erunt ministri per quos detur baptismus et gratia baptismalis, et non quilibet erit baptizans, ut videtur.

Sed contra. Sed contra hoc est quod

1. Dicitur in *Littera.*

2. Item, Quia baptismus est sacramentum necessitatis : et si quibusdam committeretur, cum illi non possint esse proximi omnibus, multos contingeret periclitari, quod esset contra Dei misericordiam, et providentiam Ecclesiæ : ergo potestas baptizandi debebat omnibus committi.

Solutio. Solutio. Dicendum, quod est potestas et commissio potestatis. Debita potestas est in eo qui habet potestatem ex ordine, et auctoritatem sive jurisdictionem ex auctoritate, et idoneitatem ex vitæ merito : et talis solus est digne et vere minister : ille autem qui habet ordinem et jurisdictionem et non vitam, vere quidem minister est, sed non idonee vel digne : et hoc modo procedunt rationes primo inductæ. Sed propter necessitatem hujus sacramenti et modum culpæ contra quam est, accipit illud sacramentum administrationem a quocumque : et necessitas est a generalitate periculi, sicut dictum est in objiciendo, sed modus culpæ est originalis pro quo satisfecit Christus quoad se, et sufficit fides aliena ut valeat baptizatis illa satisfactio. Hæc autem fides potest esse protestata in actu cujuscumque : et ideo tempore necessitatis quilibet potest baptizare.

Ad 1. Dicendum ergo ad primum, secundum, tertium, et quartum, quod hoc verum est quoad ordinem ex jurisdictione et idoneitate : sed aliud reformat pactum in baptismo, ut dictum est.

Ad aliud dicendum, quod gratia quæ est nutrimentum corporis mystici, quoad vitam spiritualem, immediate a Deo datur cuilibet membro, et ideo quoad hoc non est simile. Sed est quædam utilitas in gratiis exterioribus quæ sunt ad bene esse, ut prophetia, scientia, et hujusmodi : et quoad illas est simile inter corpus mysticum et naturale : et talis gratia est ordo potestatis et jurisdictionis. Et ideo in talibus gratiis unum membrum mystici corporis recipit ab alio.

ARTICULUS II.

An hæreticus potest baptizare ?

Deinde quæritur de hoc quod dicitur, ibi, A, § 2 : « *De illis vero qui ab hæreticis baptizantur,* etc. »

Videtur enim, quod hæreticus non possit baptizare.

1. Dicit enim Psalmus : *Passer invenit sibi domum, et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos* [2]. Ergo extra domum non est repositio pullorum : constat autem, quod hæreticus est extra domum : ergo non reponit pullos Ecclesiæ : ergo non baptizat.

2. Item, Numer. xix, 22 : *Quidquid tetigerit immundus, immundum faciet.*

[1] Ad Roman. xii, 4 et 5.

[2] Psal. lxxxiii, 4.

Et hæc auctoritas inducitur in *Littera*[1] : ergo videtur, quod non baptizat.

3. Item, Apocal. XXI, 2, Vidit Joannes Jerusalem terrestrem descendentem a cœlesti : ergo qui a cœlesti non descendit, non est de terrestri Jerusalem, id est, de Ecclesia militante : ergo videtur, quod cum Ecclesia malignantium hæreticorum non descendat secundum ordinem a cœlesti, quod nihil conferat in terrestri.

4. Item, Stomachus vel hepar ejectum extra corpus hominis, in nullo actu potest subservire membris remanentibus : sed hæreticus est sicut membrum ejectum extra corpus : ergo in nullo subservit corpori mystico : ergo non potest conferre characterem baptismalem.

5. Item, Dionysius loquens de charactere sacramentali, dicit quod datur accipienti ab hierarcha : hierarcha constitutus est in sacro ordine in Ecclesia, et talis non est hæreticus : ergo videtur, quod ipse sacramentalem characterem conferre non possit.

6. PRÆTEREA, Ad Ecclesiæ generationem exigitur Ecclesiæ uterus : non est autem idem uterus Ecclesiæ, et uterus conventiculorum hæreticorum : ergo videtur, quod qui in conventiculis hæreticorum sacramenta suscipiunt, non accipiunt characterem.

Sed contra.

SED CONTRA hoc est

1. Quidquid dicitur in *Littera*, præter auctoritates Cypriani.

2. Item, Joanni dictum est, ut habitum est in præmissis, quod *hic est qui baptizat*[2] : ergo a quocumque dicatur forma verborum præscripta in debita materia, semper Deus baptizans est intrinsecus : ergo imprimitur character : quia constat, quod gratia non confertur in baptismo quem confert hæreticus qui scitur esse præcisus, si baptizatur adultus qui novit eum esse extra Ecclesiam.

So utio.

SOLUTIO, Dicendum, quod quicumque baptizat intendens et servans formam Ecclesiæ, sive sit hæreticus, sive non, ipse confert characterem baptismalem, ad minus, sicut supra habitum est de induentibus Christum usque ad sacramenti susceptionem.

Ad 1.

AD PRIMUM autem quod contra objicitur, dicendum quod nidus Ecclesiæ est forma sacramentorum : et non sunt hæreticorum nidi illi : et ideo cum in eis reponunt suos pullos, reponunt non extra Ecclesiam, sed in ea : etsi postea conculcantur a diabolo, hoc non est propter imperfectionem sacramentorum, sed potius propter perniciem fictionis.

Ad 2.

AD ALIUD dicendum, quod hoc intelligitur de tactu qui est similis tactui physico : ut si in tactu imitetur tactum secundum quantitatem tangentis, hoc est quod hæreticus tangat ad imitationem hæresis : sic enim verum est, quod ipse immundus erit qui tangitur : sed quando hæreticus tangit in forma sacramentorum Ecclesiæ, assimilatur tactus iste sicut leproso habenti manus involutas in panno candido mundissimo, et ideo immundare non potenti.

Ad 3.

AD ALIUD dicendum, quod licet ritus hæresis et conventio ab Ecclesia triumphanti non descendit, tamen usurpat hoc quod ab Ecclesia triumphante descendit, quando usurpat Ecclesiæ sacramenta.

Ad 4.

AD ALIUD dicendum, quod non est simile : quia hæreticus non in toto est extra Ecclesiam : quia usurpat actum membri interioris et ministerium, quando accipit formam sacramentorum Ecclesiæ : unde non in omnibus est simile de dependentia membrorum spiritualium ad invicem, et de dependentia membrorum corporalium ad invicem, ut dictum est in anteriori quæstione.

Ad 5.

AD ALIUD dicendum, quod Dionysius loquitur de ministro secundum ordinem

[1] Vide supra, cap. A, sub fine : « Quæcumque tetigerit immundus, immunda erunt. »

[2] Joan. 1, 33.

potestatis, auctoritatem administrationis, et idoneitatem ad actum : et ille est qui completum habet ministerium ad salutem suam : et non intelligitur, quod aliter non possit imprimi character.

Ad aliud respondet Augustinus, quod Donatus non generat per hoc quod est extra, sed per hoc quod est intus, quando servat formam Ecclesiæ conferendo sacramenta : et ideo non sequitur, quod ipse sit intus, sed potius quod ipse sit extra, et generet per hoc quod est intus.

Ad 6. Ad aliud dicendum, quod Ecclesia secundum Augustinum semen benedictum suscipit ex semine viri sui Christi : et hoc quandoque per uterum proprium, ut Rachel, et Lia : et quandoque per uterum ancillæ, ut in ancillis Rachel et Liæ, quæ pepererunt super genua earum : per quas significantur hæretici utentes forma Ecclesiæ in conferendis sacramentis. Quandoque autem in utero proprio perit semen, sicut Esau reprobatus est : quandoque in utero ancillæ, sicut Ismael reprobatus est : per quos significantur falsi Christiani et hæretici in forma hæresis et non Ecclesiæ baptizantes.

Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICULUS III.

An character est in aliquo genere, et in quo in genere : et si genere qualitatis, in qua specie?

Deinde quæritur de hoc quod dicitur, ibi, A, § 2, circa medium : « *Servato charactere Christi*, etc. »

Gratia enim illius inducenda est hic quæstio de charactere baptismali. Et quia scientia de charactere facilior est, si de eo hic disputetur in genere, scilicet Confirmationis, et Ordinis, et ideo faciemus de charactere disputationem generalem.

Quæratur igitur de charactere tribus viis, scilicet in se, et ex parte effectus, et ex parte suscipientis : quoniam ex parte dantis idem est quærere de dante characterem, et de dante sacramentum, et hoc jam habitum est.

De charactere autem in se quærantur quinque, scilicet in quo genere sit ?

Secundo, Quid sit diffinitive ?

Tertio, Quæ et quot sacramenta imprimant characterem ?

Quarto, De numero et ordine characterum.

Et quinto, De comparatione sacramentorum Christi ad characterem bestiæ.

Ad primum proceditur sic : Fere ab omnibus dicitur, quod character spiritualis sit qualitas.

Objiciatur ergo sic : Nihil est in genere quod non sit in aliqua ejus specierum, character est in genere qualitatis : ergo est in aliqua specierum : aut ergo est habitus et dispositio, aut naturalis potentia vel impotentia, aut passio vel passibilis qualitas, aut forma vel circa hoc aliquid constans figura : et omnes hæ species opinionem habuerunt circa materiam istam.

Videtur autem, quod non sit *habitus et dispositio* : quia

1. Dicit Augustinus in libro de *Bono conjugali*, quod habitus est quo quis aliquid agit cum tempus sit : ergo omnis habitus est ad actum aliquem potentiæ in qua est : character autem non est ad actum potentiæ, sed ad distinctionem vel consignationem vel utrumque : ergo videtur, quod non sit habitus vel dispositio.

2. Item, Habitus animæ est naturalis, aut infusus, aut acquisitus. Naturalis, ut habitus visus in potentia visiva : infusus autem vel acquisitus dividi consuevit in scientiam et virtutem : character autem nec est scientia, nec virtus : cum igitur non sit habitus naturalis, non erit habitus, ut videtur.

Sed contra hoc videtur esse quod di- Sed contra

cit Philosophus, quod tria sunt in anima, scilicet passiones, potentiæ, et habitus : constat autem, quod character non est passio : ergo si est in anima, est habitus, ut videtur.

Videtur autem, quod etiam non sit *naturalis potentia vel impotentia.*

1. Naturalis enim potentia vel impotentia causatur a naturalibus causis : sicut quidam dicunt, quod naturalis potentia causatur a victoria formæ super materiam, et naturalis impotentia ab imperfectione victoriæ ejusdem : sicut durum naturalem potentiam habet ad non secari, et molle ejusdem impotentiam. Constat autem, quod a tali causa non causatur character : ergo non est naturalis potentia vel impotentia, licet hoc quidam dixerunt.

2. Item, Naturales potentiæ consequuntur naturam : character autem non consequitur naturam : ergo non est in specie potentiæ naturalis.

Videtur etiam non esse in *passione vel passibili qualitate* : quoniam hæc secundum Philosophum aut est infusa in animam sensibilem sicut sunt objecta sensuum, aut illata in sensu vel sensibili anima, ut delectatio et tristitia : constat autem quod character circa animam intellectualem est : ergo non est passio vel passibilis qualitas, licet hoc etiam quidam dixerint.

Item, Videtur quod non sit *forma vel circa hoc aliquid constans figura* : quia illa secundum Philosophum non est in spiritualibus, sed in quantis ? Figura enim est superficies una vel pluribus lineis contenta sive terminata : nihil autem talium convenit spirituali naturæ : ergo nec character in specie illa est, ut videtur, cum sit tantum in spirituali natura.

Propter hoc quidam dixerunt, quod etiam in spirituali natura est spiritualis quantitas, et secundum illam attenditur character. Sed hoc ridiculum videtur multis rationibus, quarum una est :

1. Spiritualis quantitas virtutis attenditur penes intensionem virtutis ad actum : hæc autem intensio non mutat genus : ergo quantitas virtutis non dicit aliquid in quo salvetur ratio figuræ : quia illa non salvatur sine quantitate continua.

2. Item, Omnis figura attenditur penes ultimum ad hoc terminatum : virtus autem licet diffiniatur per ultimum potentiæ, non tamen diffinitur per ultimi terminationem : ergo videtur, quod quantitas virtutis non potest habere rationem figuræ, et sic non est character figuralis vel forma circa hoc aliquid constans.

3. Item, Si virtus terminetur in ultimo, non est ille terminus ambiens substantiam virtutis intra, sed potius ultimum in quod potest ex parte objecti in quod agit virtus, sicut virtus Herculis potest in triginta quos vincit : figura autem est terminus ambiens substantiam terminati claudendo intra se : ergo etsi virtus terminus potentiæ dicatur, ille terminus æquivoce dictus est ad terminum figuræ : ergo character si est in quantitate virtutis, non tamen est de ratione figuræ.

4. Item, Virtus est terminus potentiæ terminatus ad ultimum : figura autem secundum rationem figuræ est terminus terminans ultimum : ergo terminus in ratione figuræ et in ratione virtutis dicetur æquivoce : et ita solutio illa nulla est quam quidam posuerunt, et quam fere omnes sunt secuti.

Ideo quidam alii accipientes verbum Philosophi quod dicit in prædicamentis, « Fortassis autem et alii apparebunt qualitatis modi, » dicunt quod character est qualitas extra quatuor species qualitatis : quia Aristoteles innuit, quod aliæ sunt species qualitatis. Sed quod hoc nihil sit, facile probatur : licet enim omnis forma prædicet quale, non tamen omnis forma est in prædicamento qualitatis secundum rem, sed forma realiter ens in

prædicamento qualitatis non excedit quatuor species ipsius : ergo patet, quod nihil est quod isti dicunt : quia si realiter esset qualitas, oporteret quod esset in aliqua specie qualitatis.

Videtur autem esse in relatione : ad aliquid enim sunt, quorum hoc ipsum esse quod sunt, ad aliud sunt : sed characteris sicut et signaculi vel signi hoc ipsum esse quod est, ad aliud est : ergo est in prædicamento relationis, et non qualitatis, ut videtur.

Quæst. Sed quia hoc ab omnibus bene intelligentibus conceditur, quæratur, Utrum esse relativi fundetur super aliquid aliud vel non?

Videtur autem, quod fundetur in aliqua alia natura : quia

1. Dicit Augustinus, quod omne relativum est etiam aliquid aliud præter relativum, ut pater est substantia in qua est relatio. Si ergo character est relativum, videtur etiam esse aliquid aliud præter relationem in quo fundetur relatio.

2. Item, Character ut dicunt Magistri, consignat nos Trinitati increatæ per quamdam assimilationem : similitudo autem est rerum differentium eadem qualitas : ergo videtur, quod fundetur in aliqua qualitate quæcumque sit illa.

Solutio. Ad quæst. Solutio. Dicendum videtur sine præjudicio, quod character secundum esse quod importat, non dicit ens in prædicamento relationis, sicut paternitas. Est enim duplex relativum, scilicet ipsum quod ad aliud est et dicitur, ut pater : et accidens quod absolute et in abstractione significat, ut paternitas, et hoc dicit modum dispositionis quo relativum dicitur ad aliquid : ita character est etiam ad aliquid : et characterizatum.

Ad hoc autem quod ultimo quæritur, oportet primo respondere, scilicet utrum fundetur supra potentias imaginis nudas ex ipsa susceptione baptismatis, vel habeat a materia qualitatem subjectam. Dicendum, quod utrumque dicitur a diversis : sed tamen probabilius videtur, quod habeat a materia qualitatem subjectam in qua fundetur, et hanc puto esse habitum quemdam luminis spiritualis, quod se habet ad modum habilitatis ad fidem et ad gratiam per lucem et calorem spirituales, ut lux habilitet ad fidem et calor ad mores.

Et secundum hanc responsionem oportet primo objectis respondere, dicendo, quod character fundatur in habitu sicut similitudo in qualitate : sed habitus duplex est, scilicet perfectus et distinctus, et imperfectus et indistinctus : primus est sicut habitus determinatus ad hanc materiam, et ille dividitur in scientiam et virtutem : et de illo verum est quod dicit Augustinus, quod habitus est quo quis aliquid agit cum tempus est. Imperfectus autem et confusus et indistinctus est præcedens illum, et habilitans ad illum. Et hujus simile possumus videre in oculo, in quo in pupilla et humido crystallino est quoddam perspicuum cum luce sibi connaturali et inseparabili, et tamen non sufficit per se ad videndum distincte nisi adveniat spiritus ex anima determinatus ad colores : ita etiam intellectui est connaturale lumen confusum ad quod examinat audita et accepta secundum Philosophum, et tamen illud non sufficit ad distincte intelligendum hoc vel illud.

Ita possumus dicere, quod est quodammodo lumen indistinctum inseparabiliter infusum baptizatis, in quo lucet assimilatio quædam ad Trinitatem increatam, licet non sit sufficiens sine fide : et hoc lumen est in quo fundatur character, et est in genere gratiæ gratis datæ. Et hoc attenderunt, ut puto, qui characterem posuerunt in specie habitus et in genere qualitatis : unde illa quæ objiciuntur contra alias qualitates, videntur esse concedenda.

Et quod quidam dixerunt de figura intellectuali, aut non intelligo, aut non est verum quod dixerunt.

Et per hoc patet solutio ad omnia quæsita de hoc articulo.

ARTICULUS IV.

An diffinitiones characteris sint bene assignatæ ?

Secundo quæritur, Quid sit character diffinitive ?

Dicunt autem quidam beatum Dionysium in *Ecclesiastica hierarchia* [1] ita diffinire : « Character est signum sanctum communionis fidei et sacræ ordinationis datum accedenti a hierarchia. » Licet autem ita dicant, tamen in nulla Dionysii translatione invenitur hæc diffinitio, nec per verba, nec per sensum : et hoc scit bene quicumque litteram Dionysii inspicit. Ibi enim unde trahere voluerunt illa verba, dicit sic secundum veterem translationem, ostendens quid significet, quod ordinandus venit ad summum sacerdotem, id est, ad Episcopum, etc. : « Eum vero, scilicet ordinandum, sic accedentem, scilicet ad Episcopum suum hierarcham, divina beatitudo in suam participationem recipit, et proprio lumine tamquam quodam ipsi signo tradit, divinum perficiens et communicantem divinorum partes et sacræ ordinationis : quorum est symbolum sacrum a summo sacerdote donatum signaculum, et sacerdotum salutaris descriptio, in salvatis eum commemorans et memoriis sacris. »

Ut autem intelligantur verba quæ obscura sunt, sic sunt exponenda : « *Eum vero*, scilicet ordinandum sic accedentem in acceptione ordinum ad hierarcham, *suscipit ad partes potestatis divina beatitudo*, id est, Deus, et hoc significatur in hoc quod partem suæ potestatis dat hierarcha, id est, Episcopus, quando suscipit eum : *et proprio lumine*, id est, de proprio lumine tradit ei : *tamquam quodam ipsi signo tradit*, id est, in quodam signo, quia in sacramento suscepto : *divinum perficiens*, hoc est, quod scilicet lumen perficiens eum divinum, id est, ut sit divinus in potestate ad minus, id est, habet potestatis divinæ partem : *et communicantem divinorum partes*, id est, perficit ipsum ut communicet partes, id est, in parte divinorum quoad potestatem *sacræ ordinationis*, id est, perficit eum ut sit communitas sacræ ordinationis, id est, in sacra ordinatione : quia Græci non habent ablativum : *quorum est symbolum*, id est, quorum, scilicet divinæ perfectionis et communionis divinorum partis, et communionis ordinationis symbolum, id est, *sacrum a summo sacerdote donatum*, id est, id quod datum est a summo sacerdote : quia sacramentum ab Episcopo datum, est signum quod detur ei divina potestas et gratia a Deo. Et subjungit, quid sit illud quod datum est ab Episcopo, hoc est scilicet *signaculum*, id est, quod signat eum pontifex, manus imponendo, et radendo, et hujusmodi : et *sacerdotum salutaris descriptio*, id est, quod describit eum sacerdotem faciendo per ordinem : *commemorans eum*, si bene usus fuerit potestate, *in salvatis et memoriis sacris.* »

Si autem hæc (ut puto) est Dionysii intentio, patet quod illa diffinitio non est sua, et numquam alibi reperitur : et ideo non sumo eam ut a Sancto, sed sicut a Doctoribus approbatam.

Dant autem quidam et aliam, hanc scilicet, « Character est distinctio a charactere æterno impressa animæ rationali secundum imaginem, consignans trinitatem creatam Trinitati creanti et recreanti, et distinguens a non consignatis secundum statum fidei.

Quæst. 1.

Objicitur autem multipliciter de istis diffinitionibus Magistrorum :

[1] S. Dionysius, Lib. de Ecclesiastica hierarchia. cap. 2.

CONTRA PRIMAM sic :

Character est signum sanctum : omne autem signum est naturale, vel ad placitum : constat autem, quod character non est signum ad placitum : quia tunc non esset idem apud omnes, et variaretur ad voluntatem : ergo est naturale : omne autem signum naturale similitudinem habet aliquam cum signato, ut fumus cum igne habet convenientiam : ergo videtur, quod character aliquam habet convenientiam cum charactere increato.

Et quæritur, Quæ sit illa ? Videtur autem, quod nulla sit : quia homo habet convenientiam per characterem : ergo videtur, quod character sit dispositio inventa in utroque extremorum, scilicet in homine signato, et charactere increato cui consignatur : sicut si duo sunt similes in albedine, albedo est dispositio inventa in utroque : et hoc falsum est hic : quia Filius Dei non habet characterem, ut infra probabitur.

Quæst. 2. ITEM, Signorum aliud est principium prægnosticum futurorum : sicut signa quæ habent divinatores in astris et aliis, et medici in ægritudinibus. Aliud est rememorativum præteritorum, ut annulus fidei datus sponsæ a sponso, et monile continentiæ thori, et hujusmodi. Aliud est determinatum in præsenti, sicut substantia præsens significatur accidentibus quæ cadunt in sensum.

Quæratur ergo, Si character sit signum, cujusmodi signum sit ?

1. Non enim videtur esse signum nisi gratiæ : et hanc non necessario significat, nec in præsenti, nec in futuro, nec in præterito, sicut in ficto qui moritur in fictione : ergo videtur, quod character non sit signum gratiæ.

2. Item, Si est signum, non erit nisi signum sacramentale : signum autem sacramentale est invisibilis gratiæ visibilis forma vel sensibilis ad minus : ergo videtur, quod character sensibilis quædam forma sit, cujus contrarium habitum est in præecdenti quæstione, et iterum postea habebitur, quando probabitur quod character non imprimitur nisi in anima rationali.

3. Item, Secundum Magistrum Hugonem in libro de *Sacramentis*, signum accipitur in proprietatibus corporalis elementi : character autem neque est corporale elementum in sacramento, nec proprietas ejus : ergo character non est signum, ut videtur.

Item, Si est signum sacramentale : aut est vetus, aut novum. Constat autem, quod non est vetus : quia nihil loquitur lex vetus de charactere spirituali, licet loquatur de circumcisione ut carnali charactere data carnali populo, ut supra habitum est in tractatu de *circumcisione* [1] : ergo erit signum novæ legis.

SED CONTRA : Sed contra.

Non necessario efficit quod figurat, ut patet in fictis : ergo nec est signum veteris legis nec novæ : ergo nec est signum sacramentale.

ULTERIUS quæritur de hoc quod dicit, « Communionis fidei. » Quæst. 3

Videtur enim hoc non esse verum : quia fictus non credens recipit characterem baptismalem : et tamen non communicat fidem.

Præterea, Communio fidei potest esse quoad participationem articulorum, vel fidelium, vel habitus fidei : et videtur non posse esse pluribus modis. Constat autem, quod non necessario facit communicare fidelibus, ut patet in adultis ab hæreticis scienter baptizatis, qui fidelibus non communicant.

Item, Non est communicatio quoad articulos : quia fictus discredens articulos, recipit characterem, dum se offert non contradicens ad id quod facit Ecclesia, licet hoc ipsum nihil credat esse vel valere.

Item, Videtur quod non communi-

[1] Cf. Supra, Dist. I, Art. 17 et seq.

cat habitum fidei : quia infidelis potest esse, ut jam dictum est : et tamen suscipit characterem : ergo videtur, quod non sit signum communicationis fidei.

Quæst. 4. ITEM, Quare plus diffinitur per signum communicationis fidei, quam ulterius virtutis ?

Videtur enim, quod dispositio sit ad omnem virtutem et signum. Tria enim sunt in sacramento, scilicet signum tantum, at tinctio facta in aqua : et res et signum, quod est character : et res tantum, quod est gratia cum omnibus virtutibus. Si ergo est signum rei sacramenti, et res sacramenti est plenitudo virtutis et non fidei : tunc videtur character esse signum omnis virtutis, et non signum fidei : ergo male diffinitur per hoc quod sit signum fidei.

Quæst. 5. ULTERIUS quæritur de hoc quod dicit, « Et sacræ ordinationis. »

1. Hoc enim non videtur convenire nisi characteri ordinis : ergo per illud male diffinitur character in genere, secundum quod est in confirmatione et baptismo et ordine in communi.

2. PRÆTEREA, Character ordinis et confirmationis non videtur esse signum fidei : sed character confirmationis videtur esse signum fortitudinis ad pugnandum, et character ordinis videtur esse signum potestatis ad spirituales actus, ut est conficere Eucharistiam, ligare, et solvere : ergo iterum male diffinitur per signum fidei et sacræ ordinationis.

Quæst. 6. ULTERIUS quæritur de hoc quod dicit, « Datum accedenti ab hierarcha. »

Videtur enim hoc esse falsum : si enim rusticus baptizat, characterem recipit baptizatus : ergo non oportet ut detur ab hierarcha, ut videtur.

Præterea, Si dicas, quod hierarcha dicit debitum ministerium : iterum falsum est : quia hierarcha est summus sacerdos sive Pontifex : et debitus minister baptismatis non est, sed etiam simplex sacerdos, ut dicitur in *Littera* in hac distinctione : ergo non oportet accedere ad hierarcham, ut videtur.

Quæst. 7. ULTERIUS quæritur de secunda diffinitione : et primo de hoc quod dicit, « Character est distinctio. »

Si enim est distinctio, et signum distinctivum aliter distinguit baptizatum a non baptizato : aut ergo Ecclesiæ militanti, aut triumphanti, aut Deo : sed non Ecclesiæ militanti, quia illa non distinguit nec discernit per signa invisibilia, cum judicet secundum faciem, et non secundum ea quæ sunt in corde : nec etiam distinguit quoad Ecclesiam triumphantem, quia illa non indiget, cum sufficientem distinctionem accipiat baptizatus a non baptizato in contemplatione Verbi : item quoad Deum non oportet, quia Deus non cognoscit per signa, sed per seipsum scit omnia.

Quæst 8. ULTERIUS quæritur de hoc quod dicit, « A charactere æterno impressa. »

1. Character enim est Filius, ut habetur, ad Hebr. 1, 3 : *Qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus.* In alia littera, « Et character substantiæ ejus : » ergo videtur, quod Filius Dei imprimat characterem.

2. Item, Ad idem, Similitudo Patris est Filius : cum igitur character creatus sit assimilans, videtur quod congruenter imprimatur a Filio.

3. Item, Sacramentum baptismi est sacramentum regenerationis, quo efficiuntur filii gratiæ : sed filiatio gratiæ habet similitudinem aliquam cum generatione æterna : ergo videtur, quod character regenerationis a Filio ut æterno charactere imprimatur.

Sed contra. SED CONTRA :

1. Per invocationem Trinitatis in elemento imprimitur character : ergo impressio non magis pertinet ad Patrem quam ad Filium, nec e converso, sed ad totam Trinitatem.

2. PRÆTEREA, Si propter sacramentum

regenerationis Filio debetur impressio characteris in Baptismo : ergo etiam propter sacramentum spiritualis potestatis Patri debetur impressio characteris in Ordine, quod falsum est, quia per rationem congruentiæ omnis impressio characteris erit appropriata uni personæ.

3. Item, Plus debetur Patri quam Filio, quia Patris est generare : ergo etiam characterem spiritualis regenerationis imprimere : ergo non imprimitur a charactere æterno, ut videtur.

Quæst 9. Ulterius quæritur de hoc quod dicit, « Impressa animæ rationali secundum imaginem. »

1. Nihil enim numero unum imprimitur diversis subjectis numero : sed character est unum aliquid numero : ergo non potest imprimi tribus potentiis imaginis, nisi multiplicetur secundum numerum.

2. Item, Sicut se habet signum præcedens in sacramento, et res sequens : ita se debet habere medium quod est signum et res simul : sed signum perfectæ ablutionis totius animæ, et res sequens perfecte curat et perficit totam animam secundum omnes potentias : ergo etiam medium quod est signum, debet imprimi secundum omnes potentias, et non secundum potentias imaginis tantum : medium autem est character : ergo secundum omnes potentias debet imprimi character in anima.

3. Item, Ejusdem est dispositio et habitus : sed habitus est res sacramenti sequens : cum igitur ille habitus sit in tota anima, videtur etiam quod dispositio quæ est character, secundum totam animam debeat inesse.

4. Præterea, Videtur si character imprimitur in imagine (ut dicit secunda diffinitio) quod non sit lux tantum : quia voluntas quæ est præcipua pars imaginis, non perficitur luce, sed potius amore : ergo videtur, quod character in se supponat diversos habitus et diversarum rationum.

Ulterius quæritur de hoc quod dicit secunda diffinitio, « Consignans trinitatem creatam Trinitati creanti et recreanti. » Quæst. II

1. Non enim consignat nisi faciat imitari: non autem imitamur nisi per gratiam gratum facientem : ergo videtur, quod character sit gratia gratum faciens.

2. Item, Uno habitu non sunt consignabilia plura, nisi sint unius rationis : sed potentiæ imaginis non sunt unius rationis : ergo non sunt consignabiles uno habitu.

3. Item, Ex parte Trinitatis increatæ non est appropriatum unum : ergo videtur, quod si character est lumen quoddam, quod non consignat Trinitati increatæ, sed tantum uni personæ in Trinitate.

Ulterius quæritur de hoc quod dicit, « Distinguens a non consignatis secundum statum fidei. » Quæst. III

Videtur enim, quod characteris subtilius sit distinguere quam signare : quia

1. Character, ut dicit sæpe Damascenus, idem est quod distinctivum : ergo character est distinctio : ergo videtur, quod in diffinitione prius debuit poni ultima particula quam penultima.

2. Præterea, Quare dicit, « Secundum statum fidei, » potius quam secundum fidem? prior enim est distinctio secundum fidem, quam secundum fidei statum.

Solutio. Sine præjudicio videtur mihi secunda diffinitio melior quam prima : neutra tamen habet robur auctoritatis, nisi quantum facit usus Magistrorum : quia de charactere in sensu quo Magistri disputant, de eo parum invenitur in dictis Sanctorum. Solutio.

Sustinendo igitur primam diffinitionem, dicendum est ad primum, quod character est signum naturale gratiæ quæ est effectus sacramenti. Ad quæst. De prima diffin.

Ad objectum autem contra, dicendum

quod duplex est similitudo, scilicet duorum in tertio, et sic oportet quod una qualitas in qua fundatur similitudo, sit in utroque : quandoque autem similitudo est inter aliqua, ita quod unum dicit rationem similitudinis alterius ad alterum, sicut imago quæ dicit rationem similitudinis hujus statuæ ad Herculem : et tunc non oportet, quod idem sit in utroque similium, sed quod unum sit exemplar, et aliud imitetur ipsum : et sic est similis character : quia dicit assimilationis rationem animæ ad Deum.

d quæst 2. Ad 1. Ad aliud dicendum, quod est signum demonstrativum et causativum gratiæ in præsenti quantum est de se, et quod non demonstrat, hoc est per accidens, scilicet quia invenit obicem in subjecto resistentem.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod licet character non sit visibilis vel sensibilis in se, est tamen visibilis in relatione ad tinctionem in qua imprimitur, sicut supra in quæstione de *sacramentis* dictum est.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod character non fundatur in elemento corporali, sicut in subjecto, sed sicut in causa inducente ipsum : et hoc sufficit ad hoc ut sit signum sacramentale novæ legis.

Ad object. Ad hoc autem quod contra objicitur, solutum est.

Ad quæst. 3. Ad id autem quod ulterius quæritur, dicendum quod est signum communionis fidei secundum fidei statum, ut dicit secunda diffinitio : et bene potest esse, quod aliquis non participet habitum secundum communionem fidelium, vel articulorum fidei, et tamen secundum statum, quia ille participatur etiam secundum fidei sacramentum.

Unde patet solutio ad totum.

quæst. 4. Ad aliud dicendum, quod aliæ virtutes non distinguunt quæ sunt in affectu, sed fides sola quæ est in intellectu : et ideo distinctio accipitur solum secundum statum fidei, licet sit dispositio ad omnes virtutes. Vel dicatur et melius, quod status fidei distinguit characterem sacramentorum : quia fides est fundamentum spiritualis ædificii, et penes primam distinctionem ipsius primo accipitur distinctio totius vitæ.

Ad illud quod ulterius quæritur, dicendum quod illa diffinitio quoad illud membrum tangit characterem excellentiæ, qui est in Ordine : et quia character excellentiæ est, ideo aliquid speciale habet in diffinitione. Ad quæst. 5. Ad 1.

Ad aliud dicendum, quod character Confirmationis non est fortitudinis nisi in relatione ad fidem : quia scilicet sine rubore prædicat fidem, etiam sine timore confitetur eam coram regibus et principibus. Ita etiam character Ordinis non est spiritualis potestatis, nisi propter fidem propagandam, et multiplicandam, et confitendam : et ideo semper respicit statum fidei. Ad 2.

Qualiter autem differenter respiciat, infra dicetur in quæstione de numero characterum et Ordine.

Ad id quod ulterius quæritur, dicendum quod in illa diffinitione debitus minister ex potestate et auctoritate et idoneitate determinatur. Quod autem aliter datur, hoc contingit ideo, quia est sacramentum necessitatis, sicut in principio hujus distinctionis dictum est. Ad quæst. 6.

Ad id quod ulterius quæritur, dicendum quod secunda diffinitio melior est quam prima : quia tangit proprium actum qui est consignare, et secundarium qui est distinguere, et causam efficientem quæ est character increatus, et materialem quæ est ex parte subjecti proprii, quia imprimitur secundum mentem in anima rationali : et causam finalem, quia propter statum fidei. Ad quæst. 7. De secunda diffin.

Dicatur ergo ad primum, quod distinguit in se, et non oportet quod alii distinguantur, licet in ipsa anima indelebilem notam decoris relinquit, quæ in bea-

tis est ratio gloriandi in aliqua assimilatione sui ad Trinitatem, et in damnatis convictio et testimonium justæ condemnationis : et ideo non est otiosus.

Ad quæst. 3. Ad id quod ulterius quæritur, dicendum quod bene conceditur hoc quod primo probatur: quia licet communi opere personarum imprimatur character a tribus personis, tamen per congruentiam et appropriationem debetur Filio, cujus plures causæ tactæ sunt in opponendo. Una etiam est, quia character (ut supra dictum est) est lux quædam per attributionem sapientiæ genitæ quæ est Filius.

Ad object. 1. Ad id autem quod contra objicitur, dicendum quod invocatio operatur ibi communiter in personis : sed tamen appropriatum opus est Filii, et hoc fere in omnibus operibus sæpe est divinis.

Ad object. 2. Ad aliud dicendum, quod licet in confirmatione et ordine sint fortitudo et potestas, tamen referuntur ad statum fidei : et fides dicit quid cognitionis, et ideo Filio appropriatur.

Ad object. 3. Ad aliud dicendum, quod licet Patris sit generare, proprie tamen regenerare magis per congruentiam est Filii : quia regeneratio non fit sine missione et redemptione : et horum utrumque convenit Filio, et neutrum Patri : et ideo illa ratio ex falsis procedit.

Ad quæst. 9. Ad 1. Ad id quod ulterius quæritur de hoc quod dicit, « Impressa animæ rationali secundum imaginem, » dicendum quod per hoc tangitur immediatum subjectum characteris : imago autem licet sit in tribus potentiis, tamen principaliter est in potentia cognoscendi. Unde Augustinus dicit, quod « homo habet imaginem in potentia cognoscendi, et similitudinem in potentia diligendi. » Unde imago principaliter est secundum memoriam et intellectum : et hæc duo sequitur voluntas. Similiter perfectio cognitionis est in actu secundum intellectum, et non secundum memoriam, et ideo character, meo judicio, est impressus secundum intellectum, scilicet secundum quod intellectus est formatus ex memoria et eliciens voluntatem, et ita ut in subjecto est in intellectu, tamen ordinem habet ad memoriam et voluntatem.

Ad 1 Ad aliud dicendum, quod character est dispositio ad gratiam in qua sunt omnes virtutes : sed tamen in genere magis convenit cum fide : et hoc non est inconveniens : quia sicut sæpe in corporalibus est dispositionibus, ita et in spiritualibus : sicut calor est dispositio ad totum ignem quoad omnes proprietates ignis, et tamen in genere non convenit nisi cum ardore : et similiter est in spiritualibus : sicut enim dictum est supra, licet character essentialiter sit lux quædam, tamen habet etiam calorem.

Ad 2 Ad aliud dicendum, quod hæc propositio, « Ejusdem est dispositio et habitus, » potest intelligi tribus modis : et duobus modis vera est, tertio modo falsa est. Potest enim sic intelligi, cujus est dispositio, id est, cujus essentiæ est dispositio est habitus, id est, habitus qui fit ex illa dispositione, est ejusdem essentiæ : et tunc est vera de dispositione ex qua generatur habitus, ut scientia facile mobilis et difficile mobilis, postquam confortatur, sunt ejusdem essentiæ, et differunt in accidente. Alio modo potest intelligi, id est, cujus subjecti est dispositio, ejusdem est habitus : et tunc iterum vera est : quia in eodem subjecto inducitur habitus. Tertio modo potest intelligi, cujus, id est, partis subjecti est dispositio, illius est habitus : et tunc non semper vera est : quia dispositio frequenter est in parte una, et habitus non totus inducitur in parte illa : et hoc ideo contingit, quia illa dispositio non ex æquo respicit habitum quoad omnes partes sui, sicut character respicit fidem secundum convenientiam in genere, et non alias virtutes nisi per consequens : quia una non datur sine alia, quando cum gratia infunditur.

Ad 4 Ad aliud patet solutio per ante dicta.

quæst. 10. Ad 1. Ad id quod ulterius quæritur, dicendum quod est consignatio in nota indelebili, quæ est imperfecta et gratiæ gratis datæ : et hanc facit character : sed consignatio in actu imitationis, verum est quod ponit objectio : quia illam non facit nisi virtus formata.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod licet potentiæ imaginis non sint ejusdem rationis, tamen extremæ ordinantur ad mediam, et e converso : et ideo in illo possunt consignari.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod ex æquo per characterem non consignatur homo Trinitati quoad ea quæ distincte sunt personarum proprie : sed character licet essentialiter sit lux consignans Filio, tamen virtute in se habet duo, scilicet potestatem in fide vel pugna vel gradu, et bonitatem in hoc quod est dispositio ad gratiam : et per hæc duo respicit personam Patris et Filii et Spiritus sancti.

quæst. 11. Ad 1. Ad id quod ulterius quæritur, dicendum quod character principaliter consignat, et per consequens distinguit : et cum nominatur character, accipit nomen ab actu notiori non principaliori, sicut sæpe nomina imponuntur, ab eo quod notius est apud nos.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod character non distinguit fidem, nec aliquid in fide, sed dicit distinctionem status fidei secundum quod fides est incipientium vel proficientium vel perfectorum impletionem, et ideo potius dicitur secundum statum fidei quam secundum fidem simpliciter.

ARTICULUS V.

Quæ et quot sunt sacramenta imprimentia characterem ?

Tertio quæritur, Quæ et quot sacramenta quæ imprimunt characterem ?

Videtur autem, quod omnia, quia

1. Sicut aliqua nota baptizatus distinguitur a non baptizato : ita aliquo communicans a non communicante, et conjugatus a non conjugato, etc. : ergo videtur, quod character imprimatur in quolibet.

2. Item, Si baptismus propter dignitatem imprimit characterem, cum dignissimum sacramentum sit, ut dicit Ambrosius, sacramentum Eucharistiæ, ipsum debet imprimere characterem, ut videtur.

3. Item, Si Christi invocatio in quibusdam sacramentis imprimit characterem in invocatione Trinitatis, eo quod prius habitum sit quod character creatus imprimitur a charactere increato, videtur quod ubi sumitur totus Christus, quod ibi maxime imprimat characterem : in Eucharistia autem sumitur totus Christus : ergo maxime ibi imprimit characterem.

4. Item, Sacramenta in quibus imprimitur character, habent suas unctiones, scilicet baptismus, confirmatio, et ordo : ergo cum sit quartum quod similiter consistit principaliter in unctione, sicut unctio extrema, debet etiam illud imprimere characterem.

5. Item, Character respicit statum fidei : status autem fidei diversificatur secundum legem naturæ et Moysi et gratiæ, sicut significatur in his qui præibant et sequebantur Dominum, clamantes : *Hosanna in excelsis* [1]. Ergo videtur,

[1] Marc. xi, 10. Cf. Matth. xxi, 9.

quod et aliquid in legibus illis imprimebat. Fuit autem circumcisio in legibus illis testimonium magnæ fidei Abrahæ, ut dicitur in Glossa, ad Roman. v, 14. Ergo videtur, quod circumcisio imprimebat characterem.

Si forte dicatur, sicut supra [1] in tractatu de *Circumcisione* solutum est, quod circumcisio habuit characterem corporalem, non spiritualem. CONTRA hoc est quod dicit Origenes quod circumcisio non tantum corporalis, sed et spiritualis erat, et spiritualiter intelligebatur a Judæis.

6. Præterea, Videtur quod omne sacramentum imprimat characterem : quia quod potest quod majus est, potest et id quod minus est : gratia autem majus est quam character : cum ergo omne sacramentum det gratiam : etiam videtur per locum a minori, quod etiam imprimat characterem.

7. Item, Sacramentum est sufficiens ad agendum, cum possit quod plus est, ut jam probatum est : et anima est receptibilis sive sit ficta, sive non : quia fictus bene recipit characterem : ergo omne sacramentum imprimit characterem, ut videtur.

Quæst. ULTERIUS quæritur juxta hoc, Quæ sit causa, quod in baptismo aquæ et confirmatione et ordine dicitur imprimi character ?

Aut enim causa hujus est materia specialis, aut invocatio Trinitatis, aut gratia, aut Passio Christi operantis in istis sacramentis, aut intentio dantium sacramenta, aut fides Ecclesiæ : non enim plura invenimus operari in sacramentis.

1. Si dicatur, quod materia specialis est causa, non videtur : quia materia diversificatur in tribus sacramentis, nec habetur in ordine materia aliqua quæ sit de necessitate sacramenti, nisi tantum ordinatus : ergo videtur, quod ista operatio non sit ex materia. Si autem dicitur, quod in baptismo hæc operatio sequitur materiam, videtur falsum : quia eadem materia est in baptismo Christi et in baptismo Joannis, et tamen in baptismo Joannis non imprimebatur character.

2. Si autem dicatur, quod hæc operatio sit invocatio Trinitatis, videtur sequi duplex inconveniens, scilicet quod si invocatio Trinitatis fiat in aliis sacramentis, quod etiam in eis imprimitur character. Aliud est, quod illi qui baptizabantur in primitiva Ecclesia in nomine Christi, non habebant characterem.

3. Et si etiam tu dicas, quod in Christi nomine intelligitur Trinitas. CONTRA : Idem est baptizare in nomine Christi, et in nomine venturi, quia venturus erat Christus : si ergo ad invocationem Christi imprimebatur character : ergo etiam imprimebatur character ad invocationem nominis venturi : quod falsum est : quia sic in Joannis Baptismo character fuisset impressus.

Si forte tu dicas, quod in baptismo Joannis Baptistæ character imprimebatur. CONTRA hoc est, quod illi baptizabantur iterato ab Apostolis : ergo non habebant characterem : quia aliter fuisset facta injuria characteri sacramenti.

Præterea, Si unum characterem accepisset a Joanne, et alium ab Apostolis, et ad idem, id est, ad initium status fidei : alter superflueret, quod est inconveniens : ergo invocatio Trinitatis non imprimit characterem.

Si autem tu dicas, quod hoc facit Passio Christi operans in sacramento. Videtur, quod tunc magis baptismus sanguinis imprimit characterem : quia in illo major est expressio Passionis : et ille est melior, eo quod secundis sordibus non inquinatur : et de hoc habitum est supra.

Præterea, Passio Christi in omnibus sacramentis operatur : ergo in omnibus imprimit characterem, quod non dicitur ab aliquo Doctorum.

[1] Cf. Supra, Dist. I, Artic. 17 et seq.

Si autem dicas, quod hoc facit intentio : videtur falsum esse : quia intentio ut hic habetur in *littera*, exigitur ad omne sacramentum : ergo in quolibet imprimeret characterem. Si autem fides Ecclesiæ operatur. CONTRA : Fides Ecclesiæ non sufficit nisi in baptismo, et tantum parvulis, non adultis : ergo nullus recipiet characterem nisi in baptismo, et tantum parvuli, non adulti, quod falsum est : ergo videtur, quod super nihil fundatur illa disputatio de impressione characteris.

uæst. 2. ULTERIUS quæritur juxta hoc, An virtutes imprimant characterem ?

Videtur, quod sic : quia

1. Imprimunt quasdam notas consignantes nos Deo : et hæc est ratio characteris : ergo imprimunt characterem.

2. Item, Magis distinctiva est virtus quam sacramentum, quia sacramentum non distinguit bonum a malo : ergo videtur, quod cum distinguere sit primus actus characteris, vel consignare, ut habitum est, quod virtus magis imprimat characterem quam sacramentum.

olutio. SOLUTIO. Dicendum, quod tantum tria sacramenta quæ statum fidei respiciunt, imprimunt characterem, secundum triplicem distinctionem quam faciunt inter fideles qui sunt de familia legis cœlestis, ut infra patebit, cum de numero characterum disputabitur.

Ad 1. DICENDUM ergo ad primum, quod aliud est discerni recipientem aliquod sacramentum a non recipiente illud, et aliud habere notam indelebilem ad hoc : notam autem indelebilem non imprimit nisi triplex sacramentum.

Et si tu objicias, quod conjugatum impossibile est non fuisse conjugatum, et ita nota est indelebilis. Dicendum, quod illa ratio sophistica est : quia illud non est per notam indelebilem vel perpetuam in subjecto : sed potius est dictum de præterito verum, et ideo necessarium, et ideo quamvis res mutetur, dictum tamen non mutatur : sed tria sacramenta in re perpetuam notam relinquant : et ideo illa est character : alia autem sacramenta nihil perpetuum in re relinquunt.

AD ALIUD dicendum, quod non est de dignitate sacramenti, quod imprimat characterem, sed potius ex invocatione Trinitatis ad statum distinctionis fidei, sive statum distinctum in fide, ut infra dicetur : et ideo illa objectio nihil facit. Ad 2.

AD ALIUD dicendum, quod licet character increatus imprimat creatum, non tamen in quocumque sacramento, sed in eo in quo est invocatio Trinitatis secundum statum fidei. Eucharistia autem non respicit statum fidei, sed potius charitatem, unde etiam sacramentum charitatis vocatur. Ad 3.

AD ALIUD dicendum, quod in lege naturæ et Moysi non fuit status fidei explicitæ, sicut in nova : omnia autem sacramenta imprimentia characterem, imprimunt ipsum secundum statum fidei explicitæ, non implicitæ. Et ratio quare circumcisio non imprimebat characterem, supra expedita est in quæstione de *Circumcisione* [1] : non enim erat nisi figura characteris baptismalis, sicut spirituale intelligitur in corporali signo. Ad 5.

AD ID autem quod objicitur de dicto Origenis, dicendum quod ipse intelligit, quod virtutem circumcisionis intelligebant quidam esse spiritualem, non quod characterem imprimeret spiritualem, sicut Abraham, et alii, qui in lege intelligebant sacramenta Christi futura.

AD ALIUD dicendum, quod ista propositio, quod potest majus potest minus, non est vera nisi de his in quibus una potestas est ordinata ad majus et minus : et ideo non est ibi locus a minori : quia posset sacramentum etiam minus, si ad hoc esset ordinatum. Alii solvunt aliter, dicentes quod licet character aliquid minus sit quam gratia in valore ad salutem, tamen quoad hoc est majus, quia est in- Ad 6.

[1] Cf. Supra, Dist. I, Artic. 18.

delebilis, cum gratia sit delebilis: sed prima solutio valet magis.

Ad 7. Ad aliud dicendum, quod non quodlibet sacramentum est sufficiens ad operandum characterem, cum ad hoc non sit ordinatum, ut jam dictum est.

Ad quæst. 1. Ad 1. Ad id quod ulterius quæritur, dicendum quod causa impressionis characteris non est ex materia, sed ex invocatione Trinitatis, non simpliciter, sed in sacramento quod ponit personam in statu fidei speciali: sicut est fides genita, defensa, et propaganda in alios, vel nutrienda in aliis.

Ad 2. Ad id autem quod objicitur in contrarium, dicendum quod in aliis sacramentis licet esset invocatio Trinitatis, non tamen ponunt illa in speciali statu fidei: et ideo invocatio Trinitatis etiamsi esset in eis ut forma sacramenti, quod tamen non est verum, non adhuc operaretur characterem.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod in nomine Christi, sicut supra patuit in explanatione Ambrosii, intelligitur Trinitas, et iterum hoc fuit ex dispensatione ad tempus, ut dictum est supra. Unde tum propter jussum Dei, tum propter hoc quod in nomine illo salvabatur invocatio Trinitatis quæ in eo intelligitur implicite: in illo, et non in Joannis baptismo, in primitiva Ecclesia imprimebatur character.

Ad hoc autem quod objicitur de nomine venturi, dicendum quod licet idem fuerit in re baptizare in nomine Christi, et in nomine venturi: non tamen idem erat in modo significandi: quia venturus non habebat eundem modum significandi, sicut habet hoc nomen, *Christus*: et ideo in argumento de Joannis baptismo incidit locus sophisticus accidentis.

Ad quæst. 2. Ad 1. Ad id quod ulterius quæritur, an virtutes imprimant characterem? Dicendum, quod non: quia virtus quidquid operatur in subjecto est delebile et non perpetuum: sed de ratione characteris est quod sit perpetuus. Et si objicitur de dicto in præterito, jam supra patuit, qualiter est solvendum.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod licet distinguant inter fideles, tamen hæc distinctio non est secundum ordinem ad mores: distinctio autem characteris est secundum statum fidei specialem.

Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICULUS VI.

An in tribus sacramentis imprimentibus characterem, character impressus sit unus, et si quis eorum est plures?

Quarto, Quæritur de numero et ordine characterum.

Jam enim ostensus est numerus per hoc quod non nisi tria sacramenta imprimant characterem. Videtur autem idem esse characterer in omnibus sacramentis: quia eadem est fides genita, roborata, et potens propagari ad alterum: ergo et idem character fidei, ut videtur: sed primus est baptismalis, secundus confirmationis, tertius ordinis: ergo videtur, quod unus sit character in tribus secundum substantiam.

Qu Præterea quæritur de Ordine. Baptismalis enim est primus: quia si non habet quis baptismalem, et recipit ordinem, non reputatur ordinatus, sed iterato ordinatur post baptismum: ergo videtur, quod cum character confirmationis sit medius, quod etiam necessario debet haberi ante characterem ordinis: et ex hoc sequitur, quod non confirmatus non possit ordinari: et hoc non tenet Ecclesia.

So Solutio. Multi multipliciter accipiunt numerum characterum: sed probabilior acceptio videtur penes numerum distinctionis in statu fidei: sicut in familia David legimus tres fuisse distinctiones, quarum prima fuit generalis, scilicet po-

puli Dei a non populo : quia David erat rex super populum Dei, sicut dicitur in Psalmo LXXVII, 70 et 71 : *Sustulit eum de gregibus ovium : de post fœtantes accepit eum : pascere Jacob, servum suum, et Israel, hæreditatem suam.* Alia autem distinctio fuit fortium David, de qua loquitur, II Reg. XXIII, 8 et seq., qui defendebant cultum et populum, viriliter pugnando : in quibus notatur distinctio characteris confirmationis. Ibidem etiam legitur, quod quidam distincti erant in Prælatos, et sacerdotes, et scribas, et hujusmodi : et in illis significatur character excellentiæ in ordine. Est igitur status fidei duplex, scilicet primus, quando datur fides ut distinguantur fideles in sortem populi Dei : et hoc per characterem baptismalem. Secundus, quando in tyrones confirmantur, ut fides in eis stet et defendatur : et hoc est character confirmationis. Tertius autem ut propagentur : et hoc est ordinis : et non sunt plures status : et ideo non sunt plures characteres. Aliter potest dici, quod Christus imprimens characterem sapientia est docens fidem, pugnans fortiter pro fide, et sacerdos ostendens sacrificium fidei : et penes hæc tria imprimit sanctæ fidei characterem. In quantum est sapientia docens divinam veritatem, quæ est in articulis fidei, imprimit characterem baptismi : in quantum autem pugnavit ut staret fides in nobis, imprimit characterem confirmationis : in quantum autem ut sacerdos obtulit sacrificium fidei, impressit characterem ordinis. Sed prima acceptio melior est.

DICENDUM ergo ad id quod primo objicitur contra, quod characteres differunt in essentia : sed fides non differt nisi per accidens : et hoc est ideo, quia character non est idem quod fides : sed distinctio accepta est penes statum fidei : status autem fidei est diversus : et ideo character est diversus : argumentum autem procedit ac si characteris diversitas penes fidei diversitatem accipiatur.

AD ALIUD dicendum, quod duplex est ordo, scilicet necessitatis, et congruentiæ : character autem baptismalis ad alia sacramenta habet ordinem necessitatis et fundamenti : sed character Confirmationis non habet ordinem necessarium ad characterem Ordinis, sed congruentiæ tantum. Ad quæst.

Et si objicitur de matrimonio quod est etiam in non baptizatis : dicendum quod hoc non est tantum sacramentum Ecclesiæ, sed etiam officium naturæ : tamen secundum quod est sacramentum, non habet perfectam indissolubilitatem nisi secundum quod fundatur in baptismo et fide. Aliter enim aliquo casu cogente solvi potest : ut si alter conjugum nolit cohabitare nisi in contumeliam Creatoris, ut infra dicetur.

Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICULUS VII.

Quomodo se habet character sacramentorum Christi ad characterem bestiæ?

Quinto, Quæritur de comparatione characteris sacramentorum Christi ad characterem bestiæ, de quo charactere legitur, Apocal. XIII, 17 : *Ne quis posset emere aut vendere, nisi qui habet characterem, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis ejus.*

Quæritur autem, Utrum isti characteres fundentur in eodem.

Videtur autem, quod sic : quia contraria nata sunt fieri circa idem : character autem Christi et bestiæ sunt contrarii : ergo nati sunt fieri circa idem. Quæst. 1.

SED CONTRA : Sed contra.

Contraria non sunt simul actu in eodem : ponamus autem aliquem baptizatum peccare mortaliter, constat quod ipse per peccatum non amittit characte-

rem Christi : ergo tunc simul habentur actu in eodem character Christi et bestiæ sive diaboli, quod impossibile est si sunt contrarii, ut videtur.

Quæst. 2. Ulterius quæritur juxta hoc, Quæ sit causa perpetuitatis characteris Christi, et non bestiæ.

Videtur, quod non est causa efficiens : quia

1. Deus qui imprimit characterem, infundit etiam virtutem : et tamen virtus non est perpetua.

2. Item, Non videtur, quod causa perpetuitatis sit non iteratio sacramenti : quia potius e contrario est, scilicet quod perpetuitas characteris est causa quare non iteratur sacramentum : ergo videtur, quod nulla sit causa nisi subjectum. Sed tunc character bestiæ erit perpetuus, sicut character Christi, cum in eodem sint sicut in subjecto.

Solutio. Solutio. Dicendum, quod character bestiæ peccatum est mortale : et non est character secundum plenam rationem characteris, nisi quod efficitur indelebile : et tunc nec adhuc habet plenam rationem characteris, quia non configurat creaturam Trinitati, sed potius facit eam dissimilem : unde æquivoce dicitur character.

Ad quæst. 1. Ad primum autem dicendum, quod character Christi et bestiæ non sunt directe contraria, nec omnino sunt secundum idem : sed peccatum est secundum liberum arbitrium, et character secundum intellectum qui est pars imaginis : et quia non sunt contrarii, possunt simul esse.

Ad quæst. 2. Ad id quod ulterius quæritur, Quæ sit causa perpetuitatis ? Dicendum quod causa indelebilitatis est virtus invocationis in sacramento fidei secundum subjectum perpetuum : ad hoc enim consequitur quod ipsum sacramentum aliquid perpetuum operetur, quod aut sit dispositio ad melius bonum perpetuum, aut testimonium justæ condemnationis si virtus sacramenti abjiciatur. Alia autem sacramenta quæ dant gratiam sine charactere, non habent talem invocationem, nec relationem ad fidei statum ; et ideo delebilis est totus effectus eorum : et ideo iterantur.

Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICULUS VIII.

Quis est effectus characteris ?

Deinde quæritur de effectu characteris.

Videtur autem ex præhabitis, quod

1. Gratia sit effectus : quia signum in sacramento novæ legis est causa : sed character est signum gratiæ, ut habitum est : ergo est etiam gratiæ causa.

2. Item, Character est medium inter primum quod est signum tantum, et ultimum quod est res tantum : cum igitur ultimum sit in ratione effectus tantum, et primum in ratione signi tantum : medium erit in ratione effectus et causæ : ergo medium quod est character, est causa ultimi quod est res tantum, scilicet gratiæ.

Sed contra. Sed contra hoc objicitur per diffinitionem causæ : quia causa est (ut dicit Boetius) cujus esse sequitur aliquid ex necessitate : sed esse characteris non ex necessitate sequitur gratia, ut patet in ficto : ergo videtur, quod non sit causa gratiæ.

Solutio Ad 1. Sed quia de hoc jam infinita dicta sunt et hic et supra ubi agebatur de fictione [1], dicendum quod character est causa gratiæ hoc modo quo signum sa-

[1] Cf. Supra, Dist. IV, Artic. 2 et 3.

cramentale est causa, scilicet disponens in subjecto, ut supra in diffinitione *sacramenti* habitum est.

Ad 2. Ad ultimum autem dicendum, quod est causa quantum est de se : et sic sequitur gratia : sed impeditur per accidens ex parte fictionis.

ARTICULUS IX.

Quæ gratia est sanctificatio in utero, et quando datur, et quantum valet? et, An talis esset baptizandus si nunc nasceretnr ?

Deinde quærendum est de charactere ex parte suscipientis : et de hoc infra determinabitur in hac eadem distinctione, et ideo usque illuc differatur.

Et quæratur de hoc quod dicit, ibi, B, § 2 : « *Illud etiam ignorandum non est, quod in materno utero nullus baptizari potest,* etc. »

Non enim est disputatio de sanctificatis in utero, scilicet de Joanne et Jeremia, de quo etiam disputata sunt plura in primo libro *Sententiarum* [1].

Quæst. 1. Quæratur ergo, quæ gratia sit sanctificatio in utero, et quando datur, et quantum valet ? Et hæc quæstio pertinet ad Jeremiam et Joannem : quia de Beata Virgine supra habitum est : et, Utrum baptizari deberet parvulus, si modo aliquis in utero sanctificatus nasceretur ?

Videtur autem, quod gratia sanctificationis in utero non sit gratia baptismalis : quia

1. Illa non potest dari, ut dicit Isidorus in *Littera*, non nato secundum Adam : in utero autem existens non est natus secundum Adam : ergo ipse gratiam sacramentalem suscipere non potest.

2. Item, Totum tempus conceptus deputatum est maledictioni primæ in Psalmo L, 7, ubi dicitur : *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.* Ergo videtur, quod tempus conceptus repugnet sanctificationi : ergo videtur, quod nullus potest in utero sanctificari.

3. Item, Quidquid trahitur a massa corruptionis, est infectum corruptione prima, si per causam seminalem fuit in illa, ut dicit Augustinus : ergo in tempore conceptionis videtur, quod non sit sanctificatum, ubi infectionis est totum tempus : tempus autem conceptionis est tempus tractus carnis pueri a carne parentum : contrahit autem continue aut substantiam aut nutrimentum de carne parentum infecta : ergo videtur, quod iterum non possit sanctificari : ergo nullus potest sanctificari in utero.

Sed contra. Sed contra hoc sunt multæ Glossæ.

1. Super illud Lucæ, I, 44 : *Ecce enim ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis,* dicit Glossa : « In ipso momento quo vox intrat ad aures corporis, spiritus intrat cor audientis : et non solum matrem, sed etiam sobolem amore advenientis accendit. » Ergo videtur, quod sanctificatus fuit puer : quia aliter non fuisset accensus amore charitatis.

2. Item, Ibidem alia Glossa super illud : *Exsultavit in gaudio infans in utero meo* [2], dicit sic : « Prior Joannes exsultavit, quia prior sensit gratiam : et sicut illa Mariæ, sic iste adventum Domini sensit. » Non autem potuit sentire nisi per excellentem gratiam sanctificationis : ergo videtur, quod sanctificatus fuit.

3. Item, Ibidem alia Glossa dicit sic : « Non prius est repleta Spiritu sancto mater quam Filius. » Ergo patet, quod fuit plenus Spiritu sancto : et hoc non potest esse sine sanctificatione : ergo fuit sanctificatus in utero.

[1] Cf I Sententiarum, Dist. I.

[2] Luc. I. 44.

Quæst. 2. Sed tunc quæritur ulterius, Quando datur?

Videtur autem, quod ante animationem,

1. Per illud Jerem. 1, 5: *Priusquam te formarem in utero, novi te: et antequam exires de ventre, sanctificavi te.* « Formatur autem puerperium, ut dicit Augustinus super *Exodum*, quando animatur embryo in utero: » si ergo fuit natus in utero per gratiam ante formationem, ipse fuit sanctificatus ante animationem.

2. Hoc etiam videtur per quamdam Glossam super Luc. 1, 44, quæ dicit: « Nondum erat illi spiritus vitæ, et jam erat spiritus gratiæ: » spiritus autem vitæ est anima: ergo ante animationem fuit sanctificatus.

3. Hoc etiam videtur per rationem: quia causa infectionis est materia in utero: cum igitur pronior sit Deus ad miserendum quam ad condemnandum, videtur quod sanctificatio animam præcedere debuit.

4. Item, Sapiens medicus curat causam morbi a radice: sed Deus sapientissimus est: ergo videtur, quod ipse inceperit curam morbi originalis a radice: radix autem in corpore est ante animam: ergo videtur, quod ibi incepit sanctificationem.

Sed contra. Sed contra:

Sanctificatio non est nisi per gratiam: gratiæ autem gratum facientis quæ est in virtutibus nihil est susceptibile nisi rationalis spiritus: ergo ante spiritum rationalem non potuit esse sanctificatio aliqua: ergo non fuit sanctificatus ante animationem.

Quæst. 3. Ulterius quæritur, Quantum valet illa gratia sanctificationis in utero?

Videtur enim minus valere quam gratia baptismalis: quia

1. Baptismus imprimit characterem: sed gratia sanctificationis in utero non imprimit: ergo videtur, quod minus valeat.

2. Item, Baptismus operatur virtute passionis Christi, et divina, et fidei Ecclesiæ: sed gratia sanctificationis in utero non operatur nisi virtute divina tantum: ergo videtur, quod minorem relinquat effectum, quam gratia baptismalis.

Sed contra hoc videtur iterum esse, quia vigor singularis privilegii semper transcendit beneficium commune: beneficium autem commune est gratia baptismalis: et gratia sanctificationis in utero non operatur nisi tantum virtute divina: ergo videtur, quod gratia sanctificationis in utero transcendant gratiam baptismalem. Sed co

Ulterius quæritur quarto, Si baptizandus esset aliquis, si hoc modo nunc nasceretur? Quæs

Videtur autem, quod non: quia

1. Efficacior est virtus divina quam virtus sacramenti: sed in sanctificatis in utero est virtus divina operans: ergo non debet adhiberi sacramentum.

2. Item, In natura nihil fit frustra: ergo multo minus in operibus divinis: sed frustra esset, si essent duæ operationes ad unum habitum inducendum, cum per unam sufficienter haberetur: ergo cum sufficiens habeatur gratia per sanctificationem in utero, videtur quod frustra baptizaretur.

3. Item, Non iteratur sacramentum ne fiat injuria: ergo sacramentum non debet conferri ne fiat injuria operationi divinæ in sanctificatione in utero.

Sed contra est, quod Sed co

1. Si aliquis sanctus accedat ad baptismum, sicut Cornelius, nihilominus tamen necesse habet baptizari, sicut supra habitum est de his qui sancti veniunt ad baptismum [1]: ergo a simili videtur, quod etiamsi in utero sit sanctificatus, baptizari adhuc teneatur.

2. Item, Constat, quod characterem

[1] Cf. Supra, Dist. IV

non habet : ergo tenetur eum suscipere : et non potest nisi per baptismum : ergo tenetur baptizari.

Et hæc sufficiant ad præsens : quia plura de hoc quæsita sunt supra in distinctione tertia.

Solutio. SOLUTIO. Dicendum, quod gratia sanctificationis in utero circa tres personas habuit locum, quæ spiritualem ordinem Spiritus sancti habebant ad illam sanctitatem in utero, de qua dicitur, Matth. I, 20 : *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Et, Luc. I, 35. *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Et hic ordo super tertium *Sententiarum* expositus est [1].

Ad quæst. 1. Ad 1. AD PRIMUM ergo quod in contrarium objicitur, dicendum quod natus secundum Adam est aliquis duobus modis, scilicet nativitate in utero quando formatum est puerperium, et nativitate ex utero quando procedit in lucem. Et de prima nativitate verum est generaliter quod dicit Isidorus, propter sententiam Domini : quia omnes tenet lege concupiscentiæ conceptos, sicut dicitur, ad Ephes. II, 3 : *Eramus natura filiæ iræ.* Sed de secunda non tenet nisi de renatis per sacramentum, et non per beneficium spirituale sanctificationis.

Ad 2. AD ALIUD dicendum, quod hæc est falsa, quod totum tempus conceptus deputatur maledictioni : quia sic a singulis momentis acciperet maledictiones diversas, aut unam traheret successive : sed tantum unum momentum maledictionis est, scilicet in quo inditur anima.

Ad 3. AD ALIUD dicendum, quod licet embryo per totum tempus conceptionis trahat nutrimentum a matre corrupta, vel a parentibus corruptis : tamen trahit non causam novæ corruptionis : quia nutrimentum non efficitur novum corpus quod animetur, sed unitur corpori jam facto et animato, et ideo non habet causam corruptionis nisi in illo.

Ad quæst. 2. AD ID quod ulterius quæritur, Quando datur illa gratia ?

Dicendum, quod post animationem : in lumbis enim Adæ vel Abrahæ vel aliorum etiam in carne parentum, vel ante conceptum, non potest aliquis sanctificari : et hoc totum super tertium *Sententiarum* ostensum est : et causa dicta est ibidem [2].

Ad 1. AD ID ergo quod contra objicitur, dicendum quod notitia qua novit Jeremiam ante sanctificationem fuit notitia prædestinationis : et ideo subjungit de sanctificatione præsentis justitiæ, quando dicit : *Antequam exires de ventre, sanctificavi te.*

Ad 2. AD ALIUD dicendum, quod Glossa sic intelligitur, « Nondum erat ei spiritus vitæ, » id est, liber anhelitus quo ipse nutritur et fovetur separatus a matre : « sed tamen ei erat spiritus qui est causa vitæ. » Et probatur per dictum Angeli qui ad Beatam Virginem dixit : *Hic mensis est sextus est illi, quæ vocatur sterilis* [3] : nullus autem conceptus est quin mense sexto sit formatus, præcipue in terris calidis, sicut est terra ultramarina, in quibus etiam quandoque septimus mensis statim partui deputatur.

Ad 3. AD ALIUD dicendum, quod pronior est ad miserandum : sed tamen non facit quod non potest fieri. Omnis autem forma ad hoc quod sit determinata, quærit subjectum proprium : et ideo non dat gratiam antequam sit subjectum in quo possit recipi gratia et virtus : et hoc non est corpus. Præterea, spiritualis medicina a spiritu ad corpus secundum rationem congruitatis debet derivari.

Si autem objiciat aliquis, quod potuit Deus causam infectionis amoveri a corpore : et tunc anima non inficeretur cum infunditur. Dicendum, quod potuit Deus

[1] Cf. III Sententiarum, Dist. III, Art 8.
[2] Cf. Ibidem, Art. 4.
[3] Luc. I, 36.

facere: sed non decuit justitiam, quia omnes in peccatis concipiendos condemnavit.

Præterea, ille qui sic conciperetur, non esset sanctificatus ex hoc, sed esset in statu innocentiæ primæ : et hoc non esset decor justitiæ, sed esset deformitas, quod unus indigeret redemptore et alter non.

Ad 4. AD ALIUD dicendum, quod cura morbi culpæ non potest incipere in corpore : quia in corpore ut in subjecto non est culpa aliqua, sed pœna tantum : et illa in parte remanet post baptismum, sed non inficit post baptismum propter gratiam redemptionis, et propter characterem baptismalem, sicut dictum est super secundum *Sententiarum*, in tractatu de *peccato originali* : et ideo congruissimo modo incipit medicina ab anima.

Adquæst 3. AD ID quod ulterius quæritur, dicendum est, quod hæc gratia simpliciter major est quam gratia baptizati : quia plus debilitat fomitem, sicut notatum est super tertium *Sententiarum :* sed gratia baptismalis secundum quid est major, quia imprimit characterem, et secundum hoc est major.

Et sic patet solutio ad omnia objecta contra istum articulum.

AD ALIUD quod ulterius quæritur, dicendum quod si nasceretur infans in utero cum gratia sanctificationis, ipse deberet baptizari propter præceptum Domini, et propter characterem, sicut Jeremias fuit circumcisus, et Joannes, et Beata Virgo, ut puto, fuerunt baptizati. Ad quæst. Ad 1.

AD ID autem quod contra objicitur, dicendum quod divina operatio sufficientissima est ad hoc quod operetur : sed non opeatur characterem baptismalem, nec solutionem præcepti sui : et ideo licet gratiam dederit, tamen restat adhuc necessitas baptizandi. Ad objec. 1 et 2.

Per hoc etiam patet solutio ad sequens.

AD SECUNDUM ET TERTIUM dicendum, quod nemo est adeo plenus gratia quin possit fieri plenior : et ideo ibi recipit gratiam pleniorem et characterem : et ideo divinæ operationi non fit injuria : sed si baptizaretur ad idem habendum quod habitum est per divinam operationem, tunc teneret objectio facta. Ad 2 et

D. *Leo papa.*

Præterea sciendum est, quod illi de quibus nulla exstant indicia inter propinquos vel domesticos vel vicinos a quibus baptizati fuisse doceantur, agendum est ut renascantur ne pereant : in quibus quod non ostenditur gestum, ratio non sinit ut videatur iteratum. Conferendum eis videtur, quod collatum esse nescitur : quia non temeritas intervenit præsumptionis, ubi est diligentia pietatis [4].

[4] De consec. dist IV, cap. *Si nulla* (Nota ed. Lugd.)

ARTICULUS X.

An aliquis invitus, amens, dormiens, potest baptizari ?

Deinde quæritur de hoc quod dicitur, ibi, D, « *Præterea sciendum est, quod illi quibus nulla exstant indicia*, etc. »

Et quæritur juxta hoc, Utrum si aliquis sit mutus, vel dormiens, vel invitus et reclamans, tamen posset baptizari ?

Videtur, quod sic : quia

1. Motus liberi arbitrii non exigitur ad baptismum, cum parvuli non habeant usum liberi arbitrii, in quibus tamen operatur virtus baptismi.

2. Item, Pro peccato alieno videtur sufficere fides aliena, id est, Ecclesiæ : originale autem peccatum alienum est : ergo videtur, quod illi sufficiat fides Ecclesiæ quæ æqualiter offertur invitis et surdis et mutis et dormientibus et amentibus : sicut parvulis : ergo videtur, quod consequitur characterem et gratiam baptismalem.

Solutio. Dicendum, quod aliter est in invitis, et aliter in aliis. Distinguit enim Papa inter invitum, et invitum. Est enim invitus non credens, tamen operationi Ecclesiæ non reclamando se subjiciens, ut hoc ipsum consequatur quod credit facere Ecclesiam : et hic consequitur characterem. Est etiam invitus aperte reclamans, et non subjiciens se operationi Ecclesiæ : et hic nihil consequitur, etiamsi millesies immergeretur. Solutio.

De amentibus autem puto, quod baptizandi sunt, præcipue si filii sunt Christianorum : et etiamsi alii baptizentur, puto quod recipiant characterem et virtutem baptismi, si sint amentes a natura. Si autem dum ratione utuntur, reclamaverint, puto quod nihil consequuntur, si baptizantur in amentia.

De dormientibus idem dico, quod si baptizantur, et reclamaverint in vigilia, non consequuntur quidquam : si autem annuerint, vel interrogati non reclamaverint, puto quod baptizari consequuntur characterem ad minus, et etiam gratiam si compuncti fuerint ante somnum : sed non est faciendum nisi in extrema necessitate periculi.

E. *De illo qui pro ludo immergitur.*

Solet etiam quæri de illo qui jocans, sicut mimus, commemoratione tamen Trinitatis immergitur, utrum baptizatus sit? Hoc autem Augustinus non diffinit, ita inquiens[1]: Si totum ludicre et mimice et joculariter ageretur, utrum approbandus esset baptismus qui sic daretur, divinum judicium per alicujus revelationis miraculum oratione implorandum esse censerem. Videtur tamen sapientibus non fuisse baptisma : ut cum aliqui balneum vel

[1] S. Augustinus, Lib. de Baptismo, et habetur de consec. dist. IV, cap. *Solet etiam quæri* (Nota edit. Lugd.)

in flumen merguntur in nomine Trinitatis, non est tamen baptismus, quia non intentione baptizandi illud geritur. Nam in hoc et in aliis sacramentis sicut forma est servanda, ita et intentio illud celebrandi est habenda. Illud etiam te non moveat, quod quidam non ea fide parvulos ad baptismum ferunt, ut per spiritum ad vitam regenerentur æternam : sed eos putant hoc remedio temporalem accipere sanitatem : non enim propterea illi regenerantur, quia nec ab illis hac intentione offeruntur.

ARTICULUS XI.

An aliquis potest jocando vel mimice baptizari ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, E, « *Solet etiam quæri de illo qui jocans, sicut mimus*, etc. »

Videtur enim, quod non sit baptismus : quia sicut statim dicitur in *Littera*, intentio exigitur in hoc, et in aliis sacramentis : mimice autem immergens jocari et non baptizare intendit : ergo ille nihil confert.

Sed contrarium videtur quod aliud consequitur : quia Augustinus super hoc dubitat.

Item, Videtur quod intentio nihil operatur ad sacramentum : quia

1. Dicit Augustinus, quod baptizat ebriosus, et baptizatum est : ebriosus autem non potest intendere : quia sicut notatum est super secundum *Sententiarum*, intentio est voluntas cum fine, vel ratio determinans finem : et ebriosus usum rationis non habet : ergo intentio in sacramento nihil operatur.

2. Item, In Evangelio non fit mentio da intentione, cum dicitur in fine Matthæi, xxviii, 19 : *Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos*, etc. : non autem dicitur, Intendite baptizare.

3. Item, Ex parte suscipientis non exigitur intentio suscipiendi : ergo videtur, quod nec ex parte dantis intentio dandi.

4. Item, Omnes exponimur per hoc periculo, quia nescimus utrum sacerdos intendat aut non. Et videtur, quod ex odio multos potest negligere non intendendo : ergo videtur, quod cum baptismus sit sacramentum necessitatis, quod intentio esse non debeat,

5. Item, De hæretico habitum est supra quod baptizat ; et tamen ipse non intendit facere quod facit Ecclesia. Quod autem opus hæretici imprimat characterem, dicit Ambrosius in libro de *Libero arbitrio*, de baptismo parvulorum, sic : « Characterem multi lupi infigunt : qui videntur esse intus, verumtamen ad illud ovile quod unum est ex omnibus, non pertinere morum suorum fructibus cognoscuntur. »

6. Item, Ibidem, « Dominicus character cum ovis errans liberata ab errore, ad Christianam veritatem redit, agnoscitur, non improbatur. »

7. Etiam in *Littera* supra expresse habitum est. Ergo non intendens baptizat, ut videtur : ergo non exigitur intentio, sicut dicitur in *Littera :* et ita mimice baptizatus, baptizatus est, etsi totum fuerit mimicum, ut videtur.

Solutio. Dicendum, quod intentio ex parte dantis exigitur ad baptismum : sed non intentio consecrandi aliquid, sed tantum faciendi quod facit Ecclesia : et hoc exprimitur per verbum baptizandi, cum dicitur : « Ego te baptizo, » ut supra dictum est in quæstione de *forma* Solutio.

baptismi. Unde si joculariter cum intentione faciendi quod facit Ecclesia super non baptizatum non reclamantem ante, vel tunc, proferatur, baptizatum est : et tunc non totum est mimicum : quia intentio in verbo primæ personæ expressa, mimica non fuit. Si autem mimicum est, et ille reclamat, tunc nihil ille consequitur.

Ad 1. Ad illud quod contra objicitur, dicendum quod aliud est baptizare ebriosum, quam ebrium : ebrius enim in actu non habet usum rationis, sed ebriosus non necessario est ebrius.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod intentio significatur in actu baptizandi expresse : quia præter intentionem non est ordinata actio a sapiente.

Ad aliud dicendum, quod ex parte suscipientis ponitur intentio ad factum Ecclesiæ, quando non reclamando se submittit : et talis intentio sufficit. Ad 3.

Ad aliud dicendum, quod ex hoc non exponitur periculo : quia exprimitur generalis intentio in verbo baptizandi : et illa expressio sufficit ad intentionem Ecclesiæ, scilicet ad faciendum quod facit Ecclesia : licet non credat hoc aliquid valere : talis autem intentio sufficit, ut jam dictum est. Ad 4.

Et per hoc patet solutio ad totum.

F. *Quod duo tempora erant in quibus baptizabantur homines.*

Agnoscendum est etiam in baptizandis electis duo tempora esse servanda, id est, Pascha et Pentecosten, ut in sabbato Paschæ vel Pentecostes baptismi sacramentum celebretur. Qui vero necessitate mortis vel periculi urgentur, omni tempore debent baptizari [1].

ARTICULUS XII.

An in electis baptizandis debent servari duo tempora, scilicet Paschæ et Pentecostes ?

Deinde quæritur de hoc quod dicitur, ibi, F, « *Agnoscendum est etiam in baptizandis electis*, etc. »

Quæ sit ratio illorum duorum temporum ? quia

Videtur, quod in Epiphania deberet esse baptismus : quia

1. Tunc baptizatus est Dominus, et vim regenerationis contulit aquis [2].

2. Item, Tunc aperti sunt super eum cœli, sicut baptismus cœlos aperit : ergo tunc magis est secundum congruentiam tempus baptizandi.

3. Item, In die nativitatis videtur esse tempus : quia baptismus habet similitudinem cum regeneratione spirituali : ergo ordinatur ad nativitatem magis quam ad resurrectionem, ut videtur.

4. Præterea, Cum sit sacramentum

[1] Leo Papa. De consec. dist. IV, cap. *Duo tempora* (Nota ed. Lugd.)

[2] Cf. Matth. III, 13 et seq. ; Marc. I, 9 et seq. ; Luc. III, 21 et 22.

necessitatis quod differre est periculum, videtur semper esse tempus baptizandi.

Solutio. SOLUTIO. Tempus necessitatis est semper, quando nascuntur parvuli : sed tempus congruentiæ est bis in anno, ut tangitur in *Littera :* quia per baptismum consignamur morti et resurrectioni, ut dicit Apostolus, ad Roman. VI, 4, quoniam sepelimur cum illo per baptismum in mortem, etc. : et ter immergimur propter triduanam sepulturam : et nudi extrahimur propter testimonium resurrectionis. Hoc est quod dicit : *Consepulti sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus* [1]. In Pentecoste autem : quia Spiritus sanctus operatur in baptismo, qui tunc missus celebratur.

Ad 1. AD ID ego quod contra objicitur, dicendum quod vis regenerativa est imperfecta ad regenerandum, quam contulit Dominus tactu suæ mundissimæ carnis frigentibus undis, ut dicit Beda, et reducitur ad actum per veritatem Passionis et invocationem Trinitatis : et ideo in Passione aqua cum sanguine de latere Christi exivit, ut intelligatur sanguis in aqua operans.

Ad 2. AD ALIUD dicendum, quod cœlum tunc apertum fuit ad exitum gratiæ : sed ad introitum in gloriam apertum fuit in Passione et Resurrectione, et quoad locum in Ascensione, sicut supra determinatum est.

Ad 3. AD ALIUD dicendum, quod ut dicit Petrus, Gregorii discipulus, in benedictione cerei paschalis : « nihil nobis nasci profuit, nisi redimi profuisset : » et ideo spiritualis regeneratio magis pertinet ad resurrectionem, quam ad nativitatem : quia in resurrectione Christus deposuit vetustam pœnalitatem, sicut homo deponit vetustatem peccati.

G. *De responsione patrinorum.*

Porro cuncti ad baptismum venientes, fidem suam profiteri debent, et exponere quid [2] petendum venerint ad Ecclesiam. Unde etiam a baptizando quæritur : Quid venisti ad Ecclesiam petere? Qui, si adultus est, pro se respondet : Fidem, id est, sacramentum fidei, et doctrinam. Ita etiam per singula interrogatus, respondet se credere in Patrem et Filium et Spiritum sanctum. Si autem parvulus est, non valens credere vel loqui, alius pro eo respondet. Unde Isidorus [3] : Parvuli alio profitente baptizantur, qui adhuc loqui vel credere nesciunt : sicut etiam pro ægris, mutis, vel surdis alius profitetur dum baptizantur : sic et de pœnitentibus agendum est. Si vero pro eo qui respondere potest, alius respondeat, non itidem valet, sicut dictum est : *Ætatem habet, ipse de se loquatur* [4].

[1] Cf. ad Coloss. II, 12.
[2] Edit J. Alleaume, *ad quod*.
[3] S. ISIDORUS. Lib. II de Officiis, cap. 24. De consec. dist. IV, cap. *Parvuli* (Nota edit. Lugd.)
[4] Joan. IX, 21.

Si vero quæritur, ex quo sensu pro parvulo dicatur, Credo, vel Fidem peto. Dicimus de sacramento fidei id esse intelligendum, quod respondetur petere cum defertur ad Ecclesiam, et habere fidem cum baptizatur : ut sit sensus cum dicitur, Fidem peto, id est, sacramentum fidei præsto sum recipere : Credo, id est, sacramentum fidei suspicio : quod est, hic parvulus præsto est sacramentum fidei accipere. Unde Augustinus [1] : Nihil est aliud credere quam fidem habere : et ideo cum respondetur credere parvulus, qui fidei nondum effectum habet, respondetur fidem habere propter fidei sacramentum, et convertere se ad Deum propter conversionis (alias, fidei) sacramentum.

Sed adhuc quæritur, ex quo sensu pro parvulo respondeatur : Credo in Deum Patrem, et in Jesum Christum, et Spiritum sanctum. Numquid de sacramento fidei, an de fide mentis ibi agitur? Si de sacramento, cur nominatim distinguuntur personæ? Si vero de fidei affectu, quomodo verum est, cum ea parvulus careat? An illud facturus parvulus spondetur cum creverit, sicut et omnibus pompis diaboli spondetur abrenuntiare : quod si non servaverit factus adultus, tenebitur ipse, vel sponsor? Sane etiam dici potest ibi sponderi pro parvulo, quod ad majorem ætatem si venerit, et pompis diaboli renuntiabit, et sanam fidem tenebit, cujus tunc sacramentum recipit. Hac autem sponsione parvulus pro quo fit, tenebitur, non sponsor : si tamen ut cautio impleatur, quantum in se est, operam dederit, quia exigitur a patrino, ut sit diligens circa eum pro quo spopondit, sollicitudo. De hoc Augustinus : Certissimam emisistis cautionem, qua renuntiare pompis diaboli spopondistis.

ARTICULUS XIII.

An venientes ad baptismum, fidem debent profiteri ? et, An illa professio sit votum ?

Deinde quæritur de hoc quod dicitur, ibi, G. « *Porro cuncti ad baptismum venientes, fidem suam profiteri debent,* etc. »

Ex hoc enim videtur esse votum sponsio, quæ fit in baptismo : quia votum est spontanea promissio melioris boni, deliberatione et obligatione firmata : sed constat, quod peccans contra votum, peccat dupliciter uno peccato, quia actum illicitum committit, et quia contra votum facit : ergo videtur, quod omnis baptizatus peccando post baptismum, dupliciter peccat : ergo baptizatus condemnationem suam deteriorem facit.

Solutio.

Solutio. Dicendum, quod non est votum nisi valde generaliter et improprie

[1] S. Augustinus, Epist. 23 ad Bonifacium. De consec. dist. IV, cap. *Nihil est aliud* (Nota edit. Lugd.)

sumendo : quia votum est conceptio melioris conditionis boni, et promissio deliberata obligatione firmata : non autem dicitur melius bonum nisi consilii, non præcepti : baptizandus autem non promittit nisi bonum præcepti, ad quod tantum obligatus est : et ideo non est votum proprie.

Et sic patet solutio ad totum.

ARTICULUS XIV.

An parvulus ad ætatem veniens, tenetur ad ea quæ pro ipso voverint patrini ? et, An patrini obligati sunt tamquam fidejussores fidei eorum ? et, Quo sensu patrini dicant, Credo ?

Deinde quæritur de hoc quod dicitur, ibi, G, § 1 : « *Si autem parvulus est, non valens credere vel loqui,* etc. »

Utrum parvulus ad ætatem veniens, obligatur ad ea quæ pro eo spoponderunt patrini ?

Videtur autem, quod sic : quia

1. Dicit Dionysius, quod sensus verborum quæ dicunt patrini est, quod puer ille in sensum veniens, tenebit sacras confessiones, quæ ibi spoponderunt : ergo obligatur, ut videtur, ad hoc.

2. Item, Majus est quod homo sit ordinatus ad bonum, quam ad malum : sed ad malum ligati sumus alterius trangressione : ergo etiam ad bonum obligari possumus alterius obligatione et confessione : ergo pueri obligantur per verba patrinorum, ut videtur.

Sed contra. Sed contra :

Si aliquis vovet filium suum religioni ante annos discretionis, filius ad annos discretionis veniens, non est obligatus : ergo a simili non obligatur per responsa patrinorum.

Ulterius quæritur, Utrum patrini obligati sunt quasi fidejussores fidei eorum ? Quæst. 1

Videtur autem quod sic : quia

1. Ita dicit Augustinus in quodam sermone : « Vos autem omnes tam viros quam mulieres qui filios in baptismate suscipitis, moneo, ut vos cognoscatis fidejussores apud Dominum exstitisse : monete ergo eos ut semper castitatem custodiant, justitiam diligant, charitatem ament, ante omnia symbolum et Dominicam orationem discant : et vosipsi tenete, et illis quos suscepistis, ostendite. » Ergo videtur, quod obligantur.

2. Item, Ambrosius : « Longe plus debemus diligere filios quos sacro fonte levavimus, quam quos genuimus : » constat autem, quod nos obligamur providere pueris carnalibus bona : ergo multo magis spiritualibus : ergo tenemur tamquam fidejussores pro eis.

Ulterius quæritur, Ex quo sensu patrinus pro parvulo dicit, *Credo ?* Quæst. 2

Aut enim loquitur in persona sui : aut in persona parvuli. Si in persona sui : hoc nihil est : quia sacerdos quærendo fidem, nominat parvulum, et quærit de parvulo. Si autem loquitur in persona parvuli : tunc videtur falsum dicere, quia parvulus non credit.

Solutio. Solutio. Dicendum videtur, quod parvulus obligatur ad fidem, et ad mores qui continentur ex susceptione baptismi.

Ad id autem quod contra objicitur, dicendum quod nihil est simile : quia in baptismo non promittitur aliud pro parvulo, ad quod ex naturali lege non tenetur : sed in voto est ultra hoc spontanea obligatio : et ideo hoc non potest alius facere pro alio. Unde parvulus in baptismo non facit nec accipit novam obligationem : sed potius emolumentum accipit ex confessione fidei alienæ, quæ sibi debet fieri propria.

quæst. 1. Ad 1. Ad id quod ulterius quæritur, dicendum quod patrini obligantur ad diligentiam, si alias non instruantur : sed quia in solemni Ecclesia cantatur *Pater noster*, et *Credo in Deum*, et mores prædicantur, et ostenduntur in exemplis bonorum modo : idcirco non adhibetur tanta sollicitudo, sicut in primitiva Ecclesia, quando parvuli inter infideles nutriebantur : et hoc intendit auctoritas Augustini.

Ad 2. Ad id quod objicitur de Ambrosio, dicendum quod secundum quid magis debemus diligere spirituales filios, sed carnales simpliciter : *magis* autem dico secundum quid, in quantum spiritualis filiatio nobilior est, quam carnalis : simpliciter tamen magis obligamur filiis carnalibus : et in ordine diligendorum carnales spiritualibus præponuntur, ut supra in tertio *Sententiarum* notatum est.

Ad quæst. 2. Ad id quod ulterius quæritur de sensu verborum, dicendum, quod cum dicitur, *Credo* vel *Abrenuntio*, in persona parvuli dicitur : et tantum valet ibi *Credo*, quantum sacramentum fidei paratus sum suscipere, cum non habeam obicem contrariæ voluntatis et dissensus : et ad hujusmodi credere non exigitur usus liberi arbitrii.

Unde ex hoc potest patere solutio ad objectum in contrarium.

II. *De catechismo et exorcismo.*

Illa autem interrogatio et responsio fidei fit in catechismo, cui additur exorcismus. Ante baptismum enim fit catechismus et exorcismus : post catechismum sequitur exorcismus, ut ab eo qui jam fide instructus est, adversaria virtus pellatur. Exorcismus de Græco dicitur in Latinum *adjuratio:* catechismus, *instructio*. Catechizare est instruere, ut de symbolo ac rudimentis fidei. Exorcizare est adjurare : ut, Exi ab eo, spiritus immunde. Symbolum est signum vel collatio. Signum, quia eo fideles ab infidelibus discernuntur. Collatio, quia ibi totius fidei sufficientia et integritas est collata. Catechismus et exorcismus neophytorum sunt : magisque sacramentalia quam sacramenta dici debent. Neophytus novitius interpretatur vel rudis : et dicitur neophytus nuper ad fidem conversus, vel in disciplina religiosæ conversationis rudis. Hæc ergo præcedunt baptismum : non quod sine istis non possit esse baptismus verus, sed ut baptizandus de fide instruatur, et sciat cui debitor fiat deinceps, et ut diaboli potestas in eo minuatur. Unde Rabanus [1] : Ante baptismum, catechizandi debet in homine prævenire officium clericorum : ut fidei catechumenus accipiat ru-

[1] Rabanus, De institutione clericorum, et habetur de consec. dist. IV, cap. *Ante baptismum* (Nota edit. Lugd.)

dimentum, et sciat cui debitor fiat deinceps. Item, Augustinus [1] : Parvuli exsufflantur et exorcizantur, ut ab eis pellatur potestas diaboli, ne jam contendat eos subvertere, ne baptismum consequantur. Non ergo ab infantibus creatura Dei exsufflatur [2] vel exorcizatur, sed diabolus, ut recedat ab homine.

ARTICULUS XV.

Quare catechizantur parvuli ? et, Ad quid valet catechismus ?

Deinde quæritur de hoc quod dicitur, ibi, H, « *Illa autem interrogatio et responsio fit in catechismo, cui additur exorcismus.* »

Quæritur enim, Quare catechizatur parvulus, cum adhuc non sit susceptivus disciplinæ ?

Videtur enim deviare Ecclesia.

Quæst. 1. Item quæritur, Ad quid valet exorcismus ?

Aut enim expellit dæmonem ab obsidione parvuli corporali, aut spirituali. Si corporali : tunc non deberet fieri nisi in corporaliter obsessis et furiosis ex oppressione dæmonis : et hoc non fit. Si autem fit ad expellendum spiritualiter a parvulo : aut habet effectum, aut non. Si habet effectum : ergo exorcizatus non baptizatus potest salvari, et in statu esse salvandorum : quod falsum et hæreticum est. Si autem non habet effectum : tunc pro nullo et ridiculose fit.

Sunt autem quidam, qui ad hoc dicunt, quod habet effectum non in se, sed in baptismo, ut scilicet baptismus consequatur effectum pleniorem. Sed hoc nihil mihi videtur : hoc enim esse non potest nisi confortando baptismum, vel disponendo subjectum ut magis fiat habile ad gratiam percipiendam. Si primo modo : hoc est impossibile : quia quod non est, non potest conferri : baptizatus autem adhuc non est, quando exorcizatur parvulus. Nec secundo modo esse videtur : quia non potest disponere subjectum, nisi aut ex parte pœnæ, aut ex parte culpæ. Non ex parte pœnæ : quia illa connexa est culpæ : et non debilitatur, nisi culpa debilitata. Nec ex parte culpæ : quia illa aut tota dimittitur, aut tota manet : constat autem, quod non tota dimittitur in exorcismo : ergo tota manet : ergo subjectum ante exorcismum et postea æqualiter se habet : ergo in nullo disponitur ab exorcismo.

Ulterius quæritur hic de his quæ fiunt in exorcismo et catechismo, quæ et quot sint, et secundum quem ordinem, et quando fiant ? Qua

Solutio. Dicendum ad primum, quod duplex est vis dæmonis, scilicet interior, et exterior : unde per exorcismum puto, quod debilitatur vis dæmonis exterior, et non interior : sicut probat objectio. Vis autem dæmonis exterior est qua commovet fomitem in adulto, ne consequatur baptismum : et in parvulo ponit actiones mortis ante baptismum : et contra hanc vim exteriorem puto valere exorcismum. Sol Ad qu

Et per hoc patet solutio ad primo quæsita : quia baptismus operatur contra vim interiorem, et exorcismus contra vim exteriorem quæ est in fomite.

[1] S. Augustinus, Lib. de Symbolo.

[2] Edit. J. Alleaume, *efflatur*.

Ad quæst. 2. Ad hoc autem quod ulterius quæritur de numero et ordine eorum quæ exiguntur in baptismo : dicendum quod secundum diversas Ecclesiæ consuetudines variantur in numero et in ordine. Sed ut frequentius, primo exsufflatur : ut vis dæmonis exterior pellatur. Secundum, quod signum crucis fit ei in pectore et in fronte : ut diabolus se cognoscat pelli ab eo, tam in occulto cordis, quam in aperto confessionis. Tertio, accipit sal in ore : ut sapori sapientiæ præparetur, et fœtor fomitis restringatur. Deinde fit linitio narium et aurium cum sputo : ut discretionem fidei habeat, et gratiæ, quæ per salivam a capite descendentem significatur, et sensus ejus quoad doctrinam in auditu fidei, et discretione fidei signata in naribus, aperiantur Christo. Deinde fit unctio in pectore propter cor Deo præparandum, et in scapulis propter onera Domini cum invocatione Trinitatis, sine cujus adjutorio nihil facere possumus.

Post baptismum autem fit unctio chrismatis in vertice : ut aperiatur mens imputribilis Deo, ita quod mente contempletur æterna : quæ significantur per chrisma confectum ex oleo lucente et balsamo conservante a putredine. Deinde fit vestitio de vestimento candido in signum innocentiæ, quæ accipitur in baptismo, et gloriæ quæ accipitur in resurrectione. Tandem accensus cereus in manu ponitur, ut sit lucerna pedibus ejus verbum Dei, et lumen pedibus suis contra tenebras spirituales.

Et hæc de *baptismo* dicta sufficiant.

DISTINCTIO VII.

De sacramento confirmationis.

A. *De confirmatione.*

Nunc de sacramento confirmationis addendum est : de cujus virtute quæri solet. Forma enim aperta est, scilicet verba quæ dicit Episcopus, cum baptizatos in frontibus sacro signat chrismate. Hoc sacramentum ab aliis perfici non potest, nisi a summis sacerdotibus : nec tempore Apostolorum ab aliis quam ab ipsis Apostolis legitur peractum : nec ab aliis quam ab illis qui locum eorum tenent, perfici potest aut debet. Nam si aliter præsumptum fuerit, irritum habetur et vacuum, nec inter Ecclesiastica reputabitur sacramenta. Licet autem presbyteris baptizatos tangere in pectore, sed non chrismate signare in fronte [1].

Virtus autem hujus sacramenti est donatio Spiritus sancti ad robur : qui in baptismo datur [2] ad remissionem. Unde Rabanus [3] : A summo sacerdote per impositionem manus Paracletus traditur baptizato : ut roboretur per Spiritum sanctum ad prædicandum aliis illud, quod ipse baptismo consecutus est. Item, Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum post baptismum accipere debent Spiritum sanctum, ut pleni Christiani inveniantur [4].

[1] Cf. De consec. dist. IV, cap. *Presbyteri* (Nota ed. Lugd.)
[2] Edit. J. Alleaume, *datus est.*
[3] Rabanus, De institutione clericorum. De consec. dist. V, cap. *Novissime* (Nota ad Lugd.)
[4] Urbanus Papa. De consec. dist. V (Nota ed. Lugd.)

DIVISIO TEXTUS.

« *Nunc de sacramento confirmationis*, etc. »

Hic secundo loco Magister tangit de sacramento confirmationis, de quo determinat tria, scilicet ministrum in principio capituli istius : secundo, ubi etiam innuit formam et materiam et effectum, ibi, A, § 2 : « *Virtus autem hujus sacramenti est donatio*, etc. » Tertio loco, tangit causam non iterationis, et suscipientem, ibi, B, § 2 : « *Hoc sacramentum tantum a jejunis accipi, et jejunis tradi debet*, etc. »

ARTICULUS I.

An sacramentum confirmationis sit necessarium ?

Incidit autem hic quæstio ante *Litteram*, An sacramentum hoc sit necessarium ad salutem, vel tantum ad bene esse institutum ?

Videtur autem, quod sit necessarium : quia

1. Sine quo non est homo plenus Christianus, hoc est necessarium ad vitam Christianam : sed sine confirmatione non est homo plenus Christianus : ergo est necessaria ad Christianam vitam. PRIMA patet per se. SECUNDA scribitur supra, ubi dicit Urbanus : « Post baptismum accipere debent Spiritum sanctum, ut pleni Christiani inveniantur. » Inde ulterius : Sine Christiana vita non est salus : ergo sine confirmatione non est salus.

Si forte tu dicas, quod fere omnes dicunt, quod duplex est plenitudo, scilicet sufficientiæ, et copiæ : sive plenitudo gratiæ, et plenitudo roboris ejus : et dictum Urbani intelligitur de secunda plenitudine. CONTRA : Secundum hoc idem posset dici de consiliis et operationibus supererogationis : quia sine illis non est plenitudo copiæ : ergo videtur, quod confirmatio spectat ad plenitudinem necessitatis et sufficientiæ.

2. Item, Hugo de sancto Victore dicit : « Quid prodest si per baptismum erigeris, nisi per confirmationem ad standum confirmeris ? » Quasi diceret : Nihil. Ergo videtur, quod baptismus non prodest sine confirmatione ad salutem : ergo confirmatio necessaria est ad salutem.

3. Item, Sine expulsione morbi non est salus : quia semper remanet timor, et causa periculi manente morbo : sed omne sacramentum (ut supra dictum est) ordinatum est contra morbum peccati : ergo videtur, quod causa periculi non perfecte expellitur, nisi percipiatur gratia sacramenti : ergo oportet, quod percipiatur gratia confirmationis.

4. Item, Cum duæ sint partes justitiæ, scilicet declinare a malo, et facere bonum : illa pars quæ est facere bonum, substantialius operatur ad salutem, quam illa quæ est declinare a malo : quia ut dicit auctoritas, vitatio peccati non meretur palmam, sed evitat pœnam : ergo a simili cum gratia baptismalis sit ablutiva peccati, et sic est ordinata ad malum expellendum : quia gratia confirmationis habet ordinem ad bonum : videtur, quod substantialius operetur ad salutem gratia confirmationis, quam gratia baptismalis. Cum igitur sine baptismate non sit salus, nec sine confirmatione salus erit in via.

SED CONTRA : Sed contra.

1. Si confirmatio necessaria est ad salutem : ergo qui moritur baptizatus ante confirmationem etiam qui non est fictus, condemnatur : quod hæreticum est dicere.

2. Item, Supra habitum est, quod in baptismo confertur gratia et plenitudo

virtutum : habens autem gratiam et virtutem, habet omnia necessaria ad salutem : ergo ad salutem non necessario indiget confirmatione.

Solutio. Solutio. Dicendum, quod necessitas est multiplex, sicut determinatur a Philosopho in libro V *Metaphysicæ*. Est enim necessitas absoluta : et hac necessitate non est necessaria confirmatio ad salutem. Est iterum necessitas conditionis, scilicet finis alicujus : ut si debeat homo manere in vita, necesse habet comedere. Ita potest dici quod necessaria est confirmatio ad salutem : si debeat fides robuste et sine pavore defendi in impugnationibus hostis : licet enim alias ex gratia in baptismo percepta habeat unde stet, non tamen hoc habet ex gratia specialiter ordinata ad robur contra debilitatem quæ est ex fomite deprimente, ut infra patebit : et si debeat hoc robur haberi, necessarium est confirmari.

Ad 1. Dicatur ergo ad primum, quod ista solutio Magistrorum legitima est de plenitudine sufficientiæ et copiæ : sive plenitudine ad esse, et plenitudine roboris.

Ad hoc quod contra objicitur, dicendum quod aliter est in gratiis ordinatis ad meritum quales sunt in virtutibus et donis et beatitudinibus, ut supra dictum est : et aliter in gratia sacramentali quæ ordinatur contra defectum ex peccato provenientem. Quia illa dant plenitudinem copiæ mutantem statum personæ : sicut alius est status servantis consilia, et alius est status servantis præcepta tantum. Sed illa quæ sunt in sacramentis, expellunt peccatum in quocumque statu, vel defectum ex peccato provenientem : et ideo sine illis non est plenitudo simpliciter ordinata ad salutem vel ordinans. Unde gratia sacramentalis magis pertinet ad plenitudinem salutis Christianæ, quam gratia perfectionis in consiliis et supererogationibus.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod dictum Hugonis dupliciter potest intelligi : uno modo ut loquatur in casu ubi contemptus religionis excludit sacramentum : quia contemnere sacramentum est condemnabile, quamvis in se non sit necessarium. Alio modo potest dici, quod non dicit hoc : quia ex hoc sequitur condemnatio, sed quia ut frequenter sequitur ex debilitate cadendi in pugna spirituali.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod morbus dupliciter expellitur per gratiam sacramenti : uno modo quoad culpam, et sic expellitur in baptismo quoad originalem culpam, et in pœnitentia quoad culpam actualem : et ex hac expulsione habetur sufficientia salutis. Alio modo expellitur quoad pœnam inclinantem in culpam, et quoad hoc expellitur in confirmatione, et sacramento altaris, et extrema unctione : et ex hoc habetur sufficientia roboris ad pugnandum contra hostes spirituales.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod baptismus non consistit in sola ablutione sordium : sed circa corpus ponitur nitor et venustas ex ablutione, quæ significat nitorem animæ in gratia posita et in virtutibus. Licet etiam confirmatio sonet ordinem in bonum, tamen gratia confirmationis principaliter dicit robur ex ablutione dispositionis contrariæ audaciæ spirituali quæ est in confessione nominis Christi, ut infra patebit. Et ideo ex neutra parte simile est.

Præterea, Objectio falsum præsupponit : quia declinare a malo dicitur dupliciter, scilicet non facere malum negatione simplici : et hæc non est pars justitiæ, sed evitat pœnam. Alio modo declinare a malo dicit nolle facere malum, id est, velle non facere malum ; et hæc ponit actum voluntatis interioris tendentis a malo, qui est actus interior in habente gratiam : et hæc est proprie pars justitiæ generalis : et quoad illum meretur palimam : et cum hoc habet similitudinem baptismus qui consistit in ablutione et positione, et etiam confirmatio quæ aufert morbum et ponit robur ex gratia data simpliciter ad standum in pugna. Objectio autem supponebat, quod primo

modo declinare dictum esset pars justitiæ, et haberet similitudinem cum baptismo.

ARTICULUS II.

An sit aliqua materia determinata confirmationis, et quæ est illa ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, A, § 1, circa initium : « *Forma enim aperta est*, etc. »

Hæc enim verba dicit Episcopus cum confirmat : » Consigno te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, Amen. » Quidam autem habent hunc usum : « Confirmo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis, etc. » Sed primus modus generalior est.

Quæruntur autem multa circa hanc formam.

1. Primo, quia Apostoli nulla forma usi videntur esse in Actibus, sed simplici manuum impositione confirmabant. Act. VIII, 17 : *Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum.* Et infra, ℣. 18 : *Cum vidisset Simon quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus.*

2. Item, In Evangelio, Venientibus ad Jesum parvulis, imposuit illis manus [1]. Et non legitur, quod signaverit eos signo sanctæ crucis, vel confirmaverit chrismate salutis.

3. Hoc etiam videtur ratio postulare : quia in confirmatione datur Spiritus ad robur : et ideo datur ab illo qui excellentiorem gradum tenet in Ecclesia : ergo videtur, quod Spiritus ab illo traduci significatur in confirmandum : ergo non deberet retorqueri ad aliud : retorquetur autem ad aliud quando dicitur, Confirmo te, etc. : non ergo debet dici, ut videtur.

4. Præterea, Si sacramentum non habet institutionem nisi divinam, ut supra determinatum est, et omnes Doctores hactenus dixerunt : et Apostoli et Dominus confirmaverunt, non utentes aliqua forma : videtur quod nec Ecclesia uti debeat aliqua forma.

5. Item, Nusquam legitur in canone de institutione hujus formæ confirmationis, qua utuntur nostri temporis Episcopi : ergo videtur, quod sit ad bene esse appositum ab Ecclesia, et non sit de forma.

SED CONTRA : Sed contra.

1. Dicit Hugo de sancto Victore, quod « sacramentum est corporale et visibile elementum ex institutione significans, ex similitudine repræsentans, et ex sanctificatione invisibilem gratiam conferens. » Corporale autem elementum (ut supra habitum est) nihil est sine verbo ad elementum accedente : ergo in confirmatione oportet haberi verba quæ sunt forma sacramenti, quæcumque illa sint.

2. Præterea, In præhabita diffinitione dicit Hugo, quod corporale elementum confert gratiam ex sanctificatione : sed sanctificatio non est nisi per verba invocationis divinæ : ergo in hoc sacramento exiguntur verba invocationis divinæ, quæ est forma sacramenti.

3. Item, Supra habitum est, quod Deus non contulit ministris interius mundandi vel operandi potestatem, sed tantum exterius, ne spes poneretur in homine : ergo confirmatio consistit in interiori mundatione infectionis fomitis, trahentis in debilitatem et noxiam verecundiam confessionis fidei : sed Deus non contulit illam ministris : ergo non debet significari hæc gratia descendere a

[1] Matth. XIX, 13 : *Tunc oblati sunt ei parvuli, ut manus eis imponeret, et oraret.* Et ibidem, infra, ℣ 15 : *Et cum imposuisset eis manus, abiit inde.* Et, Marc. X, 16 : *Et complexans eos*, scilicet parvulos, *et imponens manus super illos, benedicebat eos.* Cf. Luc. XVIII, 15.

ministro, ut ante videbatur probari, sed potius a Deo per opus sacramenti : hoc autem fieri non potest nisi mediante forma verborum invocationis Dei quæ operatur : ergo exigitur forma verborum.

Quæst. 1. Ulterius hic quæritur de ipsis verbis quæ sunt de forma : et quæritur de hoc quod dicitur, « Consigno te signo crucis, etc. »

Videtur enim, quod hoc superflue ponatur : quia

1. Signatur in baptismo cruce et in pectore et in scapulis et in vertice.

2. Præterea, In verbo quod est de forma sacramenti proprius actus ministri exprimi debet, sicut cum dicitur, « Baptizo te in nomine Patris, etc. : » sed proprius actus ministri in hoc sacramento non est signare, sed potius confirmare : ergo videtur, quod non debet minister in forma hujus sacramenti uti verbo signandi.

Quæst. 2. Præterea quæritur,

1. Quare in confirmatione potius fit mentio de cruce, quam de glorificatione et resurrectione, ut dicatur consignari cruce ?

2. Item, Unius sacramenti non est nisi unicus actus sacramentalis : confirmatio est sacramentum unum : ergo unicum actum sacramentalem habet : ergo in forma duplex actus non debet exprimi : ergo non debet dici, *confirmo* et *consigno*, quia hæc duo verba duos actus exprimunt.

Quæst. 3. Item, Quæritur de hoc quod dicitur, « Confirmo te chrismate salutis, » quare potius dicit *salutis*, quam gratiæ vel vitæ æternæ ?

Et videtur, quod debeat dici, *gratiæ* : quia

1. Salus quæ dicit evasionem periculi non est nisi ex collata gratia : ergo gratia secundum intellectum est ante salutem : ergo immediatior est collatio gratiæ actui sacramenti quam salus : cum ergo actus sacramenti per terminum immediatum debeat determinari, videtur quod deberet dici, *chrismate gratiæ*, et non *salutis*.

2. Item, In forma baptismatis nulla fit mentio de materia, vel fine, vel efficiente effectum sacramenti : sed simpliciter dicitur, « Baptizo te in nomine, etc, : » ergo videtur, quod nec hic aliqua mentio fiet de materia, et efficiente : ergo non debet dici, *chrismate salutis* : sed simpliciter, Confirmo te in nomine Patris, etc.

Præterea, Omnes quæstiones quæ factæ sunt in tractatu de *baptismo* circa linitiones, additiones, diminutiones, et corruptiones, habent hic fieri : et eodem modo solvuntur ut ibi.

Solutio. Dicendum, quod hoc sacramentum est contra debilitatem ex fomite surgentem, ex eo quod non totus purgatur in baptismo, sed remanet debilitatus ad exercitium pugnæ : major autem difficultas est in confessione nominis Christi et signi redemptionis, hoc modo quo confitendus est ore et opere procedentibus ex corde, sicut dicitur, ad Roman. *Quia si confitearis ore Dominum Jesum, et in corde tuo credideris quod Deus suscitavit illum a mortuis, salvus eris.* Hanc etiam confessionem non sustinet dæmon : sed surgit contra scandala : et ideo ad hunc actum necessaria est confirmatio. Solut

Dicendum ergo ad primum, quod meo judicio numquam fuit celebrata confirmatio sine forma verborum ab Apostolis : Christus autem qui habebat et potestatem auctoritatis in quantum Deus, et potestatem excellentiæ in quantum homo unitus Deo, poterat conferre ut voluit : quia ipse non tenebat locum ministri, sed capitis in Ecclesia. Sed, ut puto, Apostoli numquam confirmabant sine forma verborum præscripta : licet hoc quidam dixerint et quæsiverint rationem, quare ipsi confirmabant sine forma verborum et materia determinata, nostri autem Pontifices cum forma verborum et materia chrismatis. Ad

Ad 1 et 2. Unde ad argumenta dicendum, quod licet hoc non legatur, tamen instituta est forma a Domino, Apostolis tradita, sicut et baptismi : potest tamen dici, quod confirmatio duplex : quædam est ad standum in bono universaliter, et hæc fit ab alio quocumque, præcipue tamen a majoribus qui tenent locum majoris sanctitatis et vitæ meritorum per orationem : et hac confirmatione utebantur Apostoli sæpius confirmantes eumdem. Alia confirmatio quæ imprimit characterem sacramentalem ad expulsionem timiditatis ex fomite provenientis, numquam ab Apostolis facta est sine verbis et materia determinata : propter quod habemus capitulum speciale in Dionysio qui cum Apostolis fuit, « de perficiendis in myro, et in ipso offerendis [1] : » et loquitur de sanctificatione chrismatis.

Ad 3. Ad id ergo quod objicitur contra per rationem, dicendum quod gratia sacramentalis non descendit ex vitæ merito, nec a ministro, ut probatum est : sed ex opere sacramenti, et ideo ad opus in materia cum verbis est retorquenda.

Ad 4 et 5. Ad sequentia duo patet solutio per ante dicta.

Ad quæst. 1. Ad id quod ulterius quæritur de verbis formæ, dicendum quod altissimum in vita Christiana confessio fidei est. Et hoc sic probatur : Licet enim amor sit altus, tamen innititur cognitioni fidei, et spes similiter : quia dicit Augustinus, Non amatur, nisi creditum, vel cognitum : nec etiam speratur, nisi quod aliquo modo est præsumptum et creditum. Difficile autem, quod est in cardinalibus, licet sit difficile potentiæ operantis, tamen ratio probat et suadet illud : hoc autem est difficile intus, et extra : et primo intus, quia abnegatur propria ratio : extra, quia hoc principaliter quæsitum est ab hostibus visibilibus et invisibilibus : primo autem, quia fides est prima, et non innititur alii : ideo respectu hujus actus principaliter operatur confirmationis gratia : oportet igitur haberi duplicem actum in confirmando : unum qui sit initiativus et demonstrativus, ad quem est confirmatio principaliter : et alterum qui exprimat propriam operationem confirmationis sacramenti : et ideo præmittitur per modum insinuationis, « Consigno te signo crucis : » et subsequitur, « Confirmo : », et primum est propter difficile interius, ad quod ordinatur confirmatio : et aliud propter difficile extra, ad quod confirmat ad standum.

Dicendum ergo ad primum et secundum, quod consignatio in baptismo est sacramentalis, et non sacramenti : et est ad expellendam vim hostis in fomite, ne impediat consecutionem baptismi : et ut meditetur de Deo baptizatus, et cogitet, et portet jugum Dei in scapulis, ut supra dictum est de sacramentalibus baptismi : sed hic fit confirmatio quasi insinuativa vexilli, sub quo actus sacramenti confirmationis est exercendus. Ad 1 et 2.

Ad aliud dicendum, quod in incarnatione et sepultura et resurrectione non fuit pugna Christi, sed tantum in cruce : nos autem adscribimur vexillo crucis suæ per confirmationem : et ideo fit mentio de cruce tantum, et non de aliis. Hoc est quod dicit Apostolus, I ad Corinth. 1, 23 et 24 : *Nos prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Judæis, atque Græcis, Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam.* Unde maxime fuit hoc a Judæis impugnatum, et a Gentibus : et ideo confirmationis actus proprie est respectu illius. Ad quæst 2. Ad 1.

Secunda difficultas est ejusdem in pugna spirituali : quia dæmon ibi prædam amisit, quoad debiti solutionem, et satisfactionis impletionem : et ideo nos maxime impedit illi conformari, cum hoc sit

[1] S. Dionysius, Lib. de Ecclesiastica hierarchia, cap. 4 : De perficiendis in myro, et in ipso offerendis.

tollere crucem, et sequi Salvatorem : et ideo fit mentio de cruce præcipue.

Ad 2. Ad aliud patet solutio per ante dicta : quia primus actus per primum verbum importatus est : insinuatur etiam finis ad quem est confirmationis actus, et necessitatis hujus vera causa est dicta.

Ad quæst. 3. Et per hoc patet solutio ad sequens, quare necessarium est hic duplex verbum.

Ad aliud dicendum, quod ut patet ex habitis superius quæstionibus de gratia sacramentorum, omnis gratia sacramentalis est contra periculum : sed specialem ordinem habet confirmatio : quia est contra periculum intra, et contra periculum extra : intra, quia tollit debilitatem et verecundiam noxiam confitendi Christum ex fomite provenientem. Extra autem, quia confortat ad standum coram regibus et principibus et dæmonibus : et ideo dicitur potius *salutis*, quam *gratiæ* : quia salus est ibi substantialiter, quæ dicit evasionem periculi.

Ad 1. Ad rationem autem dicendum, quod licet hoc fit per gratiam, tamen non fit per gratiam ut gratiam, id est, quæ facit gratum habentem, et opus ejus gratum reddit : sed potius per gratiam ut salvantem interius, et salvantem extra a terroribus timiditatis.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod in baptismo est ordo contra generalem morbum in elemento universali, ad quod non oportet habere insinuationem aliquam, quia non habet difficultatem ex parte suscipientis : sed in confirmatione necessaria est insinuatio, ut dictum est. Et quia sacramentum insinuat præcipue in similitudine inventa, non in proprietate elementi materialis : ideo oportuit in forma hujus sacramenti fieri mentionem de materia : quia secundum Magistrum Hugonem, sacramentum ex similitudine repræsentat.

Et per hoc patet solutio ad omnia quæsita.

ARTICULUS III.

An materia sacramenti confirmationis sit chrisma?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, A, § 1, circa initium : « *Sacro signat chrismate.* »

Et quæritur de materia hujus sacramenti.

Et videtur, quod

1. Materia hujus sacramenti non debet esse chrisma : quia ad morbum generalem exigitur medicina quæ generaliter potest haberi : ergo videtur, quod chrisma non debet esse materia.

2. Præterea, In baptismo quod est sacramentum ordinatum contra culpam originalem, materia est elementum simplex : videtur ergo, quod in confirmatione quæ ordinatur contra debilitatem ex fomite originalis consequentem, debeat etiam esse materia simplex elementi.

Item, Quare in hoc sacramento potius quam in aliis est liquor commixtus materiæ? Quæst. 1.

Videtur, quod non debeat esse : quia unicus est effectus sacramenti : ergo unica materia debet demonstrari : ergo in unico liquore.

Ulterius quæritur, Quare potius sumuntur hi liquores, scilicet oleum, et balsamum, quam alii? Quæst. 2.

Videtur enim, quod

1. Magis assumi deberet vinum : quia hoc bonæ spei reddit hominem, ut dicit Philosophus in libro IV *Ethicorum* : et audaces fortes facit, ut habetur III Esdræ, III, 18 et seq. Cum igitur confirmatio sit ad pugnandum, videtur quod vinum tantum debeat assumi.

2. Item, De pane dicitur : *Et panis cor hominis confirmat*[1] : ergo panis est propria materia confirmationis, ut videtur.

3. Item, Oleum quod supernatat, magis videtur significare misericordiam et charitatem, quam corroborationem : ergo non est propria materia confirmationis, ut videtur.

4. Item, De balsamo objicitur : quia, sicut dicit Hugo, significat odorem bonæ famæ : fama autem potius in alio est quam in eo qui famosus est, sicut et honor : cum ergo materia sacramenti debeat habere signum in suscipiente sacramentum, et non in alio, videtur quod balsamum nihil operetur ad materiam hujus sacramenti.

Quæst. 3. Ulterius, Quæritur si oleum et balsamum non consecrata, possunt esse materia hujus sacramenti?

Et videtur, quod non : quia determinato tempore anni consecratur chrisma : et alio non possunt uti Episcopi in confirmando.

ed contra. Sed contra videtur : quia

1. Materia baptismi elementum est non consecratum : ergo videtur, quod similiter materia hujus sic debet esse.

2. Item, In Eucharistia panis et vinum non necessario prius benedicuntur, sed una est forma consecrans et transsubstantians : ergo videtur, quod in isto sacramento debeant liquores isti non consecrati esse materia sacramenti.

Solutio. Solutio. Dicendum, quod hoc sacramentum sicut est contra morbum specialem, ita aliquid speciale habet in forma et in materia : et ideo parum valent hujusmodi argumenta : hoc est in illo vel illo sacramento : ergo et in alio debet esse : in isto autem speciale est, quod est confirmativum et operativum : et ideo tres causas propter quas principaliter instituta sunt sacramenta, istud sacramentum sibi principaliter vindicat : quia ex materia et forma est ad eruditionem in quantum est insinuativum, ut prius dictum est : et iterum ex exercitio actus confert gratiam: et ex corporali elemento humiliat hominem, ut in inferioribus se propter Deum et a Deo quærat salutem.

Ad 1 et 2. Dicendum ergo ad primum, quod substantialiter considerando, neque necessitas sacramenti, neque generalitas causa sunt, quare habeat hanc materiam vel illam : sed illud habet pro materia in quo expresse inveniuntur signa sensibilia rem sacramenti significantia et confirmantia, sicut patet supra ex diffinitione sacramenti : et ideo in sacramento baptismi aqua est sacramentum : quia est ablutiva sordium, faciens nitere abluta, et elementum super quo apparuit spiritus vitæ in creatione mundi, et in quo primo apparuerunt animantia, et anima vivens et mobilis : per has proprietates habet convenientiam cum re baptismi, in qua homo primo regeneratur ad vitam spiritualem, et datur sibi esse per Spiritum sanctum : et ideo non valet prima ratio, Si confirmatio est contra morbum generalem, quod debeat habere pro materia elementum generale : quia hoc non est causa materiæ sacramenti, ut dictum est : sed habet chrisma pro materia : quia illud inter alios liquores expressiorem ponit insinuationem per signa ad rem confirmationis intelligendam.

Per hoc etiam patet solutio ad sequens : hæc enim sunt argumenta quorumdam, et ponunt non causam ut causam.

Ad quæst 1. Ad aliud dicendum, quod licet res sacramenti sit una prima, hæc tamen est multiplex virtute et potentia, secundum ea ad quæ expedit hominem, sicut est pugna spiritualis, et confessio fidei in aperto sine tremore, et hujusmodi : et ideo in uno elemento non poterat repræ-

[1] Psal. CIII, 16.

sentari quoad hæc omnia, sicut jam dictum est de forma, quod verbum duplex habet, scilicet *confirmo*, et *consigno*.

Ad quæst.2. Ad aliud dicendum, quod istud sacramentum habet hos duos liquores speciales, ut dicunt fere omnes sequentes Hugonem de sancto Victore, scilicet oleum conscientiæ propter gratiam, et balsamum bonæ famæ. Et verum est quod dicunt, si bene intelligatur : oleum enim in conscientia facit tria, præcipue olivarum, quia aliud oleum non potest esse materia : hoc enim oleum lucet, ungit, et pascit : et lux ejus refertur ad similitudinem characteris qui lumen quoddam est, sicut in anterioribus probatum est, unctura autem refertur ad lenimentum doloris fomitis, cujus vulnus intulit timorem, et facit trepidare ubi non est timor : et ideo pugiles in agonibus olympiarum antiquitus ungebantur, ut ab adversario teneri non possent : pascit autem non per comestionem, sed per subintrationem in substantiam, et ministrando ei fomentum humoris,ne deficiat in laboribus, et rigescat in pugna. Ex natura autem arboris habet virorem in æstate et hieme : et significat constantiam in prosperis et adversis. Balsamum autem, ut dicit Moyses Ægyptius, non nascitur nisi in oculo solis qui significat Christum, qui venit unctus nobis princeps et dux belli : ex quo nos *Christiani* dicimur, quia similiter sumus uncti. Et conservat balsamum a putredine ea quæ balsamo inunguntur, et habet similitudinem contra putredinem fomitis trahentem in pusillanimitatem et timorem Christiani nominis in persecutione. Patet igitur, quod hi duo liquores simul conjuncti ponunt majorem convenientiam ad rem hujus sacramenti quam alii.

Ad 1. Ad id quod objicitur de vino, dicendum quod vinum non sanat, nec ex robore confert audaciam : sed potius ex malitia et infirmitate, quia elevat spiritus et sanguinem ad superiora, et oppilat vias discretionis ne discernatur periculum in quod præcipitat : et ideo nullam convenientiam habet cum re sacramenti quæ ex robore collato confirmat.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod panis confirmat ad permanendum in esse et vita, sed non ad pugnandum ex robore quod ministrat : et ideo huic confirmationi respondet unitas corporis mystici in charitate capitis et membrorum, ad quod confertur gratia in sacramento Eucharistiæ : et ideo panis est ibi sacramentum, et non hic.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod licet oleum quoad proprietatem supernatationis similitudinem habeat cum misericordia, tamen quoad alia habet similitudinem cum re confirmationis, ut dictum est : tamen etiam hæc proprietas potest reduci ad similitudinem rei, eo quod confirmatus non minis deprimitur et terroribus.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod Hugo tangit causam per accidens et ex consequenti : sed principalis est illa quæ supra dicta est : forma enim per accidens operatur ad actum hujus sacramenti, ut scilicet sciatur quia non ex obstinatione et temeritate vel superbia sit intrepidus, sed ex robore Spiritus : hoc enim non scitur nisi per opinionem bonam quæ habetur de ipso.

Ad quæs Ad aliud dicendum, quod oleum et balsamum non consecrata, non sunt nec esse possunt materia hujus sacramenti. Sicut enim est in virtutibus politicis, sic est etiam differentia in sacramentis. In virtutibus autem politicis sic est, quod quædam non sunt perfectæ virtutes nisi delectationem habeant in actu, ut dicit Philosophus, « Signum oportet accipere habitum non facientem in actu delectationem. » Et illæ non consistunt simpliciter circa difficillimum, sed circa difficillimum suæ materiæ. Quædam autem sunt tales, quod sufficit in actibus earum, si non contristantur ad rationis deductionem vel turbationem : et illæ consistunt

in difficillimo suæ materiæ et in difficillimo simpliciter. Ita est etiam in sacramentis, quod actus rei sacramentalis, id est, ad quem gratia sacramentalis est ordinata, est in maxima difficultate : et ideo exigitur in materia insinuante illum actum amplior præparatio quam in materia alterius sacramenti : et ita est hic confessio fidei intrepida, triplicem rationem habens difficultatis, ut supra dictum est, propter quod oportet materiam esse consecratam etiam ab eo qui tenet majorem locum in Ecclesia : ut gratia abundans significetur.

Et ex ista determinatione resultat intellectus distinctionis materiæ quam dederunt antiqui, scilicet quod aliter est de materia confirmationis, et aliter de materia baptismi : quia non tota aqua fluminis vel vasis est materia baptismi, sed tantum illa quæ adhæret per contactum baptizato, et non habet vim regenerativam nisi contingens baptizatum : sed totum chrisma consecratum est materia confirmationis : quia totum ad hoc præparatum est : et non oportet nisi quod accedat forma, et est perfectum sacramentum.

Et ex hoc patet solutio ad ea quæ objiciuntur in contrarium : quia non est simile de hoc sacramento, et de aliis.

ARTICULUS IV.

An non ordinatus potest confirmare ? et, An ordinatus non Episcopus ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, A, § 1, circa initium : « *Hoc sacramentum ab aliis non potest perfici nisi a summis sacerdotibus*, etc. »

Et est hic quæstio de ministro hujus sacramenti, et esset diversificanda : aut deberet esse bonus, aut posset esse malus : et utrum hæreticus vel non ? Sed hæc disputata sunt in tractatu de baptismo.

Sed hic quæremus duo : primo, utrum non ordinatus possit confirmare ?

Secundo, utrum ordinatus, non Episcopus possit ?

Quæst. 1.

Ad primum objicitur sic :

1. Ponamus, quod aliquis sit in necessitate, et desideret sacramentum, et non possit habere ordinatum vel Episcopum, videtur melius esse quod accipiat a laico, quam quod decedat sine sacramento : præcipue cum non sit plenus Christianus qui hoc sacramentum non habeat.

2. Item, In necessitate baptizat laicus, et baptizatum est : et audit confessiones, et ille absolvitur a peccatis : ergo videtur, quod in necessitate etiam aliquis possit confirmare.

3. Item, Quandoque est abundantior gratia in laico quam in Prælato : si ergo robur gratiæ debet transfundi a gratia abundanti, videtur quod quandoque melius transfundatur a laico quam a Prælato vel Episcopo.

4. Item, In naturis est sic, quod ubi res est per essentiam et præsentiam, ibi operatur effectum, et non ibi ubi non est, sed deberet esse : sed cum ordo gratiæ non contrarietur ordini naturæ, videtur, quod in gratia similiter sit : ergo ubi actu est abundans gratia, citius transfundit gratiam, quam ubi non est sed esse debet : sæpius autem est in laico abundans gratia, et non in Episcopo : ergo quandoque a laico potest fieri confirmatio melius quam ab Episcopo.

Quæst. 2.

Item, Ponamus, quod aliquis gerat se pro Episcopo, non est autem Episcopus, sicut faciunt illi qui se dicunt Armenos : et aliquis veniat ad eum probabiliter putans eum esse Episcopum, et recipiat ab eo confirmationem : quæritur, utrum sit confirmatus ?

Videtur quod sic : quia

1. Qui probabiliter credit se esse bap-

tizatum, reputabitur baptizatus : et si decedat, evolat, nisi impediat eum peccatum actuale.

2. Similiter, Si aliquis illi quem putat esse suum sacerdotem, confiteatur, et ille ordinem non habet, confessus reputatur : ergo videtur, quod et ille confirmatus sit.

Sed contra. SED CONTRA :

Ecclesia postea scito quod ille Episcopus non erat, confirmat eum iterum : quod non faceret si confirmatus esset, quia non est sacramento facienda injuria : ergo non est prius confirmatus.

Quæst. 3. ULTERIUS quæritur de secundo, si sacerdos simplex potest confirmare ?

Et videtur quod sic : quia

1. Gregorius permisit hoc propter scandalum, ut habetur in *Littera :* si autem esset de veritate vitæ et doctrinæ, quod hoc sacramentum ab Episcopo conferretur, pro nullo scandalo fuisset permissum : videtur ergo, quod si sacerdos simplex confirmet, confirmatum est.

2. Item, Simplex sacerdos ungit chrismate, et in eminentiori loco quam sit frons, quia in vertice : ergo videtur, quod nec in materia, nec in loco sit repugnantia, quod simplex sacerdos confirmare non possit.

3. Item, Si solus Episcopus confirmare potest : aut hoc est ex ordine, aut ex jurisdictione. Si ex ordine : ergo sacerdos potest : quia Episcopus nullum habet ordinem quem non habeat sacerdos simplex. Si autem ex jurisdictione : ergo electus ante consecrationem hoc potest : quia electus totam habet jurisdictionem etiam antequam habeat ordinem.

Solutio. Ad quæst. 1. SOLUTIO. Dicendum, quod solus Episcopus potest hoc sacramentum conferre: et ratio hujus est res et actus hujus sacramenti : res enim est Spiritus collatus ad robur : et ideo conveniens est quoad signum sacramentale, quod a plenitudine descendat : actus autem excellentissimus est, ut prius dictum est : et quoad hunc etiam oportet habere ministrum excellentiorem.

DICENDUM ergo ad primum, quod non est melius quod accipiat a laico : quia desideranti sacramentum nihil deperit de virtute sacramenti, licet characterem non habeat : sed de baptismate secus est, ut patet ex supra dictis : quia baptismus non requirit actum liberi arbitrii, quia aliter non daretur parvulis : et est sacramentum necessitatis. Ad 1.

AD ALIUD dicendum, quod simplici necessitate baptismus est sacramentum necessitatis : sic autem non est de confirmatione. Ad 2.

AD ALIUD dicendum, quod est gratia personæ ordinata ad meritum vitæ, et est gratia ministri Ecclesiæ ordinata ad potestatem clavium et operationes sacramentorum : et de prima verum est quod objicitur, et non de secunda : a secunda autem descendit gratia secundum ordinem in sacramentis. Ad 3.

AD ALIUD dicendum, quod in ministro Ecclesiæ gratia est præsens secundum actum, licet non sit gratia personalis ad vitæ meritum ordinata, ut jam patuit. Ad 4.

AD ALIUD dicendum, quod ille non est confirmatus, nec habet characterem confirmationis : et nihil valet objectio de sacramentis necessitatis de isto, ut sæpius jam dictum est. Ad quæst. 1.

AD ALIUD quod circa secundum quæritur, dicendum quod simplex sacerdos confirmare non potest : et non est hoc propter locum vel materiam, sed propter signum ad rem sacramenti, quod non conservatur in eo in cujus clavibus est gratia contracta et diminuta, sicut in principio hujus solutionis dictum est. Ad 2.

AD ALIUD quod objicitur de Gregorio, dicendum quod ille numquam permisit ut esset confirmatio quæ collata fuit a simplici sacerdote : sed propter scanda- Ad quæst. 1 et 3.

lum, abusum et ignorantiam non correxit. Vel dicatur, quod erat benedictio quædam data confirmandis, sicut panis benedictus datur quibusdam loco Eucharistiæ : et hoc permisit ad tempus Gregorius.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod nec ex ordine tantum, nec ex jurisdictione tantum id potest Episcopus : sed ex ordine simul et jurisdictione : hoc enim annexum est officio Episcopali, sicut et consecratio Ecclesiarum, et ordinatio clericorum, et velatio virginum, et hujusmodi : et sic objectio non valet.

ARTICULUS V.

An sacramentum confirmationis conferat gratiam? et, An illa gratia sit gratum faciens, et distincta a gratia baptismi?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, A, § 2 : « *Virtus autem hujus sacramenti est donatio Spiritus sancti ad robur*, etc. »

Et quæruntur tria. Primum est, an hoc sacramentum conferat gratiam?

Secundum est, si conferat, an illa sit gratis data vel gratum faciens?

Tertium est, an illa sit specialis, an eadem cum gratia baptismali?

Ad primum proceditur sic :

1. In naturis sic est, quod id quod est in actu aliquo, quamdiu est illum habens, non est in potentia ad illum, eo modo quo habet illum : baptizatus autem non fictus est in actu habens gratiam : ergo quamdiu habet eam, non est in potentia ad eam secundum quod habet eam : ergo videtur, quod per confirmationem et sequentia sacramenta nulla conferatur gratia : ergo illud sacramentum aut non confert gratiam, aut non semper confert eam.

2. Item, Supra in tractatu de baptismo, distinctione quarta[1], habitum est, quod illi qui sancti accedunt ab baptismum non recipiant ibi gratiam quam prius habuerunt, et quod in talibus res præcedit sacramentum : ergo videtur, quod nec in hoc sacramento ille qui habet gratiam, aliquam gratiam recipiat.

3. Item, Gratia non consideratur nisi in duplici ratione, scilicet in se, et in virtutibus : in se secundum quod informat animam, et reddit eam gratam : in virtutibus autem secundum quod perficit potentias animæ, et elicit actus : sed quoad utrumque confertur plenitudo gratiæ in baptismo, ut sæpius habitum est : ergo non aliquid est de gratia quod recipiatur in confirmatione, ut videtur.

4. Item, Non potest intelligi, quod idem subjectum quoad eamdem partem sui susceptibile sit duorum accidentium ejusdem speciei : gratia autem gratificans est ejusdem speciei : ergo duæ non sunt in eodem secundum idem : anima autem secundum suam essentiam suscipit gratiam in baptismo : ergo manente illa, ipsa non est susceptibilis gratiæ in confirmatione : ergo non confert aliquam gratiam, ut videtur.

5. Item, Confirmationem recipit fictus, aut non fictus. Si fictus : constat, quod gratiam non accipit : quia dicitur, Sapient. 1, 5 : *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum.* Si autem recipit eam non fictus, tunc habet gratiam ante confirmationem : nihil autem recipit id quod jam habet : ergo non recipit gratiam : ergo nulla gratia recipitur in confirmatione.

Si forte dicas, quod ille qui amisit gratiam baptismalem, et non fictus venit ad confirmationem, recipit in ea gratiam. Contra : Ille recipit gratiam virtute pœnitentiæ, et non ex virtute confir-

[1] Cf. Supra, Dist. IV, Art. 5.

mationis : hoc autem patet, quia tenetur confiteri, et satisfactio injungitur ei exterior : quod non fit accedenti ad baptismum, eo quod baptismus non exigit gemitum vel planctum exteriorem : ergo si accedens ad confirmationem, non ex virtute confirmationis recipit gratiam : ergo nulla gratia recipitur in confirmatione, ut videtur.

Sed contra. SED CONTRA :

1. Sacramentum novæ legis omnis rei causa est cujus est signum, ut supra determinatum est in textu : sed confirmatio est signum gratiæ, quia ad robur datur : ergo est causa ejus : ergo confert gratiam.

2. Ad idem auctoritates in *Littera* adductæ.

3. Præterea, Unctio exterior attestatur unctioni interiori : unctio autem interior non fit nisi per gratiam : ergo confert gratiam.

Quæst. 1. QUÆRITUR ulterius, Utrum illa gratia sit gratum faciens, vel non ?

Videtur autem, quod sic : quia

1. Sacramenta data sunt in adjutorium contra peccatum : sed gratia ordinata contra peccatum est gratum faciens : ergo confirmatio et alia sacramenta conferunt gratiam gratum facientem.

2. Item, Confirmatio sonat in robur spiritus : robur autem spiritus non est nisi per gratiam gratum facientem : ergo confirmatio confert gratiam gratum facientem.

3. Item, In *Littera* dicitur, quod Spiritus cum omni plenitudine gratiæ in hoc sacramento datur : hoc autem non fit nisi per gratiam gratum facientem : ergo, etc. : et quia hoc omnes concedunt.

Sed contra. OBJICITUR in contrarium sic :

1. Sicut se habet esse naturale ad bene esse naturale, ita se habet esse spirituale ad bene esse spirituale : sed esse naturale sic se habet ad bene esse naturale, quod potest esse sine illo : ergo et esse spirituale potest esse sine bene esse spirituali. Esse autem et esse robustum habent se sicut esse et bene esse : ergo esse spirituale potest esse sine esse robusto : esse autem robustum est per confirmationem : ergo sine confirmatione potest esse spirituale : omne autem sine quo potest esse salus, est de gratiis superadditis et gratis datis : ergo gratia data in confirmatione est gratis data, vel de gratis datis, et non gratum facientibus.

2. Item, Quidquid est quod non directe contrariatur peccato, illud est de gratiis gratis datis et non gratum facientibus : sed gratia data in confirmatione non directe contrariatur peccato : ergo ipsa est de gratiis gratis datis, non gratum facientibus. PROBATIO primæ : gratia contrariatur culpæ : unde Glossa super Apostolum dicit, quod gratia est reconciliatio ad Deum : et gratia quæ in virtutibus est, contrariatur actibus peccatorum, et spiritualibus peccatis. MINOR autem probatur ex eo quod gratia data in confirmatione, datur nullam habenti culpam : ergo videtur, quod non ordinetur contra culpam : ergo non est de gratiis gratum facientibus, ut prius conclusum est.

3. Item, Gratia data ad expellendum infirmitatem corporalem, est gratis data non gratum faciens, sicut habetur, I ad Corinth. XII, 28 et 30, ubi *gratia curationum* numeratur inter gratias gratis datas, non gratum facientes : ergo etiam illa quæ expellit pœnam non culpam spiritualem, est de gratis datis non gratum facientibus : talis autem est gratia confirmationis : ergo non est gratum faciens, sed gratis data.

Quæst. 2. QUÆRITUR ulterius tertio quod est magis difficile, Utrum sit distincta gratia confirmationis a gratia baptismi, vel tantum confirmatio illius ?

Videtur autem quod sit tantum confirmatio ejus vel confortatio.

1. Sic est in robore corporali, quod fundatur in virtute naturali, quod nihil est aliud quam valor et confortatio illius ex quibuscumque causis proveniat : er-

go similiter se habet in robore spirituali, quod nihil aliud est quam confortatio virtutis spiritualis : virtus autem spiritualis datur in baptismo, et robur in confirmatione : ergo videtur, quod confirmatio nihil aliud sit quam valor et confortatio virtutis datæ in baptismo.

2. Item, Medicinæ operatio est sicut naturæ ministra, et natura confortata per medicinam operatur per se : ergo similiter est in spiritualibus : sacramentum autem est sicut medicina : ergo operatio sua est circa esse spirituale sicut ministra : ergo operatio sacramenti præstantis robur, erit circa materiam virtutis et gratiæ præexistentis, et non distincta per se.

3. Præterea, Simplex a simplici cum sit ejusdem rationis, non distinguitur in aliquo, sicut punctum a puncto : sed si esset diversarum rationum, distingueretur, ut punctum ab unitate : cum igitur gratia baptismalis simplex sit, sive consideretur in se, sive in virtutibus, non distinguetur a gratia data in confirmatione, quæ est in se considerata vel in virtutibus.

4. Item, Confirmatio videtur etiam hoc sonare : non enim confirmatur nisi quod jam est : cum igitur in ordine sacramentorum nihil sit ante confirmationem nisi baptismus, videtur quod gratia confirmationis sit confirmatio gratiæ baptismalis.

5. Item, Si distinguitur gratia a gratia, hoc erit penes causam vel subjectum vel actum gratiæ. Ex parte autem causæ efficientis non est distinctio aliqua : quia illa est Deus auctor omnis gratiæ. Similiter nec ex parte subjecti : quia illud est anima, et secundum eamdem partem inest animæ gratia baptismalis et gratia confirmationis.

6. Item, Nec ex parte actus : quia in baptismo confertur gratia fortitudinis ad robur spirituale, sicut et aliæ virtutes, sicut in confirmatione. Ergo videtur quod nullam habeat distinctionem ab illa : et ita videtur quod non sit aliud nisi ejusdem generis habitus, positus circa istum et unitus illi.

7. Ulterius videtur, quod superfluat omnino : in naturali enim virtute sic est, quod ex eisdem generatur, nutritur, et confortatur : ergo etiam spiritualis virtus quæ datur in baptismo in se habet unde confortetur sine omni alio sacramento addito : ergo superflue additur sacramentum confirmationis.

3. Item, Virtus politica ex eodem generatur, et confortatur, quia ex actibus : ergo et virtus infusa : ergo virtus data in baptismo confortatur ex se, vel actibus suis, et non alio sacramento.

Si forte tu dicas, quod eam augeat gratia confirmationis : tunc quæritur, qualiter sit de illo augmento ? Quæst. 3

1. Dicit enim Philosophus : Si simplex simplici addas, nihil majus efficies : sed gratia simplex est : ergo si addatur simplici gratiæ præcedenti, nihil erit inde majus : ergo nec auctum.

2. Præterea, Ex hoc sequeretur, quod non poneretur nisi circa gratiam baptismalem : quia augmentum existentis magnitudinis additamentum est : ergo etiam gratia confirmationis esset additamentum præexistentis magnitudinis gratiæ baptismalis.

3. Si autem tu dicas, quod auget eam per modum separationis intensionis contrariæ : tunc est quæstio, Qualis sit intensio ? Aut enim per modum a contrario separationis, sicut albius est quod est nigro impermixtius, secundum Philosophum : aut penes accessum ad terminum aliquem, sive ad veram nominis impositionem : quod enim est in termino, non intenditur. Si dicas, quod intenditur primo modo : hoc nihil est : quia per minimam gratiam separatur totum contrarium quod est peccatum : ergo minima gratia esset sicut maxima : quod falsum est. Si autem secundo modo, tunc quæro, Quomodo hoc fiat ? Si enim omnino nihil habeat de contrario, tunc videtur esse in vera nominis impositione, et in ter-

mino suæ puritatis : ergo videtur, quod non debeat intendi.

4. Præterea, Accidens quod non dependet a subjecto, nec ab actibus subjecti, nec a principiis subjecti, nullam causam suæ intensionis in subjecto potest habere : tale autem accidens est gratia : ergo videtur, quod nulla talium causarum intenditur per actum sacramenti.

5. Si tu dicas, quod intenditur per actum sacramenti. CONTRA : Idem actus debet esse intendens et generans secundum speciem, ut patet in virtute politica : sed actus baptismi generat gratiam : ergo si aliquis intenderet eam, deberet esse ejusdem speciei, quod falsum est.

6. Præterea, Ut dimittatur hæc disputatio, quæ per accidens hic inducitur, intendatur quocumque modo id fieri potest : intensio enim non ponitur nisi circa prius existens in baptismo, et non distinguitur ab illo : ergo videtur, quod gratia confirmationis non distinguitur a gratia baptismali, sed ponatur circa illam.

7. Item, Videtur hoc ex actu ad quem ordinatur gratia confirmationis, scilicet confessione fidei intrepida : iste enim actus elicitur a fide, et imperatur a charitate secundum quod charitas est generalis motor virtutum, ut supra in tertio *Sententiarum* dictum est : fides autem et charitas datæ sunt in baptismo : ergo videtur, quod nihil datur in confirmatione, nisi forte aliqua melioratio et expeditio gratiæ datæ in baptismo.

Sed contra. SED CONTRA :

1. Sicut se habet signum in sacramento ad signum, ita se habet effectus ad effectum : sed signum in confirmatione in nullo dependet a signo in baptismo : ergo nec effectus ab effectu.

2. Item, Supra habitum est, quod gratiæ sacramentales non sunt sic unitæ, ut habita una, habeantur omnes, sicut in virtutibus infusis : ergo gratia confirmationis in nullo dependet ad gratiam baptismalem.

3. Item, Characteres confirmationis et baptismi distincti sunt : nec unus est confirmatio alterius : ergo et res.

4. Item, Quando confirmatur aliquis, non petitur confirmari baptismus, sed homo baptizatus : ergo videtur, quod gratia confirmationis non refertur ad baptismum, sed ad hominem.

5. Item, Si indigeret baptismus confirmatione, jam esset in se debilis : quod est inconveniens dicere, cum sit necessarium et fortissimum sacramentum : ergo confirmatio non refertur ad baptismum, sed ad hominem baptizatum, qui multas rationes debilitatis habet, etiam postquam baptizatus est.

Sol. SOLUTIO. Dicendum, quod sicut supra patuit in disputatione de *communione sacramentorum*, ubi distinguitur gratia sacramentalis a gratia in virtutibus et donis : una gratia sacramentalis non dependet ab alia : nec habita una, habetur alia : sed sunt divisæ.

UNDE ad id quod primo quæritur, dicendum, quod hoc sacramentum confert gratiam ordinatam contra debilitatem relictam ex infirmitate fomitis deprimentis.

Ad 1. AD PRIMUM ergo dicendum, quod baptismus non est in potentia ad gratiam baptismalem, sed ad aliam gratiam alterius speciei potest esse in potentia : sicut actu album potest esse in potentia dulce : et taliter dicimus specie differre gratiam confirmationis a gratia baptismali.

Ad 2. AD ALIUD dicendum, quod Magister loquitur ibi de gratia baptismali contra culpam originalem ordinata : et hæc non datur in contritione nisi in quantum baptismum habet in voto, ut supra dictum est : et ideo est eadem cum illa, quare non potest eam recipere postea. Sic autem se non habet gratia baptismalis et confirmationis, ut infra patebit, sed differentes sunt secundum speciem.

Ad 3. AD ALIUD dicendum, quod gratia baptismalis et confirmationis in quibusdam conveniunt, et in quibusdam differunt, et

ex parte differentiæ trahuntur ad species specialissimas. Conveniunt autem in hoc quod gratum faciunt subjectum et opus gratum, et quod sunt in anima et virtutibus ut expedientes virtutes, prout una virtus et gratia expedit aliam : sicut etiam una potentia animæ aliam expedit : ut sensus intellectum, et hujusmodi : sed differunt differentiis ultimis, scilicet in quantum sunt curativæ morbi hujus vel illius, ut supra in distinctione sacramentorum est ostensum. Unde cum gratia confirmationis curet morbum quem non curat baptismus, patet quod est alia gratia specie ab illa. Quod autem ita sit, supponitur hoc ex præhabitis in distinctione et sufficientia sacramentorum.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod non fictus recipiens confirmationem, recipit in ea gratiam quam prius non habuit : non quoad gratificationem sui, vel operis sui : quia hoc prius habuit : quia in hoc etiam non differt gratia confirmationis a gratia baptismali : sed quoad actum curationis morbi qui prius non fuit curatus : et hæc cura (ut supra dictum est) expulsio est debilitatis relictæ ex fomite retrahentis ab audaci fidei confessione.

Ad 5. Ad aliud dicendum, quod bene conceditur hoc quod gratia secundum actum illum qui est gratum facere, habetur virtute contritionis : sed gratuitus una ratione, potest esse gratus etiam alia ratione, et quoad illam aliam rationem recipit gratiam in confirmatione, ut jam patuit.

d quæst. 1. Ad id quod secundo quæritur, dicendum quod gratia data in confirmatione est gratum faciens, sicut probant primæ rationes.

Ad object. 1 et 2. Ad id quod contra objicitur, dicendum quod sicut est in anima, sic est etiam in gratia : et sicut est in potentiis animæ, ita est in virtutibus, et cæteris gratiis spiritualibus : sed anima (ut dicit Philosophus in secundo de *Anima*) est actus totius, et dans esse toti corpori : et partes animæ quæ sunt potentiæ, dant esse partibus corporis. Unde ipse dicit, quod si oculus esset animal, visus esset anima ejus : et oculus cæcus æquivoce dicitur oculus, sicut animal mortuum æquivoce dicitur animal. Unde patet, quod sicut est esse primum ab anima in natura animalis in toto, ita est esse primum in partibus a partibus animæ. Et ita proportionaliter loquendo est in esse spirituali quod est a gratia, quæ dat spirituale esse animæ : et partes ejus dant partibus animæ : et virtutes quidem dant esse spirituale potentiis quoad opera, gratia autem sacramentalis dat quoad contrarii expulsionem : unde patet, quod ad esse aliquo modo pertinet.

Ad object. 3. Ad id autem quod objicitur, quod non ordinatur hæc gratia contra culpam : dicendum, quod ordinatur contra culpam, sed non immediate : ordinatur enim contra pœnam quæ est impeditiva boni, et incitativa mali : et hoc habet similitudinem quamdam cum culpa, ut dicit Augustinus, sicut filia cum matre : et de hoc multa in secundo *Sententiarum*, tractatu de *originali peccato* notata sunt [1].

Et per hoc patet solutio ad quæsita contra secundum.

Ad quæst. 2. Ad ea quæ quæsita sunt contra tertium, dicendum quod gratia hæc distincta est a gratia sacramentali quæ est in baptismo, et semper est differens ab illa : sicut in una virtus differt ab alia in specie, licet omnes uniantur in gratia infusa : sed hic est major differentia quoad hoc quod gratiæ sacramentales non omnes simul infunduntur.

Ad 1. Ad id autem quod primo objicitur, dicendum quod ratio illa procedit tantum in his in quibus robur et roboratum ponuntur circa idem, et circa ejusdem rationis virtutem : sed hoc non est hic : quia nullus roboratur in confirmatione gratia baptismi : sed homo baptizatus,

[1] Cf. II Sententiarum, Dist. XXX et seq. Tom. XXVII hujusce novæ editionis.

sicut patet per objectiones factas in contrarium, quæ valde bonæ sunt, et illuminantes ad solutionem.

Ad 2. AD ALIUD dicendum, quod gratia baptismi non se habet ad gratiam confirmationis ut natura ad medicinam : et ideo illa objectio non valet, nec aliquid probat.

Ad 3. AD ALIUD dicendum, quod simplex a simplici duobus modis potest differre, scilicet per naturam sive rationem : sicut unitas et punctum : et positione sive respectu ad subjectum si habeat positiones : ut punctum initians a puncto terminante et continuante in medio. Et duas has differentias est invenire in his duabus gratiis, scilicet baptismi, et confirmationis, quæ sunt diversarum rationum, ut habitum est : et etiam per ordinem ad subjectum differunt in effectu : quia una substantialiter ordinata est contra culpam originalis peccati, altera autem contra pusillanimitatem relictam ex fomite, etiam post baptismum ad actus excellentis difficultatis : sicut est actus confessionis fidei, in quo triplex invenitur difficultas, ut superius dictum est : et ideo patet, quod ratio illa sophistica fuit.

Ad 4, 5 et 6. AD ALIUD dicendum, quod quoad illum actum qui est gratificare in genere, non distinguitur : sed quoad gratificare secundum specialem gratitudinis rationem : quia illæ speciales rationes multiplicari possunt : eo quod nihil prohibet gratum secundum unam rationem, effici adhuc gratum secundum rationem aliam. Similiter licet fides eliciens actus confessionis fidei detur in baptismo, et fortitudo expediens in hoc quod non trepidet ad terrores, tamen nihil prohibet quin posset recipi gratia evacuans timorem ex fomite relictum : quia illum non evacuat fortitudo donum per modum medicinæ, nec etiam fortitudo virtus.

Ad 7. AD ALIUD dicendum, quod nec superfluit, nec est confirmatio gratiæ baptismalis : illa enim confirmatur ex aliis causis : quoad radicationem enim in subjecto confirmatur ex usu, ex quo ad augmentum confertur secundum congruitatem ex merito actuum, et secundum causam efficientem a Deo.

Et per hoc patet solutio ex magna parte ad disputationem posterius inductam.

AD ID autem quod quæritur de modo augmenti, est quidem alibi dictum super tertium et primum : sed quia hic est tactum, potest dici quod gratia est sicut lux quædam quæ in anima est ex continua influentia lucis divinæ : sicut videtur dicere Psalmus, ubi dicit : *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine*, etc. [1]. Ad qua

Et augmentum ejus ego non intelligo posse esse nisi trium modorum uno : et omnes illi modi habent diversas circa se opiniones. Cancellarius enim Philippus dicebat, quod augebatur additione similis gratiæ, quam creando unit, et uniendo cum præcedenti creat auctor gratiarum Deus : et hæc omnibus opinionibus mihi rationabilior et probabilior videtur. Alii autem dixerunt, quod quoad fervorem crescit, sed non in se : et hæc opinio a paucis tenetur, eo quod minor gratia quandoque magis ferveat in devotione quam major. Tertia opinio est, quod Deus nihil addit, sed multiplicat gratiam in se, sicut multiplicavit quinque panes : et hæc opinio omnibus esset probabilior, si bene esset probatum, quod aliquid sine omni additione essentiæ extrinsecæ, et sine conversione in ipsum, esset multiplicabile aliter quam per extensionem : quia non est ratum, quod Deus multiplicando quinque panes, ibi materiam sub forma panum non creaverit, vel materiam elementorum ad panes non converterit : et ideo illa opinio non placet : et bene teneret si bene probata esset ad intellectum. Sed hoc nihil est ad propositum : quia non ponimus, quod gratia confirmationis augeat gratiam baptismi : sed potius

[1] Psal. IV, 7.

unitæ in actu gratificandi in genere, differunt in speciali modo gratificationis, et in speciali effectu contra morbum originalis peccati, et etiam in expeditione ad actum confessionis fidei, ut patet ex prædictis.

Ad 7. Ad id quod objicitur de confessione fidei quam elicit fides, dicendum quod Antisiodorensis super solutione talium argumentorum bonam invenit solutionem, scilicet quod actus dicitur esse gratiæ vel virtutis multis modis, scilicet elicitive, sicut actus proprius elicitur ex habitu : et sic confessio actus fidei est virtutis quæ est fides. Dicitur etiam actus alicujus qui imperat ut fiat, et sic omnis actus virtutis potest esse charitatis quæ imperat eum ut fiat. Dicitur etiam esse expeditivus alicujus : et sic iterum cum quælibet virtus expedit alteram, removendo aliquod impedimentum ipsius, hoc modo actus unius virtutis attribuitur alii : et hoc modo confessio fidei ut fidei, est fidei : ut propter Deum, est charitatis : ut autem sine timore et verecundia fiat, potest esse fortitudinis quoad magnanimitatem : et quoad remotionem morbi fomitis debilitantis, sic est istius, scilicet confirmationis sacramenti : et hoc est quod multi dicunt, et non multi considerant subtiliter, quod gratia sacramentalis sanat, et gratia virtutum ordinat ad meritum : quia sacramenti gratia removet dispositionem morbi per se, et per consequens ordinat ad actum : gratia autem virtutis ordinat ad actum per se et primo, in quo consistit meritum.

Et per hoc patet solutio ad omnia quæsita.

B. *Melchiades* [1].

Scitote utrumque esse magnum sacramentum, sed unum majori veneratione tenendum, sicut a majoribus datur [2]. Ecce majus dicit sacramentum confirmationis : sed forte non ob majorem virtutem et utilitatem quam conferat, sed quia a dignioribus datur, et in digniori parte corporis fit, scilicet in fronte, vel forte quia majus augmentum virtutum præstat : licet baptismus plus ad remissionem valeat. Quod videtur innuere Rabanus dicens, in unctione baptismi Spiritum sanctum descendere ad habitationem Deo consecrandam : in hac vero ejusdem septiformem gratiam cum omni plenitudine sanctitatis et virtutis venire in hominem.

Hoc sacramentum tantum a jejunis accipi, et jejunis tradi debet, sicut et baptismus, nisi aliter cogat necessitas. Nec debet iterari, sicut nec baptismus, vel ordo. Nulli enim sacramento facienda est injuria : quod fieri putatur, quando non iterandum iteratur. Sed utrum aliqua vel nulla iterari

[1] Edit. J. Alleaume habet : *Melchiades in epistola ad Hispaniæ Episcopos.*
[2] De consec. dist. V, cap. *De his vero* (Nota edit. Lugd.)

possint, quæstio est. Nam de baptismo et ordine quod non debeant iterari, aperte Augustinus dicit[1] : Utrumque sacramentum est, et quadam consecratione datur : illud quidem cum baptizatur, illud vero cum ordinatur. Ideoque in Ecclesia Catholica utrumque non licet iterari, quia neutri facienda est injuria : quod indubitanter etiam de confirmatione tenendum est. De aliis vero utrum iterari valeant vel debeant, postea disseremus.

ARTICULUS VI.

An sacramentum confirmationis debeat dici majus sacramentum aliis ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, « *Scitote utrumque esse magnum sacramentum, sed unum majori veneratione tenendum, sicut a majoribus datur,* etc. »

Videtur enim hoc falsum : quia

1. Si dicatur majus ratione ejus quod continet, tunc Eucharistia est majus omnibus. Si autem ratione ejus quod efficit, tunc videtur baptismus esse majus. Si autem aliquis ad hoc velit dicere, sicut Magister videtur solvere in *Littera*, quod dicitur *majus*, quia a majoribus datur : adhuc non videtur esse verum : quia etiam a majoribus Ordo datur, quia similiter ab Episcopis tantum : nec tamen majus dicitur sacramentum.

2. Præterea, Deus se habet ad sacramentum ut causa efficiens et ministrans : causa autem efficiens nihil est de re, sed tota est extra causatum : ergo ab illo non est quantitas rei : ergo ab illo non dicetur major vel minor ex eo quod a majore vel minore efficitur vel ministratur : ergo solutio Magistri non videtur esse conveniens.

3. Item, Contra auctoritatem Rabani in *Littera* videtur esse illa solutio : qui dicit, quod in unctione baptismi Spiritus descendit ad habitandum, sed in unctione confirmationis datur septiformis Spiritus cum omni plenitudine sanctitatis et virtutis : ergo videtur, quod ratione rei effectæ dicatur hoc sacramentum majus.

Ulterius etiam quæritur de auctoritate Rabani jam tacta : videtur enim septiformis Spiritus dari in baptismo : quia ibi dantur septem dona, et omnis virtus : quia qui habet unam, habet omnes : ergo videtur, quod hoc specialiter confirmationi non conveniat. Quæst.

Solutio. Dicendum, quod unum sacramentum dicitur majus altero quinque modis secundum distinctionem antiquorum quæ bona est : quorum unus est res ipsa : et sic baptismus dicitur majus, quia gratia in baptismo remittit culpam et pœnam exteriorem, et non exigit gemitum vel planctum. Alio modo ratione ejus quod continet, quod est res et sacramentum : et sic dicunt Eucharistiam majorem inter sacramenta. Tertio modo ratione gradus in quo collocatur ex potestate characteris : et sic dicunt ordinem esse majorem. Quarto modo ratione significatorum respectu rei non contentæ, sed signatæ tantum : et sic dicunt matrimonium esse majus inter sacramenta, quia significat unionem naturarum in Christo, et unionem fidelis animæ cum Solutio

[1] S. Augustinus, Lib. contra epistolam Parmeniani, cap. 12.

Deo. Quinto et ultimo modo dicitur majus sacramentum, quod a majore ministro datur : et sic confirmatio est major inter sacramenta.

Ad 1. Dicendum ergo ad id quod contra objicitur, quod licet ordo a majoribus datur, tamen illa majoritas non attestatur robori gratiæ ad actum, sicut in confirmatione cujus gratia expedit ad actum maximæ difficultatis : ibi enim attestatio majoritatis est in potestate, et non in robore ordinati.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod quædam causa efficiens omnino est extrinseca : sicut illa quæ suam proprietatem vel speciem non agit in effectu, ut causa efficiens æquivoce : et de illa tenet objectio. Quædam autem alia est causa efficiens, quæ speciem suam et proprietatem ponit in dante : et hæc assimilatur isti sacramento : quia per majorem ministrum intelligitur, non quidem gratia major, sed ad majus in robore spiritus esse collata : et ideo majoritatem ministri sequitur etiam quædam majoritas sacramenti.

quæst. ad 3. Ad id quod ulterius quæritur de auctoritate Rabani, dicendum quod secundum Philosophum differt dicere secundum *omne*, et secundum *unumquodque* : *omne* enim respicit universalitatem naturæ et speciei, *unumquodque* autem numerum individuorum et materiæ, sicut habere tres angulos æquales duobus rectis sequitur triangulum rectilineum per omnem triangulum, et tamen non per se sequitur eum secundum unumquemque triangulum. Ita possumus dicere, quod in baptismo datur secundum omnem speciem virtutis gratia : et tamen non secundum unumquodque quod est gratiæ, sed in omnibus sacramentis simul datur quod secundum unumquodque. Sed secundum hoc etiam de confirmatione potest objici : quia ibi non datur secundum unumquodque : quædam enim in aliis sacramentis dantur, quæ non dantur in confirmatione. Et ideo dicendum, quod Rabanus vim facit his verbis, *cum omni plenitudine* : quia est plenitudo copiæ, ut dictum est supra : et de hac loquitur Rabanus. Et est etiam plenitudo sufficientiæ quæ datur in baptismo : et de hac non loquitur Rabanus.

Per hoc etiam patet solutio ad ultimum : quia licet septiformis Spiritus datur in baptismo, non tamen datur per plenitudinem copiæ.

ARTICULUS VII.

An detur confirmatio in digniori parte corporis, scilicet in fronte ?

Deinde quæritur de hoc quod dicitur, ibi, B, § 1, circa initium : « *Et in digniori parte corporis fit, scilicet in fronte*, etc. »

Hoc enim videtur falsum : quia

1. Vertex dignior videtur quam frons, cum sit sedes rationis, et frons quasi sedes sensuum, ut dicunt Philosophi, quod ab interiori parte capitis sensus descendunt, et a posteriori motus.

2. Hoc autem etiam videtur per illud Jeremiæ, II, 16 : *Filii Mempheos et Taphnes constupraverunt te usque ad verticem.* Et dicit ibi Glossa Hieronymi, « usque ad fidei evacuationem, » quæ sedem habet in vertice in quo est ratio.

3. Præterea, Ex hoc videtur, quod simplex sacerdos possit confirmare : quia ungit in loco digniori quam sit frons, scilicet in vertice : ergo et in fronte potest ungere.

4. Item, Cum confessio fidei sit in lingua in qua est vis motiva ad interpretandum, et confirmatio ordinat ad interpretandam fidei confessionem, videtur quod confirmatio sit facienda super linguam, et non super frontem.

5. Item, Si cor est firmum, totum est firmatum. Unde Salomon : *Omni custo-*

dia serva cor tuum : quia ex ipso vita procedit[1]. Ergo videtur, quod confirmatio sicut in radice firmitatis signanda sit in corde, et non in fronte.

Solutio. SOLUTIO. Quia, sicut dicit Glossa quædam super Apocal. VII, 3, « sedes verecundiæ est in fronte : » unde ad tollendam malam verecundiam, et ad confirmandum ponitur signum crucis in fronte, quasi in aperto, ut pro honore illud in aperto portet, etiam cum fugatur.

Ad 1. AD PRIMUM ergo dicendum, quod ratio nihil facit ad propositum : quia licet confirmationem fidei dictet ratio, tamen apertum signum non est in loco rationis : quia ille locus non est in omnibus in patulo, sed potius frons : nec confirmatio datur ad fidei confessionem quamcumque, sed apertam, postposito rubore et verecundia.

Ad 2 et 3. AD ALIUD dicendum, quod fides in intellectu est : sed tamen signum confirmationis est in loco ad quem respiciunt homines : et hic est frons : et ideo ibi etiam sedes est verecundiæ quoad signum ruboris.

Ad 4. AD ALIUD dicendum, quod non est confirmatio ut expedite loquatur, quod pertinet ad expeditionem linguæ, sed ut aperte sine verecundia fidem confiteatur.

Ad 5. AD ALIUD dicendum, quod illud argumentum procedit ac si confirmatio conferat gratiam cor custodiendi : et hoc non est verum : sed potius confert gratiam expellentem timorem et verecundiam nominis Christi, quorum sedes quoad hominum manifestationem est in fronte.

Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICULUS VIII.

An sacramentum confirmationis debeat dari utrique sexui ? et, In qua ætate debeat conferri ? et, Qualiter confirmandus debeat præsentari ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, B, § 2 : « *Hoc sacramentum tantum a jejunis accipi, et jejunis tradi debet*, etc. »

Et quæruntur hic tria.

Primum, Utrum utrique sexui sit conferendmm hoc sacramentum ?

Secundo, In qua ætate ?

Tertio, Qualiter confirmandus debet præsentari a suis patrinis ?

AD PRIMUM objicitur sic : Quæst.

1. In tabernaculo Dei non scribebantur nisi mares ad ministrandum : ergo etiam non debent confirmari (ut veritas respondeat umbræ) nisi mares.

2. Item, Expediti ad pugnam cum Abraham[2] : et viri bellatores, de quibus habetur Numer. II, fere per totum, et Josue : et fortissimi, ut dicitur, II Regum XXIII, 8 et seq., non erant nisi mares. Ergo videtur, quod ad pugnam Domini non debent confirmari nisi mares, et non fœminæ propter mollitiem sexus.

SED CONTRA hoc est quod Sed contra

1. Dicit Apostolus, ad Galat. III, 28, quod in Christo *non est servus, neque liber : non est masculus, neque fœmina*, sed nova creatura. Ergo fœminæ confirmandæ sunt sicut mares.

2. Item, II Machab. VII, 20 et seq., dicitur de matre septem fratrum : *Supra modum autem mater mirabilis, et bonorum memoria digna, quæ pereuntes septem filios sub unius diei tempore con-*

[1] Proverb. IV, 23.

[2] Cf. Genes. XIV, 14 et seq.

spiciens, bono animo ferebat, propter spem quam in Deum habebat : singulos illorum hortabatur voce patria fortiter, repleta sapientia : et fœmineæ cogitationi masculinum animum inserens, etc. Ergo etiam fœminis dandum est sacramentum confirmationis. Sed quia hoc non cadit in dubium, leve est de hoc disputare.

Quæst. 2. Secundo quæratur, In qua ætate sit conferenda confirmatio ?

Videtur autem, quod tantum in adolescentia : quia

1. Pugna non indicitur nisi robustis, et in lege non computabantur nisi a viginti annis et supra, qui possent ad bella procedere. Ergo et pugna spiritualis intelligentibus et robustis est indicenda.

2. Præterea, Fides aliena non operatur nisi in sacramento baptismi : ergo in aliis operatur fides propria : non est autem propria ante ætatem adultam : ergo videtur, quod exspectanda sit ætas adulta.

3. Item, Stultus videretur qui armaret puerum : quia potius opprimeret quam institueret ad bellum : ergo videtur, quod similiter sit in pugna spirituali.

4. Item, Judicum, VIII, 20, dixit Jeroboal, scilicet Gedeon, Jether primogenito suo, quod surgeret et irrueret in Zebee et Salmana, principes Median, et interficeret eos. Et sequitur, ℣. 21 : *Qui non eduxit gladium : timebat enim, quia adhuc puer erat*. Ergo videtur, quod puerorum ætas non est ad pugnam spiritualem apta. Cum ergo confirmatio detur ad pugnam spiritualem, non debet dari parvulis vel pueris.

Si forte tu dicas, quod aliter est in pugna spirituali, et aliter in pugna corporali : quia pugna spiritualis indicitur parvulis, sed non corporalis. Contra : Pugna spiritualis plura exigit quam corporalis : quia intellectum exigit astutiarum dæmonis, sicut dicit Apostolus, II ad Corinth. II, 11 : *Non ignoramus cogitationes ejus*. Exigitur etiam specialis virtus. Unde, Psal. XLIV, 4 : *Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime*. Ergo videtur, quod si corporalis non indicitur pueris, quod multo fortius spiritualis non indicetur eis.

Quæst. 3. Ulterius quæritur tertio, Qualiter præsentandi sunt ?

Et videtur, quod per seipsos accedere debeant :

1. Non enim exigitur anadochus nisi ubi sunt confessiones pro alio faciendæ : sed hic confitetur pro seipso, sicut dicitur, Joan. IX, 21 : *Ætatem habet, ipse de se loquatur*. Ergo videtur, quod per seipsum debeat præsentari.

2. Item, Videtur quod mulier nullum possit præsentare : quia in ipsa ostenditur fragilitas sexus, et ita impotens est statuere alium : ergo alium statuendum in pugna ipsa non debet præsentare, ut videtur.

Quæst. 4. Item, Quæritur de ratione Ordinariorum antiquorum, in quibus invenitur, quod anadochus repræsentans alium, debet eum inter manus tenere, et pedem ejus super pedem suum ponere, et nomen ejus Episcopo exprimere, et postea ligare locum signatum chrismate : talis enim usus modo raro vel numquam observatur.

Item, In Ordinario antiquo invenitur, quod oratio præmittenda est de septem donis Spiritus sancti super confirmandos, et iterum postea alia subjunguntur, cum mittuntur armati ad pugnam spiritualem : et quæritur ratio hujus.

Quæst. 5. Præterea, Quæritur de hoc quod dicit quidam Papa, quod mulier repræsentet mulierem, et vir virum. Ex hoc videtur, quod de dispari sexu se non possint repræsentare.

Quæst. 6. Item, quæritur de hoc quod dicit hic, « A jejunis et jejunis conferatur : » quare hoc enim modo non observatur ? Ergo videtur, quod aliter celebretur hoc sacra-

mentum quam debeat, aut quod omnino nihil fiat.

Solutio. Ad quæst. 1.

Solutio. Dicendum ad primum, quod istud sacramentum conferendum est viris et mulieribus æqualiter : quia utrisque bellum indicitur. Ad Ephes. VI, 12 : *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ, in cælestibus.*

Ad omnia autem objecta in oppositum, dicendum quod tenent illæ objectiones de illis qui emollitum habent animum, et arma Dei abjiciunt, quibus tamen conferenda sunt, ut sint in testimonium justioris condemnationis eorum. Et hac ratione masculi antiquitus ducebantur ad bellum : tamen in pugna contra Sisaram, Jahel dejecit hostem, et Judith Holofernem, et Esther precibus vicit Aman : et primæ mulieri in typo gloriosæ Virginis dictum est : *Ipsa conteret caput tuum* [1].

Et per hoc patet solutio ad omnia quæsita quæ sunt de hac materia.

Ad quæst. 2.

Ad id quod secundo quæritur, dicendum quod utrumque potest fieri : sed melius et tutius est, quod prius confirmentur : neque tamen tunc indicitur eis pugna : quia tunc non intelligunt tentationes, et ætas immatura est ad fortes motus concupiscentiæ : sed præparantur, et dantur eis arma ut habeant unde pugnare possint cum tempus sit : et bonum est esse paratum. Hoc autem significatur, Genes. XIV, 5, ubi dicitur, quod illi qui servierunt, *quartodecimo anno* rebellaverunt : quia in illo anno incipiunt stimuli concupiscentiæ, eo quod per Philosophum, in secundo septennario distillare incipit semen, et incipiunt aperiri viæ concupiscentiæ.

Et per hoc patet solutio ad totum quod objicitur : non enim armatur ut pugnet, sed dantur ei ut habeat præparata cum opus sit. Et hoc significatum est in David, impensas templi parante Salomoni.

Ad quæst. 3.

Ad tertium quæsitum dicendum, quod nullus seipsum præsentare potest : quia confirmandus debet consignari, tamquam non habens virtutem propriam ad standum : sed statuendus est ab alio, et ideo ab alio præsentandus est.

Ad 1.

Ad primum ergo dicendum, quod hoc non fit ut pro eo confiteatur, sed ut significet eum aliena virtute, scilicet Christi, indigere ad hoc ut possit stare in pugna.

Ad 2.

Ad aliud patet solutio per ante dicta : quia mulier est habens animum emollitum, et cedens in omni pugna spirituali : et hæc repellitur ab exercitu Domini, ut habetur, Numer. I, 2 et 3.

Ad quæst. 4.

Ad aliud dicendum, quod ratio Ordinariorum illorum optima est : et exprimunt modum Apostolorum et Patrum : quia enim confirmandus quærit virtutem corroborativam, ideo significatur non posse stare per se, sed in vestigiis alicujus confirmati quem imitetur in pugna : et ideo non confirmatus nullum debet præsentare quantum est de ratione convenientiæ sacramentalis : et si præsumpserit, non est quidem irritum sacramentum, sed tamen ipse peccat et corripiendus est. Et quia contrahitur ibi confinitas spiritualis, mulier non debet tenere maritum, nec e converso : nec homo filium, sororem, vel fratrem, quia sufficit ad amicitiam conciliandam inter tales vinculum carnale.

Ad quæst. 5.

Ad aliud dicendum, quod ille Papa dixit hoc propter periculum sequens evitandum : quia quandoque vir præsentabat mulierem, et postea contraxit cum ea, quod non potest fieri : et ideo voluit ut mulier præsentaret mulierem, et vir virum : ne fieret impedimentum in matrimonio.

[1] Genes. III, 15.

quæst. 6. Ad aliud dicendum, quod hoc dicitur propter sacramenti reverentiam : si tamen aliter fiat propter carentiam Episcoporum, non nocet : melius enim est confirmari post prandium cum potest haberi Episcopus, quam quod recedente Episcopo non possit confirmari.

ARTICULUS IX.

An confirmatio imprimat characterem ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, B, § 2 : « *Nulli enim sacramento facienda est injuria*, etc. »

Hoc enim communiter dicitur, quod fit propter characterem quem imprimit.

Videtur autem, quod non imprimat :

1. Pugna enim spiritualis æqualiter indicebatur illis qui fuerunt in naturali lege, et in lege Moysi, sicut illis qui sunt in Novo Testamento : et tamen illi non habebant confirmationem et characterem spiritualem : ergo videtur, quod nec in Novo Testamento distinguendi sunt pugnantes per characterem.

2. Præterea, Quid est quod non est iterandum sacramentum ? Aut enim hoc ideo fit, quia sacramentum : aut quia est sacramentum novæ legis : aut quia imprimit characterem : aut quia immobilem confert effectum.

Et videtur, quod nullo horum modorum. Si enim quia sacramentum, non iteraretur : tunc nullum sacramentum posset iterari, quod falsum est in pœnitentia et extrema unctione, ut habebitur infra. Si autem quia est sacramentum novæ legis : iterum instantia est in extrema unctione : quia illa non fuit in Veteri Testamento, nisi in typo et in figura. Nec quia imprimit characterem : quia per hoc circumcisio quæ non imprimebat characterem, potuisset iterata fuisse, quod falsum est. Nec etiam ideo quia effectus sacramenti sit immobilis : quia effectus sacramentis et gratia, et hæc sæpe perditur : ergo videtur, quod nulla causa sit, quare non debeat iterari.

3. Item, Videtur, quod necessarium sit iterari : dicit enim Augustinus, et ponitur infra in tractatu de *Extrema unctione* : « Si morbus non potest impediri ne redeat, medicina quare debet prohiberi ? » Ergo cum pusillanimitas et timiditas frequenter redeant super aliquem, videtur quod frequens sit ei necessaria confirmatio, et ita debet iterari.

Ulterius quæritur, Quem ordinem habeat character confirmationis ad characterem ordinis et baptismi ? Quæst.

Et videtur, quod fundamenti : quia non debet ordinari nisi baptizatus : ergo videtur, quod si non habeat characterem confirmationis, quod inhabilis sit suscipere characterem Ordinis : ergo si ordinetur non confirmatus, non est ordinatus.

Solutio. Dicendum, ad primum, quod præcipue tria sacramenta non sunt iteranda, scilicet baptismus, confirmatio, et ordo : quia imprimunt effectum perpetuum et characterem : et illis fieret injuria si iterarentur : quia aut duo characteres idem specie erunt, quod non potest esse : aut alterum sacramentum nihil conferret, et hoc esset inutile et injuriosum si sacramentum celebraretur. Alia autem sacramenta, ut dicitur in *Littera*, non iterantur super eamdem materiam, licet iterentur circa eosdem homines illa sacramenta suscipientes. Solutio.

Ad objectum contra, dicendum, quod antiqui pugnam habebant graviorem, vel adeo gravem, quam nos : et tamen non habebant sacramentum, quia tempus sacramenti non fuit : sed habebant fortitudinem Domini et virtutis, quibus stare potuerunt : nec characterem habere potuerunt : quia adhuc non erat dux belli nobiscum in acie, cui per characterem conscriberentur : et hoc supra expeditum Ad 1.

est in communi sacramentorum quæstione, quare sacramenta cum Christo inceperunt[1].

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod duo concurrunt conjunctim non divisim ad hoc quod sacramentum non iteretur, scilicet impressio characteris : et hæc est causa quare illa tria sacramenta, baptismus, confirmatio et ordo, non iterantur : et unitas peccati contra quod ordinatur sacramentum, sicut originale, non est nisi unum, et non inficit nisi semel et non plus : et hoc probatum est in secundo *Sententiarum*, ubi quæsitum est si originale redeat post baptismum ab infectione carnis, sicut fecit in animæ infusione. Et hæc est causa, quare circumcisio non iterabatur, et hæc causa concurrit cum prima, et maxime in baptismo, sed non in aliis duobus sacramentis.

Ad aliud dicendum, quod licet debilitas redeat, et fomes resumat vires per iterationem peccati, ut dicit Augustinus, tamen character cum gratia recuperata sufficit ad expulsionem illius : et ideo non debet iterari sacramentum, ne videatur minus sufficiens esse collatum. Ad

Ad id quod ulterius quæritur, dicendum quod habet ordinem convenientiæ ad characterem Ordinis, et non necessitatis. Ad qu

Et quod dicitur, quod non debet ordinari nisi confirmatus, importat debitum congruentiæ : quia firmus esse debet, qui aliis debet sacramenta dispensare : sed tamen quia non dependet effectus sacramentorum a virtute ministri, potest esse non confirmatus.

[1] Cf. Supra, Dist. I, Artic. 13 et seq.

DISTINCTIO VIII.

De Eucharistia.

A. *De sacramento altaris et Eucharistiæ.*

Post sacramentum baptismi et confirmationis sequitur Eucharistiæ sacramentum. Per baptismum mundamur, per Eucharistiam in bono consummamur. Baptismus æstus vitiorum exstinguit, Eucharistia spiritualiter reficit. Unde excellenter Eucharistia dicitur, id est, bona gratia : quia in hoc sacramento non modo est augmentum virtutis et gratiæ, sed ille totus sumitur, qui est fons et origo omnis gratiæ. Cujus figura præcessit, quando manna pluit Deus Patribus in deserto, qui quotidiano cœli pascebantur alimento [1]. Unde, *Panem Angelorum manducavit homo* [2]. Sed tunc qui panem illum manducaverunt, mortui sunt. Iste vero panis vivus, qui de cœlo descendit, vitam mundo tribuit. Manna illud de cælo, hoc super cœlum. Illud scaturiebat vermibus [3] in diem alterum reservatum, hoc ab omni corruptione est alienum. Quicumque religiose gustaverit, corruptionem non videbit. Illud datum fuit antiquis post transitum maris Rubri, ubi submersis Ægyptiis liberati sunt Hebræi. Ita hoc cœleste manna, non nisi renatis præstari debet. Panis ille corporalis populum antiquum ad terram promissionis per desertum eduxit. Hæc esca cœlestis fideles hujus sæculi per desertum transeuntes in cœlum subvehit. Unde recte *viaticum* appellatur : quia in via nos reficiens, usque in patriam deducit. Sicut ergo in mari Rubro figura baptismi præcessit, ita in manna significatio Dominici corporis. Hæc duo sacramenta demonstrata sunt, ubi de latere Christi san-

[1] Cf. Exod. XVI, 11 et seq.
[2] Psal. LXXVII, 25.
[3] Edit. Joan. Allcaume, *scatebat vermibus.*

guis et aqua profluxerunt [1] : quia Christus per sanguinem redemptionis, et aquam ablutionis nos redimere venit a diabolo et a peccato : sicut Israëlitas per sanguinem agni paschalis ab exterminatore, et per aquam maris Rubri ab Ægyptiis liberavit. Hujus etiam sacramenti ritum Melchisedech ostendit, ubi panem et vinum Abrahæ obtulit [2]. Unde, ut ait Ambrosius [3], intelligi datur anteriora esse sacramenta Christianorum, quam Judæorum.

DIVISIO TEXTUS.

« *Post sacramentum baptismi*, etc. » Hic agit Magister per ordinem de tertio sacramento, quod est Eucharistia.

Et dividitur tractatus de Eucharistia secundum eum generaliter in duas partes : in quarum prima præmittit Magister quædam præambula, scilicet de utilitate, et figuris. In secunda autem dividit tractatum, et pertractat partes. Hoc autem incipit in secundo capitulo, ibi, B, « *Hic autem alia consideranda occurrunt*, etc. »

Tangit autem in primo capitulo utilitatem, ubi dicit : « *Per baptismum mundamur*, etc. »

ARTICULUS I.

An Eucharistia sit sacramentum majoris gratiæ quam baptismus ?

ET VIDETUR FALSUM : quia secundum eum videtur baptismus minoris esse gratiæ quam Eucharistia :

1. Mundare enim non dicit nisi mali remotionem : confirmari autem in bono dicit firmam boni adoptionem, et hæc adeptio est per se bona : remotio autem mali est privatio : ergo minoris gratiæ sacramentalis est baptismus quam Eucharistia, quod Magister negavit in præcedenti distinctione.

2. Præterea, Confirmare in bono, videtur esse actus confirmationis, ut prius habitum est : ergo hic non debet poni effectus Eucharistiæ.

3. Similiter objicitur de illo effectu : Eucharistia spiritualiter reficit : hic autem est actus omnis gratiæ : unde videtur, quod non sit speciale hujus sacramenti.

4. Præterea, Probatur ex hoc quod habetur, Job, 14, quod ibant filii Job, et faciebant convivia per singulos : quod exponit Gregorius de refectione donorum et virtutum.

5. Item, Per illud Isaiæ, IV, 1 : *Panem nostrum comedemus, et vestimentis nostris operiemur :* quod est verbum septem mulierum apprehendentium virum unum : et Glossa ibidem exponit de septem donis.

6. Item, Matth. VI, 11 : *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie.* Exponit Glossa de pane verbi, et de pane gratiæ.

7. Item, Matth. IV, 4 : *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei* [4]. Ergo per omnia hæc videtur, quod nullo modo refectio spiritualis sit effectus proprius hujus sacramenti.

[1] Joan. XIX, 34.
[2] Genes. XIV, 18.
[3] S. AMBROSIUS, Lib. IV de Sacramentis, cap. 3.
[4] Cf. Luc. IV, 4.

Solutio. Solutio. Dicendum, quod Magistri nostri assignant plurimas utilitates hujus sacramenti.

Prima autem est principalis et propria, scilicet ut sicut homo per esum pomi vetiti perdidit vitam, ita recuperet per esum ligni vitæ spiritualis : et hæc pro tanto dicitur *propria*. Quia homo multipliciter cecidit a vita, scilicet per culpam originalem, et actualem, et per vulnus concupiscentiæ debilitantis, et per deperditionem spiritualium in pietate et bonitate, et hujusmodi, quæ quasi humor quidam vegetant et infundunt animam. Contra culpam autem sunt baptismus et pœnitentia : et contra debilitatem concupiscentiæ est confirmatio. Ad restaurandum autem spirituale robur deperditum, est cibus spiritualis Eucharistia. Et hujus probatio subtilior est supra habita in distinctione sacramentorum [1].

Secunda et quasi propinqua illi, ut sit nutrimentum hominis spirituale. Unde *panem Angelorum manducavit homo* [2]. Super quod dicit Augustinus : « Ut manducaret homo panem Angelorum, creator Angelorum factus est homo. » Sapient. XVI, 20 : *Paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem.*

Tertia est, ut uniat membra corporis Christo capiti per charitatem : aliter enim est in hoc cibo, et in aliis : quia alii cibi convertuntur in cibatum : hic autem cibus convertit cibatum ad se, et unit sibi membra cibata : et hujus ratio infra dicetur. Unde, Joan. VI, 57 : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo.* Et Augustino dictum est : « Crede, et manducabis me : nec tu me mutabis in te, sed tu mutaberis in me. »

Quarta est non adeo propria et substantialis sacramento, sed consequitur ad ipsum, scilicet ut augeatur meritum fidei quæ in hoc sacramento supra omnia exaltatur, eo quod ratio hic sine fide nihil potest : et hoc tangit Magister infra [3], ubi dicit, quare sub alia specie corpus suum dedit.

Quinta est spei sublevatio. Unde, Matth. XXVIII, 20 : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.*

Sexta est dilatatio charitatis : quia est in memoriam redemptionis et liberationis nostræ. I ad Corinth. XI, 24 : *Hoc facite in meam commemorationem* [4]. Et ibidem, ℣. 26 : *Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem Domini bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.*

Septima est diminutio venialium, licet non propter venialia sit principaliter institutum, ut supra probatum est. Et ideo, Matth. VI, 12, post, *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie*, statim sequitur : *Dimitte nobis debita nostra.*

Potest ergo dici ad primum, quod si remotio a malo et adeptio boni essent termini ejusdem motus, et terminus a quo causaret baptismus, et terminus ad quem causaret Eucharistiæ : tunc procederet objectio. Sed hoc non est verum : quinimo baptismus removet malum, et inducit bonum. Et confirmatio in tali bono non est terminus baptismi : sed potius in alio bono gratiæ quod confert Eucharistia, sicut prius ostensum est : quia sacramentales gratiæ non simul habentur. Ad 1.

Ad aliud dicendum, quod confirmatio in bono est duplex, scilicet ex Spiritu sancto dato ad robur pugnæ, et hic effectus est confirmationis. Est etiam confirmatio in bono ad restitutionem virtutis deperditæ per inobedientiam, et hæc confirmatio habet fieri per cibum spiritualem, et est effectus Eucharistiæ. Ad 2.

Ad alia omnia est vera solutio, scilicet quod est refectio spiritualis cum signo et Ad 3, 4, etc

[1] Cf. Supra, Dist. I, Art. 2.
[2] Psal. LXXVII, 25.
[3] Cf. Infra, Dist. X.
[4] Cf. Luc. XXI, 19.

causa cibi, et refectio ista non est nisi Eucharistiæ. Est etiam refectio per continentiam virtutis ne decidat, et augmentum ejus sine ratione in signo causat, et hæc competit verbo Dei et gratiæ. Et de hac loquuntur auctoritates inductæ.

ARTICULUS II.

De quatuor figuris Eucharistiæ.

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, A, circa initium : « *Cujus figura præcessit, quando manna pluit Deus Patribus in deserto*, etc. »

Hic enim tangit Magister quadruplicem figuram hujus sacramenti, scilicet manna, et sanguinem Christi a latere ejus profluentem [1], et sanguinem agni paschalis qui liberabat ab exterminatore [2], et oblationem Melchisedech [3].

Quæst. 1. QUÆRITUR autem de istis figuris.

Primo quidem, quare baptismus et Eucharistia habent figuras se manifestantes, potius quam alia sacramenta?

Videtur enim, quod alia debent habere sicut et ista : quia dicit Magister Hugo, quod statim ut fuit morbus, conveniebat significari per medicinam : ergo omne sacramentum in figuris præsignari debuit.

Quod autem non statim debuerunt exhiberi sacramenta, satis est supra probatum, et ideo de hoc non est hic disputandum.

Quæst. 2. PRÆTEREA, Cum sint multæ aliæ figuræ hujus sacramenti, præcipue illæ de quibus fit mentio in canone, sicut oblatio Abel et Abrahæ qua obtulit filium, quare Magister non facit mentionem de illis sicut de istis tribus?

ITEM, Videtur quod manna non sit figura Eucharistiæ : quia

1. Manna habebat omnem saporem : sed Eucharistia non confert nisi gratiam saporis unius : quia non nisi unam : ergo non est figura proportionata figurato. Si autem dicas, quod Eucharistia omnem gratiam confert, ex hoc videtur quod sacramenta alia et cæteræ virtutes essent superfluæ, quod est inconveniens : ergo non confert nisi gratiam unam.

2. Præterea, Panis in quo sumitur Dominus noster Jesus Christus, panis est oblationis et oblatus Deo : ille autem non offerebatur Deo : ergo videtur, quod non significat istum.

ULTERIUS videtur, quod nec sanguis fluens de latere Domini sit signum hujus sacramenti : quia

1. Nihil est signum suiipsius secundum quod signum accipitur in diffinitione sacramenti : sed idem sanguis qui profluxit de latere Christi, accipitur in sacramento : ergo non est signum illius, sed potius signum in sacramento.

2. Item, Alia est ratio sanguinis fluentis et effusi, et alia sanguinis potus : sanguis enim fluens et effusus effectum habet redemptionis et non potus, sanguis autem in sacramento effectus est potus : ergo videtur, quod sanguis effusus non significet sacramentum Eucharistiæ.

3. Præterea, In Eucharistia non accipitur sanguis fluens de corpore, sed potius in corpore contentus : sed in passione effundebatur sanguis de corpore : ergo videtur, quod nihil habeat simile quo posset Eucharistiæ sanguinem significare nisi per identitatem, scilicet quia idem est, et hoc jam supra probatum est esse impossibile.

ULTERIUS quæritur de tertia figura quam inducit, scilicet de sanguine agni paschalis quo liniebantur postes filiorum

[1] Cf. Joan. XIX, 34.
[2] Cf. Exod. XII, 7 et seq.
[3] Cf. Genes. XIV, 18.

Israel, ut liberarentur ab Angelo exterminatore.

Videtur enim, quod ille non habebat similitudinem aliquam cum sanguine Christi prout sumitur in Eucharistia : quia

1. Ille specialiter liberavit ab Angelo occidente primogenita Ægyptiorum, per quæ significatur originale peccatum a quo liberat passio operans in baptismo, et non in Eucharistia : ergo et ille sanguis similitudinem ponit ad sanguinem in baptismo operantem, et non ad sanguinem prout datur in potum spiritualem in Eucharistia.

2. Item, Ille fuit sanguis eductionis de Ægypto : Eucharistia autem non educit de Ægypto, sed baptismus : ergo significat sanguinem operantem in baptismo.

Ulterius quæritur de quarta figura quam inducit, scilicet oblatione Melchisedech : in illa enim fuit oblatio facta Abrahæ, non Deo, sicut patet, Genes. xiv, 18, ubi dicitur, quod obtulit ei panem et vinum, scilicet Abrahæ, dicens : *Benedictus Abram Deo excelso, quo protegente, hostes in manibus tuis sunt.* In Eucharistia autem sumitur panis oblatus Deo. Ergo videtur, quod non habeat hanc figuram.

Quæst. 3. Præterea quæritur, Cum forma sit in Eucharistia sicut res et species et situs, et habeamus figuram penes rem et speciem et situm : quare non præcessit aliquid quod significaret quoad formam ?

Videtur enim quod debuit esse figura penes formam : quia in baptismo Joannis quædam figura præcessit formam baptismatis Christi : ergo etiam debuit præcedere in isto.

Quæst. 4. Ultimo quæritur, Penes quid sumitur numerus harum quatuor figurarum ?

Solutio. ad quæst. 1. Solutio. Dicendum ad primum, quod quatuor sunt sacramenta quæ præcipue sunt Novi Testamenti, scilicet baptismus, confirmatio, Eucharistia, et extrema unctio. Alia tria etiam sunt Novi testamenti, scilicet quia in Novo habuerunt effectus plenitudinem : licet aliquo modo præcesserint in Veteri. Inter quatuor autem quæ sunt Novi Testamenti, sunt duo quæ ita sunt Novi, quod nec figuram aliquam expressam in Veteri habere poterant. Unum quidem propter Veteris Testamenti imperfectionem, ut Confirmatio, in qua Spiritus datur ad robur : et ideo figuram habere non debuit in Veteri Testamento ubi fuit imperfectio status secundum Spiritum. Aliud autem propter statum originalis peccati, cujus pondere ante Christi Passionem omnes trahebantur ad limbum : et ideo non potuit esse figura extremæ Unctionis, quæ tollit reliquias peccati ad hoc quod evolet statim ad gloriam. Sed Baptismus et Eucharistia sunt sacramenta, quorum unum est directe contra originale, contra quod etiam remedium fuit in Veteri Testamenti, scilicet circumcisio, et habuit multas figuras. Aliud autem in quo nobis conjungitur liberator ille qui operatur in omnibus sacramentis : et ideo etiam conveniebat præcedere figuras illius : et hoc est Eucharistia. Pœnitentia autem est contra defectum actualis peccati, qui singulariter est cujuscumque hominis in quacumque lege : et Matrimonium ad materialem fidelium multiplicationem, quæ etiam semper fuit necessaria : et ideo semper fuerunt illa sacramenta, licet non adeo plena gratiæ sicut sub Christo. Ordo autem habet potestatem spiritualem quæ in umbra fuit in Veteri, et in veritate in Novo. Et sic patet qualis differentia est in sacramentis in communi.

Ad aliud dicendum, quod licet aliæ sint figuræ Passionis Christi, vel effectus hujus sacramenti, sicut oblatio quæ repræsentat Passionem Christi secundum naturam humanam in cruce, et sacrificium Abel quod repræsentat oblationem qua se Christus obtulit in cruce : tamen Ad quæst. 2.

ista quatuor specialiter exprimunt non Passionem Christi, sed rem vel speciem sacramentalem, secundum quod sub sacramento accipitur res, vel species refertur ad rem sacramenti. Et hoc satis patet in manna, et oblatione Melchisedech. Sed quod sanguis agni Ægyptiaci vel paschalis non accipiatur simpliciter, sed in usu fidelium, patet ex hoc quod liniuntur postes liberatorum sanguine : et hoc modo Christus passus conjungitur fidelibus, non prout pependit in cruce, sed prout accipitur in sacramento, et linit postes intellectus et affectus. Sanguis etiam effluens de latere Christi, per hoc quod fuit cum aqua fluente quæ significat populum, habet relationem ad sanguinem in sacramento, ubi aqua conjungitur populum significans. Nulla autem aliarum figurarum sic exprimit speciem sacramenti, vel rem secundum quod est sub sacramento : et ideo de illis non facit mentionem Magister, sed canon Missæ, eo quod non tantum ponit substantialia sacramento, sed etiam exprimit ea quæ facta sunt circa Christum in Passione, ut dicit Innocentius, sicut patena lapidem sepulcri significat, extensio manuum sacerdotis extensionem Christi in cruce. Et ideo etiam facit mentionem de figuris quibusdam significantibus Christi Passionem, secundum quod repræsentabatur in cruce, et non sub sacramento.

Prima figura. Ad 1. Ad aliud dicendum, quod licet effectus hujus sacramenti proprius non sit nisi gratia una, et unius substantialis actus : tamen id quod in hoc sacramento est res et sacramentum, est totus et perfectus Christus, qui plenus est gratia, *de cujus plenitudine nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia* [1]. Et hanc diversitatem expressit manna in diversitate saporis.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod manna fuit panis oblatus homini a Deo, et oblatus Deo ab homine : quod patet in urna aurea, quæ plena mannate fuit in arca testamenti posita coram Domino : et ita est in sacramento Eucharistiæ, in quantum Deus rem sacramenti offert in edulium, et nos ei in pretium recompensationis delictorum.

Secunda figura. Ad 1. Ad id quod ulterius quæritur, dicendum quod nihil prohibet, quod idem in diversis dispositionibus acceptum, sit signum et figura suiipsius, non prout est idem, sed potius prout sumitur conjunctum speciebus diversis : et ita est de sanguine fluente de latere Christi : per hoc ipsum enim quod aquæ conjungebatur, habebat expressionem sui, prout populum sibi unit in sacramento in quo aqua conjungitur vino in sanguinem transferendum. Vel dicatur melius, quod duo sunt in sacramento, scilicet confectio et usus : in usu autem unit sibi hominem, in confectione autem efficitur præsentialiter sub sacramento. Dicatur igitur, quod sanguis Christi junctus aquæ fluenti de latere Christi, habet similitudinem cum usu in quo unit sibi populum, licet identitatem habeat cum sanguine qui est in sacramenti confectione.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod sanguis secundum quod est in potum, est sanguis fluens ad nos. Licet autem in sacramento non sit sine corpore, hoc tamen non est de virtute sacramenti, sed potius de virtute indissolubilitatis sanguinis a corpore glorioso : unde sacramentaliter accipitur ut fluens, licet contentus sit in corpore per unionem ad corpus.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod ut prædictum est, quod sanguis in sacramento in corpore continetur, hoc non est virtute sacramenti, sed potius de natura corporis gloriosi, in quo unum ab alio non potest separari.

Tertia figura. Ad 1. Ad id quod ulterius quæritur de tertia figura, dicendum quod in veritate illa

[1] Joan. I, 16.

figura secundum diversa exprimit duo sacramenta : quia in baptismo sunt tria, scilicet liberatio a dæmone, et tinctio in aqua, et remissio peccati. Et primum horum facit Passio Christi, et hoc exprimitur per liberationem ab Angelo exterminatore. Secundum autem exprimebatur per transitum maris Rubri. Et tertium per submersionem Ægyptiorum : quia aliter etiam figura Eucharistiæ præcederet figuram baptismi, quod reputo inconveniens : sed non est inconveniens, quod figura Passionis præcedat quæ in omnibus sacramentis operatur : sed tamen usus sanguinis et carnium agni usum rei sacramentalis Eucharistiæ exprimit.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod sanguis per hoc quod eduxit, figurat Passionem in baptismo operantem : sed usus carnium et sanguinis in quantum confortabat et præparabat ad exitum de Ægypto ad patriam, figura fuit viatici in Eucharistia.

Quarta figura. Ad id quod ulterius quæritur de quarta figura, dicendum quod secundum præhabita, in Eucharistia est oblatio facta nobis a Deo, et Deo a nobis : et utrumque exprimit Melchisedech : primum in offerendo Abrahæ post interfectionem regum per quos peccata significantur : secundum autem per hoc quod benedixit Deo excelso.

Ad quæst. 3. Ad aliud dicendum, quod in forma hujus sacramenti Verbum increatum operatur in verbo creato, et non opere ministri sicut in aliis sacramentis : et ideo verba a Sacerdote proferuntur in persona Christi, quod non fit in aliis. Et propter hanc maximam perfectionem non potuit præfigurari forma.

Ad quæst. 4. Ad aliud dicendum, quod quatuor figuræ dividuntur ita, quod duæ referuntur ad rem quæ est res et sacramentum, et duæ ad speciem sacramenti in materia. Potest autem species in materia absolute accipi, aut secundum comparationem ad effectum sacramenti quem significat per species : aut potest accipi in materia in comparatione ad effectum et ritum sacramenti. Si primo modo : tunc præfiguratur in manna, quod per speciem panis figurabat materiam, per saporem effectum. Si secundo modo : tunc figurabatur in oblatione Melchisedech : quia ibi fuit utraque species, scilicet vinum et panis, et effectus confortationis cum ritu oblationis et benedictionis. Si autem refertur figura ad rem quæ est sacramentum et res : hæc iterum est duplex, scilicet prout est in usu fidelium tantum, vel prout unit nos capiti Christo per effectum spiritualis amoris. Et primo modo significatur in comestione agni paschalis, secundo modo in fluxu de latere Christi, ubi unitus fuit sanguis cum aqua quæ unionem populi cum capite Christo significat, ut dicit Gelasius Papa.

ARTICULUS III.

Quæ sit causa, quare hoc sacramentum viaticum *dicatur ?*

Deinde quæritur de hoc quod dicitur, ibi, A, circa finem : « *Unde recte* viaticum *appellatur*, etc. » Supra enim dedit ei aliud nomen, scilicet *Eucharistiam*.

Et quæritur ratio horum nominum.

Et dicendum, quod *viaticum* dicitur tribus de causis, scilicet, quia viatorum est ad viam præparatio, ut dicitur in *Littera*. Unde, III Reg. xix, 7 et 8 : *Surge, comede, grandis enim tibi restat via*, dictum est Eliæ : et *comedit, et bibit, et ambulavit in fortitudine cibi illius... usque ad montem Dei Horeb*. Solutio.

Secunda ratio est, quia non est sacramentum hoc nisi in via. Et ideo in qua-

dam Collecta dicit Gregorius : « Præsta, ut quod nunc in specie rerum gerimus, veritate capiamus. » Et Dionysius in *Ecclesiastica hierarchia* : « Arbitramur Jesu participationis ipsam divinissimæ Eucharistiæ assumptionem esse imaginem [1]. »

Tertia causa est, quia est memoriale quoddam viæ Domini transeuntis ad Passionem pro nobis. Exod. XII, 11 : *Est enim phase*, (*id est, transitus*) *Domini*. Et Dionysius : « Divinissima unius et ejusdem panis et vini et calicis communio et pacifica traditio similem conversationem eis divinam tamquam similiter edentibus promulgat, et dignissimam cœnam et principale symbolum perfectionis in memoriam sacram ducit. »

Eucharistia autem dicitur tribus de causis. Una est, quia continet illum qui est arca et fons omnis gratiæ. Joan. I, 14 : *Plenum gratiæ et veritatis*. Secunda est diversitas utilitatis quam facit sacramentum : et de hoc in prima quæstione supra habitum est [2]. Tertia est, quia principalis gratiæ, id est, amoris est sacramentum in hoc quia unit nos capiti Christo, sicut charitas unitiva est.

ARTICULUS IV.

An sacramenta Christianorum sint anteriora sacramentis Judæorum ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit Ambrosius, ibi, A, in fine : « *Intelligi datur anteriora esse sacramenta*, etc. »

Aut enim hoc intelligitur quoad speciem, aut quoad rem : quia non sunt plura in sacramento. Si quoad speciem, istud non videtur verum : quia sacrificia quædam etiam erant in naturali lege facienda ad dimissionem originalis peccati, ut dicit Gregorius, ut supra habitum est in principio hujus libri [3]. Si autem quoad rem, tunc plane falsum est : quia res sacramentorum novæ legis non fuit nisi post adventum Christi.

PRÆTEREA quæritur, Quale sic specialiter fuit in isto, quod istud antiquius dicitur etiam sacramentis veteris legis, potius quam alia ? Qua

SOLUTIO. Dicendum, quod intelligitur quoad speciem et ritum hujus sacramenti : quia utramque speciem, et ritum oblationis et usum sacramenti exhibuit in figura Melchisedech ante circumcisionem in naturali lege, antequam instituerentur sacramenta veteris legis. Solu

AD OBJECTUM autem contra, dicendum quod illa sacrificia non fuerunt sacramenta, nec figuræ veteris legis, sed potius figuræ Passionis Christi et mortificationis carnis pœnitentium, ut dicit quædam Glossa super Leviticum.

AD ALIUD dicendum, quod illud sacramentum specialem habet dignitatem suæ rei quæ est Christus perfectus in deitate et humanitate, quam perfectionem non habent sacramenta alia. Ad qu

[1] S. DIONYSIUS, Lib. de Ecclesiastica hierarchia, cap. 3. Secundum sensum (Nota edit. Lugd.).

[2] Cf. Supra, Dist. VIII, Art. 1.

[3] Cf. Supra, Dist. I, Art. 15 et seq.

B. *De institutione sacramenti.*

Hic etiam alia consideranda occurrunt quatuor, scilicet sacramentum, institutio, forma, et res. Sacramentum Dominus instituit, quando post typicum agnum corpus et sanguinem suum discipulis in cœna porrexit [1]. Unde Eusebius Emisenus : Quia corpus assumptum ablaturus erat ab oculis, et illaturus sideribus, necesse erat ut die cœnæ sacramentum nobis corporis et sanguinis consecraret : ut coleretur jugiter per mysterium quod semel offerebatur in pretium [2].

DIVISIO TEXTUS.

« *Hic etiam alia consideranda occurrunt quatuor,* etc. »

Hæc pars dividitur per Magistrum in tres partes : in quarum prima agitur de substantialibus sacramento, quæ ante omnia consideranda sunt. In secunda, agit de sacramento ex parte suscipientis, quæ incipit in distinct. IX, ibi, A, « *Et sicut duæ sunt res istius sacramenti,* etc. »

In tertia autem agit de sacramento ex parte celebrantis, ibi scilicet distinct. XIII, ibi, F, « *Post hæc quæritur, si quod gerit sacerdos,* etc. »

Residua autem pars illius distinctionis a Magistro dividitur in quatuor partes : in quarum prima agit de institutione : in secunda, de forma, ibi, C, « *Forma vero,* etc. ». In tertia, quid sit res et sacramentum ? ibi, D, § 1 : « *Nunc quid ibi sacramentum sit,* etc. » In quarta vero, tangit quod primo enumerat, scilicet sacramentum quod refertur ad species materiales hujus sacramenti, quæ sunt species panis et vini, ibi, D, § 2 : « *Porro illa species visibilis, sacramentum est,* etc. »

ARTICULUS V.

An sacramentum Eucharistiæ sit debito et congruo tempore institutum a Christo ?

Incidit autem quæstio circa primum, scilicet de institutione.

Videtur enim, quod

1. A tempore morbi competit medicina : et ita a principio mundi debuit institutum fuisse.

2. Item, Ad vitam deperditam per esum ligni vetiti non erat reditus nisi per esum ligni vitæ : ergo si mortem pellere cogitavit, sicut et fecit, omnibus a tem-

[1] Matth. XXVI, 17 et seq. ; Marc. XIV, 12 et seq. ; Luc. XXII, 7 et seq.

[2] De consec. Dist. II, cap. *Quia corpus* (Nota edit. Lugd.)

pore primi casus Adæ debuit edulium ligni vitæ præstitisse : hoc autem est in Eucharistia : ergo ex tunc debuit instituisse.

3. Item, Via viatoribus semper indicebatur a principio sæculi : ergo viaticum non debuit negari : sed viaticum est corpus Christi in sacramento : ergo a principio debuit esse hoc sacramentum.

Sed contra. SED CONTRA videtur, quod

1. Post Passionem et Resurrectionem debuit institui : quia baptismus est janua vitæ, et generatio vitæ spiritualis : nullus autem nutritur nisi prius vivat et generetur : ergo institutio baptismi debuit præcedere institutionem Eucharistiæ : baptismus autem post Resurrectionem formaliter institutus est, ut habitum est : ergo etiam Eucharistia multo magis.

2. Item, Sicut se habet perceptio Eucharistiæ ad perceptionem baptismi, ita se habet institutio Eucharistiæ ad institutionem baptismi : sed non percipitur Eucharistia nisi a baptizatis : ergo nec institui debuit Eucharistia nisi instituto baptismo, ut videtur.

3. ITEM, Videtur quod nec a principio mundi nec post Resurrectionem debuit institui, sed potius in initio filiorum Israel in terra promissionis : quia hoc in *Littera* dicitur, quod post agnum typicum dedit corpus suum, ut per hoc significaret legalia cessasse, et Novi Testamenti sacramenta incipere : cum ergo expressior figura Eucharistiæ fuerit manna, vel oblatio Melchisedech, ut supra habitum est [1], in cessatione illorum hoc sacramentum debuit institui, et non post cœnam agni typici, ut videtur.

Solutio. Ad 1. SOLUTIO. Dicendum ad id quod primo objicitur, quod tales objectiones optime tenerent, si morbus et medicina essent corporalia : quia in illis et natura supponitur operans per necessitatem, et hanc juvat medicina, et nisi cito juvet, ex corruptione principiorum per morbum succumbit natura. Sed, sicut a principio hujus libri quarti dictum est, secus est in morbo spirituali : quia in illo natura non agit per necessitatem, sed per voluntatem : ad voluntatem autem præexigitur cogitatio, et ideo oportuit præsignari morbum et medicinam multis signis et figuris, ut dicit Magister Hugo, ut postea gratia curaret quam juvaret voluntas : et ideo remedium sacramenti novæ legis non statim conveniebat dari.

Ad AD ALIUD dicendum, quod verum est, quod non erat reditus nisi per esum ligni vitæ : sed infra habebitur, quod duplex est modus edendi, scilicet spiritualis, et ille semper fuit in fide credentium. Unde Augustinus : « Ut quid paras dentem et ventrem ? crede, et manducasti. » Et per illum fuit reditus quoad satisfactionem, licet non quoad pretii susceptionem. Alius est sacramentalis, et illum non semper conveniebat esse, ut prius habitum est.

Ad AD ALIUD dicendum, quod viatoribus eo quod via spiritualis est, sufficiebat esus viatici spiritualis.

Ad ob AD ALIUD dicendum, quod aliud est in isto sacramento, et aliud in baptismo : baptismus enim figura est Passionis, et sepulturæ, et resurrectionis : Passionis in subversione peccati, sepulturæ in absconsione et mersione triplici sub aqua, et Resurrectionis in nitore abluti : et ideo ille formaliter institui non potuit, nisi post omnia hæc : sed Eucharistia est commemoratio Passionis tantum, et ideo immediate ante Passionem debuit institui : licet usus Eucharistiæ non detur nisi baptizato. Et ideo nihil habet similitudinis usus horum sacramentorum et institutio.

Ad ob AD ALIUD dicendum, quod non est verum, quod « sicut se habet perceptio, etc. » Et hujus ratio jam assignata est : et ideo proportio illa nihil valet.

[1] Cf. Supra, Art. 2 hujusce distinctionis.

Ad object. 3. Ad aliud dicendum, quod illæ figuræ licet sint expressiores quoad species materiales, ut prius dictum est, quæ sunt signa tantum : non tamen magis conveniebat post istud quam post illa institui. Aliter etiam potest dici, quod illa fuerunt signa, non sacramenta : et ideo species quæ in eis præfigurabatur, non debuit cessare, sed potius incipere ritus illius specici : sed sacramenta legalia cessare debuerunt, ut supra in quæstione de legalibus habitum est [1]. Et ideo post illud tamquam terminandum, debet institui Eucharistia, non post illa quæ per speciem in genere considerata non terminata sunt, sed adhuc frequentantur.

C. *De forma.*

Forma vero est quam ipse ibidem edidit dicens : *Hoc est corpus meum :* et post, *Hic est sanguis meus* [2]. Cum enim hæc verba proferuntur, conversio fit panis et vini in substantiam corporis et sanguinis Christi : reliqua ad laudem Dei dicuntur. Unde Ambrosius [3] : Sermone Christi hoc conficitur sacramentum, quia sermo Christi creaturam mutat : et sic ex pane fit corpus Christi, et vinum cum aqua in calicem missum fit sanguis consecratione verbi cœlestis. Consecratio quibus fit verbis? attende quæ sunt verba : *Accipite et comedite ex eo omnes : Hoc est corpus meum.* Et iterum, *Accipite et bibite ex hoc omnes : Hic est sanguis meus.* Per reliqua omnia quæ dicuntur, laus Deo refertur : oratio præmittitur pro populo, pro regibus. Item, Augustinus [4] : Credendum est, quod in illis verbis Christi sacramenta conficiantur : reliqua omnia nihil aliud sunt quam laudes, vel obsecrationes fidelium, et petitiones.

Ecce quæ sit institutio et forma hujus sacramenti. Ubi consideratione dignum est, quare illud sacramentum post cœnam dedit discipulis. Dominus igitur Jesus ad invisibilia paternæ majestatis migraturus, celebrato cum discipulis typico pascha, quoddam memoriale eis commendare volens, sub specie panis et vini corpus et sanguinem suum ita eis tradidit, ut ostenderet legis veteris sacramenta, inter quæ præcipuum erat agni paschalis sacrificium, in morte sua terminari, ac legis novæ sacramenta substitui : in quibus excellit mysterium Eucharistiæ. Ideo etiam post alia dedit, ut

[1] Cf. Dist. I, Art. 8 et seq.
[2] Matth. xxvi, 26 et 28.
[3] S. Ambrosius, Lib. IV de Sacramentis, cap. 4.
[4] Cf. De consec. dist. II, *Utrum sub fi.* (Nota edit. Lugd.)

hoc unum arctius memoriæ discipulorum infigeretur, et ab Ecclesia deinceps frequentaretur. Sed non exinde disciplinam sanxit in posterum, ut post alios cibos sumatur : sed potius a jejunis sumi oportet, sicut Apostolus docet [1], ut singulari reverentia dijudicetur, id est, discernatur ab aliis cibis, quod Dominus Apostolis disponendum reliquit. Unde Augustinus [2] : Apparet, cum primo acceperunt discipuli Eucharistiam, non eos accepisse jejunos : non ideo tamen calumniandum est universæ Ecclesiæ, quod a jejunis sumitur semper. Placuit enim Spiritui sancto, ut in honore tanti sacramenti, prius in os Christiani Dominicum corpus intraret, quam alii cibi : ideo ubique mos iste servatur. Non enim quia post cibos dedit Dominus, ideo pransi vel cœnati illud accipere debent, ut illi faciebant quos Apostolus redarguit [3]. Nam Salvator, quomodo [4] vehementius commendaret mysterii illius altitudinem, ultimum hoc voluit infigere cordibus et memoriæ discipulorum, a quibus ad Passionem digressurus erat. Quo autem ordine deinceps sumeretur, Apostolis per quos Ecclesias dispositurus erat, reservavit docendum.

ARTICULUS VI.

An ista sit debita forma, Hoc est enim corpus meum ?

Deinde quæritur de hoc quod dicitur in secunda parte, ibi, C, § 1 : « *Forma vero est quam ipse ibidem edidit dicens* : Hoc est corpus meum, etc. »

Objicitur enim multipliciter contra hanc formam sic :

1. Forma sacramenti est faciens formaliter sacramentum, sicut dicit Augustinus : « Accedat verbum ad elementum, et fit sacramentum : » sicut patet in baptismo in quo nihil facit forma, nisi ex parte accipientis exerceatur baptismus : ergo similiter hic cum dicitur, *Hoc est corpus meum*, non habebit effectum nisi cum exercetur in materia debita sacramento : ergo hæc oratio, *Hoc est corpus meum*, in cœna nihil significavit circa corpus Christi in cœlo : et non potest dicere, *Hoc est corpus meum*, nisi demonstrato corpore in cœlo, quod falsum est : ergo non debuit forma tradi per verbum *est*, sed potius per verbum notans transitum unius ad aliud et mutationem.

2. Item, Aliud est significare aliquid factum esse, et aliud præcipere in suum usum, et aliud facere. Cum autem dicitur, *Hoc est corpus meum*, significatur corpus Christi esse, vel factum esse. Et cum additur, *Accipite et comedite ex hoc omnes* : præcipitur usus existentis. Ergo illa forma nihil importat de sacramenti confectione. Cum igitur forma sacramenti sit faciens et conficiens sacramentum, hæc non videtur esse forma sacramenti.

3. Item, Non contingit uti vocibus nisi

[1] I ad Corinth. xi, 20 et seq.

[2] S. Augustinus, Ad Januarium, epist. 118. De consec. dist. II, *Liquido apparet* (Nota edit. Lugd.).

[3] I ad Corinth. xi, 21 et seq.

[4] Edit. J. Alleaume, *quo*.

duobus modis, scilicet materialiter et significative, sive ut ipsa vox est signum et res : *signum* secundum quod dico, Homo est animal rationale : *res* sive materialiter, secundum quod dico, Homo est duarum syllabarum et trium litterarum et aspirationis. Ergo et hac voce, *Hoc est corpus meum*, non contingit uti pluribus modis. Constat autem, quod non accipitur hic materialiter : ergo significative : ergo demonstratur corpus Christi jam factum, et non quod ipsa ut forma faciat ipsum.

4. Item, Demonstratio sive sit ad sensum, sive ad intellectum, semper est ad significandum id quod est : ergo et hic, cum dicitur, *Hoc est corpus meum*, significatur corpus Christi esse, et non fieri.

Quæst. 1. ITEM, Objicitur de prima particula quæ est pronomen, *hoc*.

1. Ex quo enim est pronomen, aut est demonstrativum, aut relativum : quia aliter intellectus ejus esset cassus et vanus : non autem relativum, cum non ferat relationem alicujus suppositi antecedentis in relatione : ergo est demonstrativum : aut ergo demonstrat substantiam panis, aut corporis Christi sub accidentibus quæ videntur vel intelliguntur. Si substantiam panis : ergo sensus est, panis demonstratus est corpus Christi, et hoc falsum est : ergo et illa locutio falsa est. Si substantiam corporis Christi : ergo nihil aliud est dictum, *Hoc est corpus meum*, quam corpus meum est corpus meum : et hæc semper est vera, et numquam faciens translationem alicujus. Ergo illa forma non refertur ad sacramentum, sed ad significandum corpus Christi semper sine conversione aliqua in corpus Christi.

2. Item, Hæc est falsa, quod panis erit corpus Christi. PROBATIO. Quæcumque propositio est vera de futuro, erit aliquod tempus in quo præsentialiter est vera : numquam autem erit tempus in quo hæc est vera, Panis est corpus Christi : ergo hæc numquam est vera, Panis erit corpus Christi. Causa autem falsitatis est discohærentia prædicati cum subjecto quod notatur cohærere in futuro : ergo cum vicinior cohærentia notetur per verbum præsentis temporis, illa est multo magis falsa quæ est, Panis est corpus Christi : ergo et hæc, *Hoc est corpus Christi*, sive *corpus meum*, cum nihil demonstretur per ly *hoc*, nisi substantia panis ante transsubstantiationem.

3. Item, Aut est demonstratio ad sensum, aut ad intellectum. Si ad sensum : cum igitur oculis nihil subjiciatur nisi species panis et substantia panis, per accidens videtur quod sensus sit, panis demonstratus est corpus meum, et hæc est falsa. Si autem demonstratio est ad intellectum : hoc iterum videtur non posse esse : quia tunc oporteret, quod ad minus demonstrativum cum re intellecta, esset similis speciei, sicut cum dicitur, Hæc herba crescit in horto meo : sed nihil similis speciei est in pane cum corpore Christi : ergo non potest esse demonstratio ad intellectum.

4. Item, Numquam esset hæc vera, Hæc herba crescit in horto meo, nisi herbæ ratio univoce conveniret rei demonstratæ et intellectæ : sed nihil hic univoce est in pane et corpore Christi : ergo non potest esse demonstratio ad intellectum.

5. Item, Dupliciter, ut dicunt Sophistæ, contingit significari demonstrationem et negationem et quædam alia, scilicet ut conceptam, sicut significatur in pronomine *hoc*. Ergo cum dicitur, *Hoc est corpus meum*, significatur ut exercita : ergo vult cadere super accidentia sensibilia, sive sint ejusdem in numero, sive in specie, sicut distinguitur personalis demonstratio a simplici demonstratione. Constat autem, quod utroque modo locutio est falsa : ergo simpliciter falsa est, *Hoc est corpus meum*, demonstrato pane.

6. Si forte tu dicas, sicut quidam dixerunt, quod pronomen est hic pars oratio-

nis, et sua demonstratio non est separanda ab oratione, ideo demonstratur hic quod est ibi in termino finali orationis. CONTRA : Sicut se habet totum ad totum, ita pars ad partem : ergo si totum factum est in termino finali orationis, pars facta est cum profertur pronomen demonstrativum *hoc*.

7. Item, In aliis orationibus non demonstrat pronomen id quod futurum est post orationem in qua ponitur, sed potius rem præexistentem : ergo similiter et hic : ergo videtur, quod demonstratio cadat super substantiam panis sub talibus accidentibus.

8. Item, Prius est secundum intellectum accipere rem demonstratam quam de ipsa aliquid affirmare vel negare : ergo cum dicitur, *Hoc est corpus meum*, prius secundum intellectum accipitur res consecrationis subjecta sensui demonstrata, quam de ipsa dicatur esse corpus Christi : ergo non videtur demonstratio pronominis dependere a sequenti parte orationis, ut dicit illa solutio.

9. Si forte tu dicas, ut quidam alii dixerunt, quod demonstratio refertur non ad signum, sed ad signatum, secundum quod videtur Glossa dicere super illud Matth. XXVI, 26 : *Hoc est corpus meum*, dicens, quod sub specie panis videtur : ergo secundum hoc jam in prolatione pronominis corpus Christi fuit sub specie panis : ergo non virtute orationis efficeretur sub specie panis, quod falsum est, et contra dictum Augustini, in quo dicit : « Accedat verbum ad elementum, et fit sacramentum. »

10. Et ideo alii iterum dicunt, quod demonstrat signatum in termino finali transsubstantiationis. SED CONTRA hoc etiam objicitur, quod terminus substantialis vel accidentalis supponens, verbo præsentis temporis restringitur ad supponendum copulandum pro tempore præsenti : in hac autem oratione pronomen supponit, verbo præsentis temporis non ampliato, nec confusum tempus significanti : ergo supponit pro præsenti tantum : præsens autem non est nisi substantia supposita quæ fuit ante prolationem orationis, et hæc est substantia panis : ergo non supponit nisi pro illa : et tunc locutio est falsa, ut prius probatum est.

11. Item, Unde habet *hoc* pronomen quod in hac locutione demonstrat rem sub finali termino potius quam in alia, cum nihil in hac ponatur quod in alia non ponitur?

ULTERIUS quæritur de hoc verbo, *Est*. Quæst.

1. *Est* enim significat rem in præsenti : hoc autem non admittit veritas locutionis, quia panis non est corpus Christi.

2. Item, In aliis sacramentis ponitur verbum significans actum ministri et Dei, ut *baptizo* : quia Deus baptizat interius, et exterius minister : ergo similiter debet fieri in hoc sacramento : sed hoc verbum, *est*, nullum actum ministri vel Dei importat : ergo non debet esse de forma.

3. Item, Actus verbi in aliis sacramentis aliquo modo dicit actum proprium materiæ : sicut *baptizo* dicit actum abluendi, qui est actus aquæ proprius : et *inungo* dicit actum ungendi, qui est proprius actus chrismatis et olei infirmorum : ergo videtur, quod etiam in hoc sacramento actus importari debeat, qui sit proprius materiæ panis et vini, sicut nutrio, vel cibo : et ita deberet dicere, Nutrio vos corpore meo : et non, *Hoc est corpus meum*.

4. Item, Sacramentum novæ legis ex sua forma efficit quod figurat : ergo videtur, quod deberet poni in forma verbum denotans hanc efficientiam : et hoc non facit verbum substantivum : ergo male ponitur in forma.

5. Item, In operibus creationis, ubi nullum fieri est medium inter creantem et opus, tamen utimur verbo fiendi : ergo videtur, quod similiter et hic uti debeamus.

6. Item, Panis est transiens in corpus Christi : ergo male dicitur, quod sit cor-

pus Christi: quia sic non significatur transitus panis.

7. Item, Verbum substantivum notans inhærentiam prædicati cum subjecto, supponit subjectum cum forma et materia : sicut cum dicitur, Homo est animal, vel, Homo est albus : ergo similiter facit hic : ergo panis qui est in forma et materia manens est corpus Christi, quod hæreticum et falsissimum est : ergo videtur, quod ly *est* male ponatur de forma.

Quæst. 3. Ulterius quæritur de hac particula, *Corpus*.

1. Videtur enim, quod convenientius diceret, *caro :* quia cum loquitur, Joan. VI, 56, de cibo hujus sacramenti, ponit carnem, dicens : *Caro mea vere est cibus,* etc.

2. Item, Corpus ut organizatum nullum est aptum comestioni, sicut nec omnes partes ejus : sed caro sola apta est, vel aptior cunctis aliis membris similibus et dissimilibus : ergo videtur, quod carnem et non corpus debuit ponere.

3. Item, Panis est corpus simile in toto et in partibus, quod *homogeneum* vocatur : quia quælibet pars panis est panis, et quælibet pars vini est vinum : ergo videtur, quod sit signum cibi homogenei : ergo carnis, et non totius corporis organici : ergo debuit poni caro, non corpus.

4. Item, Vinum ex vi sacramenti non convertitur nisi in sanguinem, qui est homogeneus : ergo eadem ratione panis non convertitur ex vi sacramenti nisi in carnem, quæ est pars homogenei.

Quæst. 4. Ulterius quæritur, Quare dicit, *Meum?*

Videtur enim convenientius dixisse, *corpus Christi* quia

1. Si propter reverentiam nominis etiam voluit Deus ut ad tempus baptismus fieret in nomine Christi : ergo etiam propter majorem dignitatem hujus sacramenti debuit hic poni nomen istud.

2. Item, Majoris efficaciæ est forma in hoc sacramento quam in aliis : quia hic corpus inanimatum et non gloriosum convertitur in corpus animatum et gloriosum unitum divinitati : ergo hic major effectus deberet attribui dignissimo nomini, scilicet Jesus Christus : ergo deberet dixisse, Hoc est corpus Jesu Christi, ut videtur.

Quæst. 5. Ulterius quæritur de his quæ adduntur in Evangelio, de hoc scilicet, *Accipite, et comedite,* utrum sit de forma?

Videtur, quod sic : quia

1. Illa referuntur ad usum sacramenti : hoc autem quod dicit, *Hoc est corpus meum*, tantum ad transsubstantiationis insinuationem : ergo videtur, quod æque vel magis, *accipite et comedite,* sint de substantia formæ : sicut hoc quod dicitur, *Hoc est corpus meum.*

2. Item, Actus notans exercitium et usum baptizandi est de forma in baptismo, cum dicitur, *Baptizo te,* etc. : ergo similiter illa verba quæ notant usum hujus sacramenti, de forma esse debent, ut videtur.

Quæst. 6. Ulterius quæritur de mutatione, additione, et diminutione, et corruptione : sicut in quæstione de forma baptismi, et confirmationis.

Solutio. Dicendum, quod hæc est forma, *Hoc est corpus meum*, meo judicio, et non plus.

Solutio. Ad solutionem autem eorum quæ objecta sunt, notandum, quod illa oratio in triplici vi habet considerari : habet enim unam vim, secundum quod est vox significativa rei : et ex hoc modo facit signum de re aliqua demonstrata. Item, habet vim, secundum quod est forma sacramenti ab institutione divina : et secundum hoc est conversiva panis in corpus Christi, et facit transitum sive panis transsubstantiationem. Tertiam habet vim, secundum quod in ea operatur Verbum increatum, in cujus persona profertur a sacerdote : quia quasi recitative a sacerdote dicta, refertur ad Verbum increa-

tum, secundum quod ipsum in voce istius orationis operatur. Et hoc modo dixerunt de antiquioribus Theologis, quod vox habet referri ad rem et res indivisibiliter et indivisibili vi operatur cum conjuncto sibi Verbo increato : et non est separare partem a parte, sicut in alia constructione : et licet habeat signare in quantum est vox creata, non tamen habet operationem sacramentalem in quantum hujusmodi, sed in quantum indivisibiliter operatur in ea Verbum increatum signatum, ad quod reduci habet oratio ista unde est, scilicet corpus Christi : licet pluribus vocibus exprimatur secundum modum suppositi et appositi et compositionis.

Ad 1. Ad primum ergo dicendum, quod ille triplex usus formæ, secundum quod hæc verba accipiuntur cum significatione, institutione, et operatione Verbi increati, non est nisi in sacramento : licet argumentatio illa procedat ac si usus hujus orationis nihil habeat ab institutione et operatione Verbi increati : et hoc non est verum.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod etiam illa objectio supponit falsum, scilicet quod oratio non sit nisi insinuativa facti, et non faciens transitionem ex institutione et operatione Verbi increati, in cujus persona verba illa proferuntur. Quare autem Verbum notans transitum vel mutationem, non ponitur in oratione illa, infra, ut poterimus, determinabimus.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod hoc est verum de vocibus ad solum usum significandi institutis, sed non de vocibus quæ sunt formæ sacramentorum, in quibus institutio facit voces esse operativas gratiæ invisibilis.

Ad 4. Ad aliud dicendum eodem modo, quod pronomen habet vires tres, secundum quod tota oratio : et illæ argumentationes quæ fiunt a communi usu loquendi, ad orationes quæ fiunt a communi usu loquendi, ad orationes quæ sunt formæ sacramentorum, nihil valent.

Ad id quod objicitur de prima parte orationis, scilicet de verbo *Hoc*, quod est demonstrativum pronomen, sine præjudicio recitabo tres opiniones Magistrorum primo, et postea tangam quod melius mihi videtur. Ad quæst.

Prima opinio est eorum qui dicunt, quod ly *hoc* facit demonstrationem ad sensum, et quod illa cadit super substantiam panis, non simpliciter, sed prout est substantiatus in corpus Christi : et hi dicunt, quod demonstrat contentum panis, prout est terminus transsubstantiationis. Et si objicitur, quod panis transsubstantiatus in corpus Christi, non est panis, sed corpus Christi. Dicunt, quod hoc est verum : sed non simpliciter est corpus Christi, sed prout finis est conversionis sacramentalis. Qualiter autem illa argumenta solvant, patebit posterius : quia una solutio est omnium illorum secundum has omnes opiniones.

Alii dicunt, quod est ibi demonstratio ad intellectum, et cadit demonstratio super accidentia specierum panis et vini prout sunt species sacramentales, et non prout simpliciter species : et ideo sensus est, Signatum sacramentaliter in speciebus panis et vini est corpus Christi. Et isti dicunt, quod talis demonstratio simpliciter non exigit identitatem in specie inter rem demonstratam et intellectam, sed tantum convenientiam quæ est inter signum et signatum sacramentaliter. Et sic solvunt argumenta in contrarium objecta.

Sed contra utramque istarum solutionum et opinionum, videtur objici. Contra primam quidem : quia impossibile est in se, vel ut terminum demonstrari, quod non est ante demonstrationem : corpus autem Christi nec in se, nec in altari, nec ut terminus conversionis, est ante demonstrationem : ergo neutro modo potest demonstrari. Contra secundam autem videtur objici : quia sacramentaliter demonstratur id quod actu est sub sacramento, demonstratione cadente su-

per species sacramentales : sed corpus Christi non est contentum sub speciebus illis, demonstratione cadente super species illas : ergo non contingit ipsum sacramentaliter demonstrari.

Et ideo videtur mihi tertia via esse probabilior, quod dicatur, quod ly *hoc* est demonstrativum simul et operativum sive conversivum : et hoc habet in quantum est pars formæ sacramentalis, ab institutione, et cum Verbo increato : et ideo non divisim habet, sed potius voces referuntur ad res significatas in vocibus illis, et ad Verbum increatum simpliciter : et ita in virtute unius indivisibilis operantis, operatur oratio illa quæ est forma sacramenti, et operando demonstrat, et demonstrando operatur : sicut dicitur de creatione et infusione animæ.

Ad 1. Ad id ergo quod primo objicitur, dicendum quod demonstrat corpus Christi sub accidentibus, et faciendo ipsum esse ibi demonstrat : et ideo plus est dictum, *Hoc est corpus meum*, quam corpus meum est corpus meum : quia sensus est, *Hoc est corpus meum*, id est, contentum sub speciebus est corpus meum, et virtute hujus orationis ibi factum est ex substantia panis.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod verum est hanc esse falsam, quod panis est corpus Christi : et non est simile nisi nos diceremus, quod hoc verbum, *est*, non notaret nisi compositionis inhærentiam cum præsenti tempore consignificato. Nos autem dicimus, quod ab institutione et conjunctione ad Verbum increatum, est conversivum sicut tota oratio : et ideo non notat inhærentiam hic, sed conversionem et existentiam corporis Christi sub speciebus ejus quod convertitur in ipsum.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod sive dicatur ad sensum demonstratio, sive ad intellectum, semper diminute dicitur : sed si dicatur ad intellectum esse cum vi conversiva demonstranti ad intellectum, tunc erit probabilius : et tamen non sequitur inconveniens quod concludit objectio. Sunt tamen qui dicunt ad sensum esse demonstrationem, eo modo quo res sacramenti sensibilis dicitur sub speciebus sacramentalibus.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod cum dicitur, Hæc herba crescit in horto meo, non est nisi pars illius demonstrationis : quia ista est tantum ostensiva, illa autem factiva primo, et per consequens ostensiva.

Ad 5. Ad aliud dicendum, quod demonstratio significatur hic ut exercita : sed tamen hæc non est tota virtus ejus, nec est prima : sed potius illa quam habet in quantum est forma sacramenti : et hæc est operativa ejus quod demonstratur, et postea demonstrat. Unde sicut licet anima infundendo creatur, et creando infunditur, tamen creatio secundum intellectum præcedit infusionem : ita hic licet demonstratio pronominis simul faciat demonstrari et demonstret, tamen virtus operativa secundum intellectum præcedit demonstrationem in forma sacramenti : et ideo tales argumentationes nihil valent.

Ad 6. Ad aliud dicendum, quod verum est, quod oratio non est dividenda : et hoc est propter operativam virtutem quam non habet ex constructione vel ordine vel conjunctione partium, sed potius ex institutione divina, secundum quod vox ad sensum refertur, et in sensu verbi Verbum increatum operatur. Et ideo objectio facta in contrarium nihil valet : quia hoc verum est de oratione quæ non est nisi significativa : quia constructio illius dependet a modo significandi et significatione partium.

Ad 7. Ad aliud dicendum, quod hoc ideo continet, quia aliæ orationes non operantur suum significatum, sed insinuant tantum : et ideo nihil est simile.

Ad 8. Ad aliud dicendum, quod hoc verum est de demonstratione quæ tantum est ostensiva rei, et non factiva virtute operationis in qua ipsa est : hæc autem demonstratio cum virtute aliorum verborum facit id quod demonstratur sub accidentibus, et demonstrando facit ipsum.

Ad 9. Ad aliud dicendum quod bene assentiendum est Glossæ, dummodo intelligatur, scilicet quod id quod videtur sub speciebus illis, virtute orationis cum demonstratione est ibi factum. Et patet ex prædictis, quod id quod contra objicitur, non valet, nisi daremus hoc quod demonstratio est significativa tantum demonstrati, et non operativa.

Ad 10. Ad aliud dicendum, quod verum est, quod ly *hoc* supponit verbo præsentis temporis, et supponit id quod actu est : sed hoc demonstrando ibi efficitur, et efficiendo ibi demonstratur : et ideo non supponit substantiam panis, sed potius corporis Christi : et nihil est dictum, quod ly *hoc* faciat ibi partem, sicut prius dictum est : quia hoc habet tota oratio indivisibiliter relata ad signatum, et ab institutione : et ideo nihil est de termino finali vel termino initiali : quia totum operatur ad illum indivisibilem effectum ut unum indivisibile.

Ad 11. Ad aliud dicendum, quod in hac relatione habet pronomen quod non habet in alia, propter hoc quod est forma sacramenti operativa per institutionem divinam.

Ad quæst. 2. Ad 1. Ad id quod ulterius quæritur, dicendum quod sicut dictum est de pronomine demonstrativo, quod non est tantum demonstrativum, sed etiam operativum : ita dicendum est de verbo *est*, quod non tantum notat cohærentiam, sed est operativum et conversivum, ut dictum est : et una et simplex virtus operans est in omnibus illis verbis, in quantum referuntur ad unitatem institutionis, et Verbi increati operantis in verbis istis : et ideo sicut hic admittitur id in quod conversus est panis in corpus Christi, ita admittitur hic, Hoc est corpus Christi : cum simul fiat conversio et signatio præsentis corporis Christi, et virtute ejusdem orationis.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod secus est in isto, et aliis sacramentis : quia in aliis aliquid operatur minister ad minus in materia, ut tinctionem quæ fit in aqua facit minister : sed hic nec super materiam exteriorem quæ est panis et vinum, nec interius in effectu gratiæ, potest esse opus nisi divinum : et ideo non potuit hic esse actus ministri significatus in forma.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod in aliis sacramentis consecratur et conficitur sacramentum cum recipitur, ut baptismus cum baptismus recipitur, et confirmatio cum aliquis recipit confirmationem, et sic de aliis. In hoc autem sacramento non est sic : sed conversio est ante receptionem sacramenti : et non potuit poni verbum notans congruentem actum materiæ, quia iste est in usu sacramenti post confectionem : et hoc tetigit Dominus, quando dixit, *Accipite et comedite*, etc.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod verbum notans motum vel mutationem, non competit in hoc sacramento : quia omnis motus et mutatio supponunt materiam communem utrique terminorum motus et mutationis super quam fit : sed hic nihil talium est : quia panis non est materia de qua fit corpus Christi, ita quod convertatur aliqua nova materia in corpus Christi, quæ ante non fuit sub forma corporis Christi : quia hoc sine augmento esse non posset : sed hic fit transsubstantiatio totius compositi panis ex forma et materia, in substantiam præexistentem corporis Christi, sine aliqua mutatione media, et sine intervallo temporis : et ideo competentius ponitur ibi verbum *est* cum potentia transsubstantiandi, quam aliud verbum notans motum vel mutationem.

Ad 5. Ad aliud dicendum, quod in operibus creationis est ad minus substantia de novo facta, quæ ante non erat, licet non sit proprie motus vel mutatio : sed hic nulla substantia perit, nec aliquid novum corpori Christi advenit : sed transsubstantiatio est hujusmodi in hoc virtute verborum : et ideo non possunt hic proprie verba motum significantia poni in forma.

Ad 7. AD ALIUD dicendum, quod objectio hæc procederet, si verbum esset tantum notans inhærentiam prædicati cum subjecto : dictum est autem jam sæpius, quod ipsum cum *hoc*, et per intellectum ante *hoc*, est conversivum, hoc modo quod transsubstantiatio totius panis in totum corpus Christi dici potest conversio : et ideo objectio nihil valet.

Ad quæst. 3. Ad 1. AD ID quod ulterius quæritur de tertia particula quæ est *corpus*, dicendum quod sacramentum maximæ perfectionis non conveniebat esse partis : et ideo non poterat esse de carne forma, sed de toto corpore. Et hoc quod dicit Dominus in Evangelio Joannis, VI, 56, dicitur per synecdochen, et intelligitur de toto : ponitur tamen ibi *caro mea vere :* quia a minori per hoc ostenditur de toto : si enim *caro* quæ est defectibilior pars vivificat, multo magis spiritus et totus Christus.

Ad 2. AD ALIUD dicendum, quod illa objectio sophistice procedit : hoc enim quod proponit, est verum de cibo qui convertitur ad nos, non de eo ad quem nos convertimur : sed de cibo isto verum est, quod ad se nos convertit, ut supra dictum est : et ideo melius ponitur ibi *corpus* in dissimilitudine partium quam *caro:* quia non in ratione unius gratiæ unit nos sibi in usu : sed in isto operatur usum spiritualis oculi, in altero vero usum spiritualis scilicet pedis, et sic de aliis.

Ad 3. AD ALIUD dicendum, quod licet panis sit corpus homogeneum, non tamen colligitur ex grano uno, sed ex diversis : et hac similitudine sumitur in sacramento, ut dicitur in *Littera* : et hoc modo magis ponit convenientiam ad corpus dissimile in partibus, quam ad corpus simile.

Ad 4. AD ALIUD dicendum, quod hoc quod vinum sacramentaliter non convertitur nisi in sanguinem, non est propter homogeneitatem materiæ, sed propter rationem usus : quia datur in potum spirituale, et effectum redemptionis : tamen in quantum fidelibus diversis datur, colligitur vinum ex diversis granis uvæ. Sed de corpore non est sic : quia illud datur in figura corporis Christi mystici uniti capiti Christo : et hoc corpus habet diversitatem usus in gratiis membrorum : et huic operationi magis convenit corpus dissimile, quam simile.

AD ALIUD dicendum, quod ulterius quæritur de quarta particula, quæ est *meum*, quod melius ponitur ibi *meum*, quam *Christi:* quia illa verba quasi in persona Christi recitantur a sacerdote. Si autem poneretur ibi *Christi*, tunc videretur ad aliam personam ordinari : et sic alia persona significaretur operari in verbis istis : et hoc ostensum jam est non esse conveniens : quia Verbum increatum convenienter operatur in verbo creato, ut habitum est. Ad quæst. 4. Ad 1.

AD ALIUD dicendum, quod in baptismo aliud est : quia ibi operatur minister, et invocat Deum : et illa invocatio ad nomen Christi propter aliquam causam reducebatur : sed in hoc sacramento non operatur nisi Verbum Filius in verbo creato, quod ad hoc instituit : et ideo debet istud verbum pronuntiari tamquam suæ propriæ personæ, et non de ipso ut de altero fieri locutio : quod fieret, si poneretur ibi *Christi*, propter hoc quod personam aliam quam loquentis, vel in cujus persona sacerdos pronuntiat, nomen significaret. Ad 2.

AD ID quod ulterius quæritur, dicendum quod *accipite et comedite* pertinet ad usum sacramenti, et non ad confectionem : et ideo puto, quod non est de forma : hoc autem quod dicitur, *Hoc est corpus meum*, non est tantum insinuativum, sed operativum sacramenti, ut dictum est. Ad quæst. 5. Ad 1.

AD ALIUD dicendum, quod ille actus quem significat verbum *baptizo*, non tantum dicit exercitium, sed etiam fieri baptismatis. Hic autem non sic est : quia Ad 2.

confectio istius sacramenti est ante perceptionem, ut dictum est.

Ad qnæst. 6. Ad aliud quod ultimo quæritur, dicatur sicut in præhabitis.

Ex hoc patet falsitas cujusdam opinionis, et solutio cujusdam quæstionis antiquorum, qui propter hoc nescierunt distinguere inter usum et confectionem sacramenti : dixerunt enim, quod Deus ipse aliis verbis secretis confecit corpus suum, et postea his verbis, *Hoc est corpus meum*, dedit virtutem conficiendi : hoc enim non est rationabile : sed quod etiam tunc illa verba fuerunt non tantum significativa corporis Domini, sed operativa.

Quæst. Si autem quæritur de ly *enim* quod in Romanis libris dicitur et in antiquis libris Patrum invenitur, utrum sit de forma ?

Dicendum est, quod tutum est apponere : tamen in Evangelio non invenitur, et magis tangit causam usus qui importatur in verbo accipiendi et comedendi, quam sit de substantia formæ.

ARTICULUS VII.

Quæritur de forma quæ dicitur super vinum, et de singulis verbis in ea positis.

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, C, § 1, circa finem : « *Accipite et bibite ex hoc omnes*, etc. »

Quæritur enim de forma quæ dicitur super vinum.

Et quæruntur duo, scilicet de verbis in ea positis, et de comparatione ipsius ad formam quæ dicitur super panem.

1. Videtur enim, quod non sit forma illa quam frequentat Ecclesia, scilicet hæc, « Hic est enim calix sanguinis mei, novi et æterni testamenti : mysterium fidei : qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum. » Hoc enim totum ponit Ecclesia : et constat, quod in nullo Evangelistarum invenitur. Cum ergo sacramentum non habeat formam nisi institutam a Deo, videtur hoc non esse de forma : quod patet currenti per singula Evangelia. In Matthæo, xxvi, 27 et 28, habetur sic : *Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* In Marco, xiv, 23 et 24, sic : *Et accepto calice, gratias agens dedit illis, et biberunt ex illo omnes. Et ait illis : Hic est sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur.* Lucæ, xxii, 20, sic : *Hic est calix Novum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.* Patet ergo, quod in nullo est Evangelistarum.

2. Præterea, Videtur quod præsumptio fuerit ponere quod Dominus non apposuit : ergo videtur, quod etiam peccant in tanto sacramento hanc formam tenentes.

3. Item, Videtur quod id quod apponitur nullam habeat virtutem transsubstantiandi. Hanc enim virtutem non habent verba nisi in quantum sunt Verbi increati statuentis ea, ut infra habebitur in littera Ambrosii, quod sermo Christi creaturam mutat [1]. Ergo videtur, quod non sint de forma ea quæ apposuit homo, et a Deo non inveniuntur instituta.

4. Item, Hieronymus dicit : « Non credatur mihi si dixero aliquid quod per Novum vel per Vetus Testamentum probare non possum. » Quod autem in forma sit mysterium fidei, et æterni testamenti, nec per Novum nec per Vetus Testamentum potest probari : ergo non est credendum esse de forma, præcipue tanti sacramenti, quod totum supra hominem est.

[1] Cf. Infra, Dist. IX.

Quæst. 1. Ulterius videtur, quod non convenienter ponitur ibi, *Calix sanguinis.*

1. Ea enim quæ sunt de forma vel materia, sunt de essentia sacramenti : calix autem vas, sacramenti nec est forma nec materia : ergo non est de essentia sacramenti : ergo non debet poni in forma.

2. Item, Si dicas, quod per transsumptionem ponitur calix in forma : ex hoc videtur sequi multiplex inconveniens.

Primum quidem, quia transsumptus intellectus præsupponit sibi alium in quo fundatur qui est proprius : quia prius oportet considerare proprietates rei per quas fit transsumptio, antequam intellectus ad aliud transferatur : ergo simplex nesciens aliquid transferre vel translationes facere, periculose potest se habere in ipso: cum ergo in sacramento isto præcipue debeat caveri periculum erroris, eo quod ratio minime potest se juvare in eo, videtur quod in eo nihil debeat poni translative.

Secundo : quia omnis transsumptus intellectus, ex eo quod sibi præsupponit alium, consistit in quadam intellectuum multiplicitate : sed multiplicitas intellectuum causa est evagationis : cum ergo in hoc sacramento ad quod toto conatu vix fide attingit homo, necessarium sit homini ut totum se in se recolligat, et non evagetur, videtur quod nihil in eo debeat dici per translationem.

Tertio videtur, quia translatio fit ab uno ad aliud : ergo aut fit translatio ad corpus, vel ad sanguinem. Si ad corpus : ergo virtute illorum verborum efficitur ibi corpus : et hoc nemo dicit : quia licet sit in calice corpus, tamen non est ibi ex vi sacramenti, sed ex vi connexionis quam habet cum sanguine. Si autem ad sanguinem fit translatio : tunc non potest fieri translatio, nisi ex proprietate illa qua bibitur de calice. Et tunc sensus erit, *Calix sanguinis*, etc., id est, potus sanguinis, etc.: ergo similiter dixisse debuerat de corpore, Hic est cibus corporis mei : et hoc non dixit : ergo non hic videtur usus tali modo translationis.

3. Præterea, Si ponitur pro contento, ut quidam dixerunt, tunc non deberet in constructione esse modus diversitatis ex transsumptione quam notant obliqui : quia inter contentum et sanguinem nulla est diversitas, ut videtur.

Quæst. 2. Ulterius quæritur de hoc quod dicit, *Sanguinis mei.*

1. Cum enim principale quod efficit forma, sit sanguis, videtur ibi poni debere in recto, et non in obliquo.

2. Hoc etiam videtur ex forma corporis : quia ibi dicitur, *Hoc est enim corpus meum.* Ergo et deberet dici, Hic est enim sanguis meus.

3. Item, Ibi dicit Magister in *Littera* esse factum : et duo Evangelistæ, scilicet Matthæus et Marcus : ergo videtur, quod in recto deberet importari.

4. Item, Cum obliqui sint transitivi, et notantes diversitatem, videtur esse diversitas inter rem sacramenti et sanguinem : cum autem ibi nulla sit diversitas, videtur sanguis male poni in obliquo.

Quæst. 3. Ulterius quæritur de hoc quod dicit, *Novi et æterni Testamenti.*

1. Novum enim est, ut dicit quidam Philosophus, quod quantum ad sui initium est propinquum : sed res istius sacramenti est æterna, quia Filius Dei : ergo non est nova.

2. Præterea, Aut novum est quoad rem, aut quoad ritum. Si quoad rem : hoc falsum est : quia secundum hoc non esset æternum. Si quoad ritum : ergo falsum est quod dixit supra Ambrosius, quod sacramenta nostra anteriora sunt quam sacramenta Judæorum : et hoc dicitur gratia hujus sacramenti, cujus ritus præcessit in Melchisedech [1].

3. Item, Novum et æternum sunt opposita : quia novum est, quod quantum ad sui initium est propinquum, et æter-

[1] Cf. Genes. XIV, 18 et seq.

num quod caret initio : cum ergo dicitur, *Novi et æterni Testamenti,* opposita videntur poni circa idem.

4. Item, Testamentum non videtur esse sanguinis, sed potius mandatorum : unde etiam tabulæ continentes mandata, tabulæ testamenti dicuntur : ergo videtur, quod non debuit dici, *Novi et æterni testamenti.*

Quæst. 4. Ulterius quæritur de hoc quod dicit ibi, *Mysterium fidei.*

1. Mysterium enim fidei in omnibus est sacramentis, ut patet ex diffinitione sacramenti quæ supra ex verbis Augustini in principio libri posita est in notula, quod sacramentum est, quando sub visibili specie divina virtus salutem secretius operatur [1] : mysterium autem tantum valet quantum secretum : ergo in quolibet sacramento est mysterium fidei, et non tantum in isto : ergo non debet specialiter poni in isto.

2. Item, Istud sacramentum specialiter dicitur esse sacramentum charitatis. Unde Chrysostomus dicit, quod « dare carnem suam ad manducandum intimi amoris fuit indicium : » sacramentum autem baptismi præcipue dicitur sacramentum fidei : ergo magis videtur competere illi quod sit sacramentum fidei, et isti quod sit sacramentum charitatis vel mysterium : ergo male ponitur in forma mysterium fidei.

Quæst. 5. Ulterius quæritur de hoc quod dicit, *Qui pro vobis et pro multis effundetur.*

Effusio enim potationi contrariatur, ut videtur : ergo non debet poni in sacramento calicis quem juxta corpus potamus in communicatione sanguinis.

Quæst. 6. Item quæritur, Quare indistincte ponit, *Pro vobis et pro multis effundetur ?*

1. Una enim est ratio effusionis pro omnibus : ergo non est distinctio quoad Apostolos et alios quantum ad causam effusionis.

2. Item, Omnibus valuit sanguis ad redemptionem quoad sufficientiam : ergo non debet dici, *Pro multis*, sed pro omnibus.

3. Item, Virtus uniuscujusque determinatur ad maximum : cum igitur maxima sit virtus sanguinis Christi effusi, debuit determinari ad maximum effectum : ergo melius dici videbatur, pro omnibus, quam *pro multis.*

4. Præterea, Videtur hæc pars non esse de forma : quia non dicit quasi essentiale sacramenti, sed potius sacramenti effectum in nobis : ergo videtur, quod in forma non debuit poni.

Ulterius quæritur de hoc quod dicit, Quæs
In remissionem peccatorum.

1. Hoc enim dicit finem totius Passionis et Redemptionis ex parte liberationis a malo : ergo non magis debet poni in forma sanguinis, quam in forma corporis.

2. Præterea, Lucæ, xxii, 19, apponitur formæ corporis, *quod pro vobis datur :* et non dicitur esse de forma quæ dicitur super panem : ergo etiam licet hic addatur, *Qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, non tamen debet dici esse de essentia formæ.

Solutio. Dicendum ad primum, quod Solum Ad 1,2
licet in Evangelio uno non inveniatur et in loco uno forma ista quam tenet Ecclesia, tamen per partes ex magna parte invenitur. Et præterea tradita invenitur ab Apostolis qui acceperunt eam a Domino. Quod enim dicitur, *Hic est calix mei sanguinis,* accipitur a Luca [2]. Et similiter quod dicitur, *Novi testamenti,* accipitur a tribus, scilicet Matthæo, Marco et Luca. Quod autem additur,

[1] Cf. Supra, Dist. I, Art. 5, ad diffinitionem Augustini.

[2] Luc. xxii, 20 : *Hic est calix novum testamentum in sanguine meo*, etc.

Æterni, ex traditione Domini habetur : et similiter illud, *Mysterium fidei*. Dicit enim Apostolus, I ad Corinth. XI, 23 : *Ego enim accepi a Domino quod et tradidi vobis*. Quod autem Ecclesia ab Apostolis traditum acceperit, dicit Innocentius III sic : « Romana Ecclesia istud integra semper fide servavit, quod ab ipsis Apostolis qui eam præsentialiter sacris instituere doctrinis, et Ecclesiastici ritus regulam docuerunt, accepit : ab ipsis enim Apostolis Petro et Paulo, quos et vivos Doctores habuit et defunctos custodes, hunc ritum sacrificii accepit, quem hactenus inviolabili cultu servavit. » Et hoc est quod communiter dicitur a Magistris, quod licet non sit scripta simul hæc forma, tamen intelligitur a Deo Apostolis tradita.

Et per hoc patet solutio ad tria prima.

Ad 4. Ad id quod objicitur de Hieronymo, dicendum quod ipse non intendit, quod omnia vera per verba sint scripta in Novo Testamento vel Veteri : sed sicut dicit Augustinus, « Omnis veritas sacræ Scripturæ concordat, quæ sacræ Scripturæ non contradicit. » Istud autem satis consonum est sacræ Scripturæ, quod hoc frequentet Ecclesia, quod Christus tradidit : et trahitur de illo verbo, I ad Corinth. XI, 23 : *Ego enim accepi a Domino quod et tradidi vobis*. Ubi loquitur de ritu hujus sacramenti. Et de illo, *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* [1].

Iquæst. 1. Ad aliud quod ulterius quæritur, dicendum quod *calix* ponitur ibi transsumptive, et transfertur ad passionem : sicut dixit duobus fratribus filiis Zebedæi : *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum* [2] ? Et tantum valet calix sanguinis, quantum sacramentum passionis sanguinis, quod in usu fidelium per participationem calicis frequentatur.

Ad 1. Ad id autem quod contra objicitur, est dicendum quod dupliciter aliqua sunt de essentia, scilicet ut ingredientia rei constitutionem : sicut corpus et sanguis Christi sunt de essentia rei quæ est sacramentum in Eucharistia : quædam autem sunt illis essentialiter conjuncta, ita quod sine his non potest esse res : et hoc modo calix est de essentia ex parte nostra : quia in memoriam fit passionis cum sumitur hoc sacramentum. I ad Corinth. XI, 26 : *Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat*. Et ideo calix in hoc sensu adjungitur formæ sacramenti, et est de forma.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod sollicitudo præcipua devotionis et fidei debet esse in hoc sacramento : et ideo mentio calicis fit, ut passio ad memoriam revocetur : et ideo si aliquis errat in significato primo, non excusatur : quia sollicitudo debet inducere collationem : et ideo necessaria ad sacramentum propter alicujus negligentiam omittenda non erant.

Ad aliud dicendum, quod licet multiplicitas intellectuum sit causa cujusdam discursus rationis ab uno in aliud, tamen sollicitudo et devotio quæ celebrantibus indicitur, continet eum : et ideo non est ibi periculum, nisi quoad culpabiliter negligentes : sed propter hoc nihil debuit omitti necessarium sacramento.

Ad aliud dicendum, quod jam dictum est, ad quid transfertur ibi calix ad passionem : quia consuetus erat Dominus *calicem* vocare passionem suam, Matth. XXVI, 42 : *Pater mi, si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua*. Et passio præcipue est, quæ recolitur in sacramento, sicut prius dictum est.

Ad id autem quod quæritur, Quare cum corpore non ponitur in canone commemoratio passionis, sicut cum sanguine, cum in quibusdam Evangelistis adjungatur etiam corpori, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur* [3] : non

[1] I ad Corinth, IV, 16 et XI, 1.
[2] Matth. XX, 22. Cf. Marc. X, 38.
[3] Luc. XXII, 19.

tamen dicitur, Hic est calix corporis mei ?

Dicendum, quod in rei veritate potus calicis magis respondet passioni secundum effusionem sanguinis, quam secundum vulnerationem corporis : et hoc etiam patet ex usu loquendi in Prophetis. Unde, Isa. LI, 22 et 23, ubi consolatur Ecclesiam post tormenta martyrum, dicit : *Ecce tuli de manu tua calicem soporis, fundum calicis indignationis meæ : non adjicies ut bibas illum ultra. Et ponam illum in manu illorum qui te humiliaverunt.* Et in multis aliis locis. Et hoc ideo fit, quia calix inebriat per potum, et ita facit passio per angustiam : et ideo convenientius adjungitur calix potabili, scilicet sanguini, quam esibili quod est corpus.

Ad 3. AD ALIUD dicendum, quod calix transsumptive refertur ad passionem sanguinis, et sanguis relatus ad passionem, habet aliquam diversitatem rationis ad sanguinem ministratum in potum in sacramento : et illa importatur per obliquum.

Ad quæst. 2. Ad 1. AD ID quod ulterius quæritur de sanguine, dicendum quod ratio illa dicta est, quare ponitur in obliquo : licet enim efficitur sanguis vi sacramenti, et non calix, tamen ad hoc quod posset effici in sacramento sanguis, oportuit primo effundi in passione : et ideo in ratione primi operantis non ad sanguinem in sacramento, sed ad celebrationem sacramenti secundum se, melius dicitur *calix sanguinis* quam sanguis calicis.

Ad 2. AD ALIUD quod objicitur de Magistro in *Littera*, dicendum quod Magister in pluribus sacramentis non expresse determinat formam : sicut non facit in confirmatione, et in pœnitentia, et in extrema unctione, et in ordine : et ita nec facit hic : quia Magistri intentio est tradere notitiam eorum in quibus consistit sacramentum materialiter : et ideo dicit, quod forma est de sanguine, ante quam determinet formam : quia formam supponit Magister esse notam ex frequentatione Ecclesiæ.

AD ID autem quod contra objicitur per Evangelistam, dicendum quod Evangelistæ non intenderunt tradere formam sacramenti scribendo Evangelium, sed simplicem notitiam tradere historiæ quoad vera ibi dicta et res gestas : et ideo non est efficax probatio illa. Ad 3.

AD ALIUD dicendum, quod transitio obliqui non importat hic diversitatem sanguinis et rei sacramenti, sed potius diversam rationem sanguinis prout refertur ad passionem quæ contulit possibilitatem celebrationis sacramenti, et sanguinis prout est in sacramento ministratus ad usum fidelium, ut prius dictum est : et quia utriusque debuit fieri mentio in forma, melius fuit ponere obliquum quam rectum : in corpore autem non est similis ratio, ut dictum est. Ad 4.

AD ID quod ulterius quæritur de hoc quod dicitur, *Novi et æterni Testamenti*, dicendum quod *novum* dicitur, quod ad usum rei sacramentalis sub talibus speciebus est. Ad quæst.

AD ID autem quod objicitur de ratione ejus quod est novum, dicendum quod Filius Dei æternus est : sed Filius Dei non est in calice ex vi sacramenti, sed ex connexione corporis et animæ cum deitate et sanguine : et ideo adhuc aliquid remanet, quo usus sanguinis sit sub sacramento novus. Ad 1.

AD ALIUD dicendum, quod jam patet ad quid refertur novitas : ritus autem tantum in speciebus sine re præcessit in oblatione Melchisedech : et quoad hoc dicit Ambrosius antiquiora esse sacramenta nostra quam Judæorum. Ad 2.

AD ALIUD dicendum, quod opposita nihil prohibet esse circa idem vel poni, dummodo non ponantur circa idem secundum idem : quod enim dicitur *novum*, dicit quoad usum rei sub sacramento : quod dicitur *æternum*, dicit quoad personam, ut quidam dicunt : aut quoad prædestinationem tantæ gratiæ quam Ad 3 d.

Ecclesiæ ab æterno debuit Deus : et hoc probabilius est. Aut quoad utrumque : et tunc nulla restat objectio.

Ad quæst. 4. Ad id quod ulterius quæritur, Quare ponitur *mysterium fidei?* Dicendum, quod licet in omnibus sacramentis sit aliquid fidei, tamen in isto, per modum conversionis et sumptionis, et accidentia quæ manent sine subjecto aliquo, totum est fidei : quia nihil in eo potest ratio. Quod autem baptismus est fidei, non est ideo quod plus sit ibi agens fides et minus ratio, sed quia confert primum statum fidelitatis. Unde sicut fides quodammodo est janua virtutum, ita baptismus est janua sacramentorum. Istud autem sacramentum ab alio dicitur *mysterium fidei*, et ab alio *sacramentum charitatis* : mysterium *fidei* eo dicitur quod totum est fidei, ut dictum est : sed *charitatis* propter similitudinem effectus, et signum maximæ charitatis qua se dedit nobis. Dico autem *similitudinem effectus* : quia sicut charitas unit membra, ita illud sacramentum convertit et unit membra capiti.

Et per hoc patet solutio ad omnia quæ quæsita sunt circa istam partem.

Ad quæst. 5. Ad id quod ulterius quæritur de hoc quod dicitur, *Qui pro vobis et pro multis*, etc. Dicendum, quod licet una sit ratio effusionis et sumptionis in omnibus, tamen effusio in qua sanguis separatus est a corpore, operata est ad sacramenti celebrationem : sacramentum enim non facit nisi sanguinem : sed quia quod ita separatus efficere possit id quod non est separatus, hoc facit effusio, et ideo mentionem effusionis oportuit esse in forma sanguinis [1].

Ad quæst. 6. Ad 1. Ad aliud dicendum, quod sacerdos in loco illo commemoratur ut offerens : et ideo repræsentat duplicem personam, scilicet Christi offerentis, et quoad hoc non indiget oblatione pro se : et representat personam propriam, et sic indiget ut pro sua populique indigentia offerat : quia, sicut dicit Apostolus, *et ipse circumdatus est infirmitate* [2] : et ideo ut notetur illa indigentia, voluit Dominus indigentiam Apostolorum in forma exprimi, qui primi sacerdotes erant, et ritum sacramenti aliis tradiderunt.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod licet sufficienter valeat omnibus, non tamen efficienter : et ideo non dixit, pro omnibus, sed *pro multis*.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod istud sacramentum non operatur salutem sine alio cooperante : et hoc est fides et devotio quæ nobis effectum conjungit : et quia cooperans deficit in quibusdam, ideo ad omnes non potuit determinari : sed secundum maximum suum effectum est pro multis effundi.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod quidam antiquorum dixerunt propter illam objectionem, quod non esset de essentia formæ : sed tamen peccaret qui omitteret. Sed alii quidam modernorum probabiliter videntur sentire, quod sit de forma sicut finis : et ratio conjuncta formæ facit perfectionem rei.

Ad quæst. 7. Ad 1. Ad id quod ulterius ultimo quæritur, dicendum quod meo judicio etiam illud est de forma, *In remissionem peccatorum*. Et hæc utilitas sanguinis spiritualiter commemoratur in Psalmo XXIX, 10, ubi dicitur : *Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?* Et hoc ideo est, quia sicut anima videtur esse pretium redemptionis oblata Patri, ita tota passio est in extorsione violenta sanguinis : passio autem satisfecit pro nobis, et ideo passio præcipue in sanguinis effusione in quo est vita corporis, secundum naturam significatur : et ideo remissio peccatorum magis retorquetur

[1] Effusio sanguinis est ratio potationis (Nota edit. Lugd.)

[2] Ad Hebr. v, 2.

ad sanguinem, quam ad corporis passionem.

Ad 2. Ad ultimum patet solutio per idem.

ARTICULUS VIII.

An forma quæ dicitur super panem exspectat formam quæ dicitur super vinum?

Secundo, Quæritur de operatione formæ sanguinis, ad formam quæ dicitur supra panem : et hoc propter antiquos qui dixerunt, quod istæ formæ se exspectant in operando.

Objicitur autem sic :

1. Istud sacramentum est sacramentum summæ et simplicis veritatis : ergo nihil debet ostendi in sacramento quod non aliquo modo sit in re sacramenti : cum autem dicitur super panem, *Hoc est corpus meum,* ostenditur ibi esse corpus sine sanguine, eo quod ex vi sacramenti non est ibi nisi corpus : cum igitur corpus non sit sine sanguine, falsum ostenditur ibi in sacramento veritatis, nisi efficacia verborum corporis exspectet efficaciam verborum sanguinis : ergo se invicem istæ duæ formæ in operando exspectant.

2. Item, Sicut se habet res ad rem in sacramento, ita habere se debet forma ad formam : sed res corporis simul est cum re sanguinis, et e converso : ergo forma corporis simul operatur cum forma sanguinis, et e converso : ergo se invicem in operando exspectant : quia constat, quod non simul sunt in prolatione.

3. Item, Si forma corporis operatur sine forma sanguinis : aut operatur corpus sine sanguine, aut cum sanguine. Si sine sanguine : ergo operatur rem imperfectam, et operatur corpus Christi quale non est : quia constat, quod est cum sanguine. Si autem operatur corpus Christi cum sanguine : ergo ex vi sacramenti est ibi sanguis : ergo superfluit forma postea dicta supra sanguinem : quod est iterum inconveniens : quia si natura non abundat in superfluis nec deficit in necessariis, multo minus facit hoc gratia.

4. Item, Infra hac eadem distinctione ostendetur[1], quod sacramentum istud unum est : unius autem unicum est esse : ergo et unica forma sacramentalis : quia forma dat esse : ergo unica forma operatur super panem et super calicem : unius autem formæ actus indivisus est : ergo non operatur divisim super panem et super calicem : ergo simul : non ergo opus unius præcedit opus alterius.

Sed contra : Sed con

1. Cum dicitur, *Hoc est corpus meum :* aut corpus est ibi ex vi orationis factum et demonstratum, ut supra dictum est, aut non. Si non : ergo locutio est falsa : non enim dicitur, Hoc erit corpus meum : sed, *Hoc est.* Si sic : ergo efficacia hujus orationis non exspectat aliam orationem in efficiendo.

2. Item, Secundum totum usum Ecclesiæ et utilitatem elevatur corpus postquam dicta sunt ista verba, *Hoc est corpus meum,* et tunc adoratur a fidelibus. Aut ergo est ibi, aut non. Si sic, habeo propositum : quia adhuc non est dicta forma super calicem. Si non : ergo ministri Ecclesiæ faciunt adorari latria id quod non est Deus, et sic cogunt populum idololatrare, quod absurdum est dicere de Ecclesia.

3. Item, Quæ esset causa hujus dependentiæ, quod una dependeret ab alia ? Non enim divisio Christi, quia Christus semper est perfectus : nec dependentia signati, quia unius orationis significatio absoluta est, sicut et alterius : nec institutio, quia Christus sicut divisim corpus

[1] Cf. Infra hac eadem distinctione, Art 13.

et sanguinem suum dedit Apostolis, ita divisim instituit : ergo nulla potest esse causa dependentiæ : ergo patet, quod una non exspectat aliam.

Solutio. Solutio. Dicendum quod istæ orationes divisim explent suos effectus, et una non exspectat aliam.

Ad 1. Ad primum ergo dicendum, quod ut supra dictum est, oratio ista, *Hoc est corpus meum*, est in triplici vi : unam enim habet ab institutione, et aliam secundum hoc quod profertur in persona Verbi æterni quod in ea operatur, et tertiam habet secundum quod est in ea veritas signi : et quoad primas verum est, quod non extendat se operando nisi super corpus, et non super sanguinem. Tertia autem extendit se ad significandum corpus perfectum, non ex vi sacramenti, sed sub sacramento contentum : et ideo ostendit veritatem et corpus sicut est.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod hæc est falsa, quod sicut se habet res ad rem, ita forma ad formam : licet enim forma in sacramento sit effectiva rei, non oportet tamen formam dependere a forma. Et ita dicunt aliqui. Melius tamen potest concedi propositio præmissa in argumento : et potest dici, quod aliud est sanguinem esse simpliciter, et aliud sanguinem esse ex vi sacramenti sub sacramento. Sic autem potest esse absque eo quod est corpus ex vi sacramenti esse sub sacramento : et licet sanguinem simpliciter esse sine corpore sit impossibile, tamen sanguinem ex vi sacramenti esse sub sacramento, potest esse absque eo quod esset corpus ex vi sacramenti sub sacramento : et hoc modo proprie accipitur res sacramenti ut sacramenti : et sic patet, quod sicut res non dependet a re, ita nec forma a forma.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod sacramentaliter operatur corpus perfectum cum sanguine, ut dictum est : sed illum sanguinem in illo usus fidelium qui est potus redemptionis, non operatur forma dicta super panem, sed dicta super calicem. Et ideo non valet illa objectio : quia licet perfectum corpus sit sub specie panis, tamen non est secundum quod congruit utrique usui fidelium, scilicet cibi et potus. Et ideo communiter dicitur a Doctoribus, quod sanguis est ibi non ex vi sacramenti, sed ex connexione naturali sanguinis et corporis : quia corpus perfectum et vivum sanguinem habet in hepate, et venis, et aliis partibus corporis quæ debent infundi sanguine. Instantia autem ad argumentum est de anima : quia aut operatur corpus et animam, aut non. Si non : ergo imperfectum, et sic non est. Si sic : ergo panis convertitur in animam, quod est impossibile. Et de divinitate est eadem objectio.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod istud sacramentum non est unum ab unitate specierum vel formæ verborum, sed potius ab unitate ejus quod est ibi res et sacramentum, et ab unitate ejus quod est ibi res tantum, ut infra probabitur. Et ideo ad argumentum dicendum, quod forma dat esse hoc modo quo est forma : et ideo forma panis dat esse quoad continentiam corporis, et forma vini dat esse quoad continentiam sanguinis. Quia autem Christus est res et sacramentum in hoc sacramento, et ipse vere est unus : ideo sacramentum est unum.

De hoc tamen infra erit disputatio quia magnam habet difficultatem, et diligenti indiget discussione [1].

ARTICULUS IX.

An sacramentum hoc sit frequentandum post cœnam sicuti Christus ipsum instituit ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit,

[1] Cf. Infra hac eadem distinctione, Art. 13.

ibi, C, § 2, circa initium : « *Ubi consideratione dignum est, quare illud sacramentum post cœnam*, etc. »

Videtur enim ex hoc quod etiam celebrandum sit et frequentandum post cœnam :

1. Plus enim est instruere facto, quam verbo : cum igitur ipse verbo et opere post cœnam istud instituerit : videtur etiam, quod post cœnam sit celebrandum.

2. Item, Magis valet instructio Magistri, quam discipuli : ergo etiamsi Apostoli statuerunt contrarium, videtur eis non esse obediendum, sed potius Domino : et ita post cœnam est sumendum, ut videtur.

3. Item, Quanto minor est indigentia cibi ex parte corporis, cum sumitur cibus spiritualis, tanto magis signatur cibus spiritualis sumptus non sumi ad indigentiam corporis, sed animæ : sed facta refectione corporis, minor est indigentia corporis quam non facta : ergo si facta refectione sumatur corpus Christi, ex ipso significatur, quod non propter corpus, sed propter animan sumitur : constat autem, quod hoc modo sumendum sit, scilicet propter animam, et non propter corpus : ergo magis congruit ut sumatur post prandium, quam ante.

4. Præterea, Videtur quod nihil prohibeat post prandium sumi : non enim quod in os intrat, coinquinat animam, ut dicit Dominus[1]. Nihil autem impedit a perceptione hujus sacramenti, nisi peccatum : ergo videtur, quod post prandium celebrari et accipi possit.

Sed contra. SED CONTRA :

1. Augustinus in *Littera* dicit, quod propter tanti sacramenti honorem, prius in os Christiani Dominicum corpus debet intrare, quam alii cibi. Ergo ante prandium sumendum est et celebrandum.

2. Item, I ad Corinth. XI, 20 et 21 : *Convenientibus vobis in unum, jam non est Dominicam cœnam manducare : unusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum.* Ergo Apostolus ponit hoc pro ratione, quod non est manducandum corpus Christi, quia præsumpta est propria cœna ad manducandum : ergo post cibum sumi non debet, ut videtur.

3. Item, Istud sacramentum ex parte suscipientis summam exigit devotionem : summa autem devotio maximam exigit sensuum et rationis sobrietatem : sobrietas summa exigit jejunium : ergo jejuno stomacho sumendum est corpus Christi.

Quæst. ULTERIUS quæritur hic de causis quas Magister tangit in *Littera*, quod Christus corpus suum dedit post cœnam.

Prima enim non videtur valere, scilicet ut ultimum legalium quod est typicus agnus, terminetur ad Passionem quæ in sacramento isto recolitur :

1. Si enim duo secundum successionem sibi continuanda sunt, ultimum prioris debet esse cum primo posterioris : constat autem, quod primum sacramentum Novi Testamenti non est Eucharistia, sed potius baptismus : ergo videtur, quod debuit continuari ad baptismum.

2. Item, Sicut terminanda erat manducatio agni typici ad esum agni veri, sic terminanda fuit circumcisio ad baptismum : ergo eadem ratione debuit post cœnam ultimo circumcidere, et postea baptizare Apostolos, sicut dedit eis agnum typicum, et postea verum.

Secunda causa etiam non videtur valere, scilicet ut arctius discipulorum memoriæ commendaret :

1. Id enim quod maxime necessarium est, maxime memoriæ commendandum est : baptismus autem et pœnitentia maxime sunt necessaria : ergo maxime memoriæ commendanda : ergo et illa et non Eucharistia post cœnam ultimo debebant institui.

[1] Matth. XV, 11 : *Non quod in os intrat coinquinat hominem*, etc.

2. Item etiam, Secundum Philosophos id quod primo occurrit memoriæ antequam alii motus facti sunt in ipsa, magis profundatur in memoria et magis tenetur : si igitur illud memoriæ commendandum erat, ut dicitur in *Littera*, videtur eo ipso quod ante alia dandum erat discipulis, et non ultimo.

Solutio. Solutio. Dicendum, quod in veritate, sicut probat Magister in *Littera*, aliter est de institutione hujus sacramenti, et aliter de frequentatione fidelium : institutioni enim conveniebat ut post cœnam immediate ante Passionem institueretur : frequentationi autem, ut in reverentiam et dijudicationem tanti cibi et sobrietatem devotionis ante prandium percipiatur et celebretur : sicut enim dicit Apostolus, I ad Corinth. xi, 29 : *Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini*. Unde ille cibus dijudicandus est, ut dicitur in *Littera*, et discernendus ab aliis cibis : et ad hoc exigitur vigor et sobrietas rationis : ratio autem post prandium propter fumos ad cerebrum elevatos a loco digestionis oppilatur, et minus potens efficitur in discernendo, et impeditur devotio : et etiam vix potest esse quod non subrepat aliqua delectatio ad minus venialis in cibo, ex qua etiam efficitur homo minus idoneus : et ideo salubriter institutum fuerat, ut ante prandium frequentaretur. Causæ autem quare Dominus non tantum post prandium, sed etiam post cœnam instituit, sufficienter tanguntur in *Littera*.

Ad 1. Ad primum ergo dicimus, quod Dominus non innuit per hoc, quod post cœnam frequentaretur : sed in *Littera* habetur quibus de causis post cœnam instituit, ut deinceps ante prandium frequentaretur.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod hoc est verum in illis ubi separatæ sunt instructio Magistri et discipuli : sed si Magister in discipulo statuit, ut primæ operationi Magistri quam per se facit secundum intentionem non contrarietur, tunc obediendum est discipulo sicut Magistro.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod saturitas contrariatur sumptioni Eucharistiæ ex incongruitate et inconformitate : cum autem etiam ante prandium fides supponat non ad nos convertendum corpus Christi, sed nos ad ipsum, satis evidens est quod numquam sumitur propter indigentiam corporalem.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod maxima præparatio exigitur ad hoc sacramentum : et ideo oportet non tantum abstinere ab illicitis, sed etiam a licitis tanto sacramento non congruentibus : et hoc attendens Ecclesia statuit, ut fideles jejuni ad sacramentum accedant : et ideo peccat pransus accipiens, non quidem prandendo, sed quia contra rationabilem Ecclesiæ prohibitionem accipit pransus tantum sacramentum.

Ad quæst. De prima causa. Ad id quod ulterius quæritur de causis datis in *Littera*, dicendum quod optimæ sunt : et una sumitur ex parte ordinis veritatis ad umbram : alia autem ex parte ingratitudinis dilectionis in signo Passionis et Eucharistiæ nobis exhibitæ : de illa enim dilectione qua passus est pro nobis, et seipsum in cibum pro nobis dedit, oblivisci est damnabilis ingratitudinis.

Ad 1. Ad primum ergo quod contra objicitur, dicendum quod licet baptismus sit primum sacramentum ex parte sui effectus in nobis, non tamen est primus ex parte operantis in sacramentis omnibus : operans enim in sacramentis omnibus est Passio Christi et passus Christus : hoc autem, ut prius dictum est, recolitur in hoc sacramento specialiter.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod baptismus habet rem, quæ est novitas vitæ spiritualis : et hæc exemplariter ostensa est in Resurrectione : et ideo magis conveniebat institui formaliter post Resurrectionem, quam immediate ante Passionem : et de hoc satis quæsitum est in tractatu de *baptismo*.

De secunda causa. Ad 1. Ad id autem quod objicitur contra secundam causam, dicendum quod licet baptismus sit necessarius propter hoc quod est sacramentum spiritualis vitæ, et janua sacramentorum, tamen non est frequentandus : quia datur contra originale quod tantum unum est, et semel inficit animam : et ideo non oportuit esse memoriam illius. Sed in hoc sacramento exigitur frequentia, eo quod dicit Bernardus in epistola ad Carthusianos, quod « est memoriale amici nostri abeuntis pro nobis ad Passionem, cujus numquam debemus esse immemores. »

Ad 2. Ad ultimum dicendum, quod notum est quod prima magis profundantur in memoria ad retinendum, sed ad frequentandum super quæ redeat semper animus, commemorantur ultima : quia illa sunt quasi eminentia in mente quæ se memoriæ et meditationi per se citius offerunt : sicut in simili possumus videre, quod docet Tullius fortiores allegationes Rhetorum ponendas esse in fine : ut illæ eminentius aliis formis, quæ sunt in anima judicis, magis se præsentent meditationi et rationi judicis.

ARTICULUS X.

An hoc sacramentum post prandium celebretur? et, Quæ comestio sive potatio arceant a perceptione sacramenti?

Sed adhuc ulterius quæritur, Utrum post prandium possit celebrari hoc sacramentum?

Videtur autem, quod non : quia dicit Apostolus, I ad Corinth. xi, 20 et 21 : *Jam non est Dominicam cœnam manducare : unusquique enim suam cœnam præsumit ad manducandum.* Aliud autem non est manducare, et aliud non debet manducari : quod enim non est manducare, non contingit manducare : et hoc ideo, quia non conficitur, vel quia non est præsto ad manducandum : ergo videtur, quod non conficitur post prandium.

Sed contra hoc est : quia ad sacramentum non exigitur nisi forma et materia, et ex parte conficientis ordo et intentio : ergo istis suppositis, videtur quod sacramentum conficiatur : ergo post prandium et ante prandium conficitur, ut videtur. Sed contr

Ulterius quæritur, Quæ comestio arceat a perceptione corporis et sanguinis Domini? Quæst.

Dicunt enim medici, quod quædam sunt medicina et non cibus, et quædam cibus et non medicina, quædam autem cibus et medicina simul : quæratur ergo si aliquis sumeret ea quæ sunt medicina et non cibus, quæ potius exhauriunt corpus quam convertantur in corpus, utrum ille possit sumere corpus Domini?

Et videtur quod sic : quia

1. Non sumpsit cibum : et nihil aliud impediebat eum : ergo ex talibus non impeditur, ut videtur.

2. Item, Talia, ut dicunt, non solvunt jejunium : ergo non impediunt celebrationem vel communionem.

Sed contra :

Ex talibus bene provocantur fumi et vapores ad cerebrum : ergo impediunt rationem a discretione et judicio debito huic cibo : ergo videtur, quod impediant a celebratione et communione. Sed contra

Ulterius quæritur de potantibus aquam, utrum ipsi a celebratione et communione arceantur? Quæst. 2

Videtur quod non : quia

1. Simpliciter aqua non nutrit : ergo jejunium non solvit, nec impedit celebrationem.

2. Item, Hoc dicunt quidam Doctores juris in suis apparatibus, quod non impediat a celebratione potus aquæ.

Sed contra :

Licet aqua in quantum hujusmodi non Sed contra

nutriat, tamen per actum humidi vehiculum est cibi : aut ergo vehit cibum commixta cibo, aut non. Si non commixta : ergo aqua pura flueret et reflueret ad membra, et super illam cibus, quod falsum est et absurdum : ergo vehit cibum commixta ei : commixta autem cibo convertitur ad membra et corpus substantialiter : ergo aqua nutrit : ergo solvit jejunium, et impedit a celebratione et communione, ut videtur.

Solutio. Solutio. Sine præjudicio sententiæ majorum dicendum videtur mihi ad primum, quod si aliquis habens ordinem et intentionem servando formam et materiam hujus sacramenti, conficit post prandium quod confectum est : sed peccat mortaliter veniens contra Ecclesiæ Catholicæ et Apostolicæ institutionem.

Ad object. Ad id autem quod contra objicitur, dicendum videtur, quod Apostolus dicit ibi, *non est*, id est, non debet : et non in eo sensu quod non esset si conficeretur.

Ad quæst. 1. Ad id autem quod ulterius quæritur, dicendum quod meo judicio omnis cibus quem communiter et usualiter *cibum* vocamus, hoc est, qui transit in ventrem, etsi non convertatur ad corpus, impedit celebrationem.

Ad 1. Ad id quod contra objicitur, dicendum quod non est tantum institutum propter refectionem, quia refectio nullum malum est : sed etiam propter corporis vitium et animæ turbationem, quæ tanti sacramenti perceptioni non congruit : corpus autem et vires animæ magis quandoque turbantur in eo quod est medicina et non cibus, quam in eo quod est cibus : et ideo post susceptionem talium non est celebrandum sacramentum : infirmi tamen quibus non est lex posita, possunt in hora necessitatis sumere, sive post prandium, sive ante prandium.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod aliud est de jejunio : quia hoc fit ad corporis afflictionem : et ideo turbatio sensuum jejunio non contrariatur : et ideo conceditur a quibusdam, quod talia jejunium non solvant.

Ad quæst. 2. Ad id quod ulterius quæritur de potu aquæ, dicendum mihi videtur, quod non est celebrandum post aquæ potum : quia materialiter etiam convertitur in cibum, et multiplicat fumos ad caput.

Ad 1. Ad id autem quod contra objicitur, dicendum quod simplex aqua manens simplex, non nutrit : sed per calorem digestivum commiscetur cibo qui est in stomacho : et tunc nutrit, sicut ostendunt opera rusticorum qui miscent eam fimo quando volunt irrigare plantas : et tunc, sicut Philosophus dicit, incipit sic immixta esse nutrimento. Et quod in plantis fit extra per artificium, in homine fit intra per naturam melius commiscentem.

Ad idem. Ad aliud dicendum, quod aliud est jejunium simplex, aliud jejunium solita reputatione Ecclesiæ : aqua enim absque dubio solvit jejunium simplex : sed quia juvamentum ejus est modicum, ideo ab Ecclesia non solvi jejunium ex potu aquæ reputatur.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod Jurisperiti non habent loqui de hoc, sed potius Physicus vel Medicus : sed Theologus hoc accipiens a Medico habet determinare, utrum conficiendum sit post potum aquæ vel non.

D. *De sacramento et re.*

Nunc quid ibi sacramentum sit, et quid res, videamus. Sacramentum est invisibilis gratiæ visibilis forma. Forma ergo panis et vini quæ ibi videtur,

est sacramentum, id est, signum sacræ rei : quia præter speciem quam ingerit sensibus, aliquid aliud facit in cognitionem venire [1]. Tenent ergo species vocabula rerum quæ ante fuerunt, scilicet panis et vini. Hujus autem sacramenti gemina est res : una scilicet contenta et significata, altera significata et non contenta. Res contenta et significata est caro Christi, quam de Virgine traxit, et sanguis quem pro nobis fudit. Res autem significata et non contenta est unitas Ecclesiæ in prædestinatis, vocatis, justificatis, et glorificatis. Hæc est duplex caro Christi, et sanguis. Unde Hieronymus [2] : Dupliciter, inquit, intelligitur caro Christi et sanguis ejus : vel illa quæ crucifixa est et sepulta, et sanguis qui militis lancea effusus est : vel illa spiritualis ac divina, de qua ipse ait : *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus* [3]. Et, Nisi manducaveritis carnem meam, et biberitis meum sanguinem, non habebitis vitam in vobis [4]. Sunt ergo hic tria distinguenda. Unum, quod tantum est sacramentum : alterum, quod est sacramentum et res : et tertium, quod est res et non sacramentum. Sacramentum et non res, est species visibilis panis et vini. Sacramentum et res, caro Christi propria et sanguis. Res et non sacramentum, mystica ejus caro.

Porro illa species visibilis, sacramentum est geminæ rei : quia utramque rem significat, et utriusque rei similitudinem gerit expressam. Nam sicut panis præ cæteris cibis corpus reficit et sustentat, et vinum hominem lætificat atque inebriat : sic caro Christi interiorem hominem plus cæteris gratiis spiritualiter reficit et saginat. Unde, *Calix meus inebrians quam præclarus est* [5] ! Habet etiam similitudinem cum re mystica, quæ est unitas fidelium : quia sicut ex multis granis conficitur unus panis, et ex pluribus acinis vinum in vinum confluit, sic ex multis fidelium personis unitas Ecclesiastica constat. Unde Apostolus : *Unus panis, et unum corpus multi sumus,* etc. [6]. Unde Augustinus [7] : Unus panis et unum corpus Ecclesia dicitur, pro eo quod sicut unus panis ex multis granis, et unum corpus ex multis membris componitur, sic Ecclesia ex multis fidelibus charitate copulante connectitur. Hoc mysterium pacis et unitatis nostræ Christus in sua mensa consecravit : qui accipit hoc mysterium unitatis, et non tenet vin-

[1] S. Augustinus, Libro XX de Civitate Dei, cap. 5.
[2] Hieronymus, Commentarius ad I cap. Epist. ad Ephes.
[3] Joan. VI, 56.
[4] Joan. VI, 54 : *Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*
[5] Psal. XXII, 5.
[6] I ad Corinth. X, 17.
[7] S. Augustinus, De sacramentis fidelium.

culum pacis, non accipit hoc mysterium pro se, sed contra se [1]. Cujus etiam sacramentum est corpus Christi proprium de Virgine sumptum : quia ut corpus Christi ex multis membris purissimis et immaculatis constat, ita societas Ecclesiastica ex multis personis a criminali macula liberis consistit. In cujus rei typo facta est arca Domini de lignis Setim [2], quæ sunt imputribilia, et albæ spinæ similia.

ARTICULUS XI.

An Eucharistia sit etiam sacramentum, an non ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, D, *Nunc quid ibi sacramentum sit*, etc. »

Hic incidunt tria quærenda, quorum primum est, An sit sacramentum ? quia hoc Magister supponit.

Secundum, quid sit ibi sacramentum et quid res, et quid sacramentum et res ? et hoc tangit in *Littera*.

Tertium est consequens ad hoc, scilicet utrum sit sacramentum unum, vel plura ?

Ad primum proceditur sic :

Omne sacramentum efficit quod figurat : sacramentum in Eucharistia non efficit quod figurat : ergo id quod est signum vel sacramentum tantum (ut dicit in *Littera*) non est sacramentum novæ legis ad minus. Prima supponitur ex habitis supra in principio libri. Secunda autem probatur ex hoc quod species panis et vini, quæ sunt signa, nihil efficiunt : ergo videtur, quod sequatur conclusio.

2. Si forte dicas, quod efficere est agere, et actio non debetur materiæ, sed formæ : species autem panis et vini materialia sunt in sacramento : et ideo non debetur eis actio, sed formæ sacramenti. Contra : In baptismo et confirmatione video, quod ad minus materia habet actum corporalem in quo spiritualis actus sacramenti intelligitur : aqua enim sordes lavat, in quo accipitur ablutio peccatorum : et chrisma propter balsamum imputribile reddit id quod se perungitur, in quo intelligitur constantia confirmati : species autem panis et vini cum sint accidentia, nullam habent similitudinem cum actu nutriendi spiritualiter, quia accidens non nutrit : ergo videtur, quod nullo modo sit sacramentum tantum.

Ulterius quæritur de corpore Christi vero, Utrum ipsum sit sacramentum ? Quæst.

Et videtur, quod nullo modo sit sacramentum : quia

1. Non est visibile vel sensibile : cum igitur sacramentum sit visibile et corporale elementum, extrinsecus oculis suppositum, etc., videtur non esse sacramentum.

2. Præterea, Sacramentum novæ legis efficit quod figurat : corpus Christi verum non videtur efficere quod figurat : ergo corpus Christi verum non est sacramentum novæ legis. Prima patet ex habitis sæpius. Major probatur ex hoc quod effectus non est ante efficiens : sed corpus Christi mysticum et unitas ejus fuit ante corpus Christi verum : ergo non est effectus ejus, ut videtur.

[1] De consec. dist. II, cap. *Quia passus* (Nota edit. Lugd.). Cf. ad Ephes. IV, 4 et 5.

[2] Exod. XXV, 10.

3. Præterea, In aliis sacramentis efficitur aliquid in nobis : ergo et in isto : sed corpus Christi mysticum non est aliquid in fidelibus, sed potius Christi fideles : ergo non est effectus sacramenti, sed potius res, ut videtur.

Si autem dicas, quod res est signata, non causata, nec contenta (ut quidam dicunt, et sicut videtur dici in *Littera*) tunc sequitur, quod respectu illius non debet determinari Eucharistia esse sacramentum novæ legis : quia veteris legis sacramenta bene habebant res signatas non contentas, sicut et novæ legis sacramenta.

Solutio. Solutio. Absque ambiguitate dicendum, quod Eucharistia non tantum sacramentum est, sed etiam sacramentum sacramentorum, ut consequenter probabitur.

Ad 1. Ad primum autem dicendum, quod in veritate, sicut dixit Magister in *Littera*, et Hugo de sancto Victore, in hoc sacramento tria sunt, quorum primum est sacramentum in ratione signi tantum, scilicet species panis et vini. Secundum est sacramentum et res, et signum et causa tertii, et hoc est corpus Christi verum. Tertium est res tantum, et est virtus secundi, et signatum primi et secundi, et hoc est unitas corporis mystici.

Ad 2. Ad id ergo quod objicitur, quod species nihil efficit, dicendum quod non oportet quod species materialis sit effectiva, sed significativa, secundum quod dicit solutio posita in objectione.

Ad id quod objicitur contra solutionem hanc, dicendum quod est accipere speciem dupliciter, scilicet secundum id quod est, et in comparatione et relatione ad id quod continet, et cujus fuit ut subjecti. Si primo modo : tunc verum est, quod est accidens, et non nutrit. Sed si secundo modo : tunc continet cibum spiritualem, ad cujus actum ponit signum per hoc quod est accidens proprium panis corporalis et naturalis, in quo fuit ut in subjecto ante conversionem : et ideo secundum quosdam adhuc retinet post conversionem aliquem actum panis : de quo tamen infra manifesta erit quæstio. Et hoc modo ponit similitudinem ad refectionem spiritualem, quæ nos unit corpori Christi mystico.

Ad qu Ad Ad id quod ulterius quæritur de corpore Christi vero, dicendum quod est sacramentum et res, et est causa et signum unitatis corporis Christi mystici, et signatum et effectum primi, ut panis et vini cum forma transsubstantiante.

Ad 2 al Ad id autem quod contra objicitur, dicendum quod effectus sacramenti hujus non est corpus mysticum (et objectiones illæ proveniunt ex mala intelligentia *Litteræ*) sed potius unitas corporis mystici. Unitas autem illa efficitur multis modis, scilicet per spiritum unientem, et per effectum virtutum compingentium et connectentium et unientium, sicut tangit Apostolus [1]. Et hoc modo unitas corporis Christi mystici præcedit corpus Christi verum. Sed alia est unitas ex gratia sacramentali secundum quam hoc sacramentum convertit ad se, et unit sibi quodlibet cibatum in isto sacramento : in hoc enim quod unit quodlibet sibi, unit omnes ad invicem : quia quæcumque uniuntur uni et eidem, inter se etiam uniuntur : et hoc modo unitas est effectus corporis Christi veri, et sequitur ipsum sicut effectus suam causam.

Per hoc etiam patet solutio ad ultimum, quod est efficere corpus Christi mysticum dupliciter : scilicet materialiter, et sic non est effectus alicujus sacramenti nisi forte matrimonii. Et est efficere unitatem corporis quoad gratiam spiritualem ratione cibi ad se convertentis : et hoc modo efficitur a sacramento unitas corporis Christi mystici, et dicit gratiam contentam in fidelibus sumentibus corpus Christi verum, et non ipsos fideles.

[1] Ad Ephes. IV, 11 et seq.

ARTICULUS XII.

Quid sit sacramentum ? Quid res ? et, Quid sacramentum et res simul ?

Secundo quæritur. Quid sit hic sacramentum, et quid res tantum ?

Videtur autem, quod species visibiles panis et vini non possunt esse sacramentum tantum :

1. Id enim quod est sacramentum tantum, expressionem signi habet ad id quod est sacramentum et res, et ad id quod est res tantum : sed species panis et vini non videntur habere talem rationem signi : ergo non sunt sacramentum. PRIMA constat ex prius habitis. SECUNDA probatur ex hoc quod panis et vinum sunt corpora homogenia : talia autem non habent similitudinem cum heterogenio, sed potius oppositionem quamdam : ergo non significabunt istud.

2. Præterea, Cum major sit similitudo naturalis ad naturale, quam artificialis ad naturale, videtur quod id quod est signum corporis Christi veri quod est corpus naturale, debuit esse naturale corpus, et non artificiale : ergo videtur, quod non debet esse species panis cocti et vini expressi.

3. Item, Dicit Hugo de sancto Victore : « Cum unum sit sacramentum, tria sibi discreta proponuntur, species scilicet visibilis, et virtus corporis, et virtus animæ spiritualis : et primum est signum secundi : secundum autem causa tertii : tertium autem effectus secundi, et signatum primi. » Ergo videtur, quod primum habeat rationem significandi et respectu secundi, et respectu tertii. Cum ergo convenientissima debeant esse signa Novi Testamenti, et signa veritatis, videtur quod magis signum debuit poni in heterogenio : quia heterogenium exprimit compositionem organorum in corpore vero, et unitatem diversorum fidelium in corpore mystico, quorum neutrum videtur esse in corpore homogenio.

SOLUTIO. Dicendum per auctoritatem Damasceni qui dicit, quod quia hominibus moris erat aqua lavari, et oleo ungi, conjunxit oleo et elementis Spiritus sancti gratiam, ut efficeretur sacramentum spiritualiter lavans et spiritualiter ungens. Et quia hominibus moris erat uti pane in cibo, et vino in potu, fecit de his corpus et sanguinem suum unitum deitati, et ministravit in cibum spiritualem. Et ideo in aliis non adeo universaliter et convenienter inveniretur ratio significandi cibum spiritualem. Solutio.

AD ID autem quod objicitur primo, supra etiam objectum et solutum est in quæstione de forma corporis Christi. Et dicendum, quod duo sunt in pane, scilicet ratio cibi, et materia ex qua fit ratio cibi : una est magis in homogenio quam in heterogenio : et quia corpus Christi cibus est universaliter et simpliciter, quoad hoc magis convenit homogenium quam heterogenium. Si autem materialiter consideretur : tunc conficitur ex multis granis discretis, et quoad hoc habet similitudinem cum operatione organorum corporis Christi veri, et cum aggregatione fidelium. Et quia utrumque significari oportet in materia Eucharistiæ, propter hoc oportuit habere utrumque quodammodo, scilicet heterogenium in materia panis, et homogenium in esse panis confecti, propter unam in toto Christo rationem cibandi : et eadem ratio est de vino. Ad 1.

AD HOC autem quod objicitur de artificiali, dicendum quod Christus passus et passione nobis excoctus significatur in Eucharistia. In passione autem fuit opus hominis, et quoad hoc habet similitudinem opus artis, quod est opus voluntatis hominis in quo panis se habet ut patiens : et hanc expositionem tangit Ad 2 et 3.

Magister Hugo de sancto Victore in quadam Epistola ad Bernardum de epistola paschali: et ideo Christus dicitur *azymus sinceritatis*, eo quod est excoctus in innocentia passionis.

Et per hoc patet solutio et responsio ad totum.

ARTICULUS XIII.

An sacramentum sit unum vel plura ?

Tertio quæritur, Utrum sit unum sacramentum vel plura ? et hoc est difficilius.

Et objicitur sic :

1. Dicitur in collecta beati Gregorii : « Purificent nos, quæsumus, Domine, sacramenta quæ sumpsimus, etc. » Ergo sunt plura sacramenta.

2. Item, « Perficiant in nobis, quæsumus, Domine, tua sacramenta quod continent, etc. » Cum ergo non loquatur nisi de sacramento Eucharistiæ, videtur quod sint plena sacramenta.

2. Item, In auctoritate Hugonis supra posita quæ dicit, quod tria discreta in hoc sacramento proponuntur : tria autem discreta sunt plura : ergo hoc sacramentum est plura sacramenta, ut videtur.

4. Item, Esse signum est ad alterum : ergo si multiplex est signum, multiplex erit sacramentum : et si multa signa, multa erunt signata : sed hic duo sunt signa, scilicet species panis, et species vini : et corpus Christi mysticum, et corpus Christi verum sunt pluras ignata : ergo plura sacramenta.

Si dicas, quod unum horum sacramentorum ordinatur ad alterum. Contra : Species panis non ordinatur ad speciem vini, licet hæc ambo ordinentur ad corpus et sanguinem Christi : sed species panis et vini sunt plura signa, et corpus Christi verum et mysticum sunt plura signata : ergo plura sacramenta.

Si dicas, quod corpus Christi verum et sanguis non sunt diversa, sed unum : et ideo non respondent eis plura, sed unum, et ab illo uno signato est sacramentum unum, sicut fere ab omnibus dicitur. Contra : Aliud est sanguinem esse simpliciter, et aliud est virtute sacramenti sanguinem Christi haberi in altari : et similiter est de corpore : sed cum fit confectio corporis Christi, virtute sacramenti non habetur sanguis, ut patet ex supra disputatis : et cum conficitur sanguis, virtute formæ sacramentalis non habetur corpus : ergo vernm corpus et verus sanguis, licet unita sint naturaliter, tamen sacramentaliter divisa sunt : et hoc modo sunt signata speciei panis, et speciei vini : ergo hoc modo sunt plura signata, et secundum virtutem sacramentalis formæ divisa : ergo plura erunt signa sacramentaliter : ergo plura sacramenta, ut prius.

5. Item, Nihil videtur esse quod dicitur communiter, quod ab unitate ultimi signati sit sacramentum unum : non enim aliqua ratio unionis respectu præcedentium est ultima, ut videtur : quia prima præcedunt ipsum, et ideo etiam si prius sunt plura, et cum ipso sunt plura : et si ante sunt unum, etiam cum illo sunt unum.

6. Item, Causa universalis et particularis confluunt in unum effectum ultimum, sicut patet, cum dicitur quod homo generat hominem ex materia, et sol : sol enim est causa universalis generationis, non hujus hominis tantum, et homo causa particularis generationis hominis hujus, non universalis generationis : et tamen propter illud unum quod efficiunt, non efficiuntur homo et sol causa una, sed remanent plures causæ : ergo videtur, quod ab unitate ultimi effectus non efficiantur præcedentia illum effectum unum, sed remanent plura.

7. Item, Unum (ut dicit Philosophus) sequitur esse : et a quo est esse, et ab eo est unum : quia a forma est utrumque : igitur ubi plura sunt dantia esse, plures

sunt unitates, et plura una, ut ita liceat loqui : sed in hoc sacramento sunt plura esse, quia plures formæ : ergo plura una : ergo plura sacramenta, ut videtur.

8. Item, Quæ nec genere nec specie conveniunt, illa sunt plura simpliciter : signa quæ sunt in hoc sacramento, nec specie nec genere conveniunt : ergo sunt simpliciter plura. PRIMA patet per se. SECUNDA probatur ex hoc quod species panis visibiles sunt signa corporis veri, vinum etiam signum est corporis mystici : et hæc signa nec sunt in eodem genere proximo, nec in eadem specie : ergo simpliciter plura.

Item, Signata etiam plura sunt. PROBATIO. Id quod est simpliciter unum, non est idem ei quod est unum secundum quid, scilicet aggregatione tantum : sed corpus Christi verum est simpliciter et naturali unitate unum, corpus autem Christi mysticum est unum secundum quid et aggregatione tantum : ergo non sunt idem. Cum ergo nec unitas sit in signis, nec unitas in signatis, videtur sacramentum istud simpliciter esse plura, et non unum.

9. Item, Ex duobus perfectis in eodem genere existentibus non fit unum : sed Christus perfectus est sub ratione panis, et perfectus sub forma vini : ergo utrobique perfectus : ergo non fit unum ex eo quod est ibi et ibi : ergo plura remanent sacramenta.

10. Item, Nos videmus, quod unitas signati in impositione nominum quæ sunt signa rerum, non facit idem nomen, nec diversitas facit diversitatem : quia Marcus, Tullius, Cicero, sunt diversa nomina et idem significant : et albus, alba, album, sunt idem nomen, et diversa significant : ergo a simili idem erit in sacramentis : quia unitas signati non facit unitatem signorum, nec diversitas diversitatem : ergo videtur iterum, quod nihil sit dictum, quod licet hic sint species diversæ et signa diversa, quod tamen hæc sint unum sacramentum propter unitatem signati.

Si propter hoc dicatur, quod ista sunt plura sacramenta. CONTRA : Sed contra.

1. Supra probatum est, quod sacramenta novæ legis non sunt nisi septem : sed si istud est plura, erunt plura quam septem : ergo istud non est nisi unum.

2. Item, Unum sacramentum est, quod est unius gratiæ effectivum : sed unicam gratiam efficit hoc sacramentum, quia unitatem corporis Christi : ergo est unicum sacramentum, et non plura.

3. Item, Ambrosius dicit, quod sacramentum simplex est : simplex autem non est plura : ergo istud sacramentum est unum, et non multa.

SOLUTIO. Distinctio quorumdam præcedentium nos Doctorum fuit, quod est aliquid simpliciter unum, sicut id quod unius est formæ et unius materiæ et unius effectus, ut baptismus : et est aliud simpliciter multa : ut duo vel tria sacramenta quæ habent differentes formas et materias et effectus. Est autem medium horum unum multipliciter, quod multis materiis et formis efficit unum effectum : et ad hoc reduxerunt istud sacramentum. Sed hæc distinctio non placet, pro tanto quia unus effectus non efficitur a duabus causis æque proximis, nisi altera sit imperfecta : et cum gratia non sit imperfectior quam natura, etiam in gratia mihi videtur absurdum dici, quod unicus omnino effectus a duabus causis æque proximis efficiatur. Et ideo videtur dicendum sine præjudicio, quod istud sacramentum est simpliciter unum, sicut et alia : sed tamen propter modum gratiæ quam efficit, sunt in ipso materialiter plura. Et ratio hujus lucidius patebit in solvendo objectiones. Solutio.

DICENDUM ergo ad prima tria, quod respiciunt ea quæ materialia sunt in sacramento. Et ideo dicunt sacramenta, pluralem numerum consignificando : non tamen dicunt plura sacramenta, significando pluralem numerum ut conceptum, vel duo, vel tria sacramenta, signando pluralem numerum in distinctione exercita. Ad 1, 2 et 3.

Si autem objicitur, quod Magister Hugo dicit tria in hoc sacramento esse, et ita discretionem exercitam significare, dicendum quod ipse significat eam oblique. Unde dicit, quod cum sit unum sacramentum, tria sunt in eodem discreta : et ideo discreta referuntur ad materiam sacramenti, quæ tamen terminantur una forma : sicut etiam distinctio membrorum corporis terminatur unitate formæ totius, et corpus ab illa est simpliciter unum : habet tamen in se plura membra materialiter.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod in veritate esse signi est non ad aliud, sed ad idem : alio tamen modo refertur signum speciei panis et speciei vini, et tamen unica relatione, quod tamen mirabile videtur : sed bene concedo si plura pluribus relationibus referrentur ad idem vel diversa, quod erunt simpliciter plura. Idem autem ad quod refertur, est unitas corporis, sed non eodem modo : quia species panis habet relationem convenientiæ ad unionem ad caput, ut membra ad caput colligantur, sicut etiam panis conficitur ex multis granis : species autem vini ad gratiam redemptionis quæ unit per descensum a capite : ut quasi relatio nostri ad caput in pane significaretur, et relatio sui ad nos per redemptionem sanguinis ministrati significaretur in sanguine : et sine his duobus non est perfecta unio. Et hoc notatur cum dicit, *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo* [1]. Una autem relatione referuntur istæ species : quia illa relatio est relatio signi : sicut enim dicit Augustinus in libro de *Doctrina Christiana :* « Signorum autem alia sunt naturalia, et alia ad placitum, et alia ab institutione divina. » Et verum est, quod quantum est ex similitudine naturali non est relatio una in specie panis et vini, quia similitudo illa respondet diverso modo unitati perfectæ : sed ab institutione quæ principalis causa est in sacramentis, quare significant et causant, habent relationem unam : quia ab institutione sunt instituta ad idem significandum diversimode.

Et per hoc patet solutio fere ad omnia objecta : et hæc est radix totius veritatis in hoc articulo quæstionis.

Ad idem. Ad aliud dicendum, quod sacramentaliter non sunt omnino divisa corpus Christi, et sanguis : quia sunt ad idem efficiendum, scilicet corporis mystici unionem, licet diversimode, ut dictum est.

Ad 5. Ad aliud dicendum, quod prima non omnino sunt diversa : quoniam in uno sunt quatuor ab institutione quæ principaliter prima est : sed notum est, quod si in nullo antecedentium unirentur, tunc non possent uniri in ultimo.

Ad 6. Ad aliud dicendum, quod non est simile de causa particulari et universali : quia illæ in nullo uniuntur per substantiam, sed tantum in effectu, qui posterior est utraque causarum : sed hæc institutio præcedit omnia, et unit ea in uno.

Ad 7. Ad aliud dicendum, quod non sunt simpliciter plures formæ in hoc sacramento : et ideo sicut alia est forma partis, et forma totius : ita alia est forma totius et alia forma partis sacramenti : utraque enim formarum relata ad unitatem institutionis, simul confert esse completum sacramento : sed quando divisim accipiuntur, sunt materiales, et non conferunt esse completum sacramento secundum quod est sacramentum, licet conferant completum Christum, ut jam inferius patebit. Et ideo relatæ ad unitatem institutionis qua Christus intendit unum instituere sacramentum, non conferunt nisi unum esse et unitatem unius sacramenti.

Ad 8. Ad aliud dicendum, quod est accipere id quod facit genus sacramenti et speciem, et est accipere id quod facit genus naturæ vel speciem : et de genere natu-

[1] Joan. VI, 57.

ræ procedit objectio, sed de faciente esse signi secundum quod est sacramentum non procedit : quia sic sunt in eodem tantum genere et specie, sed etiam numero, ut dictum est prius. Similiter signata non sunt in eodem modo unitatis naturæ, sed tantum in esse sacramenti unum ordinatum est ad alterum, sicut signum et causa ad effectum signatum et causatum.

Ad 9. Ad aliud dicendum sine præjudicio, quod duplex est perfectio, scilicet Christi, et sacramenti secundum quod venit in usum fidelium, et perficit et signat perfectam unitatem corporis mystici. Primo modo verum est, quod Christus perfectus est sub utraque specie, scilicet panis, et vini : sed secundo modo videtur mihi falsum : quia non perfecte causatur et signatur usus fidelium et unitas corporis mystici, nisi duplici signo, ut prius dictum est : et ideo virtute sacramenti oportet haberi utrumque : et hæc unita in una institutione et uno signo, licet modi unitatis sint diversi, ut prius dictum est.

Ad aliud dicendum, quod non est simile de nominibus, et signis institutis a Deo ad gratias sacramentales significandas : quia licet quandoque idem sit cui imponuntur plura nomina, non tamen instituens imponit ab eodem : quia cum nomen significet substantiam cum qualitate, ad qualitatem respicit instituens, et hoc quoad Grammaticum sufficit, si habeat etiam modum diversum ad diversam institutionem : et ideo plura nomina a talibus modis qualitatum imposita, possunt esse ejusdem : et quia etiam una qualitas et modus est in diversis, fit una institutio ad diversa significata per idem nomen in consignatis variatum, sicut albus, alba, album. Sed non fit sic in institutione signi sacramentalis : ibi enim respicitur perfecta significatio unius gratiæ, licet diversus sit modus participandi eam : et ideo est una institutio super omnia illa quæ valent exprimere vim illius gratiæ : et omnia illa uniuntur in institutione illa. Ad 10.

Et per hoc patet solutio ad omnia.

DISTINCTIO IX.

De suscipiente sacramentum Eucharistiæ.

A. *De duobus modis manducandi.*

Et sicut duæ sunt res illius sacramenti, ita etiam duo modi manducandi. Unus sacramentalis, scilicet quo boni et mali edunt : alter spiritualis, quo soli boni manducant. Unde Augustinus [1]. Quid est Christum manducare? Non est hoc solum in sacramento corpus ejus accipere : multi enim indigne accipiunt : sed in ipso manere, et habere ipsum in se manentem. Spiritualiter enim manducat, qui in unitate Christi et Ecclesiæ quam sacramentum significat, manet. Nam qui discordat a Christo, nec carnem Christi manducat, nec sanguinem bibit : etsi tantæ rei sacramentum ad judicium sui quotidie accipiat. Spiritualem manducationem Augustinus distinguens a sacramentali, ait : Ut quid paras ventrem et dentem? Crede, et manducasti. Credere enim in eum, hoc est comedere panem et vinum. Qui credit in eum, manducat eum [2]. Item, Quomodo manducandus est Christus? Quomodo ipse dicit : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo* [3]. Si in me manet et ego in eo, tunc bibit : qui vero in me non manet, nec ego in illo : et si accipit sacramentum, acquirit magnum tormentum [4]. Item, Nulli ambigendum est tunc quemquam corporis et sanguinis Domini participem fieri, quando Christi membrum efficitur : nec alienari ab illius panis calicisque consortio, etiamsi antequam illum panem edat et calicem bibat, de hoc sæculo in unitate corporis

[1] S. Augustinus, Sermo de Verbis Domini, et habetur de consec. dist. II, cap. *Quid est Christum* (Nota edit. Lugd.)

[2] S. Augustinus, Tract. 25 super Joannem.

[3] Joan. VI, 57.

[4] S. Augustinus, Tract. 26 super Joannem.

Christi constitutus abscedat : quia illius sacramenti beneficio non privatur, quando ille habere hoc quod illud sacramentum signat invenitur. In illo enim sacramento corpus et sanguinem suum nobis commendavit, quod et fecit nosipsos. Nam et nos corpus ipsius facti sumus [1]. Item, Qui discordat a Christo non manducat carnem ejus, nec sanguinem bibit : etsi tantæ rei sacramentum ad judicium sibi quotidie accipit [2].

DIVISIO TEXTUS.

« *Et sicut duæ sunt res illius sacramenti* etc. »

Peractis his quæ pertinent ad substantiam sacramenti hujus, tangit de ipso in ista parte secundum comparationem ad celebrantem vel conficientem, ibi, Dist. XIII, F, « *Post hæc quæritur, si quod gerit sacerdos, proprie dicatur sacrificium*, etc.

In ista autem parte tangit de sacramento ex parte suscipientis. Et dividitur in duas partes : in quarum prima tangit duos modos sumendi, et opiniones et errores qui circumstant illos modos. In secunda, tangit modum conversionis, et quædam consequentia modum transsubstantiationis illius, sicut de accidentibus, et fractione, et hujusmodi : et hæc incipit, ibi, Dist. XI, A, « *Si autem quæritur, Qualis sit illa conversio*, etc. »

Prima harum dividitur in duas : in quarum prima continet primum capitulum hujus novæ distinctionis, et tangit duos modos manducandi. In secunda autem, ratione auctoritatum inductarum tangit errores qui sunt circa hanc materiam : et hæc incipit, ibi B, « *Hæc verba et alia hujusmodi, ubi de spirituali manducatione,* etc. »

In hoc ergo capitulo probat esse duos modos manducandi, scilicet sacramentalem, et spiritualem. Et de his modis possunt in communi tria quæri. Primum est, de distinctione horum modorum. Secundum est, de illo modo præcipue qui dicitur *spiritualis*. Tertium, de numero eorum.

ARTICULUS I.

An sint duo modi sumendi Eucharistiam, scilicet sacramentalis, et spiritualis, et quomodo distinguantur ?

AD PRIMUM objicitur sic :

1. Videtur enim, quod isti modi non sunt distincti ex parte sacramenti, sed ex parte nostra : in baptismo enim semper est acceptio spiritualis effectus, nisi sit fictio impediens. Et ideo baptismus de se operatur salutem : ergo similiter cum Eucharistia sit sacramentum novæ legis, semper operatur gratiam spiritualem : ergo sacramentalem in ipso non est distinguere a spirituali.

2. Item, Rex terrenus non est minus potens ubi est per seipsum, quam ubi est per ministerium, sed magis : ergo similiter est de Rege cœlesti : sed Christus per seipsum est in sacramento Eucharistiæ in tribus substantiis et unitate personæ, in aliis autem sacramentis tantum virtute Passionis operatur : si ergo susceptio aliorum sacramentorum quantum

[1] S. AUGUSTINUS, De remedio pœnitentiæ. Cf. De consec. dist. II, cap. *Quomodo* (Nota edit. Lugd.)

[2] IDEM, De sacramentis fidelium.

est de se semper est spiritualis, multo magis erit semper spiritualis susceptio Eucharistiæ : et sic nulla est distinctio, nisi intelligatur a parte nostra.

3. Item, Operatio sacramenti distinguitur ab operatione virtutis et gratiæ : quia in sacramentis in elemento corporali divina virtus secretius operatur salutem : ergo nisi præcedat operatio alicujus elementi corporalis, non contingit venire ad effectum spiritualem : ergo videtur, quod spiritualis modus sumendi numquam distinguatur a sacramentali.

4. Item, In baptismo licet fictus accedat, non tamen dicimus quod nihil accipiat de spiritu : quia accipit characterem : ergo multo magis ita erit in sacramento Eucharistiæ : ergo qui manducat sacramentaliter, manducat spiritualiter : et ita manducatio sacramentalis non distinguitur a spirituali : et sic iterum ibi videtur a parte nostra evacuari distinctio.

5. Item, In *Littera* habetur ab Augustino : «Ut quid paras dentem et ventrem? « crede, et manducasti. » Ergo iste cibus non transit in corpus. Ergo non est elementi corporalis. Cum igitur in omnibus sumentibus sit aliquis cibus, oportet quod sit in omnibus spiritualis : ergo spiritualiter sumere numquam separatur a sacramentali sumptione : ergo nulla est distinctio.

6. Item, Si est aliquis modus sumendi sacramentaliter tantum, hoc erit ratione alicujus quod fit in sacramento : aut igitur ratione accidentium, et tunc etiam verius sumeret sacramentaliter qui sumeret accidentia : aut ratione veritatis corporis Christi sumpti, et tunc aut veritas corporis transit in ventrem, aut in mentem : non in ventrem, quia hoc negatur in *Littera* : ergo in mentem : ergo menti unitur, vel mens unitur corpori Christi, et hoc est spiritualiter sumere : ergo sumens sacramentaliter, sumit spiritualiter, ut videtur : et sic nihil valet distinctio.

7. Si forte dicatur, sicut quidam hoc evadunt, quod spiritualiter sumere est Christo spiritualiter uniri, et in Christo manere. Contra : Uniri Christo non est actus sacramenti : ergo uniri Christo non est sumere sacramentum spiritualiter. Probatio primæ est : quia ante institutionem hujus sacramenti uniebantur fideles Christo et corpori mystico.

8. Item, Charitas Dei et proximi unit Deo et proximo : non tamen omnis habens charitatem sumit rem sacramentalem spiritualiter : ergo videtur, quod ista solutio non est vera.

9. Item, Licet gratia sit res sacramenti spiritualis, non tamen quæcumque gratia, sed illa quæ proprie operatur in sacramentis : effectus autem proprius alicujus rei numquam habetur, illa re non habita : ergo numquam habetur effectus sacramenti hujus proprius nisi ipso sacramento percepto.

Solutio. Dicendum videtur sine præjudicio, quod isti modi distincti sunt quandoque, et quandoque conjuncti. Distincti sunt quando fit perceptio veri corporis Christi sine effectu gratiæ interioris, sed potius nocumenti spiritualis, sicut dicitur in *Littera* in secunda parte distinctionis, quod qui indignus accipit hoc sacramentum, acquirit sibi magnum tormentum. Et iterum, quod bonum malum est, dum male sumitur bonum : et talis modus sacramentalis sumptionis divisus est a spirituali. Econtra quidam sunt per memoriam vel habitudinem passionis Christi et sacrificii spiritualis se unientes Christo capiti, et illi sumunt spiritualiter, et non sacramentaliter.

Dicendum ergo videtur ad primum, quod ista distinctio non est tantum a parte nostra, sed etiam a parte sacramenti : quia sacramentum duplicem habet rem contentam : unam ex vi consecrationis, quæ est corpus Christi verum quod conficitur extra nos. Aliam habet rem contentam, sicut causa continet in se virtute causatum : et illa est gratia ex parte nostra : et sic non est in aliis sa-

crementis quæ non habent rem contentam, nisi sicut in nobis causatam : et ideo in illis non est distinctio duplicis modi sicut in isto. Tamen hoc videtur concedendum, quod licet habeat duplicem rem, ut dictum est, quod tamen non impeditur ab altera illarum quam causare debet in nobis, nisi ex parte nostra.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod Christus per seipsum in triplici substantia est res contenta in Eucharistia virtute consecrationis, et non est ex suo defectu, quod non inducitur ulterior res spiritualis, sed potius ex defectu nostro : sed tamen quia una harum rerum non dicit aliquid in nobis, nec efficitur in nobis, sed extra nos virtute consecrationis in sacramento, alia autem in spiritu nostro spiritualiter efficitur : ideo discretionis ratio est ex parte rei hujus sacramenti aliquo modo, ut dictum est.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod sine dubio illud argumentum plus habet de probabilitate, quam alia : tamen sine præjudicio dici potest, quod illa objectio teneret bene in aliis sacramentis, et præcipue in illis quæ imprimunt characterem : licet enim aliquid suppleat locum sacramenti, tamen aliquis effectus adeo proprius est sacramento, quod non efficitur nisi a sacramento : sed in Eucharistia modus sumendi sacramentalis totus refertur ad spiritualem, et est propter illum : et ideo spiritualis etiam per se operari potest eamdem gratiam, licet præsentia Christi in sacramento aliquam ferat delectationem quam non habet in se spiritualis modus manducandi.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod secus est in baptismo, et in isto : quia baptismus specialem et principalem ordinem habet contra originale quod est ab alio contractum, et ponit hominem in statu fidei qui status est circa fidem informem et formatam, sicut dictum est supra [1] in quæstione de *charactere* : et ideo fictus recipit characterem apud se manentem. In isto autem recipit verum corpus Christi : eo quod istud non causatur in suscipiente, sed extra : et ideo inidoneitas suscipientis illud non potest impedire.

Ad 5. Ad aliud dicendum, quod Augustinus loquitur ibi de incorporatione et unione per incorporationem, et non de præsentia veritatis corporis Christi : tamen postea erit quæstio de hoc suo loco. Unde puto esse concedendum, quod verum corpus Christi transit in omnem locum, in quem transeunt species, manente specie panis et vini.

Ad 6. Ad aliud dicendum, quod sacramentalis modus sumendi dicitur ratione præsentiæ veritatis corporis Christi in sacramento, et bene concedo, quod non transit in mentem : quia Christus homo non illabitur menti : et quod objicitur de transitu in ventrem, jam solutum est.

Ad 7, 8 et 9. Ad alia dicendum, quod spiritualiter sumere est Christo uniri per spiritualem effectum hujus sacramenti : et hunc quidem non habuit sacramentum antequam esset sacramentum, sed unio qua uniebantur fideles, fuit unio charitatis et fidei: postquam tamen sacramentum est, potest per meditationem et devotionem in anima fieri res sacramentalis, quam Christus operatur spiritualiter conjunctus, eo quod gratiam suam (ut dictum est in principio hujus libri) non alligavit sacramentis. Alii dicunt aliter, et forte melius, quod scilicet res sacramenti et unio dupliciter fit, scilicet gratia sacramentali, et hanc non habet nisi digne sumens sacramentum : et sic etiam fieri potest in aliquo supplente vim sacramenti, sicut martyrium et pœnitentia supplent vicem baptismi quandoque: et hoc modo rem hujus sacramenti suscipiunt fideles per devotionem et amorem capitis et membrorum.

Et per hoc patet etiam solutio ad sequens, et ad ultimum.

[1] Cf. Supra, Dist. VI, Art. 3 et seq.

ARTICULUS II.

An sit aliquis modus spiritualis sumendi Eucharistiam ? et, Quid sit in tali modo unde dicitur manducatio ?

Secundo, Quæritur præcipue de illo modo qui dicitur *spiritualis*. Iste enim nullus esse videtur.

1. Licet enim dicatur a Sanctis et Magistris, quod aliqua suppleant locum alicujus sacramenti quantum ad aliquid : non tamen conceditur, quod sacramentum istud in illis percipitur : baptismum enim nullus percipit in pœnitentia, nec in martyrio : ergo videtur, quod res hujus sacramenti similiter numquam percipiatur, nisi per actum sacramenti, licet aliquid loco ejus percipi possit.

2. Item, Licet pœnitentia suppleat locum baptismi, non tamen possum dicere, quod pœnitens baptizatus est. Cum igitur proprius actus hujus sacramenti quod est panis vitæ, sit manducari sacramentaliter, sicut baptismi baptizari, videtur quod propter nullam devotionem debet concedi, quod aliquis manducet spiritualiter : cum tamen dicatur contrarium in secundo capitulo hujus distinctionis.

3. Item, Per corporalia venitur ad spiritualia in rebus sacramentalibus : ergo ubi non præcessit corporale, numquam est invenire spirituale proprium istius sacramenti, ut videtur.

4. Item, Spiritualis modus manducandi, aut operatur omnino idem quod sacramentalis, aut minus operatur. Si omnino idem : cum ergo nobilius sit uno aliquid facere quam duobus, videtur quod spiritualis modus sit supervacuus. Si autem operatur minus aliquid quam ille : ergo non est modus sacramenti, sed alicujus quod supplet vicem ejus.

Præterea quæritur ulterius, Quid sit in spirituali modo manducationis, ratione cujus dicatur *manducatio* ? Quæst

Videtur autem, quod nihil : quia

1. In manducatione corporali sunt quatuor, scilicet cibi divisio, et trajectio cibi in locum digestionis, et digestio, et unio sive incorporatio : nihil autem horum fit in spirituali manducatione Christi : Christus enim non dividitur, nec transit ad locum digestionis, nec digeritur, nec incorporatur, sed potius nos sibi incorporat : ergo videtur, quod spiritualis manducatio non est susceptio corporis Christi.

2. Item, Manducatio spiritualis, aut fit qualibet devotione, aut quolibet actu charitatis, aut quibusdam actibus spiritualibus. Si dicatur, quod qualibet devotione fiat, et quolibet actu charitatis : tunc sequitur, quod hæc manducatio fuit ab initio mundi, et fuit antequam esset sacramentum : quod non potest esse : quia cum modis percipiendi rem sacramenti sit post sacramentum, non potuit esse modus percipiendi Eucharistiam spiritualiter, nisi post sacramentum Eucharistiæ. Si autem est aliquis spiritualis actus et modus devotionis et charitatis, quæratur quis sit actus ille ? Et si dicatur, quod hoc est charitate offerentis pro nobis pretium mundi in caput Christum et in membra, videtur quod hoc ab initio fuit mundi : ergo perceptio corporis Christi spiritualis fuit ab initio mundi, quod videtur absurdum.

Solutio. Hic multi multa dixerunt : sed videtur mihi sine præjudicio dicendum, quod triplex est modus spiritualis manducationis : unus est communis, scilicet participatio effectus sacramenti in genere, et non ex eadem causa, ut participatio incorporationis corporis Christi mystici et capitis Christi non ex sacramento, sed ex fide et charitate capitis et membrorum. Et hoc modo ab initio fidelium percipiebatur, et percipietur. Secundo modo magis proprie, scilicet gu- Solutio.

stus dulcedinis gratiæ communionis corporis per meditationem et devotionem eorum quorum signum est Eucharistia. Et hoc modo etiam percipitur gratia sacramentalis, non ex eadem causa sacramenti, sed ex alia, quia videlicet habet vim ejus. Et hoc modo non percipiebatur spiritualiter ante sacramentum, nisi alicui esset revelatus ritus et significatio sacramenti. Tertio propriissime, scilicet perceptio gratiæ communionis corporis mystici, et ex propria causa sacramentali. Et hæc manducatio spiritualis numquam separatur a sacramentali : quia hoc modo spirituale accipitur in sacramento, sicut in vase medicina, et causatum in causa.

Ad 1 et 2. Dicendum ergo ad primum, quod bene concedendum videtur, quod in talibus non est perceptio rei sacramentalis proprie loquendo, sed communiter.

Et hoc modo, videtur esse dicendum ad secundum.

Ad 3. Ad tertium dicendum, quod si spirituale accipiatur spirituale sacramenti ut sacramenti, tunc videtur mihi, quod procedit objectio. Si autem communiter vel secundo modo, tunc patet quod non valet.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod non omnino operatur idem, ut jam patuit : et ideo non sine causa sumitur sacramentum, sed potius cum maxima utilitate.

Ad quæst. Ad 1. Ad id quod ulterius quæritur, dicendum quod illa quæ sunt in spirituali manducatione, aliquo modo sunt similia illis quæ sunt in manducatione corporali, sed non omnino : quotiescumque enim duo uniuntur, ita quod alterum debet mutari ad reliquum, tunc potentius mutat ad se id quod est debilius. Unde cum cibus iste sit potentioris virtutis, quam ipsum manducantes, iste cibus manducantes mutat ad se, sicut dictum est Augustino : « Non tu me mutabis in te sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me. » Alia etiam ratio hujus est : quia si mutaretur ad nos cibus iste, nihil nobis prodesset : quia nos nihil sumus nisi per ipsum : et ideo secundum ordinem gratiæ oportuit ut nos mutaremur in eum. Unde divisio quæ est in manducatione corporali, non est nisi referatur ad species : de quo tamen infra erit tractatus [1]. Sed masticatio aliquid habet simile : sicut enim crebro redeunt dentes super id quod masticatur, ita meditatio frequenti actu discretionis hujus cibi et memoria Passionis operatur aliquid in spirituali manducatione. Trajectio autem cibi ad locum digestionis, non habet propriam similitudinem : sed digestio, quæ secundum Philosophum est completio a naturali et proprio calore ex contrariantibus passionibus, refertur ad nos : quia nos quasi digerimur charitate, et complemur : et separatur in nobis impurum a puro : et tunc sequitur unio ut uniamur cibo quem sumimus.

Sed contra objicitur : quia videtur alicui ex hoc quod frequenter debet masticari cibus iste, cum hic videatur esse periculum propter rimas dentium in quibus potest aliquid de speciebus adhærere.

Solutio. Ad hoc dicendum, quod non oportet propter hoc frequentius masticari, sed potius frangi habet per linguam, et degluttiri : sed tamen ex hoc quod masticabiles sunt species, si non esset periculum, satis veniret in memoriam Passionis et charitatis Christi qua dilexit nos cum semetipsum dedit pro nobis.

Ad ultimum patet solutio per distinctionem in principio solutionis positam. Ad 2.

[1] Cf. Infra, Dist. XII.

ARTICULUS III.

Quare tantum duo sunt modi manducandi prædicti, et penes quid differant?

Tertio, Quæritur de numero horum duorum.

Videtur enim, quod plures sunt quam duo.

1. In sacramento enim sunt tria, scilicet unum quod est sacramentum tantum, alterum quod est res et sacramentum, et tertium quod est res tantum : ergo his tribus videntur respondere tres modi manducandi : ergo sunt tres, et non duo.

2. Item, Indigne sumens est duobus modis, scilicet nec fidem habens nec charitatem : et habens fidem informem, sed non charitatem : ergo videtur, quod utrique respondet modus spiritualis : constat autem, quod non sumunt tales spiritualiter : ergo duo sunt modi sacramentales.

3. Item, Istud dicitur sacramentum charitatis : ergo videtur, quod ad minus spiritualis modus debeat esse distinctus secundum status charitatis : sunt autem tres status charitatis, scilicet incipiens, proficiens, et perfectus : ergo spiritualis modus sumendi videtur debere distingui penes hæc tria.

4. Item, In aliis sacramentis non distinguitur nisi duplex modus sumendi penes fictum, et non fictum : ergo nec in isto debet fieri distinctio nisi penes hoc, ut videtur : ergo non debet distingui sic, sacramentaliter, et spiritualiter : sed quidam sumunt ficti, quidam non ficti.

Solutio. Solutio. Dicendum, quod duo sunt modi distincti a Sanctis, ut habetur in *Littera*, et sumuntur penes duplicem rem sacramenti, quarum unam continet ex vi consecrationis, et alteram in nobis causat ex eo quod confert gratiam sicut alia sacramenta novæ legis : et ideo patet penes quid sumatur numerus horum modorum.

Ad primum ergo dicendum, quod penes id quod est sacramentum tantum, nullus sumitur modus : quia hic non habet rationem cibi, sed potius est in usu ostensionis et significationis cibi quem continet. Ad

Ad aliud dicendum, quod meo judicio, non habens fidem informem, nec sacramentaliter, nec spiritualiter manducat, nisi in potentia : tamen de hoc erit quæstio infra. Et ideo cum nullo motu fidei a speciebus ad rem moveatur, videtur quod non manducat sacramentaliter, et tamen manducat sacramentum : vel ut omnis cavillatio præveniatur, dicatur quod sumere sive manducare sacramentaliter dicitur duobus modis. Primo modo ita quod ly *sacramentaliter* dicat modum cibi : et sic manducare sacramentaliter est manducare sacramentum : et hoc modo non quæritur hic de modo manducandi. Secundo modo potest dicere modum manducantis sive sumentis : et hoc modo non sumit sacramentaliter infidelis, qui nullo motu fidei movetur. Meo autem judicio ad hoc quod manducet spiritualiter sive sumat, oportet ut modum dicat ex parte sumentis. Ad

Ad aliud dicendum, quod ista distinctio est penes modos sumendi aliquo modo corpus Christi in genere : non tamen negatur quin multi sint modi particulares quibus unus gratiam percipit majorem, alter minorem, secundum quod diversimode parati accedunt.

Ad aliud dicendum, quod solutio illius jam habita est in præmissis : quia in isto sacramento una est res extra, et alia intra animam : et ideo ratio distinctionis oritur ex his quæ sunt in sacramento, et patuit supra, quod sic non est in aliis sacramentis.

ARTICULUS IV.

Qualis unio requiratur ut aliquis manducet corpus Christi sive spiritualiter sive sacramentaliter ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, A, circa initium : « *Spiritualiter enim manducat, qui in unitate Christi et Ecclesiæ quam sacramentum significat, manet*, etc. »

Et quæritur, Cujusmodi unio exigatur ad hoc quod aliquis manducet corpus Christi sive spiritualiter, sive sacramentaliter ?

1. Est enim unio secundum contactum corporum, et secundum convenientiam naturæ Christi et hominis, et secundum conformitatem gratiæ fidei informis, et tandem iterum secundum conformitatem charitatis. Si autem prima sufficit ad sacramentaliter manducandum, tunc mus cujus corpus unitur speciebus, manducaret sacramentaliter, quod infra negabitur in *Littera*. Si autem exigatur insuper unio naturalis, id est, convenientia secundum naturam quæ possit uniri et intelligere, videtur quod quilibet etiam infidelis sumat sacramentaliter corpus Christi : quod non videtur, cum sic converteretur in derisum a Judæis et Paganis.

2. Præterea, In aliis sacramentis qui nihil credit, et protestatur se nihil credere, nec velle recipere quod recipiunt fideles, nihil omnino percipit : ergo multo magis hoc tenet in isto in quo debetur totum fidei : ergo videtur, quod nihil credens quamvis habeat naturam ordinatam ad fidem, nihil percipiat, nec sacramentaliter, nec spiritualiter. Si autem sufficit habere fidem informem : tunc sequuntur supra habita inconvenientia, scilicet quod ab initio mundi sumebatur corpus Christi.

Præterea, Videtur quod habere Christum in se manentem non sit effectus sacramenti, sed virtutis : ita enim dicit de diligente se, Joan. XIV, 23 : *Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus*. Ergo in ipso manere non est spiritualiter manducare, ut videtur.

Solutio. Solutio. Dicendum, quod si stricte sumatur spiritualis manducatio secundum distinctionem supra positam, tunc manere in Christo est in eo manere per charitatem et devotionem provenientem ex communicatione corporis Christi secundum actum vel secundum propositum et desiderium.

Et secundum hoc dicendum ad primum, quod ad sacramentalem manducationem plus exigitur quam unio corporis ad species sacramentales, et plus quam unio vel conformitas naturæ potentis intelligere significationem specierum : et puto, quod exigitur fides informis, sicut probat objectio : tamen non nego quin sit ibi corpus Christi verum, quamdiu manent species, et tamen ille non sumit vel manducat : quia sumere et manducare dicunt unionem et incorporationem manducantis ad cibum qui sumitur : et hoc nullo modo fit in infideli. Ad 2.

Ad id autem quod contra objicitur, dicendum quod licet antiqui crediderunt in venturum et incarnandum, non tamen proprie loquendo spiritualiter acceperunt : quia accipere dicit refectionem desiderii et propositi communicandi, quod non habuerunt antiqui, cum adhuc sacramentum non esset. Ad 2.

ARTICULUS V.

An corpus Christi sumptum transeat in ventrem? et Quamdiu maneat?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, A, circa medium : « *Ut quid paras dentem, et ventrem? Crede, et manducasti*, etc. »

Ex hoc enim videtur, quod

1. Iste cibus transit in ventrem : quod etiam videtur ex hoc quod habetur, Matth. xv, 17 : *Omne quod in os intrat, in ventrem vadit, et in secessum emittitur :* quod indignum est et nefas cogitare de corpore Christi.

2. Item, Sicut se habet cibus corporalis ad corpus, ita se habet cibus spiritualis ad spiritum : sed cibus corporalis intrando in corpus, reficit ipsum : ergo cibus spiritualis intrando spiritum, reficit ipsum, et ita non intrat in ventrem.

3. Item, Quod intrat ventrem, vadit ad officia ventris, quæ sunt digerere, et transmutare : sic autem non fit circa corpus Christi : ergo corpus Christi non intrat in ventrem.

Sed contra. SED CONTRA hoc videntur esse auctoritates et rationes.

1. Dicit enim Clemens Papa, et ponitur in decretis in tractatu de *consecratione*, sic, « Qui residua corporis Dominici quæ in sacramento relicta sunt consumunt, non statim ad percipiendos communes cibos conveniant, nec putent sanctæ portioni misceri cibum qui digestus per secessum emittitur. » Non autem esset ratio quare præciperet ad tempus abstinere, nisi in ventrem trajiceretur hostia : ergo vadit in ventrem.

2. Item, Ibidem, Clemens : « Si mane Dominica portio editur, usque ad sextam jejunent ministri qui eam acceperunt : si in tertia vel quarta hora acceperint, jejunent usque ad vesperam, ut sacramenta sanctificatione custodiantur sancta. » Et ex hoc accipitur idem quod prius.

3. Item, Ibidem, Beda : « Si quis per voracitatem vel ebrietatem Eucharistiam evomerit, quadraginta diebus pœniteat : clerici, vel monachi, diaconi, vel presbyteri, septuaginta. » Hoc item sine ratione diceretur, si non transiret in ventrem.

4. Item, Hugo de sancto Victore : « Quamdiu corporalis sensus afficitur, corporalis præsentia non aufertur. » Species autem in qua afficitur sensus corporalis visibiliter, per os transit in ventrem : et sic si fit vomitus, quandoque hostia vel pars ejus invenitur, et sic iste cibus transit in ventrem.

5. Item, Aut transit in ventrem, aut in mentem, Si in ventrem, habetur propositum. Si in mentem. CONTRA : Nihil illabitur animæ nisi Deus Trinitas : corpus Christi non est Deus Trinitas : ergo non transit in animam : ergo videtur, quod nihil restat nisi quod transeat in ventrem.

Quæst. JUXTA hoc ulterius quæritur, Quamdiu manet corpus Christi?

Dixerunt enim quidam, quod statim ab ore evolat : sed si hoc verum esset, cum corpus Christi non sit sub forma panis nisi ex consecratione, si aliquis removeret hostiam ab ore, non esset ibi corpus Christi : et hoc non dicitur a Magistris.

Item, Hugo vult, quod tamdiu manet præsentia corporalis, quamdiu afficitur sensus : sed sensus afficitur in re vomica : ergo in illa est præsentia corporalis.

Utrum autem animam nutriat, vel non, infra erit quæstio.

Solutio. SOLUTIO. Sine præjudicio distinguendum mihi videtur in hac quæstione : dupliciter enim aliquid in ventrem transire dicitur, et dupliciter dicitur transire in mentem : dicitur enim aliquid transire in

ventrem, transiens ad actum organorum ventris : ut scilicet digeratur in stomacho, et per meseraicas venas trahatur ad hepar, et ibi formetur in sanguinem, et in membris distribuatur, et assimiletur, et uniatur : et hoc modo corpus Christi non transit in ventrem : iste enim transitus est cibi corporalis, deperdita corporis restaurantis. Dicitur etiam transire in ventrem : quia transit in ipsum, ut qualemcumque suæ continentiæ locum : et sic videtur mihi corpus Christi transire in ventrem : quia non video rationabiliter qualiter corpus Christi non transit ad omnem locum, ad quem transeunt species panis et vini, sub quibus secundum veritatem rei continetur totus Christus. Eodem modo videtur etiam dicendum, quod dupliciter aliquid transit in mentem, scilicet quod per substantiam illabitur : et sic solus Deus Trinitas transit in mentem. Alio modo dicitur transire in mentem, cujus effectus venit in mentem per informationem perficiendo mentem ipsam : et hoc modo corpus Christi transit in mentem operando in mente gratiam sacramentalem.

Ad object. Et per hoc patet solutio ad omnia objecta : quia prima pars objectionum procedit de primo transitu in ventrem, qui non competit corpori Christi. Secunda autem pars procedit de secundo transitu : et hoc modo transit in ventrem, ut mihi videtur. Et hoc dico sine præjudicio : quia quidam Magistri dicunt oppositum. Unde propter reverentiam sacramenti injungitur pœnitentia per incuriam vomentibus Eucharistiam. Et præcipitur, ut post communionem aliquantulum jejunent, ne videantur commiscere cibum sacramentalem corporali.

Ad quæst. Ad id quod ulterius quæritur, dicendum quod Hugo dicit, « Quamdiu sensus afficitur, præsentia corporalis non auferatur, » id est, quamdiu valent discerni species, tamdiu est ibi Christus. Tamen quidam aliter dixerunt : sed eorum ratio non est probabilis.

ARTICULUS VI.

An antiqui Patres aliquo modo comederint sacramentaliter ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, A, circa finem : « *Quia illius sacramenti beneficio non privatur, quando ille habere,* etc. »

Quæritur enim hic, Utrum antiqui Patres comederint sacramentaliter aliquo modo.

Videtur autem quod sic : quia

1. Dicit Augustinus in *Littera* : « Crede, et manducasti. » Sed illi crediderunt : quia, ut idem Augustinus dicit, eadem fides fuit et est antiquorum et modernorum : tempora autem variata sunt, fides immutata permansit. Ergo manducaverunt.

2. Item, I ad Corinth. x, 3 et 4 : *Omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt, et omnes eumdem potum spiritalem biberunt (bibebant autem de spiritali, consequente eos, petra).* Ergo ad minus spiritualiter intellexerunt.

3. Item, Glossa, ibidem, « Quia visibile spiritualiter intellexerunt, spiritualiter esurierunt, spiritualiter gustaverunt, ut spiritualiter satiarentur. » Ergo videtur, quod comederunt in sacramento, quod tamen spiritualiter intellexerunt.

4. Item, Apostolus, I ad Corinth. x, 2, dicit, quod *omnes in Moyse baptizati sunt, in nube et in mari,* etc. Eodem modo et in spirituali esca, et potu spiritualiter manducaverunt Eucharistiam, et corpori et sanguini Christi communicaverunt.

5. Item, Ad manducare sacramentaliter non exigitur nisi præsentia signi, quod præter speciem quam ingerit sensibus, facit aliud in notitiam venire : et quod hoc intelligatur, antiqui Patres ta-

le signum habuerunt duplex, scilicet carnes agni, et manna : ergo videtur, quod cum intellexerint, ut dicit Glossa præhabita, quod ipsi sacramentaliter et spiritualiter manducaverunt.

Sed contra. SED CONTRA :

Nihil in sacramento sumitur nisi quod est in sacramento contentum : sed Christus in sacramentis illorum non fuit contentus : ergo non sumebatur in sacramento.

Si dicas, quod contentus fuit, ut signatum in signo, et non ut causatum in causa? CONTRA: Res signata et non causata non percipitur in sacramento : Christus erat signatus, et non contentus in sacramentis antiquorum : ergo non percipiebatur in sacramentis eorum.

Item, Probatur ex hoc quod baptismus significat ablutionem ab omni pœna per gloriam in Resurrectione : et tamen non percipitur hoc in baptismo : et sic de aliis sacramentis veteris et novæ legis.

Solutio. SOLUTIO. Sine præjudicio videtur mihi non recedendum a superiori sententia, quod proprie loquendo Patres antiqui nec sacramentaliter nec spiritualiter manducaverunt : et hoc præcipue propter rationem supra dictam : quæ est, quod modus percipiendi quamcumque rem, sequitur existentiam rei illius in se, et non præcedit eam : cum igitur constet illud sacramentum non fuisse, nisi ex quo Christus dedit discipulis corpus suum : videtur mihi, quod ante hoc nullus comedit nec sacramentalier nec spiritualiter, proprie loquendo, nisi spiritualiter manducare sumatur large, ut supra determinatum est.

Ad 1. AD ID ergo quod primo objicitur, dicendum quod si Augustinus proprie loquitur, non intelligit de fide secundum quemcumque motum, sed secundum illum quo movetur a signo memorato vel actualiter percepto ad signatum et contentum cum proposito et desiderio gustandi secundum rem incorporandi se rei contentæ : et hoc non convenit nisi post sacramenti hujus existentiam.

AD ALIUD dicendum, quod Apostolus vocat spiritualem gustum, spirituales sensus in Scripturis, et potum sapientiæ in quo intellexerunt futurum. Ad 2.

AD ALIUD dicendum, quod Glossa illa loquitur de sacramento non continente rem : sicut æquivoce dicitur *sacramentum*, ut in principio hujus libri habitum est[1]. Unde non fuit ibi gustus rei præsentis in signo continente, vel proposito, sed in fide sola : et hoc meo judicio non sufficit proprie loquendo. Ad 3.

AD ALIUD dicendum, quod nec baptizati sunt proprie loquendo : sed dicit eos baptizatos, quia in figura baptismi aliquid de efficacia futuri baptismi intellexerunt, et per devotionem remissionem peccatorum perceperunt, et non ex virtute sacramenti. Et similiter concedendum videtur, quod manducaverunt, id est, in typo Eucharistiæ futurum sacramentum intellexerunt, et ex devotione capiti Christo et membris uniti sunt : sed hoc non sufficit : quia in Novo Testamento in percipientibus sacramentum illam unionem facit sacramentum ex vi rei contentæ (alias, operatæ) et non tantum ex devotione percipientium. Ad 4.

AD ALIUD dicendum, quod hoc verum est, quod ad manducare sacramentaliter sufficit præsentia signi cum fide dirigente in signatum : sed hoc signum est significans et causans et continens : talia autem signa non fuerunt in Veteri Testamento : et ideo non perceperunt sacramentum proprie loquendo. Ad 5.

[1] Cf. Supra, Dist. I.

B. *De errore quorumdam qui dicunt a bonis tantum corpus Christi sumi.*

Hæc verba et alia hujusmodi, ubi de spirituali manducatione agitur, quidam obtuso corde legentes, erroris caligine involuti sunt adeo, ut præsumpserint dicere corpus et sanguinem Christi a bonis tantum sumi et non a malis [1]. Sed indubitanter tenendum est, a bonis sumi, non modo sacramentaliter, sed et spiritualiter : a malis vero tantum sacramentaliter, id est, sub sacramento, scilicet sub specie visibili carnem Christi de Virgine sumptam, et sanguinem pro nobis fusum sumi : sed non mysticam, quæ tantum bonorum est. Quod subditis probatur testimoniis. Gregorius : Est quidem in peccatoribus et indigne sumentibus vera Christi caro, et verus sanguis : sed essentia, non salubri efficientia [2]. Item, Augustinus [3] : Multi indigne accipiunt corpus Domini, de quibus Apostolus ait : *Qui manducat et bibit* calicem Domini *indigne, judicium sibi manducat et bibit* [4]. Per quod docemur quam sit cavendum male accipere bonum. Ecce enim factum est malum, dum male accipitur bonum, sicut econtra, Apostolo factum est bonum, cum bene accipitur malum, scilicet dum stimulus Satanæ patienter portatur. Ergo et mala prosunt bonis, sicut angelus Satanæ Paulo [5], et sancta obsunt malis : bonis sunt ad salutem, malis ad judicium. Unde *qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit* : non quia res illa mala est, sed quia malus male accipit quod bonum est. Idem [6], Indigne quis sumens corpus Christi, non efficit ut quia malus est, malum sit quod accipit : vel quia non ad salutem accipit, nil accipiat. Corpus enim et sanguis Domini nihilominus erat in illis, quibus ait Apostolus, *Qui manducat et bibit indigne,* etc. [7]. His aliisque pluribus aperte ostenditur,quod etiam a malis verum corpus Christi et sanguis sumitur, sed sacramentaliter, non spiritualiter.

[1] De consec. Dist. II, cap. *Quia passus* (Nota edit. Lugd.)
[2] S. Gregorius, Lib. IV Dialogorum.
[3] S. Augustinus, Tract. 26 super Joannem.
[4] I ad Corinth. xi, 29.
[5] II ad Corinth. xii, 7.
[6] S. Augustinus, Tract. 26 super Joannem.
[7] I ad Corinth. xi, 29.

DIVISIO TEXTUS.

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, « *Hæc verba et alia hujusmodi*, etc. »

Tangit enim Magister duos errores, quorum primum determinat in hac distinctione, reliquum autem in sequenti distinctione, quæ incipit ibi, Dist. X, A, « *Sunt item alii præcedentium insaniam transcendentes*, etc. »

Primus est, quod mali non recipiunt corpus Christi : et hunc destruit in *Littera*, et solvit auctoritates præstantes occasionem errandi, sicut patet in *Littera*.

Utiliter autem quæruntur hic quinque : quorum primum est, An mali aliquid accipiant accedentes ad corpus Christi ? et hæc est quæstio *Litteræ*.

Secundum, Utrum recipiant ad suam damnationem, vel sine peccato ?

Tertium, Utrum mali recipientes Eucharistiam plus peccent sumendo corpus Domini, quam alio peccato peccando ?

Quartum, Utrum pollutus nocturna pollutione, vel dormiens cum propria uxore, possit percipere corpus Christi ?

Quintum et ultimum, Utrum fœditas corporalis, ut menstruum vel fluxus seminis, impediat a perceptione corporis Christi, sicut quidam dicere videntur ?

ARTICULUS VII.

An mali accedentes, aliquid accipiant corporis Christi ? et, Quomodo maneat in ipsis corpus Christi ?

AD PRIMUM autem horum objicitur sic :

1. Major est disconvenientia Christi ad peccatum, quam ad corpus : sed non transit in corpus, ut habitum est supra : ergo non transit in animam peccatricem : ergo nihil percipit in sacramento : quia statim evolat, ut dicunt quidam.

2. Item, Sapient. I, 5 : *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum* : non est autem minoris sanctitatis Christus quam Spiritus sanctus : ergo etiam Christus effugiet eum : ergo malus nihil percipit de Christo in sacramento.

3. Item, Sapient. I, 4 : *In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Ergo nec in corpore nec in anima peccatoris remanet Christus : ergo discedit ab utroque : ergo nihil percipit quando accedit.

4. Item, Res hujus sacramenti excedit rem aliorum sacramentorum, ut dicitur in *Littera*, quia hic totus Christus sumitur et in aliis sacramentis percipitur secundum effectum gratiæ : ergo minus videtur, quod res aliorum sacramentorum discedant a peccatore, quam res hujus sacramenti : et discedunt, quia nihil de re aliorum sacramentorum percipit : ergo et ab isto discedit : ergo nihil percipitur a malis nisi tantum species exterior.

5. Item, Indecens et nocivum non est opus sapientis : sed indecens est sapientem esse in loco non competenti sibi : ergo et nocivum si præsentia sua nocet et non prodest : si ergo hoc non facit sapiens, multo minus facit hoc sapientissimus Dominus Jesus Christus : sed indecentissimus locus est peccator, et iterum præsentia sua noceret ei qui percipit : ergo videtur, quod subtrahit se, et non percipitur a peccatore.

6. Item, Quod datum est ad peccati deletionem, non debet augere peccatum : perceptio autem Christi in sacramento ad deletionem peccati inventa est : ergo non augebit : augeret autem si maneret : ergo videtur, quod Christus in speciebus non manet quando percipiuntur a peccatore.

7. Item, Minor est disconvenientia Christi ad creaturam irrationalem quam ipse creavit, quam ad peccatorem : sed non dicimus, quod brutum percipiat ipsum in sacramento : ergo multo minus

percipit ipsum in sacramento peccator.

8. Item, Psal. XLIX, 16 : *Peccatori autem dixit Deus : Quare tu enarras justitias meas? et assumis testamentum meum per os tuum?* Sed minor est laus Christi quam ipse Christus. Si ergo aufert laudem suam ab ore peccatoris, multo magis aufert seipsum.

9. Item, Exod. XVI, 20, dicitur, quod qui contra præceptum Domini die non debita, vel quantitate non debita, collegit manna, quod computruit et scaturivit vermibus : ergo multo magis hoc erit verum de sacramento Eucharistiæ, quod incomparabiliter majoris sanctitatis est : ergo accipiens indigne, nihil accepit: sicut accipiens putridum manna vel scatens vermibus, non accipiebat manna.

Verum istæ rationes et consimiles occasionaverunt errorem qui inducitur in *Littera*, et auctoritates quas Magister apponit et exponit.

Sed contra. SED CONTRA :

1. Dicit Hugo, quod quamdiu sensus corporalis afficitur, præsentia corporalis non tollitur : sed in ore peccatoris sensus corporalis afficitur manentibus speciebus : ergo non tollitur præsentia corporalis.

2. Item, Si peccatum percipientis fugit Deus, tunc multo magis peccatum fugit conficientis et consecrantis : ergo secundum hoc mali sacerdotes non possent conficere corpus Christi, quod est falsum.

3. Item, Cum nemo sciat, utrum odio vel amore dignus sit[1], nemo sciret secundum hoc, utrum perciperet sacramentum vel non : et sic generaretur maxima dubitatio circa id quod præcipuum est in fide, quod stultum est dicere.

4. Item, Quæ esset ratio, quod recederet? peccatum enim percipientis non incidit in Christum, et non est alia causa : ergo non evolat a speciebus, ut quidam minus caute dixerunt quandoque.

Solutio. SOLUTIO. Absque omni ambiguitate tenendum et sentiendum est, quod mali accipiunt in sacramento verum corpus Christi, quod de Virgine traxit, et quod in cruce pependit, et non evolat nisi quando de speciebus panis et vini nihil amplius manet, sed quando totum transivit in alium humorem quod erat in speciebus, scilicet color, sapor, quantitas. et sic de aliis : tunc enim sensus qui speciebus afficiebatur, desinit, et tunc præsentia corporalis desinit, ut dicit Hugo.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod Christus non transit a corpore percipientis, sed non transit in corpus. Aliud enim est a corpore, et aliud in corpus transire : et bene concedo, quod non transit in animam per gratiam, tamen habetur præsentia sui in sacramento : quamdiu species sacramentales sunt in corpore percipientis. Ad 1.

AD ALIUD dicendum, quod Christus effugit fictum quoad inhabitationem per gratiam, et ita intelligitur illud verbum ; sed propter efficaciam sacramenti non effugit sacramentum in quocumque sit loco, quia sacramentum semper retinet propriam sanctitatem, et immunditia loci in quo est sacramentum, non abolet eam. Ad 2.

AD ALIUD dicendum, quod hoc etiam intelligitur per inhabitantem gratiam, et non de recessu Christi a speciebus sacramenti. Ad 3.

AD ALIUD dicendum, quod res hujus sacramenti rem aliorum excedit : tamen non est simile : quia locus rei sacramentorum aliorum est anima suscipientis : et ideo non fit res in anima habente contrarietatem ad rem aliorum sacramentorum : sed locus rei hujus sacramenti, non est in anima, sed potius species sacramentales : et ideo illis formis manentibus, ubicumque sint, est in eis Christus. Habet tamen hoc sacramentum etiam aliam rem, ut supra dictum est : et hæc non est in peccatore, quia illa est gratia. Ad 4.

AD ALIUD dicendum, quod illud non est indecens nec nocivum nisi per accidens : Ad 5.

[1] Eccle. IX, 1 : *Nescit homo utrum amore an odio dignus sit.*

indecens non est : quia jam ostensum est, quod locus Christi non est anima peccatoris, sed species sanctissimorum symbolorum in quibus percipitur Christus : quod autem species sit in hoc loco vel in illo, fit ab ordinatione usus sacramenti, qui præsto est omnibus. Et in hoc consideratur magna benignitas Domini, communiter sacramentum suum omnibus concedentis ad usum. Quod autem nocet, hoc est per accidens, in quantum sibi aliquis præstat causam nocumenti : sicut etiam est de cibo corporali, qui sumitur ad utilitatem : si autem sumpto cibo sumat aliquid quod non permittit cibum digeri vel emitti, putrescit cibus, et læditur corpus.

Ad 6. Ad aliud dicendum, quod sacramentum de se semper valet contra peccatum : et si nocet, hoc est ex causa suscipientis, ut jam dictum est.

Ad 7. Ad aliud dicendum, quod secundum aliquid est major convenientia in illa proportione, secundum aliquid est minor. Si enim comparatur natura ad naturam, major est convenientia hominis peccatoris cum Deo, et sacramentis, quam bruti : quia brutum in signis sacramentalibus nihil suspicit seu percipit, nec intelligit : sed homo etiam peccator ad minus ratione movetur et fide ex signo in signatum. Si autem attenditur inidoneitas quæ est ex parte peccati, tunc major est disconvenientia : sed hoc non impedit, quia non attingit ad Christum cujus locus proprius est non anima suscipientis in peccato, sed potius species sacramentales : sed bene impedit effectum gratiæ, quia locus gratiæ est anima, quæ peccato informata non est susceptibilis gratiæ.

Ad 8. Ad aliud dicendum, quod non est simile de laude et corpore Christi in sacramento : quia cum laus sit præconium virtutis alicujus, aliquid est nostrum : actus enim præconii elicitur a libero arbitrio : et ex parte illa potest esse fœda in ore peccatoris : sed de sacramento nihil est nostrum, sed totum est virtutis divinæ : et ideo a nullo tollitur, sed in omnibus in communi datur usus : ipsi autem videant qualiter utantur.

Ad ultimum dicendum, quod manna non continebat Christum : unde putrefactio mannatis significat nocumentum quod nos facimus nobis, Eucharistiam indigne percipiendo, et non significat corruptionem Christi. Ad 9

ARTICULUS VIII.

An mali percipiant corpus Christi ?

Secundo quæritur, An mali corpus Christi percipiant ad suam damnationem ?

Videtur autem, quod non :

1. Ponamus enim, quod aliquis sit in peccato mortali, et ignoret illud, hoc enim possibile est. Inde sic procedo : Ignorans morbum minus dispositus est ad sanitatem, quam sciens morbum suum : ergo a quo non prohibetur ignorans, ab eodem multo magis non prohibetur sciens : sed ignoranter in peccato mortali existens, non prohibetur : ergo nec scienter existens in peccato a corpore Christi prohiberi debet.

2. Item, Glossa super epistolam ad Roman. II, 4 : « Gravissime peccas, quia ignoras. » Ergo ignorantia potius facit ad peccati aggravationem, quam ad medicinam : ergo iterum a quo arcetur ignorans, non debet arceri sciens.

3. Item, Dato etiam, quod ignorantia excuset a tanto, et non a toto, sicut ab omnibus dicitur, et scientia aggravet : non se habebunt scientia et ignorantia ad peccatum, nisi sicut circumstantiæ : ergo per ipsas non distabit peccatum a peccato in infinitum, sicut differunt veniale et mortale. Si ergo in aliquo casu ignorans non arcetur a communione, in eodem peccato non debet prohiberi sciens, ut videtur.

4. Item, Alia via videtur concludi idem : quia quanto aliquis plus infirmatur, tanto magis opus habet medicina, et propter infirmitatem corporis a medicina non arcetur : ergo similiter fit de medicina spirituali, magis ægrotus in peccato præcipue debet uti medicina : ergo præcipue debet uti communione in qua continetur similis medicina.

5. Item, Augustinus facit divisionem bonorum scilicet in summa, quibus recte vivitur, et quibus nemo male utitur : et in media sine quibus recte vivi non potest, quibus tamen male uti potest : et in infima, sine quibus recte vivi potest, quibus tamen bene uti potest. Et exemplum primi dat virtutes, secundi vires animæ rationalis, tertii autem species quorumlibet corporum. Cum corpus Christi non possit esse nisi de primis bonis, eo quod ipsum non est inferius aliquo bono creator, videtur quod corpore Christi nullus male uti potest : ergo nec peccator : quo autem quis bene utitur, eo non peccat : ergo peccator non peccat, sumendo corpus Christi.

6. Item, Major est divinitas Christi, quam corpus ejus vel humanitas ipsius : sed a deitatis accessu non prohibetur, sed potius monetur ad hoc : nec etiam ipsa deitas se subtrahit ei, imo continet eum, et in eo est, ut prius, essentialiter, præsentialiter, et potentialiter : ergo videtur, quod multo minus arcendus sit a communione corporis et sanguinis Christi.

7. Item, Si propter peecatum aliquis arcetur a communione, tunc videtur sequi, quod nullo modo homo permittendus sit communicare : quia sicut dicitur, Eccle. IX, 1 : *Nescit homo utrum amore an odio dignus sit.* Ergo dubitat : dubius autem non se debet committere discrimini : ergo non debet communicare, quod nullus dicit : ergo nec peccator aliquis est a communione arcendus.

8. Item, Ad idem objicitur alio modo sic : Qui indigne accedit, indignus accedit, et non convertitur : ergo indignum accedere sequitur ad indigne acedere : in talibus autem accidens quod sequitur ad antecedens, sequitur ad consequens, præcipue in accidentibus individuis : sicut si homo est albus, animal est album : ergo si accedens indigne, peccat mortaliter : et indignus accedens, peccat mortaliter : sed hoc est falsum : quia secundum hoc ignoranter accedens in peccato mortali, peccat mortaliter : ergo et hoc falsum, quod indigne accedens peccat mortaliter.

9. Item, Album et non apparens verius participat albedinem, quam apparens album et non existens : credens autem se in mortali peccato esse, non autem existens, et existens in peccato, nec tamen credens se esse, habent se sicut in veritate album non apparens, et apparens album non autem existens : ergo cum verius sit in peccato existens et non credens, quam credens et non existens : et cum existens et non credens non arceatur, videtur quod credens et non existens non arceri debet : et sic nullus accedendo fit indignus : et sic nullus arcendus esset, ut videtur.

SED CONTRA : Sed contra.

1. Qui indigne accedit, indignus accedit, sed non convertitur : ergo cum opposito antecedentis verificatur consequens : ergo aliquis accedit indignus, et non indigne : hoc autem non potest esse nisi non habens conscientiam peccati, et tamen existens in peccato : ergo talis non est arcendus a communione, cum tamen indigne accedens arcendus sit.

2. Item, Peccaret graviter, qui corpus Christi projiceret in lutum : ergo cum vilius lutum sit spirituale quam corporale, multo magis peccat projiciens in latrinam spiritualem quam corporalem : latrina autem spiritualis est peccator non pœnitens : ergo talis peccat sumendo Eucharistiam.

3. Item, Existens in peccato mortali scienter, et non pœnitens, etiam prohibetur a contactu altaris : ergo multo magis arcendus est a communione corporis et sanguinis Domini.

4. Item, Joan. XIII, 27, de Juda dicitur, quod erat in proposito peccandi, *et post buccellam, introivit in eum Satanas :* ergo communio auxit in eo peccatum : ergo non debet communicare.

5. Item, Luc. XVIII, 13, laudatur Publicamus, quia *nolebat nec oculos ad cœlum levare :* ergo multo magis laudaretur si non communicaret : quia in infinitum majoris dignitatis est corpus Christi quam cœlum : et tamen ille Publicanus fuit pœnitens : ergo multo magis si debet abstrahere peccator non pœnitens a communione.

Quæst. JUXTA hoc ulterius quæritur de eo cujus peccatum est occultum, et non habet gratiam ut proponat dimittere, utrum in Pascha debeat communicare ?

Videtur, quod sic : quia

1. Cum præceptum sit omnibus fidelibus communicare, tunc etiam facere confessionem tenetur et communicare iste, et scandalizat Ecclesiam si non communicat : tenetur autem non scandalizare : ergo tenetur communicare, ut videtur.

2. Item, Si non communicat, per hoc proditur peccatum suum, et efficitur infamis. Dicit autem Hieronymus, quod crudelis est qui famam negligit : ergo cum non possit retinere famam nisi communicando, videtur quod debeat communicare.

3. Item, Habens peccatum non notorium potest prædicare si sit necesse, et alios quosdam spirituales actus facere : ergo a simili videtur etiam, quod communicare.

Sed contra. SED CONTRA :

1. Peccatum Judæ fuit notorium, et tamen dicitur, quod *post buccellam, introivit in eam Satanas :* ergo communicans in peccato occulto peccat mortaliter, ut videtur.

2. Item, I ad Corinth. x, 21 : *Non potestis mensæ Domini participes esse et mensæ dæmoniorum.* Peccator autem occultus particeps est mensæ dæmoniorum. Ergo non debet participare mensæ Domini.

Solut. SOLUTIO. Dicendum, quod existens in peccato mortali et scienter, non debet communicare aliqua ratione, etiamsi per excommunicationem cogeretur : quia indignus est et indigne accedit, ut Judas : et hoc satis confirmatur ex duobus verbis, I ad Corinth. XI, 29, ubi in uno loco dicit : *Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit.* Et in alio loco dicit, ℣. 27 : *Reus erit corporis et sanguinis Domini.* Et Glossa distinguit ibi triplicem indignitatem, scilicet quod indignus est qui non credit : aut qui aliter celebrat sacramentaliter, quam institutum sit : aut qui indevotus accedit.

Et accipitur numerus harum indignitatum sic : Duo sunt quæ faciunt dignum, et tertium est effectus utriusque. Primum est fides, quæ est fundamentum ædificii spiritualis : et a privatione hujus sumitur indignitas prima. Secundum est charitas operosa et implens legem. Ad Roman. XIII, 10 : *Plenitudo legis est dilectio.* Et ab hujus privatione sumitur indignitas tertia, quæ est cum aliquis indevotus accedit : indevotio enim ponit hic remorsum conscientiæ ex peccato existente vel credito in conscientia cum proposito non recedendi a peccato illo. Tertium quod est effectus utriusque, est unio et consensus cum corpore Christi mystico : qui enim communicat, communis est, et a communione capitis accipit refectionem : et a privatione hujus sumitur secunda indignitas, quæ est in schismaticis, qui non servant ritum statutum in sacramentis celebrandis a Domino et ab Ecclesia.

His habitis,

DICENDUM ad primum, quod ignorantia duplex est, ut dictum est in libro secundo *Sententiarum* [1], universalis, et parti-

[1] Cf. II Sententiarum, Dist. XXII. Tom. XXVII hujusce novæ editionis.

cularis : sive juris, et facti. Ignorantia autem particularis excusat a toto, et talis est in eo qui sentit quod peccavit, recogitando annos suos in amaritudine animæ suæ, et aliquid remansit oblitum, quod tamen forte si recoleret non dimitteret : objectio autem procedit de ignorantia juris, et ideo non valet. Vel dicatur melius, quod licet ignorans existens in peccato minus sit dispositus ad sanitatem, magis tamen idoneus est ad actum communicandi, propterea quod non contemnit, sed credens se esse contemnit : et ideo eo ipso efficitur indignus.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod gravissime, id est, periculosissime peccat ignorans : quia non quærit medicum : sed tamen contemptus non est par, quia in ignorante nullus est, sed in opinante magnus contemptus est.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod scientia et ignorantia secundum se considerata, non faciunt istam differentiam peccatorum : sed potius contemptus adjunctus scientiæ, qui est novum genus peccati : et ideo non attribuitur hoc scientiæ nisi per accidens.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod etiam illud in simili falsum est : quia tanta potest esse vis morbi, quod non datur medicina purgativa, sed tantum præservatur ab omnibus natura nociyis, et confortatur ad pugnam morbi sustinendam : et ita fit peccatori : consulitur enim peccatori, quod abstineat ab omnibus peccatis, vel saltem quibusdam, et faciat interim quidquid boni potest, ut Deus cor suum illustret.

Adhuc autem, Etiamsi sic esset de morbo corporali, non tamen oporteret, quod sic omnino esset de morbo spirituali : quia non omnino se habet medicina ad morbum spiritualem, sicut se habet ad morbum corporalem : et hoc quidem a principio libri determinatum est : quia spiritualis operatur tantum voluntate, corporalis autem necessitate cum natura. Et ideo accipiendo corporalem medicinam, si bona est, et recte data, non incidit in aliud genus morbi : sed accipiendo spiritualem medicinam, cum libera sit voluntas, et contemnere possit per indevotionem præparationis, in novum genus peccati potest incidere : et sibi efficitur malum quod in se est bonum, ut dicit Augustinus in *Littera* ejusdem capituli.

Ad aliud dicendum, quod licet corpus Christi sit majus bonum omni bono creato, præcipue secundum quod est in sacramento, quia ibi est per corpus et animam et deitatem : non tamen oportet, quod eodem modo se habeat ad actum liberi arbitrii ordinandum, sicut facit virtus. Unde quod virtus dicitur summum bonum, hoc non est intelligendum simpliciter, sed secundum comparationem ad actus bonæ vitæ in his quæ bona participative dicuntur : quod etiam dicitur, quo recte vivitur, et nemo male utitur, hoc non est ex hoc quod sit summum bonum, sed ex hoc quod informando ordinat et perficit liberum arbitrium in bonum : et hoc modo non informat liberum arbitrium Christus perceptus in sacramento, et ideo usus boni nobis potest esse malus : et hoc non impedit quin sit majus bonum quam virtus. Ad 5.

Ad aliud dicendum, quod divinitas Christi major est humanitate Christi, sed non est contemptus aliquis respectu continentiæ et præsentiæ deitatis in nobis, sed potius est de pœna imperfectionis naturæ creatæ indigentis Creatore ut eam contineat et conservet : sed respectu humanitatis ordinamur per voluntatem quæ libertatem habet, et ideo contemnere potest. Ad 6.

Ad aliud dicendum, quod hoc non sequitur : quia cum dicitur, *Nescit homo utrum amore an odio dignus sit*[1] : hoc intelligitur de scientia recta quæ est in- Ad 7

[1] Eccle. IX, 1.

fallibilis per devotionem. Cum autem dicitur credens se esse in peccato mortali et non existens, sumitur *credens* pro eo qui habet aliqua signa et aliquam rationem qua timet se esse in peccato : et ideo patet, quod non sequitur, quod propter hoc omnis homo arcendus sit a communione.

Ad 8. AD ALIUD dicendum, quod cum convenientia sit inter antecedens et consequens, et postea accidens participatum ab antecedente infertur de consequente, non oportet, quod consequens participet illud nisi pro tanto quo participatur ab antecedente : ut cum dicitur, Si homo est albus, animal est album, non sequitur quod animal sit album in ambitu suæ communitatis et prædicationis, sed animal quod est homo albus. Ita etiam hic est cum dicitur, Qui indigne accedit, indignus accedit : et postea infertur, indigne accedens peccat mortaliter : ergo et accedens indignus : non oportet, quod hoc verum sit generaliter, sed pro eo indigno tantum, qui indigne accedendo fuit indignus. Unde cum postea infertur conclusio, quod non generaliter sit verum consequens : ergo nec antecedens : patet, quod nihil valet argumentatio : et tale argumentum, indignus indigne accedendo factus indignus peccat mortaliter : ergo similiter indignus peccat mortaliter : incidit fallacia sive peccatum secundum locum sophisticum consequentis.

Ad 9. AD ULTIMUM dicendum, quod hoc bene sequeretur si aliud peccatum novæ indignitatis non causaretur ex hoc quod accedit cum credulitate peccati : sicut non causatur albedo aliqua ex apparentia albedinis. Patet autem ex superius habitis, quod novum peccatum causatur : et ideo non valet argumentatio illa.

Ad quæst. AD ID quod ulterius quæritur, dicendum quod habens remorsum conscientiæ cum proposito non dimittendi peccatum, nullo modo debet sumere Eucharistiam.

Ad 1. AD ID autem quod primo objicitur in contrarium, dicendum, quod non communicare cum tali proposito, est de veritate vitæ quæ propter scandalum non est dimittenda.

Si autem objicitur, quod ipse in tali statu est perplexus : dicendum, quod hoc non est verum : quia alias facere potest, quod evadat peccatum, scilicet dolendo de peccato cum proposito emendandi : si enim fecerit quod in se est, Deus infundet sibi gratiam, et tunc potest communicare.

Ad AD ALIUD dicendum, quod ipse non per hoc se prodit : quia multæ sunt causæ quibus differtur communio, vel etiam quibus aliquis se subtrahit a communione, scilicet immunditia corporalis, humilitas, et multæ aliæ causæ.

Si autem objicitur : Ponamus, quod Prælatus præcipiat, quod omnes communicent. Dico, quod tale præceptum nullum est : quia est illicitum aperte : sed præcipere potest ut omnes se præparent ad communionem : et tunc bene concedendum esse videtur, quod ille qui se non præparaverit, peccatum ommissionis incurrit.

A AD ALIUD dicendum, quod non est simile de aliis actibus, et de actu communionis : alii enim actus sunt super membra Christi quæ indigent diversis quæ pro tempore possunt suppleri ab his qui non sunt idonei. In communione autem percipitur ipse Dominus, et ideo maxima idoneitas requiritur, et ideo non idoneus peccat communicando, ut dictum est.

ARTICULUS IX.

An malus plus peccet communicando, quam alio genere peccati?

Tertio quæritur, Utrum malus plus peccet communicando, quam peccando alio genere peccati?

Videtur autem, quod sic : quia

1. Quanto minor est contemptus, tanto minus est peccatum : sed in aliis peccatis quibusdam non contemnitur Deus in se, communicando autem in se contemnitur : ergo magis peccat indigne communicando, quam fornicando, vel alio genere peccati peccando.

2. Item, Scienter peccat qui indigne communicat, et præter tentationem, et concupiscentiam : hæc autem aggravant peccatum : alius autem peccat quandoque quidem scienter, sed tentatus per concupiscentiam : ergo magis peccat communicando, quam alio genere peccati peccando.

3. Item, Apostolus comparat hoc gravissimo peccato, I ad Corinth. xi, 27 : *Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini.* Ergo videtur, quod sit gravissimum.

4. Item, Ad Hebr. x, 28 et 29 : *Irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione duobus vel tribus testibus moritur : quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est?* Ergo deteriora supplicia meretur pollute communicans : ergo gravissimum est peccatum, ut videtur.

5. Item, Constat, quod gravius peccaret qui corpus Christi in immundum lutum projiceret, quam qui fornicatur vel avaritiam committit : cum igitur turpior sit latrina spiritualis, quam corporalis, gravius peccat in latrinam spiritualem recipiens corpus Christi, quam projiciens in latrinam corporalem : sed quod est majus majore, est majus minore : ergo gravius peccat pollute communicans, quam aliquo alio peccato, ut videtur.

Sed contra. SED CONTRA :

1. Si duo sunt, quorum unum facit appropinquare Deo, alterum autem removet a Deo : et comparantur ad duo alia, quorum utrumque removet : magis removent duo, quam unum. In communione autem quæ fit ab indigno, ipsa communio non separat a Deo, sed adjungit, contemptus autem separat. In fornicatione autem vel alio peccato corporis, utrumque separat et actus et contemptus : ergo magis separat a Deo, quam communio indigni. Sed majus peccatum est quod magis separat a Deo. Ergo aliud peccatum est majus, quam communio indigni.

Si forte dicas, quod non oportet : quia illud unum quod facit distare in uno, facit longiorem distantiam, quam duo in alio. CONTRA : Id quod facit distantiam in communione indigni non est nisi contemptus : contemptus autem est etiam in alio peccato : ergo contemptus est in utroque communi : ergo remoto communi in utroque, quodcumque magis facit distare, illud similiter etiam apposito contemptu ad utrumque, magis facit distare a Deo : sed remoto contemptu, plus distare facit aliud peccatum : ergo et similiter magis distare facit a Deo, et sic habetur propositum.

2. Item, Ponamus, quod aliquis communicet indigne, intendens per se per hoc non omnino alienari a Deo, sed propinquior fieri Deo : tunc videtur, quod ille non tantum peccet, quantum ille qui fornicatur, vel aliud crimen committit.

3. Item, Aliquis casus potest esse, quod etiam aliquis peccator potest accipere in manus corpus Domini, ut si inveniat illud in luto, et non sit alius qui sublevet : ergo videtur, quod etiam aliquis casus potest esse, in quo communicans non peccet, vel non tantum peccet sicut alio peccato peccans.

4. Item, Quod per se est malum, magis fugiendum est, quam quod per accidens est malum : fornicari autem et cætera peccata quæ sunt contra decalogum, per se mala sunt : communicare autem per se bonum est, per accidens autem malum : ergo aliud peccatum magis est fugiendum, quam communio ab indigno.

5. Item, Quod in se malum est, magis fugiendum est, quam quod alicui est malum, et non in se : fornicari autem et cætera talia vitia in se mala sunt, et facienti, communio autem non est in se mala, sed facienti : ergo fornicatio magis est fugienda, quam communio, ut videtur : ergo aliqua peccata sunt majora, quam istud.

6. Item, Quod numquam et nulli bonum est, sed semper et omnibus malum, majus est malum, quam quod quandoque et alicui est malum, et non semper, nec omnibus : sic autem se habent fornicatio, et cætera ad communionem : ergo illa sunt majora peccata, quam istud.

Solutio. Solutio. Dicendum videtur ad hoc, quod quoad aliquid communicans indigne plus peccat, et quoad aliquid alio peccato peccans plus peccat : quoad contemptum enim videtur mihi plus peccare indigne communicans, sed non quoad actum, et alias circumstantias, ex quibus causatur turpitudo peccatorum.

Ad 1 et 2. Dicendum ergo ad primum, quod cum dicitur, Ubi minor est contemptus, ibi minus est peccatum, quod hoc non est verum simpliciter, sed quoad aliquid tantum, scilicet radicem peccati quæ contemptus est : quoad alia enim potest esse majus peccatum quod est ex minori contemptu.

Eadem vero solutio fere est ad omnia : quia id iterum quod objicitur secundo, non tenet nisi quoad hoc quod tentatus vel non tentatus peccat.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod Apostolus dicit reum esse corporis et sanguinis indigne communicantem, eo quod reatum sanguinis incurrat, non tamen quod habeat reatum occidentis Christum : sed in hoc similis est occisori : quia uterque fit reus ex sanguine Christi.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod hoc non intelligitur de indigne communicantibus, sed potius de abutentibus gratia baptismi : quia putabant, quod cum aliquis rediret ad peccatum, quod iterum eum baptizari oportet : et hoc redundaret in pollutionem, id est, in infirmitatem sanguinis Christi, tamquam sacramenti in quo sanguis Christi operatur et lavat interius, nisi esset tantæ virtutis quod faceret solubilia per pœnitentiam etiam peccata frequentia : et ita exponitur in Glossa. Si autem generaliter extendatur ad indigne communicantem, tunc dicendum, quod indigne communicans meretur deteriora supplicia, in quantum peccat contra majorem gratiam ex contemptu, quam ille qui legem transgrediebatur : non tamen simpliciter oportet, quod mereatur deteriora.

Ad 5. Ad aliud dicendum, quod cum dicitur, Latrina spiritualis pejor est, quam corporalis : locutio est metaphorica, et intelligitur non esse majoris fœditatis corporalis : sed in quantum peccata sunt contra majus bonum, etiam adimunt bonum melius, quam fœditas corporalis : unde remanet major munditia exterior in corpore peccatoris, quam in latrina corporali : et ideo plus peccaret corpus Christi in latrinam projiciens, quam indigne communicans : quia majorem contumeliam et contemptum faceret Christo. Et ideo dicit Magister in *Sententiis*, quod ex tropicis non valet argumentatio.

Ad obje. Idem autem modus respondendi est ad ea quæ objiciuntur in oppositum. Bene enim concedo, quod unum quandoque plus elongare potest, quam duo vel tria. Et quod objicitur, quod contemptus sit communis utrique, Dicendum, quod non est idem contemptus, sed major, et minor, et diversus in specie : quia contemptus specificatur secundum id quod contemnitur, et secundum rationem contemnendi.

Ad obje. Ad aliud dicendum, quod sciens se esse in peccato, non potest bene communicare : quia intentio est perversa et stulta, sicut dictum est super secundum *Sententiarum*, de eo qui intendit furari ut det alicui, ut per hoc eam revocet a meretricio vel adulterio.

ad object. 3. Ad aliud dicendum, quod non est simile : quia tunc reverentia et necessitas sublevandi excusat et cogit fieri : sed in communicando non est necessitas aliqua, nec reverentia aliqua ibi exhibetur Christo, sed potius irreverentia et contemptus.

ad object. 4, 5 et 6. Ad aliud dicendum, quod non tenet nisi quoad hoc, et non simpliciter : et ideo non valet in aliis argumentatio.

ARTICULUS X.

An pollutio nocturna impediat a communione ?

Quarto quæritur, Utrum pollutio nocturna impediat a communione ?

Videtur autem, quod sic :

In Decreto enim (distinct. VI) dicit Gregorius in epistola ad Anglorum Episcopum Augustinum : « Si ex turpi cogitatione vigilantis nascitur in mente dormientis, patet omnino reatus suus : videat enim a qua radice inquinatio illa processit : quia quod cogitavit sciens, hoc pertulit nesciens. Et propter talem pollutionem sacro mysterio abstinere oportet eo die. » Ex hoc accipitur, quod pollutio impedit a communione.

2. Item, Isidorus in primo *Sententiarum :* « Qui nocturna illusione polluitur, quamvis extra memoriam turpium etiam cogitationum sese sentiat inquinatum : tamen hoc ut tentaretur culpæ suæ tribuat, et suam immunditiam statim fletibus stringat. » Constat autem, quod non est simul deflenda culpa, et statim communicandum : ergo videtur, quod abstinere debet a communione, ut videtur.

3. Item, Levit. xv, 2 : *Vir qui patitur fluxum seminis, immundus erit.* Constat autem, quod fluxus seminis minus est in potestate hominis, quam pollutio nocturna. Ergo multo magis pollutus est immundus : ergo impedit a communione, ut videtur.

4. Item, Ibidem, infra, ℣. 16 : *Vir de quo egreditur semen coitus, lavabit aqua omne corpus suum : et immundus erit usque ad vesperum.* Constat autem, quod minoris sanctitatis erant sacramenta veteris legis novæ. Si ergo impediebat a perceptione sacramenti Veteris Testamenti, quam multo magis impediet a perceptione sacramentorum Novi Testamenti.

5. Item, Deuter. xxiii, 12 et seq., præcepit Dominus, quod egredientes ad sublevationem naturæ, ferant fossorium in balteo, et suffodiant, eo quod si Dominus transeat per castra, ut castra sint munda. Et dicit ibi Glossa, quod amat Deus corporalem munditiam. Si ergo illa immunditia impedit decorem transitus Domini, multo magis a perceptione corporis et sanguinis Domini.

6. Item, Minus videtur quod corporalis immunditia impediat ab introitu tabernaculi quod minus sanctum est, quam a communione corporis et sanguinis Domini : sed impediebat antiquitus : ergo hæc etiam impedit modo.

7. Item, II Reg. vi, 6, dicitur, quod cum calcitrarent boves qui trahebant arcam Domini, quod extendit manum suam Oza ut teneret arcam, et percussit Dominus Ozam : et redditur ratio in Glossa et a Magistris, quod illa nocte dormierat cum uxore sua. Cum igitur hoc meritorie facere potuerit, pollutio autem numquam fiat meritorie, videtur quod multo magis impediat pollutio communionem ejus quod per arcam significatur, scilicet corporis et sanguinis Domini.

8. Item, Dicit Gregorius, quod tempore concubitus matrimonialis, Spiritus sanctus non tetigit corda Prophetarum, propter inconvenientiam actus in quo totus homo caro efficitur, ad spiritualem actum : ergo cum multo major sit communio quam prophetia, videtur quod illa delectatio quæ est in egressu seminis, impediat a communione.

9. Item, Unio per spiritum et amorem ad Christum, et descensus secundum carnem per delectationem sunt contraria : ergo non debent esse simul : sed in pollutione est descensus secundum carnem per ultimam delectationem, in communione autem est elevatio intellectus per fidem, et unio spiritus per charitatem : ergo ista duo non sese compatiuntur : ergo videtur, quod dimittenda sit communio propter pollutionem.

Sed contra. SED CONTRA :

1. Dicit Gregorius ad Augustinum Episcopum, et ponitur in Decreto (dist. VI) : « Et quidem cum ex naturæ superfluitate vel infirmitate evenerit, tunc omnino non erit timenda pollutio : quia hanc animus nesciens pertulisse magis dolendus est quam fecisse [1] ». Ergo non semper impedit pollutio a communione.

2. Item, Gregorius, ibidem, « Cum ultra modum appetitus gulæ in sumendis alimentis capitur, atque idcirco humorum receptacula gravantur, habet quidem exinde animus aliquem reatum, non tamen usque ad prohibitionem percipiendi sacri mysterii, vel missarum solemnia celebrandi. » Ex hoc patet, quod quandoque etiam procedit ex aliqua culpa crapulæ, quæ non impedit a sacra communione.

3. Item, Nihil impedit a sacra communione nisi fictio, quia *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum :* ergo in sacramentis non fugit nisi fictum, ut dicitur, Sapient. I, 5. Venialia autem non faciunt fictum : ergo etiamsi detur, quod ex aliqua cogitatione turpi præcedenti quæ mortalis non fuit, pollutus sit, non tamen sequitur quod non possit communicare.

4. Item, Si venialia impedirent, nullus esset qui communicare posset : quia, I Joan. I, 8, dicitur : *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.* Cum igitur pollutio procedit ex veniali cogitatione, non impedit a communione.

5. Item, Dicit Gregorius, quod spiritualia peccata majoris sunt ponderis, licet carnalia sint majoris infamiæ : venialia autem spiritualia non impediunt a communione : ergo nec carnalia : ergo pollutio non impedit, cum non sit peccatum, aut sit minimum : quia non est præsentis loci diffinire, utrum sit peccatum, an non ?

6. Item, Aliquis vadit cubitum munitus signo sanctæ crucis cum orationis devotione, et sic de aliis : tamen accidit sibi pollutio : cum ergo nullus peccet dormiens, ille non habet unde impediatur a communione : ergo potest communicare, ut videtur.

Quæ. JUXTA hoc ulterius quæritur, Quamdiu debet abstinere ?

Dicitur, Levit. XV, 16, quod *immundus erit usque ad vesperum.* Inter vesperum autem et mane non sunt nisi duodecim horæ æquales : ergo videtur, quod post duodecim horas possit communicare : et tamen hoc non servatur, quia abstinet per diem et noctem.

Solu. SOLUTIO. Dicendum cum beato Gregorio, quod pollutio multis de causis accidit, de quibus alibi tractandum est, scilicet ex infirmitate naturæ in retinendo vel convertendo ad membra : et hoc modo nullum est peccatum, nec peccati signum. Fit etiam ex illusione diabolica, et tunc est negligentiæ signum, scilicet quod homo non satis devotus ivit dormitum. Quandoque etiam est ex nimia repletione, præcipue ciborum qui venerea provocant, sicut calidorum et humidorum simul : quia calidum movet, et humidum ministrat materiam : et tunc distinguendum mihi videtur in accidentibus ingurgitati : aut enim hoc accidit famelico ex surreptione : aut accidit, quia paravit

[1] S. GREGORIUS, Responsio ad undecim interrogationes Augustini Cantuariensis, Angliæ Episcopi.

laute cibos, et consuevit epulari splendide. Et primo modo pollutio sequens non indicat nisi negligentiam ex surreptione crapulæ : secundo modo indicat peccatum. Alio modo fit pollutio peccatum ex cogitatione, scilicet quando aliquis cogitat de aliqua singulariter, et postea somniat se coire cum eadem : et tunc est signum fixæ cogitationis præcedentis in turpi. Quandoque autem fit ex conjunctione plurium causarum simul, ut ex cogitatione, et crapula : et tunc significat utraque. Quandoque ex cogitatione, et illusione : et tunc est signum peccati propter quod meruit illud. Quandoque autem simul ex crapula, cogitatione, et illusione : et tunc duo præcedentia causa sunt meritoria tertii, et hoc totum ostenditur in pollutione sequenti, sicut oritur causa occulta in effectu sequenti manifesto.

Et iterum distinguendum in modo pollutionis, quod Gregorius meminit in præinducta Epistola, ubi dicit, quod ex crapula veniens non impedit communionem, dummodo corpus in pollutione turpi delectatione non concutiatur. Ex hoc enim accipitur, quod quidam polluuntur cum imaginatione et delectatione turpibus : alii autem per solam seminis emissionem. Secundum Philosophum autem in his qui delectantur, ulterius distinguendum est : quia quandoque est ex ventosis cibariis, et in delectatione potius emittitur spuma ventosa quam humor nutrimenti.

His ergo ita distinctis, puto cum Gregorio ita dicendum, quod in primo et secundo casu non impedit a communione : sed si humiliter propter fœditatem dimittit, laudandus est : in tertio autem modo si est ex surreptione et cibariis magis ventosis, ut legumina sunt, non puto impediri : sed in quarto modo et deinceps quinto et sexto puto esse abstinendum a communione, propter dubium morosæ delectationis in cogitatu præcedenti.

Quantum autem ad quartam distinctionem quam ponit Gregorius, scilicet in modo pollutionis, videtur dicendum quod in paucis et raro accidit sine imaginatione turpi pollutio : et hoc satis planum est omni inspicienti secundum librum de *Somno et vigilia* Philosophi : quia vult, quod quædam somnia sunt signa, quædam autem causam habent in corpore. Unde et etiam modus et causa ægritudinis cognoscuntur in somnis : causa autem illa cum sit movens, et actus activorum sunt in patiente prædisposito, ut dicit Philosophus in II de *Anima*, et hoc secundum potestatem patientis, et non secundum potestatem agentis, sunt istæ causæ in anima sensibili quæ colligationem habet cum organis in quibus est causa movens ad coitum, et materia per modum imaginum pertinentium ad coitum : et ideo illa imaginatio fit quandoque in somnis sine culpa præcedenti. Et ideo quod Gregorius dicit eam esse ex culpa præcedenti, vel cogitatione, puto intelligendum esse per modum signi : signum autem est delectatio sequens, quod in vigilia talia meditatus sit : unde non videtur mihi, quod concussio semper impediat a communione.

His autem habitis, respondendum est ab objecta.

Ad primum ergo dicendum, quod Gregorius loquitur de pollutione proveniente ex quarta causa, vel deinceps, sicut satis manifestum est in auctoritate ipsa. Ad 1.

Ad aliud dicendum, quod Isidorus non ligat ad abstinendum : quia bonarum mentium est ibi culpam agnoscere, ubi culpa non est. Ad 2.

Ad aliud dicendum, quod tatia in Veteri Testamento sicut ibidem in Glossa Gregorii, et Glossa Hesychii probatur, signative dicta sunt : ideo exponitur hoc ibidem de verbosis, qui semper mendacii vel detractionis vel adulationis reatu polluunt lectum in quo quiescunt. Ad 3.

Ad aliud dicendum, quod lex illa intelligitur de viro qui fornicario concubitu commixtus mulieri est, et ideo in eodem Ad 4.

capitulo statim adjungitur: *Mulier cum qua coierit, lavabitur aqua, et immunda erit usque ad vesperum* [1], id est, usque ad mortem pœnitebit.

Ad 5. Ad aliud dicendum, quod Deus amat munditiam etiam corporalem : sed tamen omnia illa etiam figurative intelliguntur: quia Deus corporali immunditia non inquinatur, sicut dicitur, Sapient. VII, 25, quia propter munditiam suam, *nihil inquinatum in eam*, scilicet sapientiam, *incurrit*. Licet ergo amet munditiam corporalem, secundum quod attestatur munditiæ spiritus, et dilectioni pulchritudinis spiritualis, non tamen propter immunditias quibus necessario subjacemus, ipse nos reprobat, vel arcet a sacramentorum perceptione.

Ad 6. Ad aliud dicendum, quod omnia illa erant figurativa, et ostendentia quoniam mundum spiritualiter eum esse oportet qui communicat Sanctis.

Ad 7. Ad aliud dicendum, quod forte Oza ex libidine cognoverat suam uxorem, secundum illos qui ponunt hoc pro causa : tamen ego puto sensum litteralem esse, quod ipse cum esset de Levitis quibus præcipiebatur arca portari propriis humeris, permisit quod committebatur periculo vecturæ boum recalcitrantium, et ideo merito interfectus fuit.

Ad 8. Ad aliud dicendum, quod actus prophetalis cum actu coitus habet aliquam deformitatem : sed tamen matrimonium illum habet. Ita etiam bene conceditur hoc quod est quædam inconsonantia ex qua simul actu non debet esse, sed secundum tempus successive unum post aliud esse quandoque : non enim puto, quod aliter prohibet.

Ad 9. Ad aliud dicendum, quod non probat nisi quamdam inconvenientiam : et laudandus est qui ad tempus abstinet a communione, sed tamen ex hoc non arcetur, ut puto, et sic Gregorius videtur dicere.

Ad id quod ulterius quæritur, Quamdiu sit abstinendum ? Puto diu esse per horas viginti quatuor in quibus revolutio tota completur, excepto parvo quod sol interim retro cessit. Dies enim naturalis est revolutio æquinoctialis cum tanta parte quanta oritur cum arcu eclipticæ : quem motum viginti quatuor horarum naturali motu sol occidendo signa præscribit. Hic autem arcus est septuaginta minuta, et octo secundæ fere. Hujus autem talem dicunt quidam rationem : quia in illo tempore fit omnis ortus et occasus imaginum et stellarum cœli super corpus ad reordinandum : quia licet cœlum non habeat vim supra liberum arbitrium, habet tamen vim supra corpus ad immutandum et continendum : et hoc innuit Dominus, Levit. XV, 19, ubi dicit: *Mulier, quæ redeunte mense patitur fluxum sanguinis*, etc. Fluit enim sanguis quando non potest digeri : non digeritur autem diminuto calore : calor autem minuitur decrescente lumine in luna. Ad quæst.

Adhuc autem est unus casus quærendus, scilicet ponamus, quod aliquis veniat ad locum celebrationis, et probabiliter dictet ei conscientia, quod sacerdos in malo statu est, et peccabit mortaliter celebrando, et ipse pollutus in nocte sit sine conscientia causæ mortalis, utrum pro eo celebrare debeat? Quæst.

Et ad hoc diversimode respondetur. Quidam enim sentiunt, quod non : quia etiam venialiter peccare non debet ad hoc quod alius vitet mortale. Mihi autem videtur, quod ego in tali causu celebrarem, præhabita tamen confessione vel compunctione si sacerdos deesset, alia tamen oratione cum devotione præhabita.

[1] Levit. XV, 18.

ARTICULUS XI.

An aliqua fœditas corporalis, ut menstruum vel hujusmodi, impediat a perceptione corporis Christi ?

Quinto quæritur, Utrum aliqua fœditas corporalis, ut menstruum, vel hujusmodi, impediat a perceptione corporis Christi ?

Videtur autem quod sic.

1. Levit. xv, 19 et 20 : *Mulier, quæ redeunte mense patitur fluxum sanguinis, septem diebus separabitur. Omnis qui tetigerit eam, immundus erit usque ad vesperum,* etc. Quia multa tangit ibi de immunditiis menstruatæ. Ergo videtur, quod multo magis impediat a perceptione corporis Christi, cujus est major sanctitas, quam tabernaculi veteris, vel hominis tangentis eam.

2. Item, Major est fœditas menstrui quam pollutionis nocturnæ : ergo multo magis debet impedire communionem, quam nocturna pollutio : nocturna autem pollutio quandoque impedit, ut habitum est : ergo et menstruorum fluxus.

Sed contra.

Sed contra :

1. Fluxus iste est ex infirmitate vel superfluitate humorum : neutrum autem horum peccatum est : ergo videtur, quod nec menstruorum immunditia impediat a communione.

2. Item, Gregorius : « Mulier dum ex consuetudine menstruum patitur, prohiberi Ecclesiam intrare non debet : quia non potest ei naturæ superfluitas in culpam cedere : sanctæque communionis mysterium percipere prohiberi non potest in illis diebus. Si autem ex veneratione magna percipere mysterium non præsumit, laudanda est : sed si percipit, non est judicanda : bonarum quippe mentium est ibi culpam agnoscere ubi culpa non est. » Ex hoc manifeste accipitur, quod non est impediens a communione fluxus menstruorum.

Solutio.

Ad hoc volunt quidam dicere, quod quædam fluunt continuo, et in illis fluxus est ex infirmitate : quædam autem interpolatim, et illæ curabiles sunt, et debent exspectare de communione usque post fluxum, primæ autem non : et hujus causam reddunt : et Augustinus videtur dicere, quod accessus ad menstruatam non sit prohibitus in figuram alicujus futuri : sed etiam in se præceptum morale est, quod non fiat concubitus cum menstruata. Unde dicunt, quod menstruum dicit immunditiam impedientem a communione. Augustini autem verba sunt super Levit. xviii, 19, super illud : *Ad mulierem quæ patitur menstrua, non accedes,* etc. Dicit enim ibi Glossa sic : « Hoc cum superius satis sufficienter prohibuisset, quid sibi vult quod etiam hic hoc eisdem præceptis voluit adjungere ? An forte ne in superioribus quod dictum est, figurate accipiendum putaretur, etiam hic positum est, ubi talia prohibita sunt quæ etiam tempore Novi Testamenti, remota umbrarum veterum observatione, sine dubio custodienda sunt ? » Sine præjudicio autem videtur mihi dicendum, quod numquam prohibenda est mulier a communione propter menstruum, sicut dicit Gregorius : eo quod sit indicium superfluitatis, vel infirmitatis, et non culpæ.

Ad 1.

Ad id quod primo objicitur, dicendum est quod in veritate figurative dicebatur de immunditia menstruatæ quantum ad ingressum tabernaculi, sicut ibidem in Glossa exponitur : et ideo illa argumenta non cogunt.

Ad 2.

Ad aliud autem quod objicitur de Augustino, dicendum quod accedere ad menstruatam est mortale : quia accessus ordinatur ad conceptum : et si tunc mulier concipit, concipit prolem corruptam, ut elephanticam, vel leprosam, ut dicit Glossa super Ezechiel. xviii, 6, super

illud : *Ad mulierem menstruatam non accesserit*. Et quoad hoc morale est : sed hoc numquam fuit morale, quod esset immunda per septem dies, et lavaretur aqua, et esset extra castra, et hujusmodi, quæ determinantur, Levit. XV, 19 et seq.

ARTICULUS XII.

An indigne sumens corpus Christi id efficiat, ut malum fiat quod accipit?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, B, circa medium : « *Ecce enim factum est malum, dum male accipitur bonum*, etc. »

Statim enim contrarium dicit in fine ejusdem capituli : « Indigne quis sumens « corpus Christi, non efficit ut quia ma- « lus est, malum sit quod accipit. »

Solutio. Dicendum, quod malum ex se dicitur multipliciter, scilicet formaliter, et sic intelligitur secunda auctoritas: quia sic corpus Christi non potest esse malum, sed semper est bonum. Dicitur etiam malum effective : et hoc dupliciter, scilicet ut causa per se, vel ut causa per accidens : et neutro istorum modorum corpus Christi dicitur malum : quia nec est causa mali per se, nec per accidens. Secundo modo dicitur malum occasio mali, sicut lux præsens dicitur occasio læsionis infirmi oculi : et ita corpus Christi est bonum, et occasio est mali ei qui indigne sumit. Solut.

C. *De intelligentia quorumdam verborum ambiguorum.*

Secundum hos duos modos sumendi, intelligentia quorumdam verborum ambigue dictorum distinguenda est. Ait enim Augustinus [1] : Bonus accipit sacramentum et rem sacramenti, malus vero sacramentum et non rem. Sacramentum hic dicit corpus Christi proprium, de Virgine natum : rem vero, spiritualem Christi carnem. Bonus ergo utramque Christi carnem accipit. Malus vero tantum sacramentum, id est, corpus Christi sub sacramento, et non rem spiritualem. Item, Non manducans manducat, et manducans non manducat : quia non manducans sacramentaliter, aliquando manducat spiritualiter, et e converso. Et qui manducant spiritualiter, veritatem carnis et sanguinis dicuntur sumere : quia ipsam efficientiam habent, id est, remissionem peccatorum : pro qua videtur orari, cum dicitur : Perficiant in nobis, Domine, quæsumus, tua sacramenta quod continent : ut quod nunc specie gerimus, rerum veritate capiamus [2]. Rerum veritatem

[1] S. Augustinus, In Glossa super Epist. I ad Corinth. XI, 26 : *Quotiescumque*, etc.
[2] In complenda Missæ (Nota edit. Lugd.)

dicit ipsam efficientiam. Quasi dicat : Per hæc sacramenta præsta, ut sicut sacramentaliter carnem Christi sumimus, ita spiritualiter sumamus. Vel petit sacerdos, ut Christus qui nunc vere sub specie panis et vini sumitur, manifesta visione, sicut in essentia divinitatis est, quandoque accipiatur [1]. Constat ergo a bonis et a malis sumi corpus Christi : sed a bonis ad salutem, a malis ad perniciem.

ARTICULUS XIII.

An sacerdos petat ut Christus qui nunc sub specie panis accipitur, manifesta visione accipiatur ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, C, circa finem : « *Petit ut Christus qui nunc vere sub specie panis et vini sumitur, manifesta visione*, etc. »

Hoc iterum videtur falsum ; quia

1. Sacramentum non habebit rem in futuro : eo quod in futuro non indigemus viatico : quia tunc non erimus in via, sed in patria : ergo videtur, quod nihil sit dictum : quia tunc capietur manifesta visione, sicut capitur modo sub specie sacramenti.

2. Item, Frui Deo per speciem in aperta visione non est actus sacramenti vel succedens sacramento, sed potius actus beatitudinis succedens virtuti vini vel pluribus, ut determinatur in prima distinctione primi libri hujus voluminis : ergo videtur, quod in precibus Ecclesiæ inconvenienter hæc duo conjungantur, ut sicut nunc per speciem sacramenti, ita quandoque per speciem divinitatis aperta visione capiamus.

3. Item, Nunc capimus eum per gustum corporis et sanguinis ejus : tunc autem ita non capiemus, sed per contemplationem et fruitionem : ergo videtur, quod nulla sit oratio.

SED CONTRA : Sed contra.

In *Ecclesiastica hierarchia* dicit Dionysius, quod « Jesu divinæ participationis symbolum est Eucharistiæ sanctissimæ assumptio [2]. » Constat autem quod intelligit divinam participationem illam quæ est per fructum in gloria. Ergo videtur succedere manducationi et sumptioni sacramentali.

SOLUTIO. Dicendum, quod sacramentum hoc sicut et alia, habet duplicem rem : unam quæ est contenta et significata, et illam consequitur in præsenti, et hæc est propria sacramento : et de istis rebus sacramentorum sæpius dictum est supra. Aliam habet significatam et non contentam : et quia sacramentum est causa rei quam continet, et illam rem non continet, consequens est quod etiam non causet eam : sicut res baptismi est fulgor gloriæ in resurrectione, et ita de aliis. Ita potest dici hic, quod participatio per fructum divinitatis in aperta visione est res significata, et non causata, nec contenta in hoc sacramento, hoc modo quo significatur fructus dulcedinis gloriæ in gustu Dei per fructum : et gustum dulcedinis spiritualis in sacramento in quo est Christus auctor gratiæ : et ita intelligit Dionysius. Solutio.

[1] S. GREGORIUS, In homil. Paschali.

[2] S. DYONISIUS, Lib. de Hierarchia ecclesiastica, cap. 3.

Ad 1. Ad primum ergo quod objicitur, dicendum quod non est opus tunc viatico, sed est gustus felicitatis ut finis, qui significatur in gustu viatici: sicut ea quæ sunt patriæ, significantur sæpius per ea quæ sunt viæ.

Ad aliud dicendum, quod est actus sacramenti ut significantis, sed non est actus sacramenti ut causantis eum: sicut etiam plena gloria in dotibus animæ et corporis dicitur esse res baptismi: et super hoc fundatur intentio orantis.

Ad

DISTINCTIO X.

De errore majoris inconvenientiæ circa Eucharistiam.

A. *De hæresi aliorum qui dicunt corpus Christi non esse in altari nisi in signo.*

Sunt item [1] alii præcedentium insaniam transcendentes, qui Dei virtutem juxta modum naturalium rerum metientes, audacius ac periculosius veritati contradicunt : asserentes in altari non esse corpus Christi vel sanguinem, nec substantiam panis vel vini in substantiam carnis et sanguinis converti, sed ita Christum dixisse : *Hoc est corpus meum* [2], sicut Apostolus dixit : *Petra autem erat Christus* [3]. Dicunt enim ibi esse corpus Christi tantum in sacramento, id est, in signo, et tantum in signo manducari a nobis. Qui errandi occasionem sumunt a verbis veritatis, unde prima hæresis facta est in discipulis Christi [4]. Cum enim diceret : Nisi quis manducaverit carnem meam et biberit sanguinem meum, non habebit vitam æternam [5] : illi non intelligentes dixerunt : *Durus est hic sermo, et quis potest eum audire ?* et abierunt retro [6]. Illis discedentibus, instruxit duodecim qui remanserant. *Spiritus est,* inquit, *qui vivificat, caro non prodest quidquam. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt* [7]. Intellexisti spiritualiter ? spiritus et vita sunt. Intellexisti carnaliter ? etiam sic spiritus et vita sunt, sed tibi non sunt. Spiritualiter intellige quæ locutus sum. Non hoc corpus quod videtis manducaturi estis, et bibituri illum sanguinem quem fusuri [8]

[1] Edit. J. Alleaume, *et.*
[2] Matth. XXVI, 26.
[3] I ad Corinth. X, 4.
[4] S. AUGUSTINUS, Super Psal. LIV. Cf. De conse. dist. II, cap. *Prima* (Nota edit. Lugd.).
[5] Joan. VI, 54 : *Dixit ergo eis Jesus : Amen, amen, dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*
[6] Joan. VI, 61.
[7] Joan. VI, 64.
[8] Edit. J. Alleaume, *effusuri sunt.*

qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendavi, spiritualiter intellectum vivificabit vos : caro autem non prodest quidquam. Sunt etiam et alia illorum insaniæ fomitem ministrantia. Ait enim Augustinus : Donec sæculum finiatur, sursum est Dominus : sed tamen etiam hic nobiscum est veritas Dominus. Corpus enim in quo resurrexit, in uno loco esse oportet : veritas autem ejus ubique diffusa est [1]. Item [2], Una persona est Deus et homo : ubique per id quod est Deus, in cœlo per id quod homo est Christus. Dicit etiam : *Semper pauperes habetis vobiscum, me autem non semper habetis* [3]. His aliisque utuntur præfati hæretici in assertionem sui erroris.

DIVISIO TEXTUS.

« *Sunt et alii præcedentium insaniam*, etc. »

In præhabitis exclusit Magister errorem quorumdam dicentium corpus Christi non sumi a malis : qui fuit error minoris inconvenientiæ. Hic autem tangit errorem majoris inconvenientiæ, eorum scilicet qui negant corpus Christi esse in altari.

Contra istud primo inducit quasdam auctoritates Canonis et Patrum, ex quibus habuit ortum ; et secundo, easdem solvit et determinat, ibi, B, « *Quæ ex eadem ratione omnia accipienda sunt*, etc. » Tertio, ponit sophisticas rationes quibus isti decipiebantur, et solvit, auctoritatibus improbans dictum eorum, ibi, C, § 2 : « *Satis responsum est hæreticis, et objectionibus*, etc. »

Et hoc est quod dicit usque ad sequentem partem, in qua tangit de modo conversionis.

Et per hoc patet sententia : et si quid minus est, per disputationem manifestabitur.

ARTICULUS I.

An corpus Christi vere sit in altari, aut solum sicuti signatum in signo ?

Sit ergo hæc prima quæstio de errore quem nititur Magister in *Littera* elidere, scilicet an corpus Christi sit in altari, vel non ?

Videtur enim multis rationibus, quod non sit :

1. Quidquid enim est immutabile, nihil abjiciens, et nihil recipiens, hoc non fit in aliquo loco per conversionem alicujus in ipsum : corpus Christi gloriosum est immutabile, nihil abjiciens, et nihil recipiens : ergo non fit in aliquo loco per conversionem alicujus in ipsum. MAJOR patet per se : et si aliquis dubitat, probatur sic : Omnis mutatio fit per alicujus abjectionem, et alicujus adventum : ergo a destructione consequentis, quod nihil abjicit, aut nihil accipit, hoc est immutabile omnino. Si autem nihil suscipit, videtur sequi necessario, quod nihil convertitur in ipsum.

2. Item, Omne quod loco circumscribitur, non fit in alio loco nisi prius rece-

[1] S. AUGUSTINUS, Super Psal. LIV.
[2] IDEM, Ad Dardanum, Epist. 54.
[3] Matth. XXVI, 11.

dat a loco in quo est : corpus Christi loco circumscribitur : ergo non fit in alio loco, quam in cœlo, nisi prius recedat a loco cœli empyrei in quo est : non autem recedit, ut Sancti omnes dicunt : ergo non fit in loco alio : ergo nec in altari : ergo non est in altari, ut dicit illa opinio.

3. Item, Secundum modum loquendi, majoris dignitatis et simplicitatis sunt spiritus quam corpora : nullus autem spiritus creatus potest simul esse in diversis locis : ergo multo minus potest corpus simul in diversis locis esse : corpus autem Christi est in cœlo manens : ergo non in altari.

4. Item, De Deo hæc est falsa, Deus est alibi quam ubi ipse est, cum tamen Deus sit ubique : ergo multo magis falsa est de his quæ loco diffiniuntur et circumscribuntur : corpus autem Christi loco circumscribitur : ergo est in loco determinato, et non est alibi quam ubi est : ergo non est alibi quam in cœlo, quia ibi est : ergo non est in altari.

5. Item, Si daretur, quod posset esse alibi, et hoc simul et semel, videtur ex hoc sequi, quod posset esse ubique : et hoc duabus rationibus, quarum una est : quia, sicut alibi dicitur, si duo corpora possent esse simul in uno loco, eadem ratione et infinita : ita videtur sequi hic, quod circumscriptio loci non magis repugnat ad esse simul in pluribus locis quam ad esse ubique : si ergo potest esse in pluribus locis, potest etiam esse ubique. Secunda ratio est : quia detur, quod consecretur ubique, et in omni loco est ubi consecratur : ergo erit tunc ubique. Hoc autem si forte non videatur alicui inconveniens, ostendatur esse inconveniens sic : Augustinus dicit, quod soli Deo proprium est esse ubique : corpus autem Christi non est Deus, sicut nec anima Christi Deus est, licet homo Deus sit : et sic corpori Christi non convenit esse ubique : ergo videtur non esse in altari.

6. Item, Videtur, quod non sit intelligibile corpus Christi esse in altari : loco enim circumscribitur, cui assignatur principium, medium, et terminus secundum diversitates loci : constat autem, quod id quod numquam est extra terminos contentos, qui sunt termini locati intra, numquam est extra terminos continentes, qui sunt locus corporis : corpus autem Christi numquam est extra terminos contentos in cœlo empyreo, qui sunt dimensiones sui : ergo numquam est extra terminos loci continentis : non autem potest esse in altari nisi sit extra terminos continentes scilicet loci : ergo numquam est in altari, ut videtur.

7. Si forte dicas, sicut fere omnes dicunt, quod corpus Christi tria habet, et per illa tria se habet ad locum. Est enim corpus dimensionem habens, et per hoc habet quod loco circumscribitur. Est idem gloriosum, et per hoc habet quod potest esse cum alio corpore in eodem loco. Item, est unitum divinitati, et ex hoc habet quod potest esse in pluribus locis simul. Sed illud videtur non posse stare. Primo quidem : quia corpus Christi antequam esset gloriosum, secundum hoc, non potuit esse cum alio corpore in eodem loco, quod est erroneum : quia ipse in cœna corpus suum dedit antequam glorificaretur : unde illa distinctio nihil videtur valere ad propositum.

8. Præterea, Aliud est quærere, Quid Deus possit facere ? et aliud, Quid in rebus possit fieri ? ut dicit Augustinus. Quod enim quantum moveatur localiter in nunc sive in instanti, Deus potest facere : et tamen Deus non potest facere quin accipiatur necessario primum et ultimum : ergo necessario fit successio in motu ipsius, et motus in instanti non potest ei convenire. A simili, licet corpus illud sit unitum divinitati, tamen hæc unio non tollit ab eo dimensionem circumscriptibilem : sed illa remanente, videtur impossibile esse, quod simul sit in diversis locis.

9. Item, Quæ est necessitas, quod Christus sit in altari cum corpore et ani-

ma? Videtur enim gloriosius operari posse, ubi aliquis non est præsentialiter, quam ubi est : ergo Christo etiam gloriosius esset facere gratiam hujus sacramenti, ubi non esset præsentialis, quam ubi esset præsens : ergo videtur, quod cum ipse semper faciat melius, quod ipse non sit in altari.

10. Item, Supra in principio libri[1], tactæ sunt causæ quibus instituta sunt sacramenta, et una est ibi posita, quæ est causa humilitatis, ut scilicet in hoc homo humilietur, quod quærit salutem in inferioribus se. Si autem Christus dicatur esse in altari, nihil est in hoc sacramento inferius homine : ergo perit causa institutionis, et fructus sacramenti : ergo melius est ponere Christum non esse in altari, quam esse, ut videtur.

Sed contra. Si hoc conceditur,

1. Erit expresse contra fidem, sicut dicitur in *Littera*.

2. Item, Esset contra gratiam. Dicitur enim in Deuteronomio, xxxii, 4, quod *Dei perfecta sunt opera*: si ergo perfecta sunt opera creationis, multo magis perfecta esse debent opera gratiæ et recreationis in sacramentis : hæc autem gratia præcipue est ut nos conjungamur Deo, et ipse conjungatur nobis : ergo in aliquo sacramento debet ista conjunctio esse completa : ergo in aliquo sacramento nobis corporaliter debuit conjungi.

3. Item, In donis gratiæ gratum facientis quæ est gratuita virtus Spiritus sancti, essentialiter, potentialiter, et præsentialiter, et per inhabitantem gratiam conjungitur et illabitur nobis. Cum ergo adhuc sit alia pars gratiæ gratum facientis in sacramentis, per illam debet conjungi his unde trahit effectum : ille autem est Christus passus in corpore et anima, a quo omne sacramentum habet vim : ergo ipse idem in aliquo sacramento in corpore et anima nobis debet conjungi, ut videtur.

4. Item, Ad Hebr. ii, 14 : *Quia pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem*, ut esset conformis nobis in natura : sed ex eisdem secundum naturam generatur natura, et cibatur : ergo videtur, quod etiam in sua natura conformis nobis debuit esse noster cibus.

5. Item, Nos omnibus modis indigebamus sibi conformari : ergo oportuit hoc fieri per aliquid incorporans nos ei : hoc autem esse non potuit nisi ipse : ergo oportuit, quod per ipsum incorporemur ei : ergo necesse fuit, quod corpus suum in aliquo daret nobis : in nullo autem ita convenienter datur sicut in edulio : ergo in edulio debuit nobis dari, ut videtur.

Solutio. Absque omni ambiguitate tenendum est, quod Christus corporaliter est in altari : et quod hæresis sit id quod recitat Magister in *Littera*, scilicet quod Christus non sit in altari nisi sicut signatum in signo.

Ad objectum autem primum contra hoc, dicendum quod absque dubio corpus Christi modo est immutabile, nihil suscipiens nihilque abjiciens, quia est gloriosum : tamen non sequitur hoc quod pro consequenti, quasi adhuc ulterius inferatur, quod non efficiatur alicubi per conversionem alicujus in ipsum : aliter enim est de conversione in aliud secundum totam essentiam, et aliter est de conversione in aliud secundum partes : partes autem voco partes essentiales quæ sunt materia et forma : et hoc verum est, quod nihil secundum materiam convertitur in aliud, nisi cujus materia recipitur ab alio, et non forma, quia forma abjicitur. Sed hic non est ita : quia tota essentia panis non annihilata, nec manens substantia panis transit in totum corpus Christi secundum materiam et formam : et ideo necesse est eodem modo manere nihil recipiendo, et tamen effici ibi ubi fit talis transsubstantiatio.

[1] Cf. Supra, Dist. I, Art. 1 et 2.

Ad probationem autem dicendum, quod est mutatio quæ fit a motore imperfecto, cui non tota materia mobilis obedit, ut in ipsa inducatur id quod intendit : sicut est mutatio naturalis : et de illa tenet probatio. Est etiam mutatio moventis virtute infinita, cui tota essentia quæ est composita ex materia et forma, obedit in conversione in id quod intendit, et talis est in sacramento.

Ad 2. Ad aliud quod objicitur de loco, dicendum videtur, quod hoc verum est de his quæ non habent comparationem ad locum, nisi uno modo, ut sunt ea quæ tantum diffinitive vel circumscriptive sunt in loco. Sed de corpore Christi non est sic : quia habet duplicem comparationem ad locum : unam per se ubi est in propria forma, ut ubi circumscribitur loco, et assignatur ei primum et medium et ultimum in partibus loci : et ubi est primum, hic non est ultimum. Aliam etiam habet comparationem ad locum per aliud in quo ipse est totus in toto, sicut est forma hostiæ : quia ipse in tota hostia est totus, et in qualibet parte totus : et non est ei assignare primum et medium et ultimum secundum partes loci ipsius hostiæ : et hoc plenius habebitur infra. Unde si Christus efficeretur in loco aliquo circumscriptive, tunc bene concederem, quod recederet a loco in quo erat circumscriptive : sed ad hoc quod alibi efficiatur in loco aliter quam est hic, non oportet quod recedat vel moveatur in isto in quo est circumscriptive.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod loci diversitas, id est, quod diversimode potest esse in locis diversis, non convenit spiritui in quantum spiritus, eo quod neque corpori in quantum corpus : sed convenit Christo in quantum in se et ad alios eosdem vivens operatur : secundum se autem est in loco circumscriptive : ad alios autem comparatus quos unit sibi, oportet quod apud eos sit in ratione et forma cibi qui unit per modum nutrimenti. Objectio autem illa procedit, ac si ista attribuantur corpori per hoc quod est corpus.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod licet de Deo qui ubilibet est, ista sit falsa, Deus est alibi quam ubi est : eo quod ipse sit ubique, et in se per ly *alibi* importatur diversitas loci ad ubique, et ideo falsa est : tamen hæc est vera, Deus est aliter in lapide et in Sanctis et in se, et aliter in templo et aliter in foro, ita quod modus alteritatis retorquetur ad effectus. Ita etiam bene concedendum esse videtur, quod hæc sit falsa, quod corpus Christi sit alibi quam ubi est : quia ubi notatur alteritas vel alietas loci ad ubi : in quo simpliciter est sine distinctione modi essendi ubi circumscriptive vel sacramentaliter : et ideo ad illa sequuntur contradictorie opposita : quia cum ipse sit ubi est, et ipse sit alibi quam ubi est, oporteret quod in omni loco in quo est, etiam non esset, sed in alio. Sed tamen hæc est vera de corpore Christi, Corpus Christi est alibi quam ubi est circumscriptive : quia est in sacramento in quo non est circumscriptive, sed essentialiter in toto totus, et in qualibet parte totus.

Ad 5. Ad aliud dicendum, quod si detur Christum posse esse hic circumscriptive, et in multis aliis locis sacramentaliter : ex hoc non sequitur, quod possit esse ubilibet : et hoc patet, quia cum dicitur, Deus est ubique, sensus est, Deus continet omnem locum et omnem loci particulam, et influit ei virtutem qua locatum continere possit : hoc autem neutro modo se Christus habet ad locum : quia circumscriptive existens in loco, non est ipse in qualibet particula loci totus. Similiter sacramentaliter existens in loco, licet sit in qualibet parte formæ totus, non tamen illa forma per quam Christus est in loco, tota est in qualibet parte loci. Et Christus in altari, ut puto, non habet comparationem ad locum nisi mediante forma sacramenti : et sic patet, quod non sequitur ex hoc ipsum esse ubique secundum quod Deo proprium est esse ubique.

Præterea, Non in omnibus locis et partibus loci consecrari potest corpus Christi, vel etiam consecratum haberi : et ideo iterum ei non convenit esse ubique : tamen hæc secunda ratio non probat corpus Christi ubique posse esse per se, sed per accidens. Prima vero probat per se ubique esse : quod ei non convenit, sed convenit ei posse esse in pluribus locis.

Ad 6. Ad aliud dicendum, quod in veritate quidquid terminans intra tangit locantis corporis terminatos extra, illud mensuratur quantitate interiori et exteriori : et si non habeat aliam comparationem ad locum, quam illam qua quantitate interiori convertitur, sic quantitate exteriori non potest esse in diversis locis simul, sed successive tantum : et hoc ideo, quia dimensiones locantis quæ hic sunt, non possunt esse simul et semel alibi. Sed in corpore Christi non est ita, eo quod diversis modis se habeat ad locum, ut præhabitum est : et ideo potest esse in diversis locis.

Ad 7. Ad aliud dicendum, quod ad hoc quod corpus Christi possit esse cibus nos ad se convertens, oportet quod sit divinitati unitum : et cum gratia illius conveniat ei esse in pluribus locis ubi sunt membra cibanda vel cibata, dixerunt quidam [1], quod in quantum divinum est corpus, habet quod possit esse in locis pluribus : et bene concedo, quod bene habet hoc : non in quantum est gloriosum, sed potius in quantum est cibus.

Ad 8. Ad aliud quod contra hoc objicitur, dicendum videtur, quod licet divinitas unita non tollit quantitatem, tamen ab ipsa unione confertur ei potentia quam non habuit, scilicet potentia cibandi spiritualiter : et per consequens confertur ei, quod possit esse ubi cibanda membra sunt in diversis locis : et ideo non est simile de quanto moto, cui non confertur nova potentia ultra divisibilitatem quantitatis : quia necesse est in loco motus sui primum pertransire minus se aut æquale, quam pertranscat majus se, ut probatur in IX *Physicorum*, ante finem.

Ad aliud dicendum, quod est necessitas magna : quia licet Christus absens possit dare gratiam, tamen gratia illa non haberet omnimodum complementum : eo quod ipsa non est ipse, et totum quod ipse est ipsa gratia : et ideo ut operetur in nobis se toto, necesse est se totum nobis dare in sacramento. Ad

Ad aliud dicendum, quod adhuc salvatur causa institutionis in sacramento, scilicet humilitas, ratione specierum panis et vini post conversionem, et ratione substantiæ panis et vini ante conversionem : et ideo hoc non impedit. Ad

ARTICULUS II.

An verum sit quod dicit Magister, Non hoc corpus quod videtis manducaturi estis ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, A, circa medium : « *Non hoc corpus quod videtis manducaturi estis*, etc. »

Hoc enim expresse falsum est : quia idem corpus comederunt, et eumdem sanguinem biberunt.

Si forte tu dicas, quod Magister videtur in *Littera* solvere, ut non hoc corpus, etc., id est, non sub eadem specie qua crucifigetur, comedetis. Contra :

1. Secundum hoc etiam in forma Eucharistiæ, cum dicitur, *Hoc est corpus meum*, possemus dicere, Non hoc est corpus meum : quia non est ibi sub specie corporis, sed sub specie panis.

2. Item, Pronomen hoc significat sub-

[1] S. Hieronymus, In epist. ad Ephes. : « Caro spiritualis atque divina. » Cf. de consec. dist. II, cap. *Dupliciter* (Nota edit. Lugd.)

stantiam et demonstrat eam : ergo cum substantialiter sint idem corpus, videtur quod non debeat dicere, Non hoc est corpus quod videtis, etc., sed potius sic, Hoc quidem corpus, sed non sub tali specie ministratum.

3. Præterea, Quid est hoc quod dicit, *Caro non prodest quidquam*[1] ? Si enim caro non prodest quidquam, tunc nihil quod fit in respectu sacramenti prodest quidquam. Probatio. Virtute sacramenti nihil convertitur ibi in spiritum increatum vel creatum : ergo de spiritu nihil est ibi virtute sacramenti, sed tantum caro et corpus : ergo si illa non prodest quidquam, videtur quod sacramentum non prosit quidquam.

4. Item, Per hoc quod dixit, « Intellexistis spiritualiter? spiritus et vita sunt : » videtur minime : quia Dominus instruxit discipulos, quod secundum intellectum spiritualem intelligant de mysterio sacramenti : et hoc est contra veritatem, quia Christus nobis corporaliter et essentialiter datur in sacramento, et non spiritualiter tantum.

5. Item, Modus spiritualis manducationis est sine præsentia sacramenti : ergo intelligendo spiritualiter, si referatur ad modum manducandi, de quo instruit ibi Dominus Apostolos, videtur quod non intelligatur quidquam de ritu sacramenti, quod falsum est : et ideo nulla vel imperfecta videtur esse expositio Augustini.

Solutio. Solutio. Dicendum ad hoc quod Augustinus optime exponit in *Littera :* et quia hæretici non intellexerunt expositionem, ideo fomitem erroris in verbis illis acceperunt.

Ad 1. Dicendum ergo ad primum, quod *comedere* dicitur duobus modis : primo modo carnaliter, secundum quod ponit virtutem fortiorem in comedente convertente ad se cibum : et in tali comestione cibus dividitur et patitur, et a se ad cibatum convertitur : et istum intellectum acceperunt discipuli qui abierunt retro : et facti sunt hæretici et hæresiarchæ aliorum hæreticorum qui adhuc sunt, per doctrinam, vel per imitationem : et sic intelligit Augustinus : « Non hoc corpus quod videtis manducaturi estis : » et sic demonstrativum pronomen demonstrat substantiam. Alio modo dicitur *comedere*, ita quod sit cibus spiritualis spiritualiter reficiens, et cujus virtute cibatus convertitur ad cibum spiritualiter per unionem, et non corporaliter per identitatem : et hoc modo intelligit Dionysius et Augustinus : et hoc vocat spiritum et vitam : et Augustinus vocat spiritualem intellectum, id est, intellectum cibi spiritualis spiritualiter reficientis. Unde Magister in *Littera* sequentis capituli minus dicit : quoniam virtute verborum continetur, et relinquit legentibus materiam inquisitionis. Per hoc ergo patet solutio ad hoc quod objicitur de forma, cum dicitur, *Hoc est corpus meum*.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod pronomen substantiam significat : sed cum dicit Augustinus, quod « non hoc corpus quod videtis, etc., » non intelligit ipse, quod non essent manducaturi idem numero : sed potius, quod illud idem numero non essent manducaturi secundum intellectum corporalis manducationis, sicut ipsi intellexerunt : sed quod idem numero comesturi essent sacramentaliter.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod totum ad eumdem intellectum refertur : quia si caro Salvatoris ad nos converteretur (sicut ipsi credebant) et divideretur dentibus, non prodesset nobis quidquam : quia sic non uniret nos meliori quam nos sumus : sed potius ipsa deficeret in nobis, et periret : et ideo dicit Augustinus exponendo, et bene, quod intellectus carnalis non prodest quidquam, sed etiam nocet plurimum.

Ad 4 et 5. Ad aliud dicendum, quod illud quod

[1] Joan. VI, 64.

dicit Augustinus : « Intellexistis spiritualiter ? spiritus et vita sunt : » non excludit sacramentalem comestionem, sed potius supponit eam : sed excludit in comestione sacramentali carnalis comestionis intellectum, ut jam dictum est.

Et per hoc etiam patet solutio ad ultimum.

B. *Determinatio præmissorum.*

Quæ ex eadem ratione omnia accipienda sunt : non enim verbis his negatur verum corpus Christi a fidelibus sumi, vel in altari esse, sed his veritas Apostolos [1], et in eis nos instruxit, quod ipsius corpus non per partes discerptum, ut putaverunt illi discipuli qui retro ierunt, sed integrum : nec visibiliter in forma humana, sed invisibiliter sub forma panis et vini corpus et sanguinem nobis traderet. Quem sensum Augustinus confirmat, dicens [2] : Ipsum quidem, et non ipsum corpus quod videbatur, manducatur : ipsum quidem, invisibiliter : non ipsum, visibiliter. Item, Etsi necesse est illud visibiliter celebrari, necesse est tamen invisibiliter intelligi. Ita etiam intelligendum est corpus Christi esse in uno loco, scilicet visibiliter in forma humana : veritas tamen ejus, id est, divinitas ubique est : veritas etiam ejus, id est, verum corpus in omni altari est ubicumque celebratur. Sic etiam illud intelligendum est : *Semper pauperes habetis vobiscum, me autem non semper habetis* [3], secundum corporalem præsentiam, scilicet qua cum eis conversabatur. Similiter per id quod homo est, in cœlo est, scilicet visibiliter : invisibiliter autem est in altari, quia non in forma humana apparet, sed forma panis et vini operitur. Unde et invisibilis caro ejus dicitur, quæ vere est in altari : sed quia in specie sua non apparet, invisibilis dicitur. Ait enim Augustinus : Hoc est quod dicimus, quod modis omnibus approbare contendimus, sacrificium Ecclesiæ duobus confici, duobus constare : visibili elementorum specie, et invisibili Domini nostri Jesu Christi carne et sanguine : sacramento, et re sacramenti, id est, corpore Christi : sicut et Christi persona constat et conficitur ex Deo et homine, cum Christus sit verus Deus et homo : quia omnis res illarum rerum naturam et veritatem in se continet, ex quibus conficitur. Conficitur autem sa-

[1] Joan. VI, 48 et seq. : *Ego sum panis vitæ*, etc.
[2] S. AUGUSTINUS, Epist. ad Irenæum. Cf. de consec. dist. II, cap. *Non hoc* (Nota edit. Lugd.)
[3] Matth. XXVI, 11.

crificium Ecclesiæ duobus : sacramento, et re sacramenti, id est, corpore Christi. Est ergo sacramentum, et res sacramenti, idem corpus Christi [1]. Ecce invisibilem dixit carnem Christi, quia forma panis operta sumitur et tractatur. Idemque corpus Christi dixit esse sacramentum et rem : ex quo confirmatur quod supra diximus. Deinde addit quod magis movet lectorem : Caro, inquit, ejus est, quam sub forma panis opertam, in sacramento accipimus : et sanguis ejus, quem sub vini specie ac sapore potamus. Caro videlicet carnis, et sanguis sacramentum est sanguinis : carne et sanguine, utroque invisibili, intelligibili, et spirituali significatur corpus Christi visibile et palpabile, plenum gratia et divina majestate [2].

ARTICULUS III.

An hoc verum sit quod dicit Magister, Ipsum quidem, et non ipsum corpus quod videbatur, manducatur ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit in sequenti capitulo, B, circa initium : « *Ipsum quidem, et non ipsum corpus quod videbatur, manducatur*, etc. »

Secundum enim hanc *Litteram* duo contradictoria videntur poni circa idem, cum ly *ipsum* in singulari demonstrat corpus, scilicet quod manducabatur, et non manducabatur. Hoc autem videtur inconveniens : quia

1. Contradictio est oppositio cujus non est medium secundum se : et necesse secundum alteram esse falsam, et alteram veram.

Si dicas, quod non sunt contradictoriæ : quia respectu diversarum formarum non est inconveniens idem numero corpus manducari et non manducari : videtur, quod hoc nihil sit : quia quædam formæ et actus et passiones conveniunt absolute secundum substantiam rei cujus sunt : quædam autem sunt relativæ. Verbi gratia, albedo est forma absoluta, et inest albo, sive comparetur ad aliud, sive non : similitudo autem est forma respectiva : ergo non inest nisi secundum comparationem ad aliud : et in his quæ conveniunt absolute, semper insistunt, et respectu omnium insunt : de sic autem convenientibus est comestio corporis : ergo si corporis est ut sit comestum vel comedatur, convenit ei et in forma panis et in forma humana, ut comedatur, et numquam convenit ei non comedi.

2. Item, Philosophus in I de *Generatione et corruptione*, capitulo de *augmento*, vult quod nihil nutrit nisi secundum id quod est substantia, et auget secundum id quod est substantia quanta : si ergo corpus Christi verissime nutrit et verius quam cibus carnalis, ipsum per substantiam comeditur : quod autem secundum substantiam comeditur, simpliciter comeditur : ergo de ipso non contingit vere dici, quod uno modo comeditur, et alio non : et sic iterum nihil est quod dicitur in *Littera*.

3. Item, Gustus secundum quod est sensus alimenti etiam quidam tactus est, ut dicit Philosophus : ergo non accipit speciem nisi cum tactu substantiæ quæ

[1] S. Augustinus, In libro Sententiarum Prosperi. Cf. de consec. dist. II, cap. *Hoc est* (Nota edit. Lugd.)

[2] Joan. I, 14 : *Et Verbum caro factum est*, etc.

disponitur specie illa : ergo nihil est dictum, quod secundum unam formam comedatur aliquid, et secundum aliam non : quia nihil comeditur nisi secundum suam substantiam.

Solutio. Solutio. Dicendum, quod in veritate Augustinus accipit hic comestionem pro comestione sacramentali, in qua sunt duo, scilicet divisio specierum per masticationem et fractionem, et incorporatio cibantis quæ fit in cibo, scilicet capiti Christo. Et vult Augustinus, quod conjunctim utrumque simul non potest referri ad corpus quod videbatur a discipulis in propria forma : et sic verificatur quod dicit, *non ipsum visibiliter :* sed utrumque verificatur in eo in quo est invisibiliter, scilicet in quo non videtur in forma propria : quia ibi fractio et divisio referuntur ad speciem panis, et incorporatio ad virtutem corporis : et hoc est quod dicit ipsum manducare invisibiliter.

Ad 1. Ad id ergo quod contra objicitur, dicendum quod licet *comedere* cadat super corpus Christi absolute acceptum, tamen secundum quod plura importat ly *comedere*, quæ non conveniunt corpori gratia unius quod est in ipso, sed gratia diversorum : sicut divisio et fractio ex parte una, et unio sive incorporatio ex parte alia : sic bene potest ei attribui comedi secundum unum modum, et non comedi secundum alium modum : quia non tota ratio comestionis sacramentalis est in corpore secundum substantiam corporis : sed quiddam quod est de ratione comestionis, est citra species panis et vini : ideo non contradicunt : sed si utrumque respiceret corporis substantiam absolute, tunc videretur concedendum, quod omnibus modis comederetur.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod corpus quidem nutrit nos secundum substantiam, et non secundum accidentia : secundum substantiam dico unitam divinitati : sed illud nutrimentum est secundum alterum tantum quod est in ratione comestionis, et non secundum id quod est masticatio et divisio et fractio quædam cibi : et secundum hoc bene conceditur, quod corpus Christi existens in forma humana nutrit, licet non sic exhibeatur in sacramento, quod actus masticationis sit super speciem humanam.

Ad aliud dicendum, quod non est ita in hoc sacramento : quia accidentia habent hic virtutem quamdam substantiæ in hoc quod sunt sine subjecto, et nutriunt corpora, et corrumpuntur, et convertuntur : et de hoc infra erit quæstio : et ideo cum hic sit alimentum in solum accidentibus, non spirituale, sed corporale, sufficit gustui tactus accidentium tantum. Ad 3.

ARTICULUS IV.

An sacramentum Eucharistiæ bene dicatur componi ex visibili elementorum specie, et carne Christi ?

Deinde quæritur de hoc quod dicitur, ibi, B, circa medium : « *Hoc est quod dicimus, quod modis omnibus approbare contendimus*, etc. »

Videtur, quod nulla sit hæc confectio sive compositio quam Magister tangit in *Littera*, scilicet quod sacramentum componatur ex visibili elementorum specie et Domini nostri Jesu Christi carne, sacramento videlicet, et re sacramenti.

1. Res enim sacramenti est effectus sacramenti : sed ex causa et effectu numquam fit aliquid, præcipue ex causa efficiente et suo effectu : sed semper secundum essentiam differunt : ergo non fit unum sacramentum ex visibili elementorum specie, et Domini nostri Jesu Christi carne.

2. Item, Unum est in ratione signi, et alterum in ratione signati : ergo differunt, et opponuntur relative : ex corre-

lativis autem et oppositis non fit unum : ergo non conficitur aliquid unum ex his duobus : ergo nec sacramentum unum : et sic iterum nihil est quod dicit Augustinus in *Littera*.

3. Item, Illa quæ enuntiant sacramentum ut partes essentiales, sunt ut forma et materia, sicut supra in omnibus aliis sacramentis ostensum est : sed visibilis elementorum species et Domini nostri Jesu Christi caro, non se habent ad invicem ut forma et materia : ergo non constituunt sacramentum : ergo nihil videtur dicere Augustinus.

Solutio. SOLUTIO. Ad hoc videtur dicendum, quod non intendit hic Augustinus determinare partes essentiales sacramenti quod tantum est sacramentum : sed potius dicere ea quæ exiguntur ad veritatem et sacramenti perfectionem, secundum quod est effectivum veritatis corporis Christi mystici quod est Ecclesia : species autem visibiles operantur illam per modum signandi, ut dicit Magister in sequenti distinctione : quia sicut unus panis fit ex multis granis depuratis, et vinum confluit ex multis uvis, sic congregatur Ecclesia ex multis fidelibus catholice depuratis. Corpus autem Christi verum efficit illam per modum causæ talis, qualis causa est sacramentum. Hoc modo sacramentum ut est causa et signum gratiæ, conficitur ex his duobus, ut ab uno habeat rationem significandi, ab altero autem rationem causandi.

Ad 1. AD PRIMUM ergo dicendum, quod licet unum sit causa alterius hoc modo quo sacramentum est causa, nihil tamen prohibet quin ambo habeant ordinem aliquem ad tertium, et in illo ordine uniantur : sicut etiam est in baptismo ubi character causatur a tinctione exteriori, et cum tinctione exteriori est sacramentum gratiæ interius tingentis et mundantis.

Ad 2. AD ALIUD dicendum, quod illo modo quo opponuntur, non uniuntur : sed potius illo modo quo ordinantur ad tertium, ut dictum est : et est exemplum in patre et filio qui opponuntur relative in divinis et humanis : tamen possunt esse uniti respectu tertii quod aliquo modo est ab ambobus.

Ad 3. AD ALIUD dicendum, quod non conficitur sacramentum his duobus ut partibus essentialibus, quæ sunt forma et materia : sed potius modo prædicto.

ARTICULUS V.

An caro sit sacramentum carnis, et sanguis sacramentum sanguinis ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit Augustinus, ibi, B, in fine : « *Caro videlicet carnis, et sanguis sacramentum est sanguinis*, etc. »

Secundum enim quod dicitur in *Littera*, videtur idem esse sacramentum suiipsius. Quod autem hoc sit magnum inconveniens, patet ex hoc si ita dicatur, quia caro carnis, et sanguis sanguinis : cum enim sacramentum sit signum et causa, erit idem signum et causa suiipsius. Quod autem hoc sit magnum inconveniens, patet ex hoc si ista dividantur.

1. Cum enim omne signum in eo quod signum, notius sit signato : si idem est signum suiipsius, idem erit notius seipso, et minus notum seipso, quod est impossibile.

2. Item, Cum causa sit ante causatum, si idem causa suiipsius est, idem erit prius et posterius seipso : quod est impossibile.

Si autem tu dicas, ut Magister in *Littera* videtur dicere et solvere per metonymiam, quod continens ponatur pro contento in uno istorum sermonum, et signatum pro signo, ut sit sensus : caro est sacramentum carnis, id est, panis species, quæ dicitur caro, eo quod continet

et signat carnem, est sacramentum carnis vel corporis Christi : et eodem modo de sanguine. Si, inquam, sic dicas, non videtur posse stare quod dicitur, scilicet quod utroque, scilicet sanguine et carne invisibili, et intelligibili, et spirituali significatur corpus Christi visibile, passibile, plenum gratia et divina majestate : caro enim signans, quæ secundum istam expositionem est species panis continens carnem, non est invisibilis, et intelligibilis, et spiritualis : sed potius visibilis, et sensibilis, et corporalis, cum habeat omnia accidentia corporis, licet non habeat corporis prioris substantiam.

Si forte iterum ad hoc respondeatur, ut dicit Magister in *Littera*, quod species panis quæ corpus Christi continet, non simpliciter dicitur invisibilis : sed quia caro Christi in ea non videtur in propria specie, sed intelligitur in ea sicut signatum in signo, et spiritualiter, id est, in ratione cibi spiritualis tegitur in eo. Si, inquam, sic dicas, videtur adhuc nihil esse quod dicit : quia dicitur in *Littera*, quod per illud signatur corpus visibile, et palpabile, ut videtur dici ab omnibus.

Ad hoc iterum objicit Magister in *Littera*, quod debet dici visibile, et palpabile : non hic, sed potius ubi in sua forma apparet, scilicet in cœlo.

Sed hoc nihil videtur esse : quia dicit Gregorius, quod omne visibile et palpabile, corporale est : corpus autem Christi non est corporale : ergo nec visibile est, nec palpabile.

Solutio. Ad hoc dicendum videtur, quod Magister bene exponit, licet difficilis sit expositio : sed hæc disputando est declarata.

Et ad ultimum tantum restat solvere, quod *visibile* et *palpabile* dicatur duobus modis, scilicet secundum potestatem sentientis, et secundum potestatem sensibilis, sicut innuit Aristoteles in II de *Anima*, ubi dicit excellentia esse insensibilia : sicut lux in rota solis dicitur visibilis secundum potestatem sui, sed non sentientis. Et quod dicit Gregorius, Omne quod est sensibile, est corporale, intelligitur de sensibili secundum potestatem sentientis : quia ille sensus est per organum, quod habet harmoniam proportionatam ad hoc sensibile vel illud : et talia sensibilia sunt composita et corporalia. Quæ autem sunt sensibilia in se, non oportet esse corporalia : unde puto bene corpora gloriosa esse sensibilia de se : sed quod non immutant sensum nostrum, hoc est ex imperfectione sensuum corporalium, qui non possunt apprehendere lumen tantæ subtilitatis : de hoc tamen plenius erit sermo in tractatu de *resurrectione*.

Adhuc autem videtur falsum esse quod dictum est, quod omne sensibile secundum potestatem nostri sensus, corporale est : et secundum quosdam est instantia de luce, secundum omnes autem de stellis quas videmus. Ad hoc tamen puto esse dicendum, quod intelligitur de sensibili quod est tantum objectum sensus, et non actus et complementum objecti secundum quod agit in sensum visus : sicut est color in sensu usus, cujus actus est lumen et lux : in aliis autem sensibus non est instantia : stellæ autem videntur sub eo quod est actus lucidi et diaphani : et ideo non oportet ut sint corporales.

C. *Quæ sit intelligentia præmissorum ?*

Attende his diligenter, quia tropo quodam utitur hic Augustinus, quo solent res significantes, rerum sortiri vocabula quas significant. Hic enim visibilis species panis vocatur nomine carnis, et visibilis species vini nomine

sanguinis : invisibilis vero et intelligibilis dicitur caro Christi : quia secundum illam speciem non videtur caro, sed intelligitur : ita et sanguis. Caro ergo invisibilis dicitur esse sacramentum carnis visibilis : quia species panis, secundum quam illa non videtur caro, est sacramentum carnis visibilis : quia in carne invisibili, id est, specie secundum quam caro Christi non videtur caro, significatur corpus Christi, quod est visibile et palpabile, ubi in sua forma apparet. Ita et de sanguine accipi debet. Quem sensum confirmat Augustinus [1], aperiens qualiter prædicta intelligenda sint, quia obscure dixerat : consequenter dicens ita panem vocari corpus Christi, cum vere sit sacramentum corporis Christi quod in cruce positum est : sicut ipsa immolatio quæ fit manibus sacerdotis, vocatur Christi passio, non rei veritate, sed significandi mysterio : et sicut sacramentum fidei dicitur fides.

Satis responsum est hæreticis, et objectionibus eorum qui negant verum corpus Christi in altari esse, et panem in corpus, vel vinum in sanguinem, mystica consecratione converti, dicentes : Quis audeat manducare Dominum suum ? Quis etiam audeat dicere, quotidie formari corpus Christi de materia vel substantia, quæ non fuit caro Virginis ?

ARTICULUS VI.

An communicantes sumant Dominum suum ? et, An corpus Christi quotidie formetur ?

Deinde quæritur de rationibus hæreticorum quas proponit Magister in fine sequentis capituli : et primo de illa quam ponit ibi, C, § 2 : « *Quis audeat manducare Dominum suum*, etc. »

Videtur enim bene moveri :

1. Aut enim illa manducatio est per conversionem corporis Christi ad nos, vel per conversionem nostri ad corpus Christi. Si primo modo : tunc Christus atteritur dentibus, et digeritur, et assimilatur nobis, et unitur membris, ut alius cibus : quod est valde inconveniens : quia sic nihil prodesset nobis, sicut nec nos nobis prodesse possumus. Si autem est secundo modo : tunc oportet, quod nos ei uniamur : quidquid autem unitur alteri, necesse est quod removeatur a specie et a substantia propria : si ergo nos unimur Christo, necesse est quod nos recedamus a specie naturali et substantia naturali, qua nos sumus : hoc autem est falsum : ergo nec Christum manducamus, ut videtur.

2. Item, Id quod convertit ad se alterum, est manducans : et id quod est conversum, est manducatum : sed corpus Christi nos ad se convertit : et non e converso : ergo videtur, quod corpus Christi magis manducat nos, quam e converso nos ipsum : hoc autem nullus audet dicere : ergo procedere ratio videtur.

[1] Cf. De consec. dist. II, cap. *Hoc est quod dicimus*, § *Sicut ergo* (Nota edit. Lugd.)

3. Item, Si Christus vere esset in altari, quis auderet nisi præsumptuosus et temerarius accedere? cum Moysi, Exod. III, 6, dixerit : *Ne appropies huc : solve calceamentum de pedibus tuis : locus enim, in quo stas, terra sancta est*[1]. Ergo multo magis si corpus Christi esset in altari, non esset appropinquandum ad ipsum, sed procul recedendum.

Item, Luc. XVIII, 13, laudatur Publicanus, quia nolebat oculos levare : multo magis laudaretur, si nollet corpus Christi attingere : et adhuc plus, si nollet comedere : ergo etiam quilibet alius laudandus est, qui comedere non præsumat Dominum suum : cum igitur omnibus Christi fidelibus præcipiatur ut præparati accipiant corpus Christi, videtur non esse in altari nisi sicut signatum in signo.

Quæst. ULTERIUS quæritur de secunda ratione quam inducit, « Quis etiam audeat dicere, quotidie formari, etc. »

Videtur enim ista ratio habere efficaciam, propter multa inconvenientia quæ videntur sequi si detur oppositum :

1. Aut enim panis convertitur in corpus Christi, aut non. Si sic : tunc videtur procedere ratio, scilicet quod de aliqua materia formatur corpus Christi, de qua ante non erat : aut ergo in toto, aut in parte. Si in toto : ergo generetur : ergo quotidie de novo generatur, quod falsum est. Si in parte : tunc videtur necesse, quod aliqua pars in eo restauretur, vel quod plures habeat partes quam aliud corpus : quorum utrumque est hæresis.

Si autem dicas, quod non convertitur in corpus Christi materia panis : hoc primo est contra ea quæ dicuntur in *Littera*. Secundo autem, quod cum non convertatur in aliud aliquid, vel non maneat in propria essentia, videtur necesse esse quod annihiletur.

Et si hoc datur, hoc quidem in *Littera* improbatur infra in sequenti distinctione. Secundo etiam quia aliquid de materia universali cedit in non ens : et sic jam diuturna frequentatione multum esset diminuta materia : quod est inconveniens : quia oporteret, quod omnia contraherentur in locum minorem quam fuerunt propter annihilationem partium materiæ, quarum locum oporteret repleri, quia vacuum esse non potest.

2. Præterea, Inconveniens est ponere, quod Deus in sacramentis omnis pietatis et gratiæ aliquid annihilet : cum ipse numquam sit causa destructionis, sed creationis et gubernationis et perfectionis omnis rei : ergo videtur, quod convenientissimum sit quod dicit hæc hæresis, scilicet quod non sit in altari nisi sicut signatum in signo. Infra autem ubi disputabitur de tribus opinionibus in sequenti distinctione, ponentur rationes contra annihilationem substantiæ panis : sed hoc modo solvuntur istæ : quia opinio in *Littera* et supra satis improbata est.

Solutio Ad 1. VIDETUR igitur dicendum ad primum, quod argumentatio hæretici nihil habet virtutis : eo quod aliter est in cibo spirituali, et aliter in corporali : spiritualis enim cibus sumitur ut nos ei incorporemur : et hujus ratio supra assignata est in distinctione præcedenti : quia spirituale immutabile est, et ad aliud converti non potest : sed nos ad ipsum per vitæ conformitatem possumus converti : nec sequitur propter hoc, quod ipse magis comedit nos, quam nos eum : quia hoc infertur ac si sit comestio corporalis, quod non est verum, sed potius est comestio spiritualis in sacramento.

Ad aliud dicendum, quod non recedimus a specie naturali, propter hoc quod spiritualia quæ sunt gratiæ non destruunt naturam in aliquo, sed potius perficiunt : unde ambo illa sophismata procedunt ac si esset comestio corporalis et transmutatio in substantia corporali : et hoc non est verum.

[1] Idem dixit Dominus Josue. Cf. Josue, v. 16.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod si condignitas accipiendi quæritur, nemo est dignus : nec aliquis adeo præsumptuosus est, quod confidentia propriæ virtutis accedat : sed licet non simus digni, tamen necessitatem accipiendi habemus, et confidentiam ex benignitate Dei, cum dixit, Matth. xxvi, 26 : *Accipite et comedite.* Et, infra, ℣. 27 : *Bibite ex hoc omnes.*

Ad 3. Ad id autem quod objicitur de Moyse et Publicano, dicendum quod humilitas illorum commendatur in recognitione humilitatis propriæ : sed fatuitas eorum reprobaretur, si adeo fuissent fatui, quod non accessissent vocante eos Domino, præcipue cum sine ipso non sit salus : et ignorantia hujus distinctionis quæ est inter dignitatem propriam, et necessitatem nostræ salutis ex accessu ad Christum, facit hæreticos errare.

Ad quæst. Ad id quod objicitur pro secunda ratione hæreticorum, gravius est solvere : tamen videtur ut ad primum, quod argumentum non valet : quia non ponimus, quod corpus Christi formetur de pane ut de materia : sed potius est transsubstantiatio totius in totum corpus, præter hoc quod corpus Christi aliquid novum in se suscipiat.

Ad 1. Ad hoc quod objicitur de annihilatione, dicendum quod licet quidam antiquorum hoc concesserint, non tamen approbatum est hoc a celebriori opinione modernorum : non enim annihilatur quod in aliud præexistens convertitur, sicut tota substantia panis convertitur in corpus Christi, ut infra habet ostendi.

Sed quia quidam licet pauci dicunt, quod annihilatur, quod tamen ego non puto esse verum : si aliquis vult sustinere opinionem illorum, potest respondere ad primum argumentum contra hoc factum, quod non ex hoc sequitur cœlum vel mundum restringi, si aliquid in nihilum redit de materia : quia materia (ut dicunt quidam) de se multiplex est, et in multiplicatione sui in se restituit semper seipsam in opere propagationis.

Ad aliud dicendum, quod Deus non est causa destructionis propter solam destructionem : quia illa esset operatio stulti, vel maligni : maligni enim est semper destruere id quod est utile, stulti autem est destruere opus suum : sed nihil prohibet, quod aliquid destruatur, ut aliud melius construatur : et sic est hic ubi substantia panis propter hoc destruitur, ne inhæreat ibi hominis opinio, sed transeat ab accidentibus in veram substantiam cibi spiritualis : et hoc non est pietati contrarium. Hæc autem responsio est non secundum me, sed secundum alios : quia ego non puto, quod annihiletur aliquid de hoc, et infra ponam rationes. Ad 2.

D. *Auctoritatibus probat verum corpus Christi esse in altari, et in id panem converti.*

Hæc et his similia objiciunt illi, in divino mysterio legem naturæ sectantes : quorum perfidiam subdita convincunt testimonia. Ait enim veritas : *Accipite et comedite : hoc est corpus meum* [1]. Item, Ambrosius [2] : Si tantum

[1] Matth. xxvi, 26.

[2] S. Ambrosius, Lib. de his qui mysteriis initiantur, cap. 9.

valuit sermo Eliæ, ut ignem de cœlo deponeret, non valebit tantum sermo Christi, ut substantias mutet ? De totius mundi operibus legitur, quia ipse dixit, et facta sunt, etc. [1]. Sermo igitur, id est, Filius, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt, in id mutare quod non erant ? Non enim minus est creare, quam mutare novas naturas rerum. Item [2], Si ordinem quærimus, viro mixta fœmina generare consueverat : liquet ergo, quod præter naturæ ordinem virgo generavit : et hoc quod conficimus corpus ex Virgine est. Quid ergo hic quæris naturæ ordinem in Christi corpore, cum præter naturam sit ipse partus ex Virgine ? Item [3], Ante benedictionem alia species nominatur, post consecrationem corpus significatur : ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem sanguis nuncupatur. Tu dicis, *Amen*, id est, verum est. Quod sermo sonat, affectus sentiat. Item, Augustinus : In specie panis et vini quam videmus, res invisibiles, id est, carnem et sanguinem, honoramus : nec similiter pendimus has duas species, sicut ante consecrationem pendebamus, cum fideliter fateamur ante consecrationem panem esse et vinum, quod natura formavit : post consecrationem vero carnem Christi et sanguinem, quod benedictio consecravit [4]. Item, Ambrosius : Panis est in altari usitatus, ante verba sacra : ubi accessit consecratio, de pane fit Christi caro. Quomodo autem potest quod panis est, esse corpus Christi ? Consecratione, quæ fit sermone Christi [5]. Item, Si tanta vis est in sermone Domini, ut incipiant esse quæ non erant : quanto magis operatorius est, ut sint quæ erant, et in aliud commutentur ? Et sic quod erat panis ante consecrationem, jam corpus Christi est post consecrationem : quia sermo Christi creaturam mutat : et sic ex pane fit corpus Christi, et vinum cum aqua in calicem missum fit sanguis consecratione verbi cœlestis. Item, Augustinus [6] : Sicut per Spiritum sanctum vera Christi caro sine coitu creatur : ita per eumdem ex substantia panis et vini idem corpus Christi et sanguis consecratur. Corpus Christi et veritas est, et figura. Veritas, dum corpus Christi et sanguis virtute Spiritus sancti ex panis vinique substantia efficitur : figura vero est id quod exterius sentitur. Item, Eusebius Emisenus : Invisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis et sanguinis sui, verbo suo, secreta potestate commutat [7].

[1] Cf. Genes. I, 3 et seq. Psal. XXXII, 9.
[2] S. AMBROSIUS, Lib. de his qui mysteriis initiantur, cap. 9.
[3] IDEM, Ibidem.
[4] S. AUGUSTINUS, In Lib. Sententiarum Prosperi.
[5] S. AMBROSIUS, Lib. IV de Sacramentis, cap. 4.
[6] S. AUGUSTINUS, In sermone quodam de verbis Evang. (Nota edit. Lugd.)
[7] Cf. de consec. dist. II, cap. *Quia corpus* (Nota edit. Lugd.)

Ex his aliisque pluribus constat verum corpus Christi et sanguinem in altari esse, imo integrum Christum ibi sub utraque specie : et substantiam panis in corpus, vinique substantiam in sanguinem converti.

ARTICULUS VII.

An virtus verborum consecrationis sit virtus creata, vel increata? Et quando datur illa virtus, utrum in principio, medio, vel fine verborum?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, D, circa initium : « *Si tantum valuit sermo Eliæ, ut ignem de cœlo*, etc. »

Hic est quæstio difficillima de ista virtute verborum, quando infundatur verbis hæc virtus. Et antequam hoc perfecte possit sciri, oportet quærere, Utrum illa virtus sit creata, vel increata?

Videtur enim quod creata :

1. Virtus enim increata sine medio operatur : hæc autem virtus multiplex habet medium, quia sacerdotis prolationem, et substantiam panis et vini, et multa alia quæ in altari proponuntur : ergo videtur, quod ipsa sit creata.

2. Item, Virtus creati est creata : oratio prolata a sacerdote omnino creata est : ergo virtus ejus est creata : sed nullius nisi orationis virtus operatur in sacramento : ergo virtus creata est quæ operatur in sacramento.

3. Item, Forma est quæ operatur in omnibus, quia omnis actio et omnis operatio est a forma : sed forma cujuslibet sacramenti est creata : ergo forma istius. Constat autem, quod virtus agendi in omnibus sequitur essentiam et substantiam rei : ergo virtus istius formæ sequitur essentiam hujus formæ : ergo ipsa est creata, sicut et forma.

Sed contra.

Sed contra hoc videtur esse multiplex ratio, scilicet quia

1. Minor est distantia carnis gloriosæ Virginis a carne Salvatoris : et tamen caro Virginis in carnem Salvatoris converti non potuit, nisi virtute increata : ergo nec substantia panis in carnem Salvatoris convertitur, nisi virtute increata, ut videtur.

2. Item, Philosophus dicit in III de *Anima*, quod agens in omnibus nobilius est patiente, et faciens facto : sed illa virtus quæcumque est, facit de pane corpus Christi : ergo ipsa nobilior est facto : ergo aliquid creatum nobilius est corpore Christi, quod absurdissimum reputabit fidelis homo.

3. Item, Si illa virtus creata est, aut datur orationi scriptæ, vel prolatæ. Si scriptæ : ergo in confectione Eucharistiæ non oporteret nisi habere librum, nihil dicendo, et sic fieret transsubstantiatio, quod hæreticum est : relinquitur ergo quod debetur orationi prolatæ : sed nulla virtus radicata in aliqua essentia extenditur ultra essentiam illam, ita quod sit, essentia illa non existente ; ergo videtur, quod quando oratio prolata deficit, quod deficit etiam virtus illa : ergo est parvæ existentiæ et debilis esse, ut videtur : talia autem non possunt in id quod est perpetuum : ergo non potest in conversionem alicujus in corpus Christi quod perpetuum est et sine fine durans.

Quæst.

Ulterius etiam quæratur, scilicet si creata est, quando datur orationi prolatæ?

Cum enim oratio illa sit quantitas discreta in qua est ordo partium, ita quod sonus unius est post aliam, tam in litte-

ris quam in syllabis, quam etiam in dictionibus : et non sit aliquid continuans inter ista, eo quod oratio sit quantitas discreta : videtur, quod successive infundatur per successionem prolationis elementorum, litterarum, et non infundatur simul.

Si tu diceres (ut quidam dixerunt) quod datur in termino finali orationis. CONTRA : Quidquid de oratione dictum est, hoc de oratione amplius sumi non potest, secundum Philosophum : in termino ergo finali aut intelligis ultimam partem orationis prolatæ, aut terminum ad quem terminatur tota oratio prolata. Si primo modo : tunc residuum orationis ante prolatæ nihil accipit de virtute, cum nihil sit de illa oratione, eo quod dictum sit et amplius sumi non possit : constat autem, quod non proferebatur nisi propter virtutem : cum ergo nullam habeat secundum hoc, inutiliter profertur in sacramento. Si secundo modo. CONTRA : In termino ad quem terminatur orationis prolatio, nihil est de oratione illa : quia quod dictum est, amplius sumi non potest : quod autem nihil est, nullam habet virtutem : ergo illa oratio in termino illo nullam accipit virtutem : cum ergo proferatur propter virtutem, incassum profertur.

Si propter hoc dicatur ei virtus sucessive infundi. CONTRA : Aut ergo unicuique parti orationis prolatæ datur tota, aut cuilibet parti pars sua. Si primo modo : cum igitur natura non abundet in superfluis, nec deficiat in necessariis, et multo magis hoc observetur in gratia : videtur, quod prima parte prolata quæcumque illa sit, incassum proferantur aliæ partes, quod falsum est : non ergo unicuique parti datur tota virtus. Si autem cuilibet parti datur pars sua : ergo illa virtus operatur successive supra materiam sacramenti : ergo in prolatione primæ partis orationis aliquid de pane convertitur in corpus Christi, et aliquid remanet non conversum quod convertitur in secunda parte : et hac absurditate nulla major esse potest.

Si forte dicas, quod illud argumentum etiam non valet : quia, dato quod infundatur etiam successive, prima pars orationis non convertit, sed disponit, et sic omnes usque ad ultimam quæ convertit, sicut fit in generatione naturali, ubi alterationes præcedunt substantialis formæ transmutationem. Si, inquam, dicas sic : hoc absurdissimum est duabus rationibus : quarum una est, quia ista virtus non est alterativa panis, sed transsubstantiativa : et ideo quælibet pars virtutis transsubstantiat. Secunda est : quia in omnibus alteratis substantia alterata aliter se habet in accidentibus quando est juxta transmutationem, quam quando primo incipit disponi : nos autem videmus, quod substantia panis in forma et accidentibus, uno modo se habet in principio et in fine orationis. Præterea, Virtus creata quæ successiva est, sicut exigit terminum a quo primo fit transmutatio, ita exigit terminum ad quem, qui primo fuit in potentia in eo quod transmutatur, et postea in actu : hæc autem virtus non habet hujusmodi terminum ad quem, sicut patet cuilibet fideli : ergo non est creata, et successiva.

SOLUTIO. Dicendum videtur mihi, quod secretum Dei sibi sit committendum : sed tamen quia hæresis importuna est nostro tempore, sine præjudicio conabor respondere de his quæ tantum cum veritate fidei quæ rationem excedit, apponi deberent, eo quod plus virtutis habet verbum Dei quam nos intelligere possumus. solut

Videtur ergo hic melius dicendum, quod virtus hujus orationis sit creata in quantum in ea est virtus increata : sicut supra etiam diximus, quod in verbo creato operatur verbum increatum : et hoc est quod dicitur in *Littera* per auctoritatem Eusebii in fine capituli inductam, scilicet quod « invisibilis sacerdos « visibiles creaturas in substantiam cor« poris et sanguinis sui, verbo suo, se« creta potestate commutat. » Idem

etiam inducitur auctoritate Augustini ante hæc parum inducta, scilicet quod « sicut per Spiritum sanctum vera caro « Christi sine coitu creatur in conceptione « Christi : ita per eumdem ex substantia « panis et vini idem corpus Christi et « sanguis consecratur. » Efficacia hujus virtutis est ex hoc quod conjuncta est virtuti increatæ in ea operanti. Unde dicimus hoc modo, quod creata est, et conjuncta increatæ virtuti in ipsa.

Ad 1. Ad id ergo quod primo objicitur, dicendum videtur, quod minor distantia nihil operatur ad hoc quod facilior sit transmutatio : quia eorumdem in specie non est transmutatio ad invicem, cum transmutatio non sit de actu in actum, sed potius de potentia in actum.

Si autem objicias quod dicit Philosophus, quod habentium symbolum facilior sit transmutatio, dicendum quod illud symbolum non est secundum convenientiam in specie, sed secundum convenientiam in dispositionibus materiæ : sicut facilius transmutatur in aliquid id quod non habet contrarium nisi secundum contrarietatem unam, ut aer in ignem, quam quod habet contrarium in contrarietatibus duabus, ut aqua in ignem : unde id argumentum non concludit.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod illa propositio Philosophi etiam confirmatur ab Augustino : et intelligitur sic, quod ubi agens ex tota virtute sua et sola producit effectum, quod ibi honorabilius est faciens quam factum. Sed ut supra probatum est per auctoritates sanctorum Eusebii et Augustini, in ista oratione operatur virtus divina, et illa virtus creata quæ influitur in ipsam a divina virtute : et ideo non oportet, quod virtus creata sit nobilior corpore Christi. Vel dicatur subtilius, quod cum duo proponuntur virtuti illi quæ creata est, scilicet substantia panis, et corpus Christi, quod operatio Christi non extendit se nisi super substantiam panis : quia corpus Christi non fit : sed panis transsubstantiatur in corpus Christi, uno modo manens ut fuit ante : et ideo non sequitur, quod virtus illa nobilior sit corpore Christi. Prima autem solutio licet non ita solvat ad propositum, sicut secunda, tamen intelligibilior est.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod hæc virtus non datur orationi scriptæ, sicut bene probatur in objiciendo : sed datur orationi prolatæ : sed hoc non est verum, quod virtus ejus deficiat ipsa deficiente : virtus enim orationis radicatur in significatione orationis prolatæ : et significatio non deficit, ut probat Augustinus de verbo mentis, quod non deficit cum prolatione motus vocis : sed hæc virtus significata per orationem remanet in effectu. Et tamen etiam argumentum non valet : quia non oportet, quod si aliquid efficitur ab aliquo, quod efficiens sit tantæ permanentiæ ut effectus : et est instantia in causis efficientibus, quibus destructis, non propter hoc destruitur effectus.

Ad quæst. Ad id autem quod ulterius quæritur, magis est difficile bene respondere. Sine præjudicio tamen dicendum videtur, quod illa ratio referenda est ad signatum, et signatum ad rem : res autem incomplexa est et virtus ejus indivisibilis et una : et ideo nihil est quærere, Utrum pars ejus post partem vel tota simul infunditur?

Qualiter autem hoc sit intelligendum, sic patere potest : Cum dicitur, *Hoc est corpus meum*, in hac oratione est subjectum, et prædicatum, et compositio utriusque resolvitur ad signatum : ergo erit signatum hujus orationis hoc demonstratum corpus Christi esse. Si ulterius hoc reducatur in esse totum, hoc non est nisi corpus Christi sine compositione et completione : et ex parte illius una est res illius orationis : et in quantum sic respicit unitatem rei sine compositione et completione, est sua virtus una sine compositione et completione. Et ideo non videtur esse dicendum, quod sylla-

batim vel litteratim vel secundum ordinem prolationis dictionum in fundatur : sed cum dicta est, in termino finali totam virtutem habet.

Ad id autem quod contra objicitur, dicendum, quod intelligendo terminum ad quem prolatio orationis terminatur intra, sive ille terminus compositus sit, sive simplex : quia de hoc nulla est mihi vis, dummodo accipiatur terminus orationis ultra quem nihil est de oratione, et in quo tota est prolata.

Ad hoc autem quod objicitur, quod in termino orationis dictum est et amplius non potest sumi, dicendum quod hoc verum esset si oratio hic tantum secundum rationem prolationis acciperetur : sed (ut dictum est) ad signatum refertur, et significatio orationis non transit oratione transeunte : aliud enim est tempus in qua profertur omnino, et aliud pro quo profertur, sicut cum dicitur, Ego dormio, impossibile est hanc orationem verificari pro tempore in quo profertur : ita dico hic, quod significatio orationis est indivisibilis res ad quam refertur tota oratio pro tempore finiente prolationem, et tunc habet virtutem quæ est in ea virtute suæ significationis : et sic patet, quod prima pars non profertur incassum, quia sine ipsa ut est ordinata ad ultimam non expleret ultima significationem totius orationis : et per hoc patet solutio ad omnia objecta præter ultimum.

Ad quod dici potest, quod hoc verum est de virtute creata, cujus actus proportionatus est materiæ in quam agit quantum ad utrumque terminum transmutationis : sicut est virtus naturalis. Sic autem non oportet, quod sit hic : quia alter terminorum non subjacet virtuti : eo quod ille manet in uno modo semper : et ideo ista virtus non habet nisi terminum a quo in quem operetur. Fuerunt tamen quidam qui dicebant, quod nulla virtus creata in transmutatione substantiali operatur, nisi quoad terminum a quo : quia ponebant hic, quod naturalis virtus quæ est in materia non daret formam specificam specialem, sed tantum disponeret materiam, et postea forma daretur a datore formarum, scilicet intelligentia prima vel aliqua secundarum : et secundum illos non valet argumentum : quia procederet ex falsis. Sed ego puto, quod illa opinio falsa est : et ideo primam solutionem puto et judico esse veriorem et meliorem.

ARTICULUS VIII.

An majoris potentiæ sit facere de pane corpus Christi, quam de nullo facere aliquid?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, D, circa initium : « *Sermo igitur, id est, Filius, qui potuit ex nihilo facere quod non erat*, etc. »

Videtur enim, quod nihil dicat hic Ambrosius.

1. Cum enim ex nihilo fit aliquid : licet infinita sit distantia, id est, nullam habeat hic proportionem termini mutationis : tamen nihil est reluctans operationi divinæ ex parte materiæ, ex qua est transmutatio in aliquid. Cum autem corpus Christi fit de pane, reluctantur forma panis et natura corporis Christi : quia corruptibile grossum, inanimatum, et artificiale non habet convenientiam cum spirituali, incorporali, glorioso, animato, divino : reluctantium autem magis est difficilis transmutatio, quam non reluctantium ; ergo magis est de pane facere corpus Christi, quam de nihilo facere aliquid.

2. Item, Augustinus dicit, quod « magis est de impio facere pium, quam creare cœlum et terram : » sed cum in infinitum majus sit de pane facere corpus Christi, quam de impio facere pium : in infinitum erit majoris potentiæ de

pane facere corpus Christi, quam ex nihilo facere subsistere creaturas : ergo nihil est quod dicit Ambrosius in *Littera*,

3. Item, Hoc videtur ex hoc quod primum, scilicet ex nihilo facere aliquid, non adeo repugnat rationi sicut secundum : unde multi Philosophorum deprehenderunt primum, nullus autem secundum : ergo videtur, quod majoris potentiæ sit facere secundum quam primum.

Solutio. Solutio. Dicendum ad hoc, quod ista duo opera virtutis divinæ dupliciter possunt considerari. Uno modo secundum distantiam extremorum : et sic nulli dubium est, quin plus distet non ens ab ente quolibet, quam ens ab ente : et hoc modo creare aliquid ex nihilo majoris potentiæ est, quam quodlibet ens vertere in quodlibet aliud. Alio modo possunt considerari extrema mutationis, non secundum se et secundum distantiam sui ad invicem, sed secundum dispositiones quibus disponuntur ad motum : et sic verum est, quod nihil contrariatur Deo ex parte nihili in creatione, sed aliquid potest reniti conversioni alicujus in aliquid. Et sic procedunt rationes inductæ : et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICULUS IX.

An oporteat quærere naturæ ordinem in Christi corpore?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, D, circa medium : « *Quid ergo quæris hic naturæ ordinem in Christi corpore*, etc. »

Ex hoc enim videtur, quod

1. Non licet quærere hic rationem, et sic peccant illi qui quærunt in disputatione de istis.

2. Ad hoc etiam facit, quod non quæritur ratio in his quæ sunt contraria principiis rationis, quibus ratio accipit scientiam : rationis autem principium est accidens in subjecto esse, et sine ipso esse non posse, corpus locatum et locum esse æqualia secundum dimensiones, corpus unum in aliud sine corruptione substantialiter converti non posse, transmutationem substantialem sine agentibus et patientibus sive physice fieri non posse, et hujusmodi : quæ omnino contrario modo se habent in isto sacramento : ergo videtur, quod sit contra rationis principium : ergo non est quærenda in eo ratio.

Sed contra. Sed contra hoc est

1. Communis omnium et Sanctorum et Magistrorum disputatio.

2. Item, Petrus in prima canonica dicit : *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos reddere rationem de ea quæ in vobis est* fide et *spe*[1] : ergo etiam abundans ratio debet esse apud nos de his quæ credimus : ergo ratio est investiganda.

3. Item, Nullum verum vero est contrarium : ergo omne verum cum quolibet vero salvatur : si ergo quæ credimus de sacramento, sunt vera, per nullum verum improbantur vel destruuntur : ergo possumus sustinere disputationem quæ fit contra sacramentum, ne improbetur veritas.

Solutio. Solutio. Dicendum, quod absque dubio in hoc sacramento et in omnibus aliis articulis fidei multa sunt supra rationem, et nihil est in eis contra rationem : quia jam Deus esset sibi contrarius, si nobis rationem dedisset, et in sacramentis contra dictamen rationis ageret : supra rationem ergo sunt multa in sacramentis, ut impleatur illud Psalmi CXXXVIII, 6 : *Mirabilis facta est scientia tua*, etc.

Ad 1. Ad illud ergo quod objicitur ex *Lit-*

[1] I Petr. III, 15.

tera primo, dicendum quod res dupliciter considerantur, scilicet secundum causas suas proximas, et dispositiones, et proprietates, et virtutes : sicut sunt materia et forma, calidum et frigidum, et hujusmodi : et ratio progrediens ex illis et effectibus illorum sæpe et multum deficit a divinis. Considerantur etiam ex relatione ad causam primam, et sic ipsa res et omnia quæ sunt rei, habent se in ratione obedientiæ ad causam primam : et fit in eis quidquid vult causa prima quæ magis influit quam aliqua secundarum : et hoc modo procedit ratio in operibus divinis et miraculis, et aliis quæ sunt supra naturam. Ratio ergo quæ negatur quærenda esse in *Littera*, est ratio primo modo procedens, et non ratio procedens ex principiis secundo modo acceptis.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod omnia illa principia secundum relationem ad causam primam se habent ut obedientia : et ideo ratio non supponit ea nisi secundum transmutationem physicam. Cum autem quæritur de transmutatione divina, procedit ratio ex altioribus principiis : his quidem non contrariis, sed istis utentibus potius ad libitum : quia se habent ad alia sicut obedientia.

ARTICULUS X.

An in sacramento Eucharistiæ potest dici creari corpus Christi per Spiritum sanctum? et, Utrum per Spiritum fiat transsubstantiatio?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, D, circa finem : « *Sicut per Spiritum sanctum vera caro*, etc. »

Hoc enim dupliciter videtur inconveniens.

1. Primo quidem : quia creatur id quod fit de nihilo : Christus autem quoad carnis substantiam non est factus de nihilo, sed ex purissimis sanguinibus gloriosæ Virginis : ergo vera caro Christi per Spiritum sanctum non est creata.

2. Secundo autem quod magis est ad propositum : quia per Spiritum non videtur esse transsubstantiatio in sacramento, sed potius virtute verborum : quia aliter ad nihil esset utilis forma sacramenti.

3. Si forte dicatur, quod oportet in verbo esse divinam virtutem qua operetur, sicut etiam in aliis sacramentis : tunc videtur adhuc, quod inconvenienter attribuitur Spiritui sancto : sed potius Filio erit hoc attribuendum, quod Verbum increatum symbolum habet ad hoc cum verbo creato : unde virtus Verbi increati operantis est in verbo creato : non ergo hoc attribuendum est Spiritui sancto.

Sed contra Sed contra

Idem eodem modo se habens, non est referendum nisi ad unam causam operantem : caro Christi in sacramento eadem est quam traxit de Virgine, et eodem modo se habens in substantiaibus : ergo referenda est in sacramento ad eamdem causam operantem, ad quam refertur in Virgine : sed in Virgine attribuitur Spiritui sancto : ergo etiam in sacramento, sicut expresse dicit Augustinus in *Littera*.

Solutio. Solutio. Dicendum ad primum, quod multa de hoc dicta sunt super tertium *Sententiarum*. Quantum autem pertinet ad præsentem tractatum, dicendum quod *creare* dicitur multipliciter, scilicet ex parte creantis : et sic creatio est actus divinus non subjacens tempori : et hoc modo dicitur corpus Christi creatum. Alio modo dicitur *creatio* secundum quod est ejus quod secundum suam rationem non fundatur in aliquo priori se, sed omnia alia fundantur in ipso : quia illud necesse est fieri ex nihilo si fit : et hoc modo dicit Philosophus, quod prima rerum creatarum est esse, et non est

Ad 1.

ante ipsum creatum aliud. Et dicit ibi Commentator, quod ens fit per creationem : bonum autem et verum per informationem : quia habent se ad ens, sicut ad fundamentum in quo fundantur. Tertio modo dicitur *creari* id quod secundum esse non est ex aliquo, licet secundum intentionem habeat aliquid prius se : et sic dicitur mundus et cœlum creata esse de nihilo.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod in veritate operatio corporis Christi in sacramento principaliter attribuitur Verbo increato, id est, appropriate, sicut supra in quæstione de *forma sacramenti* dictum est : tamen secundum aliquid quod est in sacramento, Spiritui sancto appropriatur, scilicet quoad amorem unitivum corporis mystici, et quoad hoc intelligitur verbum Augustini in *Littera.*

Ad 3. Ad objectum aliud, dicendum quod in utero caro Christi fiebat secundum esse carnis quæ non fuit ante : et illa operatio propter attributionem gratiæ et bonitatis appropriate convenit Spiritui sancto. In sacramento autem non fit sic : quia non fit caro quæ non fuit ante : sed potius illa eadem quæ est, et fuit ante. Unde operatio transsubstantiationis non extendit se nisi super substantiam panis et vini : et hoc fit verbo creato in quo operatur Verbum increatum : et ideo non est idem modus operandi : et hoc est quod dicit Eusebius in ultima auctoritate in hoc capitulo inducta ibi, « Invisibilis sacerdos visibiles « creaturas, etc. »

DISTINCTIO XI.

De transsubstantiatione.

A. *De modo* [1] *conversionis.*

Si autem quæritur, Qualis sit illa conversio : an formalis, an substantialis, vel alterius generis ? diffinire non sufficio. Formalem tamen non esse cognosco : quia species rerum quæ ante fuerant, remanent, et sapor, et pondus. Quibusdam esse videtur substantialis, dicentibus sic substantiam converti in substantiam, ut hæc essentialiter fiat illa. Cui sensui præmissæ auctoritates consentire videtur.

B. *Oppositio.*

Sed huic sententiæ sic opponitur ab aliis, Si substantia panis, inquiunt, vel vini convertitur substantialiter in corpus vel sanguinem Christi, quotidie fit aliqua substantia corpus vel sanguis Christi, quæ ante non erat corpus : et hodie est aliquid corpus Christi, quod heri non erat : et quotidie augetur corpus Christi atque formatur de materia, de qua in conceptione non fuit factum.

Quibus hoc modo responderi potest, quia non ea ratione dicitur corpus Christi confici verbo cœlesti, quod ipsum corpus in conceptu Virginis formatum deinceps formetur : sed quia substantia panis vel vini, quæ ante non fuerat corpus Christi vel sanguis, verbo cœlesti fit corpus vel sanguis.

[1] Edit. J. Alleaume, *modis.*

Et ideo sacerdotes dicuntur conficere corpus Christi et sanguinem, quia eorum ministerio substantia panis fit caro, et substantia vini fit sanguis Christi : nec tamen aliquid additur corpori vel sanguini, nec augetur corpus Christi vel sanguis.

DIVISIO TEXTUS.

« *Si autem quæritur, Qualis sit illa*, etc. »

Hic incipit Magister agere de modo conversionis.

Et dividitur in tres partes : in quarum prima tangit conversionem ex parte actus transsubstantiationis, et ex parte terminorum. In secunda autem, tangit modum conversionis ex parte formarum remanentium : et hæc incipit in distinctione XII, ibi, A, « *Sub alia etiam specie tribus de causis*, etc. » Et ibidem tangit de materia hujus sacramenti. In tertia autem, tangit actus sacramentales : ut fractio, partitio, et comestio, super quid sint? Utrum super formam remanentem, vel super aliud aliquid in sacramento? et hoc tangit in distinctione XIII, ibi, A, « *Solet etiam quæri de fractione et partitione*, etc. »

Circa primum autem in residuo hujus distinctionis facit Magister in *Littera* quæstionem : et ad solutionem hujus tres opiniones inducit, aliquas probans, et aliam improbans per auctoritates.

Quæstio autem est hæc, Utrum illa conversio sit formalis, aut substantialis? Et determinat, quod non est formalis : quia forma remanet, transmutatum autem secundum formam non remanet.

Et postea solvendo inducit tres opiniones, quæ patent in *Littera*, et ex disputatione patebit intentio capituli : quia omnes tres opiniones in uno capitulo inducuntur.

ARTICULUS I.

An in sacramento corporis Christi sit aliqua conversio sive transmutatio?

Quæramus ergo circa principium capituli quatuor : scilicet, an sit in hoc sacramento aliqua conversio?

Secundo, Cujusmodi conversio, vel transmutatio?

Tertio, Utrum illa transmutatio sit in tempore vel subito?

Quarto, et ultimo quæritur, Qualiter se habeat ad transmutationem creationis, et operationem naturæ, et operationem illam qua fiunt miracula? Et ibidem determinabitur, Utrum sit mirabilis, vel miraculosa?

Ad PRIMUM horum sic proceditur :

1. In omni transmutatione necesse est accipere subjectum, et duo extrema inter quæ fit transmutatio : subjectum autem est quod est idem sub utroque extremorum, licet differant secundum formam et esse : in sacramento autem non est accipere sic : ergo non est aliqua transmutatio in sacramento. PROBATUR autem prima per dicta omnium Philosophorum. Cum enim transmutatio sit via ad esse, oportet eam esse in aliquo sicut in subjecto. Similiter cum transmutatur, fit renovatio situs, vel esse, vel formæ alicujus accidentalis : et oportet esse duo extrema, unum a quo, et alterum ad quod fit transmutatio. SECUNDA autem probatur per hoc quod nihil additur corpori Christi :

nec aliquid secundum materiam est sub forma corporis Christi post consecrationem, quod ante modo fuit.

2. Item, Si est transmutatio : aut est secundum totum, aut secundum partem. Si secundum totum, ita quod totum manens totum ad alium transfertur situm, tunc erit loci mutatio, quod est falsum. Si autem secundum partem : aut essentialem, et tunc erit generatio, vel corruptio : aut accidentalem, et tunc erit alteratio, vel augmentatio, vel diminutio. Constat autem, quod nihil horum est. Ergo patet, quod nulla transmutatio est in sacramento.

3. Si forte tu dicas, quod illæ rationes non tenent hic, sed tantum in mutatione naturali : hæc autem mutatio est mirabilis. Contra : In omnibus mirabilibus mutationibus video, quod est potentia obedientiæ quæ postea terminata est sub actu mirabiliter inducto, et manet sub illo. Licet enim cæcus non possit videre, cum collata sit ei potentia, terminata illa et completa, manet sub visu restituto per miraculum. Ergo videtur, quod etiam hic aliquid panis in quo fundatur potentia obedientiæ conversionis in corpus Christi, maneat sub actu corporis Christi : nihil autem manet, ut dicunt Sancti : ergo non est hic aliqua converso, vel transmutatio, ut videtur.

4. Item, Boetius in libro de *Duabus naturis in una persona Christi*, dicit, quod omnis transmutatio est secundum aliquid commune. Cum ergo Auctor dicat hoc tractando materiam fidei, videtur quod teneat hoc etiam hic in sacramentis quæ fide accipiuntur : ergo si esset transsubstantiatio hic, oporteret aliquid unum numero et substantia prius esse sub forma panis et vini, et postea sub forma corporis Christi.

5. Item, Idem eodem modo manens nullo modo mutatur : ergo a destructione consequentis, si mutatur aliquid idem et unum, non manet eodem modo : diversus autem modus non attenditur nisi penes diversitatem formæ panis, et postea sub forma corporis Christi : ergo aliquid idem et unum est primo sub forma panis, et postea sub forma corporis Christi : sed hoc falsum est, ut dicitur ab omnibus, et in *Littera* probatur esse falsum per dicta Sanctorum : ergo nihil immutatur in sacramento : ergo nulla est in eo transmutatio, ut videtur.

6. Si forte tu dicas, quod aliter est in operibus naturæ : quia Deus operando, non quærit materiam supra quam operetur : sicut creatio est actus divinus non quærens materiam nec supponens, et ita potest facere transmutationem quæ non fundatur in aliquo transmutato. Si, inquam, sic dicas, illud videtur absurdum, et contra fidem, triplici ratione. Primo quidem : quia creatio est ex nihilo : sed transsubstantiatio est de pane et vino, unde præsupponit sibi ens de quo fit, sed non creatio.

Secundo : quia transsubstantiatio quæ est in sacramento, est alicujus, et non potest dici, quod nullius : transsubstantiatio autem quæ est alicujus, aut est illius ut ad quod, aut illius ut in quo et a quo : non autem est hic ut ad quod : quia sic non diceretur transsubstantiatio panis, sed potius corporis Christi : ergo dicetur alicujus ut in quo, et sic habetur propositum : et si est ibi transmutatio aliqua, videtur quod manet ibi aliquid commune, quod prius improbatum est : ergo non est transmutatio aliqua.

Tertio vero, quia non quæritur, in rebus quid Deus possit facere, sed quid in rebus possit fieri, ut dicit Augustinus in IV super *Genessim ad litteram* : sed nec intellectus capit, nec natura sustinet, quod transmutatio sit a tota substantia rei, id est, a forma et materia : quia potius esset annihilatio, quam transmutatio : ergo non est in sacramento aliqua transmutatio, ut videtur : quia si esset, a tota substantia rei esset.

Solutio. Dicendum hic videtur sine præjudicio melioris sententiæ, quod in sacramento isto est transmutatio, quæ Soluti

proprie *transsubstantiatio* vocatur : eo quod est a tota substantia rei in totam substantiam rei alterius, hoc est, a tota substantia panis et vini in totam substantiam corporis et sanguinis Jesu Christi quantum ad formam substantialem et materiam, et desinit totum compositum panis et vini quantum ad substantialia, et est ibi totus Christus quoad materiam. Utrum autem panis annihiletur, vel non : erit postea quæstio in hoc eodem capitulo, ubi disputabitur secunda opinio.

Ad 1. DICENDUM ergo ad primum, quod in veritate in omni transmutatione necesse est habere duo extrema, sed non est necesse in omni transmutatione haberi subjectum. Et est instantia in creatione : cujus ratio est, quia non est vere transmutatio : transmutatio enim dicit fieri ipsius rei, et exitum ejus de potentia ad actum. Cum autem res est in actu illo, tunc non est sub forma a qua est transmutatio, nec est sub illa ad quam est nisi in potentia tantum, et est ipsa transmutatio actus quidam imperfectus et permixtus potentiæ, et ideo tale fieri non est sine motu, et motus non potest esse nisi in eo quod movetur, propter quod oportet aliquid subjici tali transmutationi. Est autem transmutatio quæ non est motus, sed mutatio sola. Et hæc est duplex, scilicet ab agente physico : et sic est generatio simplex absolute considerata, et sic iterum indiget subjecto, eo quod agens physice non agit, nisi subjecta sibi materia aliqua in quam agat. Est etiam agens primum infinitæ virtutis, cujus transmutatio est sine motu et indivisibilis, eo quod nihil est ibi nisi existentia hujus ex illo, et post esse suum substantiale : et ideo non oportet ibi subjici materiam aliquam : unde meo judicio illa transmutatio non habet nisi terminos, et non subjectum commune quod est tertium in mutatione physica.

Ad 2. AD ALIUD dicendum, quod bene conceditur, quod nulla transmutatio quæ a Philosophis ponitur, est hic : quia nec ipsi posuerunt omnes : sed illas tantum in quibus est exitus de potentia ad actum, qui actus prius est in potentia mutari quam mutatum esse.

Ad 3. AD ALIUD quod objicitur de operibus miraculorum, dicendum quod miracula sunt ad restaurandum defectiones naturæ, ut quando cæci illuminantur, et hujusmodi. Et ideo necesse est in eis esse potentiam naturalem perfectam, per actum inductum miraculose : quia si natura posset inducere sic actum, non alium induceret quam eumdem : sed opus hujus sacramenti totum est gratiæ ad nutrimentum spiritus, et ideo nihil corporeæ potentiæ potest in eo manere : sed in ipso accipimus spiritum cui sumus uniendi, non quidem mutatum in se vel in alio, quia sic non esset perfectus, sed eodem modo manentem.

Ad 4. AD ALIUD dicendum, quod Boetius loquitur contra Nestorium et Eutychetem hæreticos, ponentes quod substantia divina in unione naturarum in Christo conversa fuerit in humanam, sicut aqua in vinum convertitur. Et hoc improbat ipse per illa principia, quod non transmutantur ad invicem, nisi quorum est materia una communicabilis utrique : et non vult dicere, quod nulla transmutatio divina sit, quæ non supponat materiam aliquam quæ sit subjectum transmutationis. Unde illud non contradicit isti, quod licet sit in materia divina fidei, non tamen quantum ad eumdem modum articuli vel mutationis.

Ad 5. AD ALIUD dicendum, quod bene conceditur, quod panis non eodem modo se habet : sed est non eodem modo se habere quoad totam substantiam et formam, et non habere se eodem modo quoad partem substantialem vel accidentalem. Dico igitur, quod non eodem modo se habet in tota substantia, quia transmutatur a tota substantia : Christus autem eodem modo se habet tunc, et ante, et post, eo quod nihil additur ei nec aliquid advenit.

Ad 6. AD ULTIMUM est magis difficile respon-

dere : quia hoc est contra totum quod hactenus suppositum est in solutione : dici tamen potest, quod licet transsubstantiatio præsupponat sibi ens ex quo fit : non tamen præsupponit sibi, ut materiam quæ una sit in actu ejus a quo et in quo fit transsubstantiatio : quia sic non esset transsubstantiatio a tota substantia, sed a forma substantiali tantum : et ideo nihil remanet : quia sicut actui creationis in quantum actio, nihil subjicitur ut subjectum, ita etiam isti transsubstantiationi nihil subjicitur ut subjectum : sed verum est, quod dissimile est in termino a quo : quia ibi non præsupponitur ens, sed nihil, sed hic præsupponitur ens.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod in veritate transmutatio est alicujus non in quo, sed ut a quo, unde denominat id a quo est : quia illud transmutatur, et illud est ens, et non cedit in non ens, licet sit mutatio a tota substantia. Ad hoc autem quod contra hoc objicitur, dicendum quod panis formæ accidentales manent, et non forma substantialis, et quoad hanc est ibi transmutatio.

Si autem aliquis objiciat, quod species transmutationum magis distinguuntur penes terminum ad quem, quam a quo, ut generatio, et corruptio, et hujusmodi : ergo et ista debet distingui penes terminum ad quem. Dicendum, quod non sequitur : quia illæ transmutationes sunt via in actu a quo specificantur, et inducunt illum, et actus ille est in potentia exeunte ad actum purum potentiæ non permixtum. Sed hic non est ita : quia non puto tutum esse concedere, quod hæc transmutatio aliquo modo attingat corpus Christi : unde non fundatur nisi in altero terminorum secundum quod dicit mutationem. Tamen quidam sunt qui dicunt duos esse terminos hujus mutationis, ut mutatio est a tota substantia existente, in totam substantiam existentem : de hoc autem infra inquiretur.

Ad 3. Ad ultimum dicendum, quod Augustinus loquitur ibi de institutione operum naturæ, scilicet qualiter aqua est super cœlos, et hujusmodi : in quibus quidam ignorantes volunt evadere, quod essent potentiæ Dei attribuenda : et in illo casu est verum quod dicit : quia cum creavit mundum, non disposuit partes mundi secundum potestatem suam, sed potius secundum exigentiam uniuscujusque naturæ, secundum quod hæc conservatur ab illa, et juvat ad mundi propagationem : hic autem totius cursus operis mirabilis est : et ideo non valet hic dictum illud, sicut nec in aliis miraculis.

ARTICULUS II.

Qualis est hujusmodi transmutatio vel conversio ?

Secundo quæritur, Cujusmodi mutatio vel converso sit ista quæ est in sacramento ?

Videtur enim, quod non sit a tota substantia.

1. Si enim sit mutatio a tota substantia, non manebit postea actus illius substantiæ proprius : ergo a destructione concedentis, si maneat actus substantiæ proprius, non est mutatio a tota substantia : sed manet actus substantiæ qui est reficere : ergo manet substantia vel aliquid substantiæ : et sic non est mutatio a tota substantia.

2. Item, Damascenus dicit, quod sicut ex duplici sumus substantia, scilicet anima et carne : ita duplex est cibus : substantiæ enim panis conjunxit divinitatem ut faceret nobis edulium : ergo videtur, quod substantia panis manet.

3. Item, In aliis sacramentis sicut in baptismo, confirmatione, etc., manet substantia materiæ : ergo videtur, quod etiam hic manere debeat : cum ergo substantia panis sit materia, materia debet ibi manere, et non est mutatio ab ipsa, ut videtur.

4. Item, Fundamento non manente, nihil eorum quæ sunt superædificata, manent : accidens autem ædificatur quoad esse super substantiam, sicut super fundamentum : ergo substantia non manente, nec accidens illius substantiæ manet : sed manet accidens : ergo manet substantia illius accidentis, ut videtur.

5. Item, Communiter dicitur, quod accidentalis forma manet, ideo quia aliter non duceret in rationem cibi : et hoc est contra rationem sacramenti, de cujus ratione est quod sit sensibile signum aliud faciens venire in notitiam. Constat autem, quod licet accidens faciat ad cognitionem ejus quod quid est, tamen unumquodque verius cognoscitur forma substantiali, quam accidentali : ergo ratio et cognitio cibi quæ in sacramento accipienda est, verius et melius accipitur per formam substantialem, quam accidentalem : ergo magis debet manere forma substantialis, quam accidentalis.

Item, Omne quod mutatur, est aliter se habens quam prius : sed quod causatur a tota substantia, non habet se aliter post mutationem, quia annihilatum est : ergo non debet esse transmutatio a tota substantia, ut videtur.

6. Item, Non videtur esse intelligibile, quod aliquid mutetur a tota substantia : quod enim mutatur, hoc aliter se habet quam prius : quod autem aliter se habet quam prius, aliud est nunc quam prius fuit : ergo oportet, quod maneat aliquid ejus nunc ut prius : non igitur est mutatio a tota substantia, ut videtur.

7. Præterea, Detur, quod mutetur aliquid a tota substantia ipsius : ergo nihil manet : nec enim forma, nec materia : cujus autem nihil manet, nihil illius in aliquid convertitur : substantiæ autem panis si mutatio est a tota substantia, nihil manet : ergo nihil ejus convertitur in aliud : ergo substantia panis non convertitur in corpus Christi, quod est contra omnes, quia nulla est hic transsubstantiatio nisi panis et vini in corpus Christi, ut videtur omnibus.

8. Item, Aliud est hoc esse hoc, et aliud est hoc transmutari in hoc, et aliud est hoc esse post hoc. Cum igitur dicitur panis transmutari in corpus Christi, oportet quod secundum unum illorum sensuum dicatur, scilicet quod panis sit corpus Christi sine transmutatione, et hoc est falsum : quia panis et corpus Christi disparata sunt, et unum removetur ab altero, ut homo et asinus. Aut quod mutatur in illud : et cum omne quod transmutatur, prius sit in fieri quam in facto esse, oporteret quod quandoque panis fieret corpus Christi, quod est falsum, quia sic corpus Christi esset in potentia et in exitu de potentia ad actum, et inciperet esse de novo : omne enim quod exit de potentia ad actum, est novum et generatum vel simpliciter vel secundum aliquid sui. Et hæc omnia fides circa corpus Christi abhorret. Si autem tertio modo dicatur, quod idem sit transmutari in hoc quod est hoc esse post illud. Contra : Non est intelligibile, quod de pane post panem fiat corpus Christi sine mutatione media : ergo videtur, quod non sit ille sensus.

9. Præterea, Si sic panis erit corpus Christi, tunc quandoque verum erit dicere, panis est corpus Christi : quidquid enim erit in futuro verum, in aliquo præsenti verificabitur : numquam autem verum erit dicere, panis est corpus Christi : ergo hæc numquam fuit vera, panis erit corpus Christi.

10. Præterea, Cum dicitur, Hoc fit hoc, quid supponit ly *hoc?* Si panem, tunc panis erit corpus Christi, quod jam improbatum est : si aliud, tunc aliud quam panis convertitur in corpus Christi, quod falsum est.

Solutio. Dicendum sine præjudicio, quod in materia ista et in materia de Trinitate non sunt sufficientia verba quæ exprimant modum divinæ operationis : sed balbutiendo in quantum possumus, excelsa Dei resonamus : unde puto, quod verius ista transmutatio vocatur *transsub-* Solutio.

stantiatio, sicut etiam quidam antiquorum dixerunt : et modus ejus est quod sit a tota substantia panis quoad formam, et quoad materiam, ita scilicet, quod de toto composito quoad essentiales partes nihil maneat.

Ad 1. Ad primum ergo dicendum, quod non oportet, quod actus proprius substantiæ non maneat, non manente substantia : actus enim substantiæ est mediantibus viribus et potentiis : potentiæ autem sunt proprietates quæ non sunt de esse primo, sed secundo : et ideo in ista transsubstantiatione manet actus cibandi et reficiendi in potentiis, fundatus in his quæ immediate consequuntur compositionem panis, quæ sunt sapor, et quantitas, et hujusmodi : sed si illa non manerent, tunc verum esset, quod actus proprius panis etiam non maneret.

Si autem objiciatur per auctoritatem qua dicit Damascenus, quod destructa substantia non manet ejus actus proprius, videtur dicendum quod ipse intelligit de destructione in toto quoad essentialia et potentias consequentes substantiam : talis autem destructio non est hic, et ideo mutatione facta a toto substantiæ, adhuc manet actus substantiæ.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod dictum Damasceni intelligitur quoad formas et accidentia panis, quibus Deus Dominicum conjunxit corpus : ergo non quoad substantiam panis manentem.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod non est hic simile et in aliis sacramentis : quia in aliis sacramentis actus divinus non est supra materiam, quæ oculis subjicitur, sed potius super animam suscipientis sacramentum, et illam transmutat alterando ad gratiam : in isto autem sacramento propter rem contentam in sacramento extra suscipientem, de qua dictum est supra, actus divinus est supra materiam quæ oculis subjicitur in sacramento. Et ideo illa transsubstantiatur.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod substantia fundat accidens quoad esse : sed duplex est usus accidentis. Unus est in materia : et in hoc necesse est, quod fundetur in substantia. Alter est ad opus divinum ostendendum : et in hoc non est necesse quod fundetur in substantia, sed sufficit sibi continentia virtutis divinæ cujus opus demonstrat, ut signum ostendit signatum : et sic est hic : unde non oportet, quod subjecto sublato non maneat accidens. De hoc tamen infra quæretur in sequenti distinctione capituli ultimi [1].

Ad aliud dicendum, quod forma substantialis proprie est unius secundum esse, et diversorum specie non est forma substantialis una, et ideo non facit innotescere nisi illud cujus est forma proprie : et ideo si forma substantialis maneret, duceret in panis substantiam, et non in substantiam corporis Christi, et sic esset occasio erroris. Sed de accidentali forma non est sic : quia accidens est proprium plurium, et potest ducere in ipsum cujus ipsum est proprium, præcipue consignificando proprietates diversas, sicut illa est, quod ex multis granis colligitur panis, et corpus Christi verum de multis guttis sanguinis et multis membris, mysticum autem de multis fidelibus, et sic de aliis quæ in parte sua tacta sunt. Et ideo accidens verius ducit in rationem cibi, quam alterius modi ens, sive fuerit forma accidentalis, sive forma substantialis : et ideo manet ad usum sacramenti.

Ad aliud dicendum, quod hic dicitur aliquid mutari, ita quod mutari sit idem quod a tota substantia transsubstantiari, et in tali mutatione non est necesse, quod aliquid unum habeat se diversimode, sed tantum quod ipsum secundum se totum convertatur in aliud totum : sed ratio illa est de mutatione physica, et tales plures solutæ sunt in præcedenti articulo quæstionis.

Ad aliud dicendum, quod medius intellectus est hic, scilicet quod convertitur

[1] Cf. Infra, Dist. XII.

in illud : sed non sequitur, quod sit in potentia in illo : quia, sicut prius dictum est, ista transsubstantiatio non habet fieri proprie dicta, nec habet ad hoc subjectum commune utrique terminorum, sed est simplex conversio totius in totum.

8,9 et 10. Ad aliud dicendum, quod cum dicitur, panis fit corpus Christi, in sensu in quo ista recipitur, demonstratur substantia panis quæ oculis subjicitur sub accidentibus sensibilibus : et non sequitur id quod ulterius infertur : quia fieri est hic transsubstantiari a tota tubstantia.

Et bene concedo, quod hæc non est vera, panis erit corpus Christi : et de hoc infra est quæstio in hoc eodem capitulo : nec sequitur, quod aliquando sit verum dicere, quod panis est corpus Christi : ideo quia illud fieri dicitur a tota substantia transmutari, et tunc nec panis manet, nec aliquid de substantia panis, gratia cujus verificetur ista, panis est corpus Christi.

ARTICULUS III.

Utrum illa transmutatio fiat subito sive successive ?

Tertio quæritur, Utrum illa transmutatio fiat successive vel subito ?

Videtur autem, quod successive : quia

1. Virtus transsubstantiandi est verbum, secundum quod est in prolatione : sed in prolatione est successive : ergo operatur transsubstantiationem successive.

2. Item, Verbum cum dictum est, non est : nihil autem operatur cum non est : ergo verbum non operatur, cum dictum est : ergo operatur prout est in actu dicendi : sed in actu dicendi est successive : ergo transsubstantiationem operatur successive.

3. Item, Quidquid habet totum, præcipue discretum, hoc habet a partibus : hæc autem oratio, *Hoc est corpus meum*, est quoddam totum quantitatis distinctæ, vel distincta quantitas : ergo virtutem operandi habet a partibus : partes autem sibi succedunt : ergo operatur successive, ut videtur.

Sed contra. Sed contra hoc est, quod

1. Omne quod transmutatur in aliud successive, prius est in medio, quam in extremo : medium autem neutrum extremorum est : ergo aliquando est, quando nec panis, nec corpus Christi est : quod falsum est, quia sic transsubstantiationi aliquid subjiceretur, quod jamdudum improbatum est.

2. Item, Omne quod mutatur successive, disponitur dispositionibus contrariis formæ a qua mutatur, sicut aer, quando fit ignis, accipit dispositiones ignis quæ contrariantur formæ aeris : sed in ista transsubstantiatione manent omnia accidentia panis : ergo non disponitur contrariis dispositionibus formæ panis : ergo non mutatur successive.

3. Item, Supra habitum est, quod virtus Verbi increati operatur in verbo creato, ut est habitum in *Littera*, quod invisibilis sacerdos et Spiritus sanctus in verbo creato operantur : horum autem operatio non est successiva, sed subita.

Quæst. Ad hoc autem dico, quod quæritur de instanti conversionis, in quo ultimo est panis, et in quo primo est corpus Christi ?

Aut enim hoc est unum instans, aut diversa. Si unum. Contra : Instanti in quo ultimo est panis, verum est dicere, quod est panis : et sequitur a disparatis, quod ipsum non est corpus Christi : sed in quo primo est corpus Christi, sequitur quod verum est dicere, quod ipsum est corpus Christi. Si ergo illa sunt idem instans, in eodem instanti est illud corpus Christi, et non est corpus Christi : ergo contradictoria sunt simul vera respectu ejusdem instantis : ergo contradi-

ctio non est oppositio cujus non est medium secundum se, quod est contra philosophiam Aristotelis. Si autem sunt diversa instantia, et inter quælibet duo est tempus : ergo tempus est post instans, in quo ultimo est panis, et ante instans in quo primo est corpus Christi : ergo in toto illo tempore intermedio, nec est panis, nec corpus Christi, quod falsum est.

Ad hoc autem quidam volunt dicere [1], quod in veritate motus mensuratur tempore, et finis motus sine tempore : unde finis motus est motum esse, finis fieri factum esse : et ideo factum esse corporis Christi, mensuratur instanti : sed ultimum esse panis, cum hoc sit mutari, mensuratur tempore : tempus autem bene continuatur ad motum esse, ita quod nihil intercedit medium : et ideo dicunt, quod ultimo est panis in tempore, sed nunc primo corpus Christi in nunc. Ad hanc rationem confirmandam etiam alia potest induci ratio : quia cum ex aere fit ignis, desiccatio aeris est cum motu : factum autem esse ignis, est terminus motus, et sine motu : ergo mensuratur diversis. Et similiter est transmutatio panis cum motu : sed factum esse corporis Christi sine motu est : et ideo unum mensuratur tempore, et aliud nunc ad quod continuatur tempus illud. Tertia ratio confirmans illud idem est hæc : quia in continuo permanente habente positionem in partibus, sunt duo termini in actu, scilicet primum punctum, et ultimum : et non est recipere actu penultimum punctum, vel id quod sequitur primum : quia illa non sunt nisi in potentia, et ubicumque designetur quantitas lineæ, ibi inter duo puncta erit linea, licet non possit signari nisi in puncto : ergo similiter erit in successivo continuo, quod est accipere nunc ad quod continuatur tempus ut ad terminum, et illud est in termino transsubstantiationis, in quo scilicet primo est corpus Christi : non tamen est accipere penultimum ante hoc, sed potius totum tempus usque ad illud nunc, in quo toto desinit panis, et hoc tempus continuatur ad nunc, et hoc non est inconveniens. Sic ergo dixerunt quidam, et bene esset dictum, ut videtur, de mutatione physica : sed ad propositum nihil valet, quod sic probatur : Supra jam probatum est, quod non est ibi mutatio quæ sit fieri successive : sola autem talis mutatio mensuratur tempore, et non alia divina quæ est in sacramento : ergo esset panis in ultimo instanti sine motu : ergo sicut verum est dicere in toto tempore et in quolibet instanti quod est post illud in quo primo fuit corpus Christi, quod ipsum est corpus Christi : ita verum est in quolibet instanti quod est ante ipsum, quod ipsum est panis. Et sic sequitur primum inconveniens. Item, Esse mensuratur nunc, sicut mutatio tempore : sed in toto illo tempore non est nisi esse panis, et non mutatio aliqua : ergo in quolibet nunc verificatur, quod est panis.

Ideo fuerunt alii qui dixerunt, quod in veritate panis est, et corpus Christi in uno instanti : sed tamen non sequitur contradictoria esse simul vera : quia non sunt secundum idem in instanti illo : quia instans illud est principium futuri, et sic in ipso est corpus Christi : et est finis præteriti, et sic in ipso est substantia panis. Quod autem hoc non sit verum, nec possit stare, sic probatur : Quod instans est principium futuri, et finis præteriti, hoc non facit ipsum instans esse divisibile : sicut nec punctum quod accipitur ut finis unius partis lineæ, et ut principium alterius. In illo ergo indivisibili secundum esse : aut hoc quod est in altari, est sub forma panis, aut sub forma corporis Christi, aut sub utraque, aut sub neutra. Si sub forma panis : ergo nihil ejus est quod sit sub forma corporis Christi. Probatio. Detur enim, quod aliquid ejus sit in quo sit

[1] Cf. D. Thomam hic, Q. I, Art. 3, quæst. 2 ad. 2 (Nota edit Lugd.)

sub forma corporis Christi, sequitur tunc, quod instans sit divisibile, quod falsum est. Si ergo nihil ejus est in quo sit forma corporis Christi, non erunt in eodem instanti forma panis et forma corporis Christi, et sic illa positio est falsa. Si autem sub forma corporis Christi, per eumdem modum sequitur, quod nihil sit illius instantis in quo sit sub forma panis, et sic redeundum iterum quod in eodem instanti nihil sit sub forma panis et corporis Christi. Si autem sub utraque parte est in eodem instanti : ergo in uno indivisibili secundum esse accepto, possum dicere quod est panis, et est corpus Christi : ergo in illo est verum dicere, quod panis est corpus Christi, et e converso, quod falsum est : ergo in illo instanti non est sub utraque forma : ergo sub neutra, et hoc iterum falsum est : quia sic quandoque nec esset panis, nec corpus Christi, et materia quandoque esset sub nulla forma : quæ omnia impossibilia sunt.

Ideo iterum sunt alii qui dicere præsumunt, quod in veritate in uno indivisibili est panis et corpus Christi : sed in uno indivisibili bene concedunt esse prius et posterius, dicentes quod est prius et posterius tempore, et hæc non sunt in uno indivisibili : et est prius et posterius natura, et hæc bene sunt in uno indivisibili : unde prius natura panis est, et posterius natura corpus Christi. Hoc autem confirmant duabus rationibus, quarum una est a simili : sint enim duæ lineæ sibi per longitudinem conjunctæ eodem spatio, constat quod illæ contingent se in puncto uno : et punctum illud refertur ad utrumque secundum prius et posterius natura. A simili dicunt hic : quia duo esse sunt, scilicet esse panis, et esse corporis Christi, quæ se contingunt in uno indivisibili temporis, in quo unum cedit non alii, sed in alterum sine omni mutatione media : et secundum prius natura est ibi esse panis, et secundum posterius est ibi esse corporis Christi. Alia ratio est : quia, sicut probatum est supra, in hoc sacramento nulla est mutatio, sed mutatum esse potius : et tamen sequitur necessario mutari : ergo præcedit mutatum esse, non tempore, sed natura solum.

Sed quod iterum hoc nihil sit, videtur posse probari sic : Conjunctis duabus lineis in puncto, punctum scilicet spatii super quod conjunguntur, in veritate non efficitur propter hoc actu in continuo, sed tantum in potentia. Probatio. Conjunctis enim sic lineis, linea quidem consequetur, et continget lineam : sed quod punctum punctum sequatur, hoc est per accidens, quia non habet hoc nisi in quantum est terminus lineæ. Si ergo conveniunt ista in puncto per accidens, patet quod non signant per hoc aliquid punctum in continuo, quod per se sit tamquam locus in quo se contingent. Præterea, Talem contactum non est possibile esse nisi in lineis mathematicis secundum Philosophum, qui dicit quod recto in quantum recto multa accidunt, ut tangere æneam sphæram in puncto : non tamen tangit hoc separatum rectum : nos autem quærimus hic mensuram : sed esse naturæ panis est in ultimo, et corporis Christi in primo : unde non videtur facere ad propositum. Item, Licet mutari præcedat in quibusdam mutatum esse tempore, et in quibusdam natura tantum : tamen impossibile est intelligere, quod una sit mensura utriusque : ergo videtur, quod etiam hoc non sit simile. Item, Mensuræ differunt secundum mensurata : ergo esse panis mensuratur mensura congrua sibi : cum igitur sit corpus mutabile, mensurabitur tempore, vel nunc temporis : corpus autem Christi in esse suo cum sit immutabile, non mensurabitur tempore, vel nunc temporis : corpus ergo Christi in esse suo cum sit immutabile, non habebit ejusdem rationis mensuram : ergo mensurabitur nunc ævi, vel ævo : constat autem, quod illa non sunt idem : ergo nec in eodem nunc est esse panis, et esse corporis Christi, nec etiam ejusdem speciei in mensura, ut vi-

detur. Item, Sine mutatione panis non transit panis in corpus Christi, sed mutatione ejus corpus Christi incipit esse hic : sed non est eadem mensura mutari, et non mutari : ergo ista non sunt in ratione unius nunc, nec in ratione unius mensuræ. Et hoc concedebat qui me docuit.

Sed hoc iterum non videtur verum : quia dicit Philosophus in penultima propositione *Causarum*, quod inter esse cujus est substantia et actio in momento æternitatis, et esse cujus substantia et actio est in momento temporis, est medium, et est res cujus substantia est in momento æternitatis, et actio ejus in momento temporis. Licet ergo corpus Christi immutabile sit quoad substantiam et accidentia, tamen mutabile est quoad locum sive mobile : constat enim, quod incipit esse hic : ergo hoc ipsum quod nunc est hic, et ante non fuit hic, aliquo mensuratur : et constat, quod non nunc ævi vel æternitatis, quia illa sunt mensuræ eodem modo se habentium : relinquitur ergo, quod mensuratur nunc temporis. Et sic redit difficultas primæ opinionis.

Ideo sunt alii magis profundantes sermonem, et dicentes, quod in tempore non omnino est, sicut in continuo habente positionem in suis partibus : et sequuntur in hoc Avicennam et Averroem : quorum unus in libro de *Sufficientia*, Averroes autem super ultimum caput quarti *Physicorum* dicit, quod in continuo quocumque habente positionem est accipere duo indivisibilia, quæ actu sunt in continuo, licet non sint separata secundum esse, ut in linea est accipere duo puncta, et in superficie duas lineas : sed de tempore non est accipere nisi unum nunc, quod est tota essentia sive substantia temporis, licet non sit temporis esse : quia esse temporis est continuitas prioris et posterioris in ipso nunc. Unde dicunt, quod accipiendo tempus in sua natura, non est accipere duo nunc, sed unum solum. Si autem accipiatur prout est mensura motus, quem excellit tempus, sic possunt duo signari nunc, et inter illa est tempus, sicut in motu esse primum post quod est motus, et esse ultimum, hoc est accipiendo nunc prout est mensurans secundum esse primum et secundum esse ultimum. Et hoc modo dicunt, quod bene contingit signare duo nunc se consequentia, quando illa non sunt in eodem : sicut dicunt in linea non esse nisi unum punctum in quo linea terminatur actu, et penultimum non est accipere : si autem dividatur linea, tunc erunt duo se consequentia in duabus lineis : sic dicunt hic, quod in mensura ejusdem motus est accipere unum nunc in quo terminatur motus, et non est accipere penultimum illius motus propter motus indivisibilitatem : si tamen aliquis motus terminetur ad proximum nunc, tunc significatur in comparatione ad illum, et tunc erunt duo nunc in comparatione duorum terminorum duorum motuum, inter quæ non est tempus medium. Sed in uno motu dicunt hoc esse impossibile, sicut in uno motu ante terminum motus non est nisi tempus usque ad terminum motus illius. Dicunt igitur isti sic, quod in duobus nunc est ultimo panis et primo corpus Christi : et hæc duo sequuntur se, et non est incertum tempus medium : quia illud Philosophi accipitur de nunc signatis respectu ejusdem motus, et non de nunc signatis respectu duorum esse inter quæ nihil continuat. Sed hoc mirum videtur esse : quæcumque enim ordinantur ad invicem secundum præcedere et subsequi, necesse est quod in aliquo se contingant. Si igitur esse panis in quiete mensuratur uno nunc, et esse corporis Christi alio, oportet necessario aliquid continuans inter illa ponere, in quo unum transit in alterum : ille enim transitus non est esse panis, nec esse corporis Christi, ut videtur.

Solutio. Puto, quod nulli harum opinionum præjudicandum sit. Ego autem magis puto ultimam esse eligendam, et fere concordat cum illa quæ est antepe-

nultima : quia illæ duæ probabiliores sunt.

Ad id autem quod contra hanc ultimam objicitur, dicendum quod in veritate non est tertium in quo contingant, sive quo sit ille transitus, eo quod non fit hic transitus per modum motus de potentia ad actum, sed potius esse post esse, et actus post actum, et transitus non est nisi secundum rationem terminorum, et non secundum rationem medii quod est substantia motus vel mutationis : et tunc non discordat a penultima, nisi in hoc quod illa dicit secundum nunc esse ævi : et multi dixerunt, quod unum est nunc ævi et temporis, et secundum hoc solvendum est ad objectum quod contra factum est, quia Christum esse hic non dicit motum nec motus terminum, et ideo proprie non mensuratur nunc temporis, sed nunc ævi, scilicet quia non est conjunctio prioris et posterioris in successione motus : sed si habet prius et posterius, hoc erit in ordine naturæ.

Pro aliis opinionibus respondeat quilibet pro libito, qui eligit aliquam earum.

Ad id autem quod primo quæritur, Utrum transsubstantiatio sit subita, vel in tempore? Dicendum, quod absque dubio subita est : quia multæ derisiones sequerentur, si successiva esse ponerentur.

Ad id autem quod contra objicitur, per ea quæ dicta sunt in quæstione de *forma sacramenti*, et in quæstione de *virtute verborum*, faciliter patet solutio.

1. Et dicendum ad primum, quod illa oratio non accipitur in vi orationis tantum, sed etiam in vi institutionis quæ simplex et una est, et secundum quod refertur ad signatum et per illud ad Verbum increatum quod operatur in ea : et ideo licet successive proferatur, non tamen successive operatur.

2. Ad aliud dicendum, quod nihil operatur cum omnino non est : sed cum hæc oratio referatur ad Verbum increatum, et ad institutionem, secundum virtutem operandi manet, licet transeat secundum actum prolationis, sicut dicit Augustinus *super Joannem*, quod vox transit, et verbum remanet etiam post prolationem.

Ad ultimum dicendum, quod illud discretum quod est oratio quæ est forma sacramenti, licet discretas habeat partes, tamen refertur ad alia quæ non sunt discreta, scilicet ad signatum, et institutionem, et Verbum, et virtute illorum operatur secundum quod illa sunt in oratione prolata : et ideo non valet illa objectio quæ procedit ac si illa oratio in prolatione operaretur. Ad 3.

Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICULUS IV.

Quomodo hæc transmutatio se habeat ad operationem naturæ, et mirabilium sive miraculorum?

Quarto quæritur, Qualiter hæc transmutatio se habeat ad operationem naturæ, et mirabilium sive miraculorum?

Videtur autem, quod ipsa aliquid habeat de natura.

1. Potentia enim obedientiæ est in omni creatura ad voluntatem Creatoris. Potentia autem aliquid addit super essentiam. Ergo dispositio aliqua inest creaturæ qua hoc possit fieri. Licet ergo ex parte agentis non sit per naturam, tamen ex parte conversorum, scilicet panis et vini aliquid videtur habere de natura.

2. Item, Augustinus *super Genesim* vult, quod Deus tam rationes naturalium quam mirabilium indidit operibus creationis : ratio autem est ordinans ad formam aliquam : cum igitur ratio hujus conversionis fuerit in operibus sex dierum, est in materia corporum conversorum aliqua ratio quare hoc possit fieri : ergo aliquid habet de natura.

3. Item, Aut est secundum naturam, aut contra naturam. Si contra naturam, cum Deus naturam rationabiliter instituit: ergo veniendo contra naturam, venit contra suum institutum: ergo venit contra ordinem suæ sapientiæ et justitiæ: ergo venit contra seipsum, quod absurdum est. Si autem secundum naturam, tunc habetur propositum, quod aliquid habet de natura.

Quæst. Ulterius quæritur, Qualiter se habet ad miracula?

1. Actus enim miraculorum potentia inest subjecto circa quod fit: quod patet cum cæcus illuminatur. Visus enim potentia inest homini etiam per naturam: sed divino opere potentia restituitur corrupto organo. Et similiter de illo quod minus videtur, potentia pariendi inest virgini, et partus inest ei potentialiter: numquid ergo potest dici similiter, quod panis potentia sit corpus Christi? Et videtur quod sic per similia inducta.

2. Item, Quidquid actu fit aliquid, prius potentia fuit illud: panis autem transsubstantiatur in corpus Christi: ergo prius potentia fuit illud: sed quidquid potentia est aliquid, secundum eamdem potentiam manentem in subjecto subjicitur illi: panis autem potentia est corpus Christi: ergo secundum subjectum est potentia subjectiva formæ corporis Christi: ergo materia panis manet in corpore Christi, quod absurdum est, et negatur in *Littera*. Probatio primæ: quia cum aer fit ignis, subjectum ejusdem potentiæ quod est materiæ aeris, manet in igne. Et similiter est de omnibus tam naturalibus, quam mirabilibus. Secunda autem supponitur ab adversario.

Solutio. Solutio. Ut mihi videtur, non oportet hic multum immorari: quia ego concedo, quod illa transsubstantiatio non est naturalis nec miraculosa, sed mirabilis: quia miraculum est quod fit præter spem, et hoc est arduum insolitum: istud autem non fit præter spem, imo fit cum spei certitudine: quia certificatur spes ex verbis Domini: et ideo etiam non est insolitum, eo quod vi verbi Domini habetur usus et cursus illius operationis, sicut vi naturæ certificatur et frequentatur cursus naturæ: relinquitur ergo, quod sit opus mirabile, eo quod nos cognoscendo et operando, non possumus in illud, cum tamen speremus illud solitum nobis ex vi sermonis Domini.

Ad id ergo quod primo quæritur, dicendum videtur, quod nihil omnino habet de natura nec ex parte materiæ, nec ex parte agentis, quia materia est panis et vinum, agens autem verbum.

Ad id autem quod objicitur de potentia obedientiæ, dicendum quod potentia obedientiæ nihil addit super rei substantiam: cujus probatio est: quia si aliquid addit, cum res et substantia rei secundum naturam sit prior illo, potest abstrahi per intellectum substantia rei ab illo addito: abstrahatur ergo: tunc potentia obedientiæ non erit in re illa: ergo non potest fieri de ea quod Creator vult, quod est hæresis: igitur relinquitur, quod res substantialiter sit potentia, quidquid vult Creator. Unde prima objectio processit ex falsis.

Ad aliud dicendum, quod rationes illæ prout ad miraculum referuntur (ut dicit Augustinus) non sunt in re quod sic fiat, sed ut de quo possit fieri: non enim habuit prima conditio ut de costa fieret mulier, sed potius ut de ea fieri posset. Unde ratio ista non ponit aliquam dispositionem super rei substantiam, sed ordinem tantum ad voluntatem Creatoris.

Ad aliud dicendum, quod illa divisio non est sufficiens: quædam enim nec secundum naturam sunt, nec contra naturam sunt, sed supra naturam, scilicet omnia in quæ natura non potest nisi obediendo: et tale est illud, et alia miracula.

huiusmodi est. Ad id quod ulterius quæritur, jam patet solutio per illa quæ ante dicta sunt.

1. Ad id autem quod objicitur primo, dicendum quod hoc non est nisi in quibusdam miraculis, et differenter : quia si potentia ad actum miraculi datur subjecto, tunc actus manet subjecto conjunctus per potentiam datam. Si autem manet in subjecto opposita dispositio ad actum, subjectum est sub actu sicut potentia indisposita, et ideo est tunc miraculosus actus, ut in partu virginis manente virgine : hic autem nec subjectum manet, nec dispositio aliqua, sed est mutatio a tota substantia subjecti, ut prius est habitum : et ideo illud est mirabile supra omnia mirabilia.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod hæc propositio est falsa, Quidquid sit aliquid quocumque modo, prius potentia fuit illud : dicit enim Commentator super IX *Metaphysicæ*, quod nihil est potentia in aliquo proprie loquendo, nisi quod uno motore educitur de illo, ut hæc faba in semine fabæ, quia movente calore solis, educitur de illo, et ideo in semine est potentia, non in terra. Et verum est, quod ipse loquitur de potentia propinqua : sed hoc etiam de remota falsum est : quia in natura non est aliquid de potentia materiali, quod non habeat aliquam potentiam unam in natura agentem et complentem et educentem illam potentiam materialem ad actum : et hoc non est ita : quia nec substantia manet, nec aliquid : et ideo falsum est quod proponit.

C. *Augustinus in libro* Sententiarum Prosperi.

Si vero quæris modum quo id fieri possit ? breviter respondeo, Mysterium fidei credi salubriter potest, investigari salubriter non potest. Quod ergo corpus Christi, panis mutatione in id, non augmentatur, nec sanguis ex vini conversione : ejus voluntati et potentiæ adscribatur, qui idem corpus de Virgine eduxit. Sit [1] ergo substantia illa ista [2] sine ejus augmento. Nec tamen concedunt quidam, quod substantia panis aliquando fit caro Christi, etsi fiat caro Christi : sicut farina facta est panis, et aqua facta est vinum, nec tamen dicitur, farina est panis, et aqua est vinum. Alii vero concedunt, illud quod erat panis vel vinum, post consecrationem esse corpus et sanguinem : non tamen sequitur, panis est caro Christi, vel vinum est sanguis : quia substantia panis vel vini postquam facta est caro Christi vel sanguis, non est substantia panis vel vini, sed caro et sanguis. Ideo distinguendum videtur, cum dicitur substantia panis, vel id quod erat panis, modo est corpus Christi. Manens enim panis non est corpus Christi : sed mutata in id quod facta est, est corpus Christi. Nec dicimus substantiam panis vel vini materiam esse corporis vel sanguinis Domini : quia non de

[1] Edit. J. Alleaume, *fit*.
[2] Deest verbum *ista* in edit. J. Alleaume.

ea ut de materia, formatur corpus : sed ipsa formatur in illud, et efficitur illud. Unde Augustinus : Corpus Christi dicimus illud, quod ex fructibus terræ acceptum, et prece mystica consecratum sumimus in memoriam Dominicæ passionis. Quod cum per manus hominis ad illam visibilem speciem perducatur, non sanctificatur ut sit tam dignum sacramentum, nisi operante invisibiliter Spiritu Dei [1].

ARTICULUS V.

An mutatio quæ est in sacramento Eucharistiæ, sit similis mutationi quæ dicitur augmentum ? *et, An adjuncta sit ei loci mutatio ?*

Deinde quæritur de hoc quod dicitur, ibi, C, circa initium, « *Quod ergo corpus Christi, panis mutatione*, etc. »

Videtur enim ex hoc quod ista mutatio non sit similis mutationi quæ est augmentum : quod est

1. Contra Damascenum, qui dicit, quod est similis.

2. Sed hoc iterum videtur falsum per hoc quod dicit Philosophus, quod augmentum est præexistentis magnitudinis additamentum : magnitudini autem Christi non est additio aliqua : ergo non habet similitudinem cum augmento.

3. Præterea, Philosophus dicit, quod ubi est augmentum, augetur totum secundum formam, licet non totum secundum materiam : et hoc iterum non convenit hic : quia Christus in forma non augetur.

4. Item, Ubi est augmentum corporis, oportet quod illud quod auget sit potentia caro quanta, ut dicit Philosophus : panis non est potentia caro quanta Christi : ergo non auget : non ergo ista transsubstantiatio habet similitudinem cum augmento, sicut Damascenus dicit.

Si forte tu dicas, sicut etiam videtur velle Damascenus, quod non est similis in omnibus augmentatio, sed in hoc tantum quod augmentatum est ita quod augens convertatur in id quod ante existit secundum formam et speciem, quia in corpus convertitur auctum quod prius erat : et ita hic panis convertitur in id quod prius erat secundum formam et esse, quia in corpus Christi. Si, inquam, sic dicas. Contra : Nutrimentum etiam convertitur in præexistens, et non est potentia nisi substantia nutriti, et non potentia quanta : augmentum autem quod convertitur in præexistens est potentia caro, et quanta : ergo magis illa transsubstantiatio assimilatur nutrimento quam augmento, ut videtur : et ideo male assimilat eam augmento Joannes Damascenus.

Ulterius quæritur, Utrum loci mutatio sit adjuncta huic transsubstantiationi ? Quæst

Videtur enim, quod sic :

1. Omni enim augmento est adjuncta quædam loci mutatio secundum quod mutatio loci dicitur in majori loco esse quam prius : sed ista transmutatio similis est augmento, ut dicit Damascenus : ergo ei adjuncta est loci mutatio.

2. Item, Loci mutatio accidit illi quod est ubi non erat prius : ex transsubstantiatione autem fit corpus Christi ubi non erat prius : ergo transsubstantiationi adjuncta est loci mutatio.

3. Item, Quod non est essentialiter ubique, si debet essentialiter esse ubi non erat prius, necesse est quod veniat illuc per motum qui est loci mutatio:

[1] S. Augustinus, Lib. III de Trinitate, cap. 4.

corpus autem Christi non est ubique essentialiter : ergo si debeat esse in loco ubi non erat prius, necesse est quod veniat illuc per motum qui est loci mutatio.

contra. SED CONTRA hoc est quod

1. Dicit Damascenus ibi non esse loci mutatione.

2. Item, Quidquid movendo mutat locum, accedendo ad locum ubi non erat prius, recedit a loco ubi erat prius : sed corpus Christi non recedit a loco in quo erat prius : ergo nec movetur localiter ad locum ubi prius non erat. PRIMA patet per se. SECUNDA supponitur a fide et *Littera :* quia non recedit a cœlo, quando est in altari : ergo nec per hoc quod est in uno altari, minus est in alio.

Solutio. 1, 2 et 3 SOLUTIO. Dicendum videtur sine præjudicio, quod non satis congrue potest assimilari ista transsubstantiatio alicui motui vel transmutationi quæ est secundum naturam : sustinendo tamen quod dicit Damascenus, dici potest, quod in augmento est quod auget, et quod augetur : ex parte autem augentis est corruptio secundum substantiam augentis, quia necesse est quod formam propriam amittat et assimiletur ei quod auget. Unde ex parte illa nulla est similitudo. Ex parte autem augmentati sunt multa : secundum terminos motus est quantitas imperfecta, et perfecta, et iterum ex parte illa non est similitudo. Et etiam est ibi quod ad se converso dat formam et speciem prius existentem, et quoad illud solum est similitudo, ut dicit Damascenus.

Et per hoc patet solutio ad tria prima.

Ad 4. AD ALIUD dicendum, quod nutrimentum restituit deperditum et sanat indigentiam, et ideo nutrimento non poterat congrue comparari : augmentum autem est ad perfectionem corporis secundum quantitatem debitam, et illi comparatur secundum aliquid : tamen puto, quod illa auctoritas Damasceni non sit extendenda : quia tutius est dicere, quod nulli motui vel mutationi assimilatur.

AD ILLUD autem quod ulterius quæritur, Si habeat loci mutationem adjunctam ? Dicendum, quod nullo modo. Ad quæst.

AD PRIMUM autem objectum contra, dicendum quod non est hic augmentum, licet sit aliquid simile augmento quoad aliquid. Ad 1.

AD ALIUD dicendum, quod hoc non sufficit ad loci mutationem, quod aliquid sit ubi non erat prius : sed oportet cum hoc quod etiam recedat a loco in quo erat prius : et hoc non est hic, sicut patet in objecto facto in contrarium. Ad 2.

AD ALIUD dicendum, quod licet corpus Christi non essentialiter sit ubique, est tamen in pluribus locis essentialiter, sicut supra ostensum est : objectio autem facta non valet, nisi de eo quod essentialiter non potest esse nisi in loco uno. Ad 3.

Quæ autem sit causa hujus, requirendum est, ubi ostendebatur, quod corpus Christi pluribus modis comparatur ad locum.

ARTICULUS VI.

An istæ locutiones sint concedendæ, Panis potest esse corpus Christi : Panis mutatur in corpus Christi : Corpus Christi fuit panis : Panis erit corpus Christi ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, C, circa medium : « *Alii vero concedunt*, etc. »

Hæc quæstio utilis est, Quæ locutiones sunt concedendæ in hujusmodi transmutationis sermone, et quæ non ?

Subjiciantur autem exempla de quatuor modis loquendi qui extrahuntur in *Littera* : et primo de locutionibus cum verbo copulante potentiam cum recto apponente, ut, Panis potest esse corpus Christi. Secundo, cum verbis notantibus motum vel mutationem cum recto vel

obliquo, ut cum dicitur, Panis fit corpus Christi, vel, Panis mutatur in corpus Christi. Tertio, de his quæ fiunt cum præpositione, ut cum dicitur, De pane fit corpus Christi. Quarto et ultimo, de his in quibus sunt verba substantiva secundum differentiam temporis quæ sunt præteritum et futurum.

Quæst. 1. QUÆRATUR ergo primo de hac, « Panis potest esse corpus Christi. »

Videtur quod sit vera : quia

1. Ita dicit Ambrosius : « Quod est panis, ex consecratione potest esse corpus Christi. »

2. Item, Panis mutatur in corpus Christi : quidquid autem in aliquid mutatur, potest esse illud : ergo panis potest esse corpus Christi.

3. Item, Hæc in *Littera* sæpius scribuntur.

Sed contra. SED CONTRA :

1. Duplex est potentia, scilicet materialis, et activa : constat autem, quod potentia activa panis non potest esse corpus Christi : nulla potentia est in pane quæ possit panem facere corpus Christi : ergo relinquitur, quod sit potentia passiva. SED CONTRA : Nulla est potentia passiva quæ per aliquam activam compleri non possit in natura : ergo si potentia passiva ad corpus Christi est in pane, aliqua activa naturalis complebit eam, quod falsum est.

2. Item, Appetitus potentiæ materialis terminatur in actu illius potentiæ, quando habet eum : nullus autem appetitus est substantiæ panis ad formam substantialem Christi, cum materia panis non possit natura consequi talem : ergo potentia materialis non est in pane ad corpus Christi : ergo hæc est falsa, Panis potest esse corpus Christi.

Quæst. 2. SECUNDO quæritur de hac, « Panis fit corpus Christi, vel, Panis mutatur in corpus Christi. »

Videtur autem, quod prima sit vera : quia

1. Sæpius ponitur in *Littera* ab Ambrosio et Augustino.

2. Item, Damascenus : « Christus fecit ea, scilicet panem et vinum, corpus suum et sanguinem : » sed quod Christus fecit, hoc quandoque fiebat : ergo tunc verum erat dicere, Panis fit corpus Christi.

3. Item, Damascenus : « Interrogas causam, qualiter panis fit corpus Christi ? respondeo ego tibi, quod Spiritus sanctus supervenit, et facit hoc. » Ex hoc accipitur primo in quæstione, quod panis fit corpus Christi : et iterum secundo in responsione quæ supponit hoc quod est quæsitum.

SED CONTRA : Sed c

1. Quod fit, nisi fieri in infinitum sit, quandoque terminatur ad factum esse : ergo quandoque verum est dicere, Corpus Christi factum est de pane, quod falsum est, quia factum est de purissimis sanguinibus gloriosæ Virginis, ut dicitur in *Littera*.

2. Item, Quod fit, quando factum est, illud est quod est factum : sed panis fit corpus Christi : ergo cum corpus Christi factum est, possumus dicere, quod panis est corpus Christi, et hoc est falsum.

3. Item, Quod fit ab alio, dispositiones recipit ab eo transmutantes substantiam vel formas accidentales : ergo si panis fit, prius disponitur ad transmutationem : et hoc jam ante negatum est in quæstione de transmutatione ista.

4. Item, Fieri vult habere subjectum ut naturam quæ maneat in utroque terminorum transmutationis : hoc autem hic non esse supra probatum est.

Contra secundam autem locutionem jam prius objectum est ubi quæsitum erat, Utrum aliqua mutatio sit in sacramento isto ?

TERTIO quæritur de hac, « De pane fit corpus Christi. » Quæst

Videtur autem esse concedenda ex hoc quod sæpius scribitur in *Littera* a diversis Sanctis.

Sed contra. SED CONTRA :

1. Quidquid fit de alio, aut est novum, aut aliquod novum fit circa ipsum : sed corpus Christi nec est novum, nec aliquid novum fit circa ipsum : ergo corpus Christi non fit de aliquo : ergo non fit de pane.

2. Præterea, Si vera esset, sequeretur supra habitum inconveniens : quia quod fit de aliquo, ipso facto, de illo verum est dicere, quod ipsum est factum de illo : ergo de corpore Christi facto de pane verum est dicere, corpus Christi factum est de pane, quod falsum est, cum non sit factum nisi de sanguine gloriosæ Virginis.

Quæst. 4. QUARTO quæritur de hac, « Corpus Christi fuit panis, vel, Panis erit corpus Christi. »

Videtur enim, quod sint veræ : quia

1. Dicit Ambrosius : « Quod erat panis ante consecrationem, est jam corpus Christi post consecrationem. »

2. Item, Augustinus in libro *Sententiarum Prosperi* : « Fideliter fatemur panem esse et vinum ante consecrationem quod natura formavit, post consecrationem vero carnem Christi et sanguinem quod benedictio consecravit. »

3. Item, Augustinus in libro de *Trinitate* : « Corpus Christi dicimus illud, quod ex fructibus terræ acceptum, et prece mystica consecratum sumimus in memoriam Dominicæ passionis [1]. » Et est in *Littera*. Ergo videtur, quod non tantum cum præterito et futuro sit, sed etiam cum præsenti verum sit dicere, Panis est corpus Christi.

Sed contra. SED CONTRA hoc objicitur :

Cum dicitur, Quod fuit panis, est corpus Christi, etc., ly *quod* est relativum identitatis : ergo vult habere eamdem substantiam in antecedente et consequente : sive autem illa sit forma, sive materia, sive compositum, semper locutio est falsa : ergo omnes illæ sunt simpliciter falsæ.

Solutio. Ad quæst. 1. SOLUTIO. Sine præjudicio hic videtur dicendum, quod illæ de quibus primo quæritur, omnes falsæ sunt, præcipue absolute, propter illam propositionem, quod cujus est potentia, ejus etiam est actus : unde si esset potentia naturæ, esset etiam actus naturæ. Et ideo pro regula ab antiquis Doctoribus ponebatur in hac scientia, quod locutiones de transsubstantiatione cum hoc verbo *potest*, et recto sequenti, omnes sunt falsæ : et si inveniuntur a Sanctis, non sunt extendendæ, sed glossandæ.

Ad 1. DICENDUM ergo ad primum, quod Ambrosius non dicit simpliciter, Panis potest esse corpus Christi, sed potest esse consecratione divina : et hoc est idem, quod potest potestate operante in sacramento : et hoc verum est : quia propter determinationem ly *potest* copulat non potentiam materialem vel activam panis, sed potius divinam, cujus est uti creatura ad libitum.

Ad 2. AD ALIUD dicendum, quod non sequitur, si panis mutetur in corpus Christi, quod possit esse corpus Christi : actus enim non infert potentiam, nisi quando actus sequens est ejusdem cujus est potentia præcedens : et hoc non est hic verum : sicut etiam non sequitur, Virgo peperit, ergo Virgo potuit parere sine determinatione : sed si determinetur sic, Virgo potuit parere potentia divina, vel hujusmodi, tunc sequitur, quia tunc potentia et actus retorquentur ad idem.

Ad 3. AD ALIUD patet solutio per ante dicta.

Ad quæst. 2. AD ID quod secundo quæritur dicendum, quod prima falsa est, hæc scilicet, « Panis fit corpus Christi : » quia *fieri* copulat factionem circa aliquod subjectum, et dicit aliquid novum : et neutrum horum competit transsubstantiationi. Si autem invenitur in auctoritate in *Littera*, et in Damasceno, solvendum est, ita quod *fieri* dicat transsubstantiari, et rectus mutetur in obliquum, ut sit

[1] S. AUGUSTINUS, Lib. III de Trinitate, cap. 4.

sensus, Panis fit corpus Christi, id est, panis transsubstantiatur in corpus Christi, quod facit Spritus sanctus, secundum quod genus faciendi copulat quemcumque modum faciendi, et non physicam tantum actionem. Et per hoc patet solutio ad primum.

Ad secundum autem videtur dicendum, quod concedi debet, quia ly *mutatur* in sacra Scriptura multiplicem copulat mutationem : sunt autem plures mutationes in sacra Scriptura non habentes subjectum : et tunc præcipue concedenda est, quando obliquus determinat verbum *potest*, ut dicatur, Panis mutatur in corpus Christi, et tunc *mutatur* dicit mutationem quæ est transsubstantiatio.

Ad quæst. 3. Ad id quod tertio quæritur, videtur mihi sine præjudicio loquendo, quod plures rationes habet quare non est concedenda : sed propterea quod non habemus verba quibus mysteria Dei proferamus, hæc a Sanctis multoties invenitur et a Doctoribus concessa sub illo sensu, quod ly *de* præpositio non notat materiam, ut cum dicitur, de ferro fit cultellus : nec potestatem, ut cum dicitur, Filius Virginis est de Spiritu sancto : sed potius notat tantum ordinem termini a quo est transsubstantiatio, ut cum dicitur, de mane fit meridies. Et quod verbum fiendi non copulat fieri, sed potius mutationem divinam talem quæ hic competit, id est, cui nihil subjicitur, quæ est a tota rei substantia in totam substantiam alterius rei sine mutatione illius.

Et per hoc patet solutio ad totum, quod contra illas locutiones quæritur. Et idem judicium est de illa, Ex pane fit corpus Christi : sed si diceretur, A pane fit corpus Christi, falsa esset : quia dicit causam efficientem.

Ad id igitur quod quarto quæritur, di- Ad quæs
cendum quod absque dubio omnes illæ absolute falsæ sunt propter hanc regulam : Quidquid est verum de præterito, fuit ad hoc præsens in quo verificabatur : unde si corpus Christi fuit panis, necesse est ad hoc præsens fuisse, in quo verum fuit dicere, Corpus Christi est panis : et quidquid erit verum in futuro, necesse est ad hoc præsens fore in quo verum est dicere, Panis est corpus Christi : quorum utrumque falsum est. Unde tales locutiones absolute sunt falsæ et negandæ.

Ad id autem quod objicitur, dicendum Ad objec
quod relativum non refert ibi substantiam eamdem, sed potius diversas sub eisdem accidentibus, afficientibus quidem primam et continentibus, continentibus autem secundam et non afficientibus. Unde cum dicitur, Id quod est panis ante consecrationem, est corpus Christi post consecrationem, sensus est, sub illo sub quo erat panis ante consecrationem, est corpus Christi post consecrationem : sicut paulo ante dicit Magister quod in talibus locutionibus utuntur Sancti tropo, quo solent res significantes rerum sortiri vocabula quas significant. Et hic tropus a Donato dicitur *metonymia*.

Et per hoc patet solutio ad totum.

D. *Asserunt quidam dictum panem transire in corpus Christi.*

Quidam vero sic dicunt conversionem illam esse intelligendam, ut sub illis accidentibus sub quibus erat prius substantia panis et vini, post consecrationem sit substantia corporis et sanguinis, sic tamen, ut non eis

afficiatur : et sic asserunt dictum panem transire in corpus Christi : quia ubi erat panis, nunc est corpus Christi. Quod si est, quid ergo fit de substantia panis et vini? Illi dicunt vel in præjacentem materiam resolvi, vel in nihilum redigi. Alii vero putaverunt ibi substantiam panis et vini remanere, et ibidem corpus Christi esse et sanguinem : et hac ratione dici illam substantiam fieri istam : quia ubi est hæc, est et illa : quod mirum
xε est : et ipsam substantiam panis et vini dicunt esse sacramentum. Sed quod non sit ibi substantia, nisi corpus Christi et sanguis, ex prædictis et subditis aperte ostenditur. Ait enim Ambrosius [1] : Panem istum quem sumimus in mysterio, illum intelligo utique, qui manu sancti Spiritus formatus est in utero Virginis, et igne passionis decoctus in ara crucis. Panis enim Angelorum factus est cibus hominum. Unde veritas ait : *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi* [2]. Et iterum, *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita* [3]. Ex his namque duabus sententiis aperte datur intelligi, quia panis ille et iste, non duo, sed unus panis, et una caro procul dubio unum efficitur corpus. Illud vere, illud sane, quod sumptum est de Virgine, quod resurrexit, et in cœlum ascendit. Item, Gregorius : Quis
ιϳ fidelium habere dubium possit, in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem cælos aperiri, in illo Christi mysterio Angelorum choros adesse, summa et ima sociari, unum quid ex invisibilibus atque visibilibus fieri? Idem, Eodem momento et in cœlum rapitur ministerio Angelorum consociandum corpori Christi, et ante oculos sacerdotis in altari videtur. Sicut divinitas Verbi totum implet mundum, ita multis locis illud corpus consecratur. Nec sunt tamen multa corpora Christi, sed unum corpus et unus sanguis. Ideoque sive plus sive minus quis inde percipiat, omnes æqualiter corpus Christi integerrime sumunt. Post consecrationem ergo non est ibi substantia panis vel vini, licet species remaneant. Est enim ibi species panis et vini, sicut et sapor. Unde aliud videtur, aliud intelligitur.

[1] S. Ambrosius, De Sacramentis, et habetur De consec. cap. *Omnia quæ* (Nota edit. Lugd.)
[2] Joan. vi, 41, 51.
[3] Ibid. vi, 52.

ARTICULUS VII.

An panis in consecratione annihiletur, aut in præjacentem materiam redigatur?

Deinde quæritur de hoc quod dicitur, ibi, D, « *Quidam vero sic dicunt conversionem illam*, etc. »

Hæc enim quæstio est valde utilis de collatione harum trium opinionum, quas Magister tangit in *Littera*.

Quia vero de una illarum omnes præcedentes quæstiones sunt, scilicet quod panis non manet, neque annihilatur, sed fit transsubstantiatio a tota substantia panis in totam substantiam Christi : ideo de hac nihil amplius dicemus : sed de secunda et tertia faciemus quæstionem.

Quia vero secunda dicit panem aut annihilari, aut in præjacentem materiam converti, ideo quæratur de illa.

Et videtur, quod sit verissima ista, et minus habens difficultatis, sic :

1. In hujus sacramenti transsubstantiatione id quod modo est panis, jam non erit panis, nec simpliciter, nec aliquid illius panis remanebit : quidquid autem nec simpliciter manet, nec aliquid ejus, aut annihilatur, aut in præjacentem materiam convertitur. In aliis transmutationibus naturalibus hoc possumus videre, scilicet cum ex aere fit ignis : si enim nihil aeris maneret in igne, nec in aliquo alio corpore, esset ipsa mutatio idem quod annihilatio aeris. Sed nihil panis manet in se, vel in corpore Christi. Ergo videtur, quod transsubstantiatio sit idem quod panis annihilatio.

2. Item, Quidquid ibi est terminus mutationis a quo, quod in nulla ratione causæ se habet ad id in quod est transmutatio, non salvatur in se, nec in illo in quod transmutatur : panis autem sic se habet ad corpus Christi : ergo nec in se salvatur, nec in corpore Christi : ergo aut annihilatur, aut convertitur in aliud.

3. Item, Idem est nihil quod non ens absolute : sed transsubstantiatione facta, hæc est falsa, Panis iste est ens : ergo ejus contradictoria est vera, Panis iste non est ens : ergo et ista, Panis iste est non ens : quia negativa de infinito prædicato, æquipollet affirmativæ etiam de prædicato infinito : ergo panis est nihil : et hoc fit per transsubstantiationem : ergo per transsubstantiationem annihilatur.

4. Item, Generatio succedens corruptioni non tollit corruptionem præcedentem : ergo etiam existentia corporis Christi in altari postquam non fuit, non tollit desitionem panis præcedentem : ergo videtur, quod panis desinat esse : ergo annihilatur.

5. Item, Cum dicitur, De nihilo fit aliquid, ibi præpositio non notat nisi ordinem : et similiter cum dicitur, De pane fit corpus Christi : ergo de re panis nihil manet in succedenti pani, et non manet in alio : ergo annihilatur.

6. Item, Uniuscujusque substantiæ est aliquis actus proprius : ergo non existente illo actu nihil existit de substantia : sed proprius actus panis qui est reficere corpus, non manet : ergo nec substantia : substantia autem non manens, nec secundum formam, nec secundum materiam, nec secundum compositum, annihilatur : ergo substantia panis annihilatur.

7. Item, Omnis res cadit in nihilum, cujus esse non conservatur : sed esse panis hic non conservatur : ergo substantia panis cedit in nihilum.

8. Item, Ponamus quod universum sic convertatur ut panis, universum nec in se, nec in Christo est aliquid vel Christus : ergo universum est annihilatum : ergo a simili etiam panis est annihilatus.

9. Item, In omni transmutato in quo aliquid manet, est productio alicujus : sed in hac transmutatione nihil novi producitur, ut supra probatum est sæpius :

ergo nihil manet de transmutato : ergo nihil de pane : ergo annihilatur.

Sed contra. Sed contra hoc objicitur : quia

1. Deus non est causa destructionis alicujus naturæ : ergo præcipue in sacramento pietatis maximæ non destruit creaturam aliquam : ergo non annihilabit panem, sed continebit eum in esse.

2. Item, Quidquid convertitur in aliquid, eo ipso impossibile est converti in nihilum, quia *nihil* et *aliquid* ad modum contradictionis opponuntur : substantia vero panis convertitur in aliquid, quia in corpus Christi : ergo impossibile est eam converti in nihilum : ergo non annihilatur.

Solutio. Solutio. Dicendum videtur, quod substantia panis non annihilatur : et tamen nec in se manet, nec in aliquo sui in Christo. Hæc autem opinio videtur esse consona verbis Sanctorum : unde quamvis sit minus intelligibilis, tamen eligenda mihi videtur propter sanctos Patres, quorum inspirata revelatio præjudicat argumentis quæ possunt fieri contra hanc materiam.

Ad 1. Dicendum igitur ad primum, quod non sequitur : si id quod modo est panis, nec simpliciter, nec secundum aliquid sui maneat, quod annihiletur. Et est fere una responsio ad omnia, scilicet quod res mutatæ manent secundum exigentiam suæ mutationis : in mutatione enim quæ est de subjecto ad subjectum, manet subjectum, et non accidens : manet autem subjectum secundum materiam et formam et totum compositum ex illis : in mutatione autem quæ est de non subjecto ad subjectum, vel de subjecto ad non subjectum, sicut est generatio, et corruptio, manet materia, sed non forma substantialis vel accidentalis. Sed in ista mutatione quæ est de tota natura et substantia subjecti in totam substantiam alterius subjecti, manet quidem accidens, sed nihil de substantialibus : sed est aliud secundum quod est corpus Christi factum per transsubstantiationem, et ideo non est conversum in nihilum.

Ad idem. Ad idem dicendum, quod non est simile de aliis transmutationibus ad istam : quia aliæ transmutationes sunt a tota substantia, sed manente ad minus materia : hic autem est mutatio a tota substantia in totam substantiam alterius.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod illud non sequitur, quod in nulla ratione causæ se habet, etc., quod in nihil convertatur : hoc enim verum est in his quæ faciunt transmutationem et sunt imperfecta ad augendum : Dominus autem hic transmutavit, et ideo ipse sine aliqua causa convertit unum in aliud per seipsum : et ideo non annihilatur.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod panis non est ens post transmutationem, sicut ignis non est ens post corruptionem : et non sequitur, quod sit annihilatus, quia est in aliud conversus : unde ad diminutionem procedit illa ratio : deberet enim addi, non est ens et non est in aliud conversus : ergo est nihil, vel est non ens.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod sicut generatio sequens non tollit corruptionem præcedentem : ita nec adventus corporis Christi in altari, tollit transsubstantiationem panis : sed non infert desitionem in esse, quoniam non est idem transsubstantiari et desinere esse.

Ad 5. Ad aliud dicendum, quod licet præpositio *de* non notet nisi ordinem, non tamen infert annihilationem : quia illius est causa, quia conversio est a tota substantia in totum corpus Christi : et ideo quia est tota substantia, non potest dicere materiam : et quia est in totam, non potest esse annihilatio.

Ad 6. Ad aliud dicendum, quod actus proprius substantiæ panis non manet, quia nec substantia panis : sed non sequitur, quod sit annihilata, eo quod est in aliud conversa, et illius actus invenitur, qui est reficere mentem.

Ad 7. Ad aliud dicendum, quod hoc est verum de re cujus esse in nullo conservatur, nec in aliquid transmutatur : et ideo diminute proponitur, quando dicitur, res cedit in nihilum cujus esse non conserva-

tur : hoc enim est falsum in omni transmutatione substantiali : unde patet, quod hoc argumentum non valet.

Ad 8. Ad aliud dicendum, quod facta tali positione, non sequitur universum annihilatum esse, eadem de causa quæ dicta est, scilicet quia est in aliud conversum : et inde non sequitur, non manet in se nec in aliquo sui : ergo est annihilatum : sed sequitur : ergo est annihilatum, vel tota substantia conversa est in aliud.

Ad 9. Ad aliud dicendum, quod hoc non sequitur nisi de illis transmutationibus quæ non sunt a tota substantia, sicut sæpius supra dictum est : quod enim mutatur a tota substantia in totam substantiam alterius præexistentem, non annihilatur, nec manet, nec aliquid novum in tali mutatione producitur.

ARTICULUS VIII.

An in sacramento Eucharistiæ cum corpore Christi maneat substantia panis et vini ?

Secundo quæritur de tertia opinione quam tangit, ibi, D, circa initium : « *Alii vero putaverunt ibi substantiam panis et vini remanere*, etc. »

Illa vero opinio prōbabilior videtur inter omnes : quia

1. De natura et ratione corporis dictum est, cum sit gloriosum, quod potest esse cum quolibet alio corpore, et in eodem loco : ergo etiam cum pane potest esse sub eisdem accidentibus, et sub eodem loco : cum ergo maneat effectus panis qui est cibare corporaliter, videtur quod nihil probabilius possit dici, quam quod corpus Christi sit cum pane et in eodem loco.

2. Item, Non est intelligibile qualiter accidens secundum esse acceptum sit sine subjecto : constat autem, quod ibi est accidens secundum esse, quia videtur album et rotundum, et tangitur durum : ergo illud accidens erit in aliquo sicut in subjecto : non autem in corpore Christi : ergo in substantia panis : oportet ergo substantiam panis manere.

3. Item, Ex hoc minor occasio derisionis sequeretur infidelibus, cum ipsi non credant hoc sacramentum, propterea quod vident et tangunt substantiam aliquam, quæ non est corpus Christi quia nutrit corpus materiale : ergo videtur, quod hoc probabilius dicatur quam aliquod aliud.

4. Præterea, Forma accidentalis non dividitur nisi per accidens : sed constat, quod ibi aliquid dividitur : ergo illud divisum per se non potest esse forma accidentalis tantum : ergo aliqua substantia cui innititur : ergo videtur, quod ibi maneat substantia panis.

5. Item, Si destruitur substantia panis, aliquid erit eam destruens : aut ergo corpus Christi, aut Deus, aut aliquid agens in contrarium. Non corpus Christi : quia hoc non venit ad destruendum, cum possit esse in eodem loco. Similiter non destruit eam Deus : quia Deus conservator rerum est, et non destructor. Ita videtur, quod per nihil agens in contrarium destruatur : quia tunc non manerent accidentia : panis enim non ratione substantiæ pateretur a contrario, sed ratione formarum : quia substantiæ nihil est contrarium. Ergo cum nihil destruat substantiam panis, videtur quod ipsa substantia panis maneat.

Sed contra.

Sed contra :

1. Si substantia panis manet : tunc falsus est sermo Domini, dicens, *Hoc est corpus meum* : quia tunc substantia panis per sua accidentia oculis subjecta demonstratur per pronomen.

2. Præterea, In *Littera* plures auctoritates inducuntur ad hoc quod nulla substantia est ibi, nisi tantum substantia corporis Domini : ergo non est ibi substantia panis.

3. Item, Si dicitur ibi manere substantia panis : ergo afficientia ipsum accidentia ducunt intellectum in substantiam panis : ergo non ducunt in corpus Christi invisibile : ergo non habent ibi rationem signi quæ exigitur in sacramento, quod est inconveniens : ergo oportet dicere, quod hæc opinio sit falsa.

Solutio. Solutio. Dicendum, quod ista opinio his rationibus multis et fere omnibus falsa videtur, sicut et secunda : tamen cum prima sit fere omnium et totius Ecclesiæ : secunda habet adhuc aliquos defensores : tertia autem, ut puto, nullum.

Dicendum ergo ad istam, quod non manet substantia panis.

Ad 1. Ad primum autem quod est contra hoc, dicendum quod licet corpus gloriosum et præcipue corpus Domini possit esse cum pane in eodem loco, tamen ratio sacramenti, non ratio loci repugnat, et hujus causa tacta est in opponendo in contrarium : quia accidens non duceret nisi in substantiam propriam, et sic caderet a ratione signandi. Si autem objicitur similiter de aliis sacramentis, in quorum materiis substantia manet, supra quidem mota est quæstio, et solutio quædam data, in qua concordant plures Doctores. Sed tamen potest dici sine præjudicio, quod in aliis sacramentis ratio signandi sumitur a proprio actu substantiæ quæ est materia sacramenti : sicut in aqua baptismi est actus abluendi, et in chrismate actus ungendi, etc. Unde cum talis actus non sit sine substantia, oportuit manere substantiam in aliis. Hic autem ratio signandi non sumitur ab illo actu, sed potius a formis panis accidentalibus : et ideo non oportuit manere substantiam.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod hoc non est intelligibile, qualiter accidens secundum esse maneat ad usum naturæ : sed ad usum ostensionis operis Dei bene est intelligibile : quia sic continetur in esse a Deo operante opus illud, non in virtute subjecti : et hoc in sequenti distinctione discutietur.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod occasio derisionis tollitur per hoc quod aut formæ illæ habent actus quosdam panis in sacramento, et in corpus transeundo, aut substantia redit post desitionem formarum, ut quidam dicunt. Cum ergo hoc exigat essentia sacramenti, et præclusa sit satis impietas, non oportuit manere substantiam panis.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod illa objectio procedit ac si ipsa substantia per se dividatur : et hoc falsum est : sed potius cum sola substantia esset indivisibilis, ut dicit Philosophus, sed quanta dividi potest, bene conceditur, quod quantitas manet, ratione cujus aliæ formæ situales, ut albedo, et sapor, dividuntur.

Ad 5. Ad ultimum dicendum, quod illa objectio supponit, quod substantia panis destruatur per annihilationem : et hoc probatum est non esse verum in disputatione præcedentis opinionis [1].

ARTICULUS IX.

An hora immolationis aperiantur cœli? et, Ad quid cœli sunt aperti?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, D, in medio : « *Quis fidelium habere dubium possit, in ipsa immolationis hora,* etc. »

Et quæritur ibi, Ad quid oportet cœlos esse apertos?

1. Sicut enim supra habitum est, corpus Christi incipit esse in altari sine motu locali : ergo non est necesse ad hoc cœlos aperiri, quod veniat in altare.

[1] Cf. Art. 7 hujusce distinctionis.

2. Item, Posito etiam quod locali motu veniret, non oporteret cœlos aperiri : quia transeundo per cœlos, cum cœlis esset in eodem loco.

Quæst. 1. PRÆTEREA quæritur, Quid sit summa et ima sociari?

Non enim panis qui imus est, sociatur corpori Christi, sed transsubstantiatur in illud, cum societas non sit nisi inter diversa conjuncta, aut secundum locum, aut secundum effectum.

Quæst. 2. ULTERIUS quæritur, Quæ sunt illa invisibilia ex quibus fit unum quid?

Visibilia enim sunt in substantia panis et vini, invisibilia corpus Christi et sanguis : et constat, quod ex his non fit unum quid : ergo videtur male dicere.

Quæst. 3. ULTERIUS iterum quæritur, Quid sit illud rapi in cœlum, ut consocietur corpori Christi?

Quod enim rapitur, mutat locum : ergo videtur, quod non maneat in altari.

Præterea, Quæ necessitas est, quod rapitur in cœlum consociandum, cum in altari ipso sit veritas corporis Domini nostri Jesu Christi.

Solutio. Ad 1 et 2. SOLUTIO. Dicendum, quod cœli dicuntur hic aperiri quoad præsentiam virtutis cœlestis operantis in sacramento : et hoc est nobis cœlos aperiri : sicut frequenter accipitur in sacra Scriptura, quando aliquid cœleste ostenditur, sicut Ezechiel. I, 1, et Matth. III, 16.

Per hoc etiam patet solutio ad secuncundum.

Ad quæ

AD ALIUD dicendum, quod uniri dicuntur species visibiles : et corporis mystici membra : et hoc ut sint unum sacramentum cum corpore Domini : et cujusmodi unum sint, hoc superius determinatum est. Quoad membra autem est specialis effectus unionis membrorum ad caput.

Ad quæ

ET PER HOC patet solutio ad sequens : quia visibilia sunt species, et invisibilia sunt corpus et sanguis, ex quibus fit unum in esse relationis in sacramento.

Ad quæ

AD ALIUD dicendum, quod raptus competit membris secundum effectum specialem unionis ad gloriam corporis Christi, secundum quam apparet in cœlo. Et ideo licet in altari sit essentialiter, tamen Ecclesia non quærit ad ipsum rapi per unionem secundum quod est in altari, sed potius prout est in cœlo.

Et de hac distinctione dicta ista sufficiant ad præsens.

DISTINCTIO XII.

De formis remanentibus, et de materia sacramenti Eucharistiæ.

A. *Quare sub alia specie?*

Sub alia autem specie tribus de causis carnem et sanguinem tradidit Christus, et deinceps sumendum instituit : ut fides scilicet haberet meritum, quæ est de his quæ non videntur, quia fides non habet meritum, ubi humana ratio præbet experimentum [1]. Et ideo etiam, ne abhorreret animus, quod cerneret oculus, quia non habemus in usu carnem crudam comedere, et sanguinem bibere. Quia ergo Christum vorare [2] dentibus fas non est, in mysterio carnem et sanguinem nobis commendavit. Et etiam ideo, ne ab incredulis religioni Christianæ insultaretur. Unde Augustinus : Nihil rationabilius, quam ut sanguinis similitudinem sumamus : ut et ita veritas non desit, et ridiculum nullum fiat a Paganis, quod cruorem occisi hominis bibamus. Ne ergo hoc fieret, et ne veluti quidam horror esset cruoris, in similitudinem accipimus sacramentum.

Ex præmissis jam liquet, quare sub alia specie, et quare sub ista hoc sacramentum Dominus celebraverit, et celebrari a nobis instituerit.

DIVISIO TEXTUS.

« *Sub alia autem specie tribus*, etc. » In hac distinctione incipit pars illa in qua agitur de transubstantiatione ex parte eorum quæ transmutantur, scilicet substantiæ panis et vini.

Et dividitur pars illa in tres partes : in quarum prima tangit causas quare sub alia specie, quam sub propria dedit corpus suum. In secunda autem tangit quale corpus dedit, ibi, D, § 2 : « *Corpus vero tale dedit, quale tunc habuit*, etc. » In tertia vero tangit modum remanendi

[1] Cf. S. GREGORIUM, In homil. paschali. De consec. cap. *Sub figura* (Nota edit. Lugd.)

[2] Edit. J. Alleaume, *vorari*.

qui accidentibus competit, ibi, E, « *Si autem quæritur de accidentibus*, etc. »

In prima parte tanguntur ulterius tria : in quorum primo tangit, quare sub alia specie dederit corpus suum. In secunda, tangit causas, quare sub duplici specie, ibi, B, « *Sed quare sub duplici specie sumitur*, etc. » In tertia autem tangit de aqua admixta, ibi, C, « *Aqua vero admiscenda est*, etc. »

ARTICULUS I.

Quare Christus sub alia specie quam propria dedit corpus ?

In primo quæritur de causis quas tangit Magister in *Littera*.

Et primo de prima quæritur, Quare sub alia specie dedit corpus suum ? Ut fides haberet meritum : quia, ut dicit Gregorius, « Fides non habet meritum, etc. »

1. Si enim hæc causa vera est, sequitur quod quodlibet aliud sacramentum sub alia specie debeat contineri, quam sub illa in qua salvatur sua essentialis veritas : sed hoc est falsum : ergo ratio illa non valet.

2. Præterea, Tunc peccarent omnes illi qui rationem assignare quærunt de credendis : quia tollunt meritum fidei, ut videtur.

3. Præterea, In quolibet irrationali posset dici, quod esset credendum, et non esset quærenda ratio : quia si ratio quæratur, evacuatur meritum fidei.

4. Præterea, Videtur quod sub eadem specie debuit tradi corpus : sub eadem enim specie magis excitaret devotionem : devotio autem est summe necessaria ad meritum fidei : ergo videtur, quod sub eadem specie tradi debuit.

5. Item, Minus elongatum est signum continens veritatem a veritate, quam signum non continens et signans tantum : signum sacramenti novæ legis continet veritatem et signat eam, signum autem Veteris Testamenti signat, et non causat : ergo minus debet elongari novum, quam vetus : sed signum sacramenti veteris legis erat in eadem specie cum Eucharistia, quia erat corpus et caro agni Paschalis : ergo multo fortius in novo debet esse in eadem specie : ergo non debuit tradi sub alia specie.

6. Item, Forma et species principium sunt intelligendi res, et distinctiones formarum sunt ad distinctiones intellectuum qui habentur de rebus : ergo determinata res in natura sua et forma sua non intelligitur nisi ex propria specie formæ : cum igitur formæ sacramentales sint ad intellectum veri corporis Christi, et non sint duplices : ergo hoc sacramentum non debuit tradi sub duplici specie, ut videtur.

Quæst. Ulterius quæritur de secunda causa quam tangit in *Littera*, dicens quod si sub propria forma dedisset, animus hominis abhorreret : quia horror est homini carnem crudam comedere, et sanguinem bibere.

Et hoc nihil esse videtur : quia

1. Supposita fide, videtur quod nihil horroris, sed plurimum devotionis ex hoc innasceretur.

2. Item, Satis scitur a fidelibus, quod non incorporatur nobis ille cibus, sed nos ei : ergo nihil ad sumptionem operaretur vel deoperaretur cruditas carnis : sed potius attenditur utilitas nostra.

Quæst. Ulterius quæritur de tertia, quæ est ut irridendi occasio tollatur infidelibus qui dicunt nos cruorem occisi hominis bibere : quia

1. Videntes infideles, quod ille sanguis nobis foret potus, potius ædificarentur, quam irriderent.

2. Præterea, Nos videmus, quod Sancti aliquando pro confessione fidei oraverunt, quod Dominus in propria specie

se ostenderet, sicut legitur de beato Gregorio Papa, quod ad firmandam plebis fidem, orationibus suis formam accepit digiti versi in carnem cruentam : quare si esset sub propria specie, non ordinaretur ad fidei irrisionem, sed potius ad ejus ædificationem.

læst. 3. Juxta hoc ulterius quæritur, Si contingat, quod Dominus ostendat se in propria forma hominis, vel carnis cruentæ, vel membri alicujus, utrum sit sumendum vel non?

Videtur autem ex *Littera*, quod non : quia

1. In secunda causa dicit, quod horror est carnem cruentam manducare.

2. Item, Christum vorare dentibus dicit fas non esse : ergo videtur, quod non esset sumendum.

:ontra. Sed contra :

Illa ostensio, et subtractio accidentium panis non fit nisi ad augmentandam devotionem : quanto autem devotio magis augetur, tanto dignius sumitur : ergo quanto apertius ostenditur, tanto dignius sumitur : ergo etiam tunc magis erit sumendum, quam alia vice.

olutio. Solutio. Dicendum, quod causæ quas tangit Magister in *Littera*, bonæ sunt. Et prima est accepta ex verbis Gregorii. Secunda ex verbis Hieronymi. Tertia vero ex verbis beati Augustini. Posset tamen reddi hæc causa quæ videtur cogens, quod quædam sunt in sacramento consideranda ad ipsum secundum essentiam, quædam autem consideranda ad usum ipsius, scilicet quod datur in cibum spiritualem fidelium. Et in prima consideratione tanguntur causæ dictæ in *Littera*. Sed in secunda consideratione oportet in sacramento esse fractionem, masticationem, et rationem cibi generalis. Prima autem duo nullo modo possunt cadere in formam corporis Christi propriam : quia illud corpus cum sit impassibile et gloriosum, non est divisibile vel frangibile in forma aliena. Secundum tertium vero quod est usus rei in ratione cibi et potus generalium, oportuit quod haberet formam cibi generalis, et illa est forma panis : et formam potus generalis, et illa est vini species. Tamen de hoc infra quæretur, quare spiritualiter dedit sub his formis potius quam sub aliis.

Ad primum ergo dicendum, quod secus est in aliis sacramentis : quia in illis non continetur auctor omnis gratiæ, sed in isto continetur, et ideo in ipso præcipue altissimo debuit fides collocari. Ad 1.

Ad aliud dicendum, quod duplex est ratio de fide : prima scilicet quæ extrahitur a principiis fidei : et hæc ædificat fidem, quia supponit fidei principium, et supponens fidei principium, non dubitat de credito. Secunda vero procedit non supponendo fidei principium, sed ex rationibus physicis : et hæc frequenter nititur fidem evertere, et meritum fidei exstinguere : et de hac intelligitur dictum Gregorii : et ideo dicit, « cui humana ratio præbet experimentum, non divina. » Ad 2.

Ad aliud dicendum, quod est irrationabile, quod nullam habet veri rectitudinem, et hoc non est credendum : et qui credit, fatuus est : sed est aliquid in quod non potest ratio, habens tamen argumentum veritatis, quia illud dixit Dominus qui non potest mentiri, et sæpe dicta ejus intelligere non sufficimus : et illud oportet credi, eo quod dictis Domini falsum subesse non potest. Ad 3.

Ad aliud dicendum, quod forte ad tempus excitaret naturalis species majorem devotionem quam species panis, sed non semper : præcipua tamen causa est, quia ea quæ exiguntur ad usum sacramenti, non possent esse in propria forma : sed salvantur bene in forma alia quæ est corporis corruptibilis. Ad 4.

Ad aliud dicendum, quod species rei et species sacramenti in nullo sacramento possunt esse idem : quia res sacramenti invisibilis est, species autem sacramenti debet esse sensibilis. Et ad argumentum dicendum, quod in Veteri Testamento fuit caro figura non ejusdem Ad 5.

speciei cum carne Christi, sed potius caro animalium quorumdam oblatorum. Et hujus causa supra dicta est : quia non figurabat tantum sacram rem, sed etiam Christi Passionem, et oblationem quam Patri obtulit in cruce. Unde sacramenta veteris legis et novæ non distinguuntur per hoc quod est signare, sed potius per id quod est causare. Unde per hoc sunt sacramenta novæ legis viciniora veritati, quia continent eam, quod non fecerunt sacramenta veteris legis. Si autem volumus dicere, quod expressiora sunt in significando, tunc dicendum, quod species panis expressius est signum cibi spiritualis mystici corporis, quam caro : quia nec cibus generalis est, nec etiam colligitur ex diversis sicut panis : sed tamen caro expressius est signum passionis, et oblationis in cruce.

Ad quod nota, quod sacramenta veteris legis signabant tantum sacramenta novæ legis. Sacramenta vero novæ legis signant non solum ipsum sacramentum, sed etiam cum hoc effectum sacramenti in nobis. Ad hunc autem effectum signandum expressius signum est species panis, quam species carnis.

Ad 6. AD ALIUD dicendum, quod aliter intelligitur res secundum propriam naturam rei, et aliter in effectu spirituali. Primo modo intelligitur res ex propriis principiis speciei. Secundo autem modo necesse est, quod intelligatur per symbolum corporalium imaginum : et hoc modo fit intellectus spiritualium in sacramentis.

Ad quæst. 1 Ad 1. AD ID quod ulterius quæritur de secunda causa, dicendum quod est horror qui nascitur ex devotione et reverentia : et est horror qui nascitur ex abominatione. Primo modo esset horror in sumptione sacramenti : nullus enim præsumeret cruentam carnem Christi sumere, quando in propria specie præsentaretur. Et ita intelligitur in *Littera*.

Ad 2. AD ALIUD dicendum, quod licet sciatur a fidelibus, quod nobis non incorporatur, sed nos ei : tamen etiam accessum et contactum formidaret homo ex reverentia. Præterea, quod potissimum est in sacramento, ratio signi non salvaretur ibi, ut prætactum est, nec ea quæ pertinent ad usum sacramenti.

Ad qu Ad AD ID quod ulterius quæritur de tertia causa, dicendum quod infideles videntes cruentam carnem Christi dentibus dividi, et sanguinem assumi per potum, non ædificarentur ad fidem : quia dividi et assumi sunt corporalium : et ideo tunc putaretur Christum et corporalem esse, et effectum sacramenti putarent esse præstigium vel incantationem.

Ad AD ALIUD dicendum, quod quandoque Sancti oraverunt in casu propter ostensionem effectus sacramenti : sed tamen in assumptione sacramenti oraverunt, ut iterum esset sub forma panis : et ita fecit beatus Gregorius cum matrona, quæ ipsum panem sacræ oblationis obtulerat, et de sacramenti efficacia dubitabat : et hoc cum revelaretur beato Gregorio, orabat ut Deus ostenderet sacramenti effectum : et iterum postea oravit, ut rediret species panis, et dedit eidem matronæ sumendum.

Ad qu AD ID autem quod ultimo quæritur, Utrum sic esset sumendum, si in propria forma carnis vel sanguinis appareret ?

Dicendum sine præjudicio, quod aut omnibus apparet sub forma propria, aut aliquibus. Si aliquibus, puto quod sit sumendum : si vero omnibus, tunc non est sumendum, sed pro reliquiis reservandum.

Si autem tunc quæratur, Utrum sacerdos, cui hoc accidit, missam sine communione celebrare debeat ?

Dicendum, quod si præ devotionis fervore potest, debet aliam missam celebrare, et in illa communicare. Et si in illa idem contingat : tunc potest aliam celebrare, donec communicet in persona Ecclesiæ. Si autem ex indevotione impeditur, vel ex hoc quod sæpius sine inter-

missione hoc sibi contingit, tunc potest non celebrare : et ipsa communio quam in persona Ecclesiæ debuit facere, intelligitur in spirituali sumptione per fervorem excitatum ex hoc quod corpus Christi in propria forma omnibus apparet, etc.

B. *Quare sub duplici specie ?*

Sed quare sub duplici specie sumitur, cum sub alterutra totus sit Christus ? Ut ostenderetur totam humanam naturam assumpsisse, ut totam redimeret. Panis enim ad carnem refertur, vinum ad animam : quia vinum operatur sanguinem, in quo sedes animæ a Physicis esse dicitur. Ideo ergo in duabus speciebus celebratur, ut animæ et carnis susceptio in Christo, et utriusque liberatio in nobis significetur. Valet enim, ut Ambrosius ait [1], ad tuitionem corporis et animæ quod percipimus, quia caro Christi pro salute corporis, sanguis vero pro anima nostra offertur, sicut præfiguravit Moyses : Caro, inquit, pro corpore vestro offertur, sanguis pro anima : sed tamen sub utraque specie sumitur totus : quod ad utramque valet, quia sub utraque sumitur ipse totus Christus. Sed si in altera tantum sumeretur, ad alterius tantum, id est, animæ vel corporis, non utriusque pariter tuitionem valere significaretur. Sub utraque specie tamen totus sumitur Christus : nec plus sub utraque, nec minus sub altera tantum sumitur. Eadem enim ratio est, ut ait Hilarius [2], in corpore Christi, quæ in manna præcessit. De quo dicitur, Qui plus collegerat, non habuit amplius : nec qui minus paraverat, habuit minus [3]. Et licet sub utraque specie sumatur totus Christus, tamen non fit conversio panis nisi in carnem, nec vini nisi in sanguinem. Nec debent dici duo sacramenta, sed unum : quia utraque specie idem sumitur. Neque debet iterari sacramentum : quia benedictio non repetitur super speciem eamdem. Neque aliæ substantiæ in sacrificium veritatis offerri debent : quia de aliis non potest consecrari corpus Christi vel sanguis.

[1] S. Ambrosius, Comment. ad cap. xi epist. ad Hebræos.
[2] Cf. de consec. dist. II, cap. *Ubi pars est* (Nota edit. Lugd.)
[3] Cf. Exod. xvi, 19 et seq.

ARTICULUS II.

An in sacramento Eucharistiæ necessaria sit duplex species?

Deinde quæritur de secunda parte hujus capituli, scilicet de hoc quod dicit ibi, B, « *Sed quare sub duplici specie*, etc. »

Videtur enim non esse necessaria duplex species :

1. Unum enim non terminatur ad duo, sed ad unum tantum. Agnus autem paschalis quem comedit Christus cum discipulis [1], non fuit nisi unus. Ergo ad duas res non terminatur : ergo nec ad duas species sacramentales, ut videtur.

2. Si autem tu dicas, quod multa fuerunt in comestione agni paschalis, sicut azyma, et lactucæ agrestes, et carnes agni : et illis aliquid debuit respondere ex parte sacramenti : tunc multo plura : quia ad minus tria deberent esse materiæ hujus sacramenti : et hoc non est verum.

Item, Agnus non terminatur ad azymum, sicut ad rem quæ est ejusdem speciei cum ipso : nec lactuca agrestis ad vinum, quia non habet conformitatem : ergo illa responsio nulla est.

Præterea, Illa non fuerunt de veritate sacramenti, sed potius signabant præparationem eorum qui comedere debebant agnum paschalem : ergo etiam in veritate Novi Testamenti illis nihil debuit respondere : ergo non propter illa plures species debebant esse in materia hujus sacramenti.

3. Item, Nullum aliorum sacramentorum habet duplicem speciem pro materia : ergo nec istud debuit tradi in duplici specie.

4. Si autem dicas, sicut dicitur in *Littera*, quod quia duplices sumus, scilicet corporales, et spirituales, ideo corpus offertur pro corpore, et sanguis pro anima : hoc nihil esse videtur : quia eadem ratione quodlibet sacramentum esset tradendum in duplici specie, cum nos qui suscipimus, duplices sumus, et quærimus in eo duplicem profectum, scilicet animæ, et corporis.

5. Item, Totus Christus in sanguine et anima et corpore continetur sub altera illarum specierum : ergo videtur, quod superfluum est in sacramento offerre aliam.

Solutio. Ad hoc puto esse dicendum, quod multis de causis, quarum quædam in *Littera* tanguntur, quædam autem a Magistris, istud sacramentum in duplici specie traditum est. Una est quæ tangitur in *Littera* : quia offertur pro corpore, et anima. Alia causa est, ut dicunt quidam, quod sacramentum illud non est tantum sacramentum effectus spiritualis, sed etiam memoriale. Unde per speciem panis qui cor hominis confirmat, facit unionem charitatis, ut unionem corporis mystici. Sed per speciem vini pinguium est memoriale ebrietatis amoris Christi, quando in sanguine passionis pro nobis se obtulit, quasi oblitus suiipsius pro dilectione nostra.

Aliam causam iterum tangunt alii : quia non tantum est sacramentum passionis, sed etiam incarnationis. Incarnationem ergo significat species panis : quia corpus ejus quasi ex guttis sanguinis commixtum et coagulatum et formatum est in panem fidelium : per speciem autem sanguinis significat passionis sanguinem fusum.

Aliam tangunt quidam, quod hoc scilicet factum est in signum duplicis modi sumendi : quidam enim sumunt cum difficultate pœnitentiæ, quasi panem doloris, et panem lacrymarum pro peccatis præteritis : et illi quasi masticant diu, et gluttiunt tandem. Alii cum facilitate de-

[1] Matth. xxv, 17et seq.

votionis, sperantes fruitionem æternam in patria, quæ hic significatur in sacramento : et illi quasi bibunt et inebriantur ab ebrietate domus Dei, et torrente voluptatis potantur.

Adhuc alii dicunt, quod sit hoc in signum duplicis effectus, scilicet unionis corporis mystici per carnem, et redemptionis per sanguinem. Primum ergo significatur in specie panis qui conformando sibi, et caput unit et membra : secundum autem in specie vini.

Probabiles autem sunt omnes illæ causæ : sed una omnibus aliis melior, ut videtur, hæc scilicet, quia inter unita sibi oportet conjunctionem et virtutem unientem esse : cum igitur nos per hoc sacramentum uniamur Christo capiti, oportet aliquid esse in sacramento quo significetur nostra ad eum conjunctio, et aliquid quo significatur virtus uniens. Sed unio non potest significari in pane, quia non est corpus immiscibile, manens in propria specie : et ideo oportet esse substantiam liquidam, cui alia uniretur insipida : sed iterum potuit esse, quod nostra insipiditas per illam debuerit redire ad saporem. Unde ut significaretur unio Christi per naturam, assumitur species vini. *Quia pueri communicaverunt carni et sanguini Domini, et ipse similiter participavit eisdem*, ut dicitur, ad Hebr. II, 14. Ut autem signetur unio nostra per gratiam ad ipsum, apponitur aqua, ut nostra insipiditas suo sapore reversa intelligatur ad saporem, et absorpta, sicut illa aqua absorbetur a vino. Ut autem significetur virtus uniens, assumitur species panis qui cor hominis confirmat, et per consequens ligat membra cum capite. Tamen quando omnes illæ rationes adunantur, efficitur ex omnibus una habens vigorem.

Ad 1. Dico ergo ad primum, quod unum in quo sunt duo, bene terminari potest ad duo illi respondentia. In agno autem fuit quidem carnis esus et sanguinis oblatio, et linitio postium et superliminarium : et ideo duo succedunt : unum respondens esui carnis, et alterum respondens potui sanguinis.

Ad 2. Ad ALIUD dicendum, quod bene conceditur, quod illis nihil respondet in substantialibus sacramento isti, sed potius in circumstantiis, sumentium : sicut est quod azymi significent puritatem, sinceritatem et veritatem, et lactucæ agrestes amaritudinem pœnitentiæ pro commissis.

Ad 3. Ad ALIUD dicendum, quod alia sacramenta non sic habent significare modum unionis, qui in duobus expletur, sicut istud, et ideo non sunt tradita in duplici specie.

Ad 4. Ad ALIUD dicendum, quod non est hæc sola causa, quia duplices sumus : sed cum hoc quia Christus corporaliter et spiritualiter per se conjungitur nobis : in aliis autem non conjungitur nobis, nisi uno modo, scilicet spiritualiter per gratiam : et ideo cum hic sit utraque conjunctio, scilicet corporis, et animæ, ideo oportuit esse duplicem speciem in sacramenti materia.

Ad 5. Ad ULTIMUM dicendum, quod licet totus Christus sit sub utraque specie, tamen totus est de vi sacramenti : cum igitur plurima sit ostensa utilitas in causis dictis, oportuit quod ex vi sacramenti sub utraque specie in sacramento haberetur.

ARTICULUS III.

An bene dicat Magister, quod vinum operatur sanguinem, in quo sedes animæ a Physicis dicitur?

Deinde quæritur de hoc quod dicit in *Littera*, ibi, B, circa initium : « *Quia vinum operatur sanguinem*, etc. »

Hoc enim falsum videtur secundum Physicos, quos tamen inducit in *Littera* pro testibus.

Aut enim anima comparatur ad corpus

ut actus, sive forma, vel perfectio : aut comparatur ad ipsum ut motor et principium operum. Si primo modo : tunc non potest esse quod dicit : quia sic est in toto tota, ut dicit Augustinus. Si enim aliquid esset de corpore, in quo non esset tota, oporteret quod aliquid esset de materia non perfectum a forma : omnis autem formæ substantialis hoc proprium est, quod sit in toto tota, sicut lapideitas in lapide, et igneitas in igne, et sic de aliis.

Si forte tu dicas, quod hoc non est verum nisi de totis homogeniis, et non de heterogeniis : quia humanitas est in toto, et non in partibus : hoc non obstat, quia aliud est dicere in toto totam esse, et aliud in partibus totam esse. Et primum competit omni formæ substantiali : secundum autem non, sed tantum competit animæ : quia dicit Augustinus quod est in qualibet parte corporis tota. Videtur autem, quod hoc modo non habeat sedem in sanguine, sed in toto.

Item, Sanguis non est pars hominis, vel alterius animalis, nisi potentia tantum : ergo non est pars animata nisi potentia tantum : sed magis est sedes animæ in eo quod actu animatum est, quam in eo quod potentia solum : ergo sedes animæ, eo quod actu animati est, magis est in corde vel in cerebro, quam in sanguine.

Si autem comparatur anima ad corpus, ut motor et principium operum : adhuc est falsa, et magis quam prius : motus enim naturales, ut dicunt Physici, procedunt ab hepate, et vitales a corde, animales autem a cerebro : ergo sedet in his membris, quando movet, et non in sanguine.

Præterea, Physici dicunt, quod sedes animæ est in corde, et non in sanguine : ergo videtur falsum dicere in *Littera*.

Solutio. Solutio. Dicendum, quod in veritate major est auctoritas Moysi et Domini, quam sit omnium Physicorum : ideo absque dubio sedes animæ est in sanguine. Hoc autem intelligendum est tribus modis : quibus sine contradictione verificatur. Uno modo : quia sedes dicit primam firmitatis permanentiam animæ in corpore : et tunc motus animales fundantur in vitalibus, et vitales fundantur in naturalibus : naturales autem, cum sint generare, augere, et alimento uti, duobus prioribus subministrat nutritiva : et ideo fundantur in illa : et sic per consequens omnes in nutritiva. Nutritiva autem non locat alias immobiliter in corpore, nisi per alimentum, quia ex illo suscipitur augmentum, et semen generationis, et generantur ex evaporatione ipsius spiritus in corde vitales et pulsatiles, et ulterius spiritus animales in capite. Constat autem, quod ultimum nutrimentum quod est inter venas, est sanguis in habentibus sanguinem, vel similis humor in non habentibus : ergo nutritiva fundatur in sanguine, et per consequens aliæ. Secundo modo intelligitur id quod sedes animæ sit in sanguine, tamquam in eo quod potentia est totum corpus in quo est anima. Hoc autem non est caro, neque os : et ideo cum ipsa sit tota in toto, hoc videtur magis ei appropriari ratione sanguinis quam alterius partis. Tertio modo potest id intelligi propter cor, in quo secundum Aristotelem in libris de *Animalibus*, primo generatur sanguis, et præcipue operatio vitæ ab anima procedens in corpore per sanguinem ibi generatum. Sed tamen Galenus contradicit : et est illa contradictio reducenda ad concordiam alibi : quia ad præsentem tractatum non pertinet.

Perdicta autem patet solutio ad totum : quia nec intelligitur prout anima comparatur ad corpus, ut forma : nec prout comparatur, ut motor ad ipsum : sed potius prout permanet in ipso per sanguinis operationem.

ARTICULUS IV.

An sub utraque specie sumatur totus Christus?

Deinde quæritur de hoc quod dicit,ibi, B, circa medium : *Sub utraque specie tamen totus sumitur Christus*, etc. »

1. Ex hoc enim videtur sequi, quod aliquid convertatur in deitatem : cum enim totus Christus sit ibi, et non nisi virtute sacramenti, videtur quod aliquid de materia transit in corpus, et aliquid in animam, et aliquid in deitatem.

2. Item, Hoc videtur accipi ex hoc quod prius habitum est in *Littera*, scilicet, quod idem panis est in sacramento qui de cœlo descendit. Constat autem, ut dicit Ambrosius, quod caro Christi de cœlo non descendit : ergo necesse est, quod virtute alicujus in sacramento existentis transsubstantiati in deitatem sit ibidem deitas.

3. Item, Hoc videtur per rationem : quia iste cibus ad hoc conficitur quod sit cibus spiritualis : cibus autem spiritualis non potest esse nisi in veritate deitatis : ergo videtur, quod specialiter feratur intentio consecrantis ad hoc quod sit ibi deitas : sed illud causatur in sacramento super quod fertur intentio Ecclesiæ, vel ministri in persona Ecclesiæ : ergo videtur, quod deitas causetur in sacramento.

Si autem hoc concedatur, sequitur absurditas maxima : quia deitas aliquo modo habebit causam, quod absurdissimum est. Quod autem hoc sequatur, patet ex hoc, quod sacramentum est causa omnis rei quam continet.

4. Item, Sequitur quod sit aliqua mutatio in qua nihil commune est ei a quo mutatur, et in quod : quia deitati nulla est communitas, nec generis primi, nec proximi, nec materiæ : hoc autem est impossibile : ergo nihil mutatur in deitatem.

5. Item, Deitas sicut non incipit esse, ita non est aliquis locus ubi incipiat esse : sed res sacramenti in altari incipit esse : ergo deitas non est res sacramenti.

Solutio. Solutio. Absque omni dubio dicendum, quod nihil convertitur in deitatem : sed cum sint tria corporis Christi propria, scilicet quod ipsum sit mixtum ex humoribus in se continens eosdem : et essentialis et naturalis pars compositi hominis sive hypostasis, cujus naturalis perfectio est anima rationalis : et quod unitum deitati in singularitate personæ. Dico quod in transsubstantiatione panis in corpus Christi, est sanguis Christi in corpore, non virtute sacramenti, sed virtute connexionis ex qua est corpus : et anima Christi virtute compositionis hypostasis : et divinitas Christi virtute unionis factæ in singularitate personæ divinæ. Similiter quando vinum transsubstiantiatur in sanguinem, est ibi corpus sicut connexum et continens suum sanguinem per naturam : et anima sicut perfectio corporis : et deitas virtute unionis factæ in corpore secundum personæ divinæ singularitatem.

Ad primum ergo dicendum, quod totus Christus est ibi virtute sacramenti, sicut aliquid dicitur virtute alicujus fieri, quod operatur unum cui conjuncta sunt alia : et non sic quod virtus sacramenti extendat se immediate in omnia illa, quæ in sacramento esse dicuntur. Ad 1.

Ad aliud dicendum, quod panis iste descendit de cœlo ratione personæ, et non naturæ humanæ : et eadem persona est in sacramento, licet virtus sacramenti non immediate se extendat super personam : et aliud non potest haberi de illa auctoritate. Ad 2.

Ad aliud dicendum, quod est intentio quæ est finis operis, et intentio quæ est finis ejus quod efficit sacramentum : intentio quæ est finis operis, non proprie vocatur intentio, sed terminus operis : et illa in Ecclesia non est ut virtute sacra- Ad 3, 4 et 5.

menti sit in altari totus Christus, ita quod virtus sacramenti totum operetur quod est in ipso : sed intentio Ecclesiæ est, ut sit in virtute sacramenti corpus, vel sanguis : virtute autem mixtionis vel unionis naturalis ad animam, vel unionis gratuitæ ad deitatem, sint ibi cætera quæ sunt in persona Christi.

Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICULUS V.

An bene dicatur, quod hoc sacramentum non debet iterari ?

Deinde quæritur de hoc quod dicitur, ibi, B, sub finem : « *Neque debet iterari sacramentum*, etc. »

Hoc enim videtur falsum per hoc quod dicit Dominus, Luc. XXII, 19 : *Hoc facite in meam commemorationem :* et Apostolus, I ad Corinth. XI, 25 : *Hoc facite quotiescumque bibetis, in meam commemorationem.* Ergo multoties iteratur.

2. Si forte dicas, quod non est idem, hoc falsum videtur. Aut enim identitas sacramenti attenditur penes materiam, aut penes formam, aut penes contentum. Non penes materiam, vel formam : quia utrumque habet pluralitatem in sacramento.

3. Præterea, In *Littera* hic dicitur, quod sacramentum dicitur unum et idem, quia sub utraque specie unum et idem sumitur : ergo identitas est penes contentum : contentum autem frequentatum est idem : ergo sacramentum idem repetitur, ut videtur.

4. Item, Si res sacramenti baptismi quæ est res et sacramentum baptismi, repeteretur, sacramentum diceretur iterari : ergo a simili cum isto sacramento res quæ est simul res et sacramentum iteraretur frequenter, sacramentum iterari videtur : ergo non est verum quod dicitur in *Littera*.

Solutio. Dicendum quod infra Magister tangit de iteratione sacramentorum in fine tractatus de *Pœnitentia* : sed quantum pertinet ad tractatum istum, dicendum quod sacramentum multis de causis dicitur iterari, vel non iterari. Uno modo : quia causa non iteratur, ut in baptismo, quia ibi causa est originale, quod non iteratur, ad cujus deletionem ordinatur baptismus. Alio modo : quia id quod est res sacramenti non iteratur, eo quod semel acceptum totum consequitur effectum, qui est in se, nisi sit impedimentum ex parte fictionis : et hoc etiam non impedit characterem, nisi ex parte subjecti susceptibilis ejus quod efficere habet character ; et ideo recedente fictione operatur character gratiam propter quam operandam impressus fuerat. Alio modo dicitur non iterari sacramentum non quin sæpius sumatur, sed quia forma sua super eadem numero non iteratur : et ita dicitur hic : quia si hæc iteratur, significaretur forma semel prolata non esse efficax. Solutio.

Ad id ergo quod primo objicitur, dicendum quod multoties sumitur idem : sed non repetitur forma super eamdem speciem sumptam semel : et hoc modo non repetitur. Ad 1.

Ad aliud dicendum, quod sacramentum idem est specie et numero ex parte rei contentæ : sed ratione ejus non negatur hic iteratio sacramenti : sed non est idem numero ex parte materiæ et accidentium quæ sunt signa in sacramento, et ratione illorum cum non super idem repetitur forma, negatur hoc sacramentum iterari. Ad 2.

Ad aliud dicendum, quod hic dicitur *unum* ab una relatione specierum corporis et vini ad contentum cum ipsis, et non ratione contenti absolute considerati. Et ideo multiplicatis talibus signis materialiter multiplicatur repetitio sacramenti materialiter, licet specie sint signa eadem semper, et in omni consecratione. Ad 3.

Ad aliud dicendum, quod alio modo dicitur non iterari baptismus, et alio modo istud sacramentum, ut jam habitum Ad 4.

est : istud enim sacramentum ab uno homine, et sæpius celebratur, et sæpius suscipitur : illud autem non. Unde alio modo dicitur non iterari illud, et alio modo istud.

Sequitur deinde, etc.

C. *Quare aqua admisceatur ?*

Aqua vero admiscenda est vino : quia aqua populum signat, qui per Christi passionem redemptus est. Calix ergo Dominicus juxta canonum præceptum, aqua et vino mixtus debet offerri : quia videmus in aqua populum intelligi [1], in vino ostendi sanguinem Christi. Cum ergo in calice vino aqua misceatur [2], Christo populus adunatur, et credentium plebs ei quem credit copulatur : quæ copulatio aquæ et vini sic miscetur in calice Christi, ut mixtio illa non possit separari. Nam si vinum quis tantum offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis.

ARTICULUS VI.

Quare hoc sacramentum datur sub specie panis et vini ?

Deinde quæritur de hoc quod dicitur, ibi. C,« *Aqua vero admiscenda est*, etc.»

Et sunt hic quinque quærenda.

Cum enim supra habitum sit quare dedit corpus suum sub alia specie, et iterum quare dedit sub duplici specie, restat nunc primo quærendum, Quare sub specie panis et vini ?

Secundo, Quare sub specie panis de frumento et non alterius grani ?

Tertio, An debeat confici in azymo vel fermentato propter Græcorum controversiam ?

Quarto, de admixtione aquæ.

Quinto et ultimo, de admixtione specierum manentium cum aliis corporibus : ut si gutta sanguinis funderetur in dolio, vel alio liquore, quamdiu maneat ibi corpus Christi, vel utrum convertatur in illud, vel non ?

Ad primum autem horum objicitur sic :

1. In multis figuris præfiguratum est istud sacramentum, sicut habitum est in principio hujus tractatus [3] : eadem ergo ratione qua eligitur species unius figuræ, eadem ratione fuit eligenda alia : manna autem fuit in specie panis, et agnus paschalis in specie carnis : ergo magis debuit eligi species carnis quæ magis convenit, quam species mannatis quæ minus convenit, ex quo inter figuras eligenda fuit materia.

2. Item, Crescente tempore crevit etiam manifestatio veritatis in figuris et signis,

[1] Apocal. xvii, 15 : *Aquæ quas vidisti ubi meretrix sedet, populi sunt, et gente, et linguæ.*

[2] Edit J. Alleaume, *miscetur.*

[3] Cf. Supra, Dist. VII, Art. 2.

ut dicit Magister Hugo : sed in naturali lege præsignabatur in specie panis tempore Abrahæ, et iterum postea ante legem acceptam in mannate : ergo præcipue in Novo Testamento debuit addi materia, quæ haberet signum majoris convenientiæ : ergo non debuit dari in forma panis.

3. Item, Caro cum carne magis convenit, quam panis cum carne : quia major est convenientia eorum quæ sunt ejusdem generis, quam eorum quæ sunt diversorum generum : ergo convenientius fuisset traditum in materia carnis, quam in materia panis, ut videtur.

4. Item, Convenientius est nutrimentum homini bene disposito caro, quam panis, et præcipue aliqua caro : ergo videtur, quod in illa specie tradi debeat.

5. Item, Nec generale nutrimentum est panis, quia multæ sunt gentes quæ pane non utuntur : similiter autem et infantes : cum igitur materia sacramenti debeat esse generalis, videtur quod non debuit tradi in specie panis.

6. Item, Alimentum quod præparat natura omni homini nato, convenit omni animali, ut lac, et habet in se triplicem substantiam, ut dicunt medici, scilicet butrinam, casealem, et ceream : ergo cum illud nutrimentum naturalissimum et convenientissimum sit, videtur quod debuit tradi in materia lactis, vel casei, vel butyri.

7. Item, Cum ipsum habeat in se omnem saporis suavitatem, ut dicitur, Sapient. XVI, 20 [1], videtur quod non debeat esse in specie unius cibi, sed multorum.

8. Item, De mannate legitur, quod erat in sapore panis oleacei [2] : ergo aliquid de pinguedine deberet apponi in materia Eucharistiæ : non ergo materia debet esse tantum panis, et vinum.

Eodem modo objicitur de vino :

1. Generalis enim potus est aqua omnibus communis : ergo videtur, quod illa debeat esse materia sacramenti.

2. Item, Cum sanguis fluxit cum aqua de latere Christi [3], videtur quod sanguis et aqua deberet esse materia, et non vinum.

3. Præterea, Istud sacramentum datur ad curationem peccati, et datur infirmis in via adhuc existentibus : infirmis autem non datur vinum : ergo non debet esse materia sacramenti.

Solutio. Dicendum, quod multæ causæ convenientiæ assignantur a Magistris, quare debet confici ex pane et vino istud sacramentum : et illas causas non omnes tangemus in solvendo objecta, ut vitetur prolixitas. Sed intelligendum, quod una sola est cogens, scilicet quia Dominus in tali materia illud dedit, et frequentandum instituit : quod si in alia dedisset et instituisset, in alia fieret, et non in ista. Solutio

Dicendum ergo ad primum, quod quoad multa quæ sunt in hoc sacramento, præfigurabatur in diversis figuris : et hæc divisio prius est habita : sed hoc non facit ad hoc quod secundum illas sit materia, sed potius institutio, ut dictum est. Non autem institutionis potuit esse major convenientia quæ est istius materiæ, quam alterius : et illa convenientia præcipue attenditur in tribus, quorum unum est cibi illius confectio : quia scilicet ex multis granis depuratis est panis, et ex multis uvis confluit vinum : et ex hoc fit convenientia corporis veri ad corpus mysticum. Corpus enim verum componitur ex multis membris similibus et dissimilibus, purissimis : et sanguis Christi effluxit de multis membris Christi. Corpus autem mysticum componitur ex multis fidelibus purissimis : et sanguis significat redemptionem animarum a di- De pana Ad 1.

[1] Sapient. XVI, 20 : *Paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem.*

[2] Exod. XVII, 31 : *Appellavitque domus Israel nomen ejus Man, quod erat quasi semen coriandri album, gustusque ejus quasi similæ cum melle.*

[3] Joan. XIX, 34.

versis periculis, et non ab uno : et hæc est causa præcipua.

Secunda causa convenientiæ : quia panis generalior est cibus, qui infirmis et sanis datur : et licet vinum non detur in aliqua infirmitate, tamen ex effectu habet significationis convenientiam, quia lætificat cor [1], et secundum Philosophum facit bonæ spei hominem, et datur confortatis jam infirmis : et similiter sacramentum lætificat, et bonæ spei facit : quia enim seipsum tam benigne communicat, speramus quod omnia dabit : et datur secundum Augustinum, confortatis bona conscientia qui jam de infirmitate convaluerunt.

Tertia fuit, quia ille cibus inter eos qui præparantur ab homine, mundior est, et mundior potus vinum : et ideo iterum habet convenientiam ad maximæ munditiæ sacramentum.

Ad 2. Ad hoc quod postea objicitur, dicendum quod incrementum signorum non attenditur in hoc quod signa sunt in alia et alia materia : quod patet, quia aqua Maris rubri et lustrationis fuit signum baptismi, et tamen baptismus est in aqua : sed attenditur in hoc quod signa magis conjungantur rei, et sic factum est in Novo Testamento.

Ad 3 et 4. Ad aliud dicendum, quod licet caro cum carne in genere magis conveniat, tamen accipiendo proportionem signi ad signatum prout caro hic sumitur signata, minus convenit : quia hic significata est in diversitate membrorum, nervorum, et musculorum, tamen omnia assimilata sunt in unum gratiæ candorem et saporem : et ideo ex parte signi quod est panis, oportuit talem esse compositionem, ut prius etiam habitum est.

Ad 5. Ad aliud dicendum, quod licet non omnes gentes utantur pane, tamen generalior cibus est bene dispositis hominibus: quia caro inflammat, ut dicunt medici, sed non panis cum moderamine sumptus.

Præterea, Non est hæc causa, sed potius major convenientia cum re contenta sub sacramento, ut dictum est.

Ad 6. Ad aliud dicendum, quod natura hoc nutrimentum præparat non confortatis, sed imbecillibus ex ætate : sed istud sacramentum, ut dicit Augustinus, non datur nisi confortatis bona conscientia : et ideo non debuit confici in illa materia.

Ad 7. Ad aliud dicendum, quod diversitas saporis refertur ad diversitatem gratiæ in contento : quia continet eum qui theca est omnium gratiarum : et huic sufficienter respondet diversitas granorum, ex quibus conficitur panis. Vel dicatur melius, quod licet diversitas gratiarum sit in hoc sacramento, tamen illæ gratiæ tendunt ad unum, scilicet summum bonum : sapores autem diversorum ciborum non tendunt ad unum, sed ad diversa : et ideo diversi cibi non sunt materia hujus sacramenti, sed potius unus cibus qui colligitur ex diversis in unum saporem tendentibus.

Ad 8. Ad aliud dicendum, quod sapor olei in mannate erat imperfectionis : quia in re nihil fuit, sed præfigurabatur tantum : sed modo datur sacramentum perfectum : et ideo pinguedo olei tota ex parte rei comprehenditur : et ideo istud sacramentum sui perfectione condimento non indiget.

De vino Quæst 1. Ad id quod ulterius objicitur de vino, dicendum quod confortatorum accipientium sanguinem bonum melior est potus vinum, et non aqua : et ideo cum talibus detur istud sacramentum, convenientior materia est vinum.

Ad aliud dicendum, quod aqua distincta, et tamen secundum locum conjuncta, effluxit de latere Christi : ut signaretur non esse materia, sed tantum materiæ sanguinis esse unienda.

Ad ultimum, quod in veritate hoc sacramentum non datur infirmis adhuc morbo peccati subjacentibus, sed potius

[1] Psal. CIII, 15 : *Et vinum lætificet cor hominis.* Cf. Judicum, 13 : *Numquid possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum et homines.* Eccli. XL, 20 : *Vinum et musica lætificant cor.*

bona conscientia confortatis : et ideo illa objectio supponit falsum.

ARTICULUS VII.

An sacramentum debet dari sub specie panis et de frumento ? et, An alia grana possunt admisceri ?

Secundo quæritur, Quare datur sub specie panis de frumento, et vini ?

Videtur, quod alterius grani panis esse debuit : quia

1. Sicut in baptismo positum est elementum commune, ut nullum inopia excusaret : ita etiam in isto debuit esse, ut nullus excusaretur propter inopiam.

2. Item, Dominus panes dedit turbæ, et illi erant hordeacei [1] : cum igitur Ecclesia se capiti conformare debeat, videtur, quod in hordeaceis panibus confici debeat sacramentum.

3. Item, Sumitur hoc sacramentum in memoriam Dominicæ passionis : huic autem memoriæ magis convenit granum hispidum et durum, quam delicatum : ergo magis debuit confici in hordeo quod hispidum est et durum granum, quam in frumento quod delicatum est.

4. Si forte dicatur, quod hoc fecit ideo, quia se Dominus comparavit grano frumenti, dicens : *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit*, etc. [2], hoc nihil esse videtur : quia Dominus ibi dixit, qui de morte ipsius fructus exsurgerent in Ecclesia, et non quid deberet fieri circa celebrationem sacramenti hujus.

5. Item, Ibi attendit Dominus similitudinem seminationis grani : in sacramento autem de grano fit panis, et non seminatur ad fructum : ergo videtur, quod nihil faciant ad propositum.

6. Si forte dicas, quod ex isto convenentius fit nutrimentum. CONTRA : Medici dicunt, quod de pane fit cito caro, et non diu adhæret illa membris, sed consumitur de facili : cum igitur illud nutrimentum debeat manere in vitam æternam, videtur quod nullam habeat convenientiam.

7. Item, Viatoribus non prosunt mollia, quia illa resolvuntur in sudores, et evaporant per calorem ex motu excitatum, et consumuntur : sed dura quæ forti calore non convertuntur, nec de facili consumuntur : cum igitur istud sacramentum sit viatorum, videtur quod in tali materia dari debuit : hoc autem est non frumentum, sed potius siligo, vel aliud durius granum : ergo videtur, quod debuit dari sacramentum in pane siligineo.

8. Item, Si in materia frumenti dari debuit, videtur quod in specie amidi conficiendum fuit : et de illa dicitur a medicis, quod generatur caro tenax, et diu adhærens membris.

ULTERIUS quæritur de admixtione aliorum granorum. Ponamus enim, quod in quadam terra nihil inveniatur frumenti, sed tantum spelta, sicut est in multis terris. Et quæratur, Utrum de grano speltæ possit confectio fieri ? Quæst. I.

Videtur, quod non : quia

1. Dominus se tantum grano frumenti comparavit : ergo de nullo alio confici potest.

2. Item, Dominus in pane frumenti primo corpus suum consecravit : ergo de nullo alio ab aliquo sacerdote consecrari poterit.

3. Item, Aqua sicut tactu carnis Christi virtutem regenerativam accepit, et non potest fieri in aliquo alio liquore baptismus : ita videtur, quod panis de frumento tactu Domini virtutem accepit, ita quod non possit fieri alio grano nisi de illo : ergo videtur, quod non possit fieri de spelta.

[1] Cf. Joan. VI, 9.

[2] Joan. XII, 24.

4. Si forte tu dicas, quod spelta et frumentum sunt unius speciei : hoc aperte falsum est : quia nec speltæ sunt ejusdem figuræ, nec grana eamdem terram habent connaturalem : cum igitur figura licet non sit species substantialis, tamen ostendit speciem ex parte quantitatis : quia videmus, quod eorumdem specie eadem est figura secundum speciem, videtur quod grana ista non sint ejusdem speciei.

5. Item, Dicitur quod quæstio devoluta est ad sedem Apostolicam, et ibi judicatum est, quod spelta esset species hordei : de hordeo autem confici non potest : ergo nec de spelta.

Sed contra. SED CONTRA :

1. Grana speltæ vix discernibilia sunt a granis frumenti similitudine grani et colore : ergo sunt ejusdem speciei, vel propinquarum specierum : ergo potest confici de uno sicut de alio.

2. Item, Ab omnibus dicitur, quod ideo voluit Dominus corpus suum tradi in frumento, quia delicatior et convenientior est panis illius grani quam alterius : sed panis de spelta adeo delicatus et conveniens vel plus est quam de frumento : ergo ita debet confici in spelta sicut in frumento.

Quæst. 2. ULTERIUS quæritur de admixtione aliorum granorum cum pane de frumento, utrum ex tali mixto possit fieri confectio? Verbi gratia, pono quod ad modium frumenti ponitur dimidius modius hordei vel siliginis, et fiat inde panis, utrum ex tali pane fieri posset consecratio ?

Videtur quod sic : quia

1. Siccorum admixtio non tollit speciem, sicut patet : quia si granum hordei ponatur in sacco frumenti, remanet semper granum hordei : ergo etiam de illa parte quæ de frumento est, ad minus videtur posse fieri confectio.

2. Item, Detur etiam quod admisceatur, erit in tali mixtura abundans frumentum : ergo aliquid transit in frumentum : ergo de toto erit frumentum : et ita erit inde confectio sicut de pane de frumento.

Sed contra. SED CONTRA :

1. Ad visum patet, quod color frumentini panis remittitur, quando tertia vel quarta pars est siliginis : ergo videtur, quod etiam species corrumpantur : sed non potest fieri consecratio nisi de frumento : ergo etiam ex tali pane mixto nulla fiet consecratio.

2. Item, Philosophus dicit, quod mixtio dicitur miscibilium alteratorum unio : ergo miscibilia alterantur a sua specie : ergo in tali mixtura non manet panis frumenti in specie sua, sed alteratur : ergo cum non fiat confectio nisi de frumento, videtur quod ex tali pane nulla fiet corporis et sanguinis confectio.

3. Item, Corpus Domini nihil habet in se alienum sibi : ergo etiam nihil in figura debet fieri alienum a specie frumenti : ergo videtur, quod etiamsi parum adjungatur de alio grano, destruatur ratio convenientiæ.

Quæst. 3. SIMILITER objicitur, Si de pane corrupto possit fierit confectio ?

Videtur quod non : quia

1. Nihil corruptum habet similitudinem cum corpore Domini : ergo non debet fieri signum : sed ex parte materiæ sumitur signum sacramenti : ergo ex parte materiæ sacramenti nihil debet sumi corruptum.

2. Item, Corruptus homo non est homo : ergo corruptus panis non est panis : et non debet fieri nisi de pane frumenti : ergo non debet fieri de pane corrupto.

Sed contra. SED CONTRA :

Nos videmus hostias diutissime servari a quibusdam in tantum quod etiam si panis in majore quantitate ita diu servaretur, corrumperetur totus : et tamen de his hostiis conficiunt : ergo videtur, quod corruptio non impediat confectionem.

Quæst. 4. SIMILITER quæritur ex parte vini, Utrum de agresta possit fieri confectio ?

Videtur autem, quod sic : quia

1. Est de uva : et de uvæ specie non generantur diversæ species : ergo agresta erit ejusdem speciei cum vino : ergo sicut de vino, ita de agresta potest confici, ut videtur.

2. Similiter objicitur de aceto : quia dicit Philosophus, quod acetum non est vinum, nec potest redire ad vinum propter corruptionem in eo factam : ergo videtur, quod de aceto non possit fieri confectio.

Solutio. Solutio. Dicendum ad primum, quod non nisi de pane frumentino in genere suo potest fieri confectio : et causæ sunt, quia melius et nobilius nutrimentum præstat illud granum : et præcipue quia Dominus se illi grano comparavit.

Ad 1. Ad primum ergo quod contra hoc objicitur, dicendum quod non est simile de baptismo et Eucharistia : quia baptismus est sacramentum necessitatis, sed non Eucharistia, et ideo baptismus in generali materia nobis dari debuit, sed istud in materia quæ majorem habet convenientiam cum re signata.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod illi panes quos Dominus dedit, signabant libros legis veteris, et non Eucharistiam : et illi habent durum corticem in littera, et dulcedinem in spirituali intelligentia intus : unde ex illis panibus nihil probatur.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod passio Dominica non debet præsentari in panis sapore, quia passus Christus optimi saporis fuit : sed potius in modo præparationis panis, ut dicit Hugo in quadam epistola ad Bernardum, quod panis ille coctus est igne passionis in cruce, formatus autem manibus sapientiæ in Virginis utero : et ideo non procedit illa objectio.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod Dominus utrumque attendit in grano, scilicet confectionem, et in casu in terram mortem : sed materia Eucharistiæ habet vim a Christo, qui se illi grano et non alii comparavit.

Ad 5. Ad aliud dicendum, quod ipsa ostensio comparationis sui ad granum hoc et non aliud, ostendit causam institutionis, quæ postea facta est, cum corpus suum in hoc pane dedit, et non in alio.

Ad aliud dicendum, quod istud sacramentum causa amoris et perfectionis est delicatorum in spiritualibus deliciis : et ideo licet caro cito consumatur, tamen si custodiatur quemadmodum oportet, non consumitur : et hoc competit spirituali cibo, qui secum non compatitur concupiscentiæ calorem ex peccato mortali procedentem : et etiam in signum hujus manna reservatum computruit.

Ad aliud dicendum, quod distinguendum est de via corporali, et de via spirituali : corporalis enim calor ex motu excitato resolvit mollia, sed in via spirituali ex devotione confortatur et non resolvitur spiritus : et ideo non est simile.

Ad aliud dicendum, quod amidum non habet similitudinem cum corpore : quia aliquid est dispositum in eo ad putrefactionem, unde efficitur viscosum et tenax : et in illo confici non debuit.

Præterea, Incautum esset conficere in illo propter humorum liquefactionem.

Ad quæst. 1. Ad id quod ulterius quæritur de admixtione aliorum granorum, et præcipue de spelta, dicendum, quod absque dubio frumentum genus est, et non species grani : et habet sub se triticum, et speltam : unde spelta frumentum est, et de ipsa potest confici corpus Domini, sicut de tritico : et hoc nulli dubium est consideranti granum cum grano, et panem cum pane : et per hoc patet solutio ad primum.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod Dominus constituit in specie tritici dando inde virtutem grani in omni specie frumenti : et hoc ideo quia in terra illa est frumentum secundum speciem tritici.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod non est simile de aqua et pane : quia baptismus est sacramentum necessitatis, et aqua est elementum generale : et sic non est de

tritico et Eucharistia, ut prius dictum est.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod spelta et triticum non sunt unius speciei, sed unius generis proximi quod est frumentum : et sunt vicinæ valde species, et ideo parum distant in spicarum formatione, sed quasi nihil distant in forma granorum et calore, et sapore panis.

Ad 5. Ad aliud dicendum, quod non puto curiam ita determinasse : et si ita determinavit, hoc fuit ex ignorantia grani materiæ speltæ.

quæst. 2. Ad id quod ulterius quæritur de mixtura, leve est solvere : dicendum enim, quod si est mixtura non fit confectio : quia omnis mixtura proprie dicta solvit species mixtorum : si autem sit quædam parva appositio, ita quod totum appositum absumatur a tritico, tunc potest fieri confectio : absumptio autem illa notari potest in hoc quod idem maneat omnino color, sapor, odor, et hujusmodi : ac si totum sit frumentum.

Ad 1. Ad primum ergo quod de hoc objicitur, dicendum quod granorum dum manent integra, nulla est permixtio : sed Philosophus dicit, quod subtilia et humida permiscibilia sunt : et ideo grana farinata etiam infusa in pasta permiscerentur : unde nihil valet illa objectio.

Ad 2. Item ad aliud dicendum, quod mixtura non semper est secundum æqualitatem quantitatis, sed secundum proportionem virtutum quæ sunt in ipsis mixtis : unde cum virtus siliginis potest alterare frumentum extra speciem panis frumenti, tunc non fit confectio.

Ad quæst. 3. Ad id quod ulterius quæritur de pane corrupto, dicendum quod si corruptus est a specie panis, non habet fieri confectio : si autem tantum est dispositus ad corruptionem, tunc potest fieri : sed peccant conficientes nisi cogeret eos magna necessitas. Corruptio autem ista perpendi habet in odore, sapore, et colore, et solutione continuitatis : quia si omnia ista sunt mutata, non potest in eo confici : sed si salva sunt signa, licet dispositus sit ad corruptionem, et non corruptus, potest in eo confici : et per hoc patet solutio ad totum quod objicitur contra hoc.

Ad id quod ulterius objicitur de vino, dicendum quod ex agresta non potest fieri confectio sanguinis : quia adhuc non habet vini speciem. Ad quæst. 4.

Ad objectum autem contra dicendum, quod non est verum, quod ex eodem procedunt illud quod habet dispositionem ad speciem, et id quod habet speciem completam : quia et ex eodem ligno procedit aqueum in folio, et acidum magis in succo fructus : et ideo non valet quod objicitur. Ad 1.

Ad ultimum dicendum, quod sicut vult Philosophus in *Metaphysica*, acetum non est vinum, nec potest fieri vinum : et ideo de aceto non potest fieri confectio : sed de vino acido potest, quia hoc non est acetum, licet non sit tutum etiam de acido conficere propter reverentiam sacramenti. Ad 2.

ARTICULUS VIII.

An debeat fieri confectio in azymo, vel fermentato ?

Tertio quæritur, An debeat fieri consecratio in azymo, vel fermentato ?

Videtur quod in azymo :

1. Conficiendum enim est in tali materia panis, in quali Dominus corpus suum tradidit : tradidit autem in azymo : ergo in azymo est consecrandum. Prima probatur per se. Secunda autem probatur ex tempore : quia dies Paschæ Judæorum fuit decima septima dies mensis primi Parasceve : et in nocte præcedenti tradidit corpus suum : in nocte autem præcedenti occidebatur pascha, et non

erat fermentatum in domibus Judæorum [1]. Ergo ipse tradidit in azymo. Ex hoc sic habetur propositum: præcipue autem patet hoc, Exod. XII, 19, ubi dicitur, quod septem diebus non erat fermentatum in domibus Judæorum.

Item, Hoc videtur ex omnibus Evangelistis: dicitur enim, Matth. XXVI, 17: *Prima die azymorum, accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere Pascha?* Marc. autem, XIV, 12, dicitur: *Primo die azymorum, quando pascha immolabant, dicunt ei discipuli*, etc. Luc. XXII, 1: *Appropinquabat autem dies festus azymorum Pascha.* Et infra, ℣. 7: *Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi pascha.* Joan. XVIII, 28: *Adducunt ergo Jesum a Caipha in prætorium. Erat autem mane: et ipsi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha.* Hoc autem fuit in Parasceve quæ fuit decima septima dies mensis lunaris quo utuntur Judæi, et præcedenti nocte dederat corpus. Ergo quarta decima die ad vesperum.. Nihil autem fermentatum erat tunc in domibus Judæorum, ut probatur, Exod. XII, 16; Levit. XXIII, 5; Numer. XXVIII, 17. Ergo dedit corpus suum in azymo: et ideo nos ita debemus facere.

2. Item, Jesus non venit legem solvere, sed adimplere [2]: ergo ipse ritum Paschæ non solvit, sed adimplevit: ritus autem fuit comedere in azymo: ergo ipse corpus suum tradidit in azymo.

3. Item, Vetus pascha comedebatur in azymis: cum igitur novum pascha continuetur ad vetus, statim in eodem genere panis inchoavit novum: ergo in azymis dedit, et ita a nobis observari vofuit.

4. Item, Constat quod in veteri lege mysticam significationem habuit azyma cum quo agnus paschalis comedebatur: non significabat autem nisi sinceritatem et veritatem ab omni corruptione alienam. Cum igitur illa major fuit in novo pascha, quam in veteri, magis in azymis debet celebrari novum quam vetus.

5. Item, I ad Corinth. V, 8: *Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis.* Ergo hæc signatio necesse est ut in aliquo repræsentetur ut in signo ex parte sacramenti: non autem potest repræsentari nisi in azymo: ergo conficiendum est in azymo, et non in fermentato.

6. Item, Principale sacramentum apud veteres fuit Pascha. Si ergo ritum illius pervertisset Dominus, probabile esset, quod qui minora eo objecerunt, et illud objecissent, dummodo secum in domibus comederunt: ergo videtur, quod in azymo tradiderit, eo quod numquam talium aliquod ei objectum est.

7. Item, Alia hujus sacramenti observavit, scilicet agnum comedendo, et de nocte [3]. Ergo etiam azymos observavit: quia non est ratio quare unum mutaverit, et non aliud.

SED CONTRA: Sed co

1. Matth. XXVI, 26, dicitur: *Accepit Jesus panem*, etc., et in græco habetur ἄρτον, et hoc sonat panem fermentatum: ergo videtur, quod in fermentato tradidit corpus suum.

2. Item, Joan. XIII, 1: *Ante diem festum Paschæ, sciens Jesus quia venit hora ejus*, etc. Ergo cœna fuit ante festum Paschæ: sed tunc Judæi utebantur fermentato: ergo tradidit in fermentato.

3. Item, Cum Domini immolatio oblatione agni repræsentaretur, debuit Dominus offerri tempore oblationis agni: sed antequam offerretur, ipse pascha cum discipulis manducaverat: ergo ipse debitam horam paschæ veteris prævenit: sed tunc erat fermentatum in domibus Judæorum: ergo ipse dedit in fermentato, quod ipse in domibus Judæorum invenit.

[1] Cf. Exod. XII, 18; Levit. XXIII, 5; Numer. XXVIII, 16.

[2] Matth. V, 17.

[3] Cf. Marc. XIV, 17.

4. Item, Nos videmus, quod in aliis sacramentis quibusdam ritum illius gentis mutaverit, et mutari voluit ne judaizare videremur : sicut in observatione sabbati, et circumcisione, et in aliis : ergo præcipue debuit fieri hæc mutatio in principali, in quo maxima spes ponebatur : hoc autem fuit sacramentum paschæ : ergo ritum illius videtur mutasse : cum igitur ante traderetur in azymis, modo videtur tradi debere in fermentato.

5. Item, Legalium observantia est in toto nociva : ergo præcipue in observatione principalis sacramenti : principale autem sacramentum fuit sacramentum paschæ : ergo illud in toto mutari debuit : ergo et in observatione azymorum.

6. Item, In hoc sacramento quatuor sunt principaliter observanda, scilicet assatio agni, linitio postium de sanguine, lactucæ agrestes, et azymi : videtur autem, quod tria de istis cessaverunt : ergo et quartum cessare debuit, ut videtur.

7. Item, Leo Papa dicit, quod propter insultationem Judæorum antiquitus, tota Ecclesia statuit confici in fermentato, ne judaizare videremur : cum igitur hæc fuit consuetudo Patrum, videtur quod et nobis sit observanda.

linitio. SOLUTIO. Dicendum, quod confici potest in utroque, scilicet in azymo et fermentato de potestate verborum : sed de congruentia et jure et sine peccato non potest confici, nisi in azymo : et ideo Græci peccant erga congruentiam sacramenti, et contra jus in consecrando : sed dicentes, quod non possit confici in azymo, nesciunt quid dicunt : sicut in pluribus aliis : quia modo non est verum quod dicit Apostolus, quod *Græci sapientiam quærunt* [1], sed potius sapientiam et studium amiserunt : et ideo stultis assertionibus detinentur.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod ἄρτος ponitur indifferenter apud Græcos pro azymo et fermentato : et ideo in Veteri Testamento frequenter invenitur, Panes azymos : et ideo nomen non sonat nisi panes, licet usus loquendi excipiat in verbo panes fermentatos, quia illo utuntur plures. Ad object. 1.

AD ALIUD dicendum, quod *ante festum* dicitur ante primam diem Paschæ, quæ sicut habetur, Levit. XXIII, 5 et seq., fuit decima septima dies lunaris mensis primi : sed, sicut patet ex aliis Evangelistis, Dominus ante, non diu, sed præcedenti nocte tradidit corpus suum, et comedit pascha : et tunc erat quartadecima dies ad vesperam : et tunc præceptum sub pœna mortis erat, ut non esset fermentatum in domibus Judæorum [2] : et ideo nihil probat illud. Ad object. 2.

AD ALIUD dicendum, quod Dominus non eodem tempore immolabatur, quo agnus immolabatur : quia sic crucifixus fuisset die quartadecima ad vesperum in nocte : quod patet esse falsum : sed potius convenienter immolabatur, ut significaret post vetus novum incipere, et ad suam passionem umbram Veteris Testamenti terminari. Ad object. 3.

AD ALIUD dicendum, quod in his quæ non habent significationem suam nisi ex parte sui, Dominus finem imposuit : sicut agnum non immolamus, et cætera hujusmodi. Sed illa quæ significant quod semper est faciendum, non mutavit, sicut azyma, sicut expresse habetur ex verbis Apostoli, I ad Corinth. v, 8. Ad object. 4.

AD ALIUD dicendum, quod non observamus illud ut legale, sed potius ut competens sacramento novæ legis : sicut etiam utimur aqua in baptismo, licet ipsi usi fuerint aqua lustrationis. Ad object. 5.

AD ALIUD dicendum, quod sicut jam dictum est, illud non accipitur ut legale, quod etiam ante legem in oblatione Melchisedech figuratum fuit [3], et, Genes. Ad object. 6.

[1] I ad Corinth. I, 22.

[2] Cf. Exod. XII, 19 : *Septem diebus fermentum non invenietur in domibus vestris.*

[3] Cf. Genes. XIV, 18.

xviii, 6, ubi Sara fecit panes subcineritios azymos : sed potius ut novum accipitur congruens significato sacramenti.

Ad object. 7. Ad ultimum dicendum quod hoc factum fuit ex dispensatione ad tempus : sicut etiam baptismus in nomine Christi : cessante autem irrisione Judæorum, et cum prævaleret in virtutibus Ecclesia et viribus, resumpsit usum primæ institutionis sacramenti. Proterviores autem tales ritus temporalis dispensationis retinuerunt. Sicut enim narrat Leo Papa, primo conficiebatur in azymo : deinde ex causa prius dicta in fermentato : tertio iterum in azymo : et tunc in contrarium Græci litigare inceperunt.

ARTICULUS IX.

An aqua debeat admisceri vino, et quantum aquæ ? et, Qualiter peccent qui omittunt ?

Quarto, Quæritur de admixtione aquæ.

Videtur enim, quod admisceri non debeat : quia

1. Aquæ se Dominus non comparat : cum igitur illa comparatio det congruitatem ad esse materiam frumento et vino, videtur quod aqua nullam habeat ad sacramentum congruitatem.

2. Item, Aqua insipidum est elementum : dicitur autem, Sapient. xvi, 20, quod illud sacramentum habet *omne delectamentum, et omnis saporis suavitatem* : ergo aqua non habet congruitatem ad ipsum.

3. Item, Aqua materia est alterius sacramenti, scilicet baptismi : cum igitur duorum sacramentorum non possit esse materia una, sicut patet in singulis aliis, videtur quod aqua nec materia nec pars materiæ esse debeat in sacramento Eucharistiæ.

4. Si forte tu dicas, quod aqua significat populum uniendum Christo, sicut aqua unitur vino. Contra : Pani non adjungitur aliquid, et tamen significat corpus mysticum : ergo nec vino debuit aliquid adjungi, ut videtur.

5. Item, Vinum, ut habetur ex *Littera*, confluit ex diversis uvis : per quam uvarum diversitatem habet significare diversitatem fidelium : cum igitur habeat in se unum per quod potest repræsentare fideles sive populum, non oportet quod hoc fiat per aliud elementum admixtum : ergo superfluum est apponere aquam.

6. Item, Quæ est causa quod pani non fit adjunctio alterius materiæ, sed vino fit ? Et videtur, quod nulla, quia sub utraque est totus Christus, ut supra habitum est : si ergo in una parte non fit adjunctio, videtur etiam, quod in alia parte fieri non debeat.

Ulterius quæritur de quantitate aquæ Qu. 1 adjunctæ :

1. Cum enim vinum calidum sit vehementer activum, videtur parum vini ponendum in multum aquæ : ergo videtur, quod possit adjungi ultra medietatem.

2. Item, Quando vinum rubeum est, multum aquæ infunditur modico vino : cum igitur color sit dominantis, videbitur adhuc vinum dominari in mixtura : ergo videtur, quod ultra tres vel quatuor partes possit adjungi de aqua.

Ulterius quæritur de speciebus aquæ Qu. vel assumendæ vel adjungendæ : quia quædam sunt aquæ acutæ, ut lixivia, et colativa metallorum : de quibus agunt Alchimici : et cervisia tenuis, et ptisana, et hujusmodi sunt aquæ quædam.

Et quæritur, Utrum hujusmodi infusis, adhuc fiat consecratio ?

Et videtur quod sic : quia talis aqua vocatur aqua, etc. : ergo videtur, quod cum ipsa fiat confectio.

Sed contra objicitur primo de aquæ sed infusione :

1. Constat enim, quod aqua simul

cum sanguine fluxit de latere Domini [1] : ergo etiam in sacramento non est separanda a sanguine.

2. Item, Sanguis iste lavat, sicut dicitur, Joan. I, 29 : *Ecce agnus Dei*, etc. Et, Apocal. VII, 14 : *Laverunt stolas suas, et dalbaverunt eas in sanguine Agni*. Ergo cum sanguine debet esse elementum ablutivum : hoc autem est aqua : ergo cum sanguine debet effundi aqua.

3. Item, *Aquæ... populi sunt, et gentes*, ut dicitur, Apocal. XVII, 15. Populi autem et gentes redempti sunt sanguine. Ergo a sanguine redemptionis non debet separari aqua : ergo aqua quæ signat gentes, non debet separari a calice.

4. Item, Levit. XVI, 15, Moyses aspergens populum miscuit aquam sanguini : cum igitur hoc præcesserit in signo, idem debet sequi in veritate sacramenti novæ legis : ergo aqua calici est admiscenda.

Quæst. 3.

Sed tunc quæritur, Quæliter peccent qui omittunt?

Et videtur, quod mortaliter : quia

1. Ipsi peccant contra statutum universalis Ecclesiæ : tale autem statutum omnes obligat : ergo peccant mortaliter veniendo contra hoc.

Item, Illi non ostendunt in signo redemptionem sanguinis ad populum pertinere : cum igitur hoc omnimode sit ostendendum, videtur quod ille graviter peccet, qui non facit.

2. Item, I ad Corinth. XI, 23 et seq., dicitur, quod indigne accipit sacramentum qui aliter celebrat sacramentum quam statutum est : sed non apponens aquam, aliter celebrat quam institutum est : ergo indigne accipit : sed nihil facit hominem indignum sacramento nisi mortale peccatum : ergo ille peccat mortaliter non apponendo aquam.

Ulterius videtur, quod in parva quantitate sit aqua admiscenda :

1. Dicitur enim in *Littera*, quod aqua est absorbenda a vino : hoc autem non fit si vis actionis aquæ aliquam habet proportionem ad vim activam in vino : ergo ita parum oportet esse, quod nullam habeat proportionem ad vim activam vini : ergo non potest esse tertia vel sexta, vel notabilis ad sensum pars proportionalis.

2. Item, Ex quo non apponitur nisi in signum, et una gutta illa significat omnem populum, sicut totum mare : videtur quod stultum sit apponere multum.

Ulterius objicitur de speciebus aquarum : constat enim, quod quando operatur ars cum natura, scilicet per virtutes activas et passivas in natura, dat speciem licet debilem, et non diu manentem, quia aliter nulla essent opera alchimicorum : sed quædam aquæ fiunt operante arte per activas et passivas qualitates in natura, ut superius enumerantur : ergo in illis est aliqua species immixtionis : ergo cum propria aqua admiscenda sit, videtur quod tales aquæ non sunt admiscendæ.

Solutio.

Solutio. Dicendum, quod absque dubio aqua calici debet admisceri : puto etiam in parva quantitate : quia in parva quantitate nullum periculum est, sed in magna posset esse periculum, ut probant ultimo inductæ objectiones.

Ad 1.

Dicendum ergo ad primum, quod aqua cum admiscetur sanguini, non admiscetur ut materia, sed potius ut signum populi conjungendi redemptori in opere redemptionis, et absorbenda a vino : unde non est mixtio proprie loquendo, sed transmutatio aquæ in vinum, sicut videtur velle Philosophus in primo *Perigeneseos*, quod non est mixtio si gutta aquæ decem amphoris vini infundatur : unde bene conceditur, quod aqua nec materia est, nec materiæ pars, sed transit in vinum, et saporosa facta per vinum retinet tantum relationem signi ad

[1] Joan. XIX, 34.

populum unitum in eodem spiritu Redemptori in opere redemptionis.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod aqua ideo adjungitur, quia insipidus est populus, ut ex ipsa conjunctione accipiat simul et vini speciem et saporem : sicut populus saporem spiritus et gratiæ non habet nisi a Christo.

Ad3. Ad aliud dicendum, quod aqua non est materia hujus sacramenti, nec pars materiæ : quia in confectione non manet in sua specie, sicut aliæ materiæ sacramentorum : sed potius transit in vini speciem et saporem, unda illa objectio supponit falsum.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod adjunctio fit vino, et non pani, propter tres causas : quarum una est ex parte materiæ, et altera ex parte signi signantis sacramentum : tertia ex parte finis sacramenti. Prima ex parte materiæ sumpta est, quia panis est siccum elementum sacramenti et grossum : et tali non est aliquid admiscibile facile, quod assumatur ab ipso, et trahatur ad suam speciem et saporem : sed vinum humidum est habens calorem acutum dividentem, et ex utraque parte aliquid facile permiscetur sibi ad suam speciem et saporem, et ideo convenientius est ut fiat admixtio in vino, quam in pane. Alia causa est, quia corpus Christi in prima oblatione cum pependit in cruce non fuit adjunctum alicui alii, sed sanguis profluxit a latere cum aqua : et ideo congrue illi aqua adjungitur. Tertia causa est, quia sanguis significat redemptionem, ut supra habitum est, quæ tota suscepta est propter populum : sed non sic est de corpore, et ideo convenientius fit permixtio aquæ significantis populum cum vino, quam cum pane.

Ad 5. Ad aliud dicendum, quod corpus ex parte suæ compositionis est ex heterogeniis sive dissimilibus : sed sanguis homogenius est et similis in omnibus partibus : et ideo magis habet in se unde significet diversitatem membrorum corporis, quam sanguis : et ideo additur elementum diversum vino : nec hoc sufficit, quod fluit ex diversis uvis : quia fluens est unius naturæ, et diversitas uvarum non remanet in vino, sicut manet diversitas membrorum in corpore.

Ad aliud patet solutio per ante dicta. Ad

Ad id quod ulterius quæritur, dicendum quod minima quantitas sensibilis sufficit, ut dictum est : sed magna est in periculo : quia si per admixtionem aquæ vinum corrumpitur a specie sua, non erit consecratum : et hoc non est de facili saporabile : quia etiam aqua in vase super vinum posita, ita quod os vasis aquæ sit versum super os inferioris vasis et in vino, contrahit vini saporem et colorem : et tamen manet aqua : sicut fit cum aqua in vase stricti oris et longi ponitur in situla plena vini : et ideo non consentio illis qui dicunt, quod potest poni medietas, vel tertia, vel quarta : sed videtur mihi ponenda in parva valde quantitate, præcipue si vinum est valde debile. Ad qu

Ad id autem quod contra objicitur, dicendum quod sapor non plene indicat speciem nec virtutem vini in mixto : quia non est vinum, nec est aqua, sed medium inter utrumque. Ad

Ad aliud dicendum, quod color adhuc minus indicat : quia cum aqua aliquem colorem actu non habeat, de facili recipit omnem colorem ex modico valde immutante : præcipue cum etiam sine vini admixtione recipit colorem vini et saporem, modo supra dicto, si vas aquæ operti et stricti oris in situla vel in dolio vini immittatur. Ad

Ad id quod ulterius quæritur de speciebus aquæ affundendæ, dicendum quod viva aqua dicitur quæ facit aquæ operationem et actum : sicut illa quæ est in impetu purificandi et refrigerandi. Unde species aquæ de quibus dictum est, corruptæ sunt ad aliam speciem, ex quo non faciunt operationem, licet in eis abundet elementum aquæ : et hujus ra- Ad quin

tio etiam dicta est in quæstione de *materia baptismi*.

1quæst. 3. Ad id autem quod postea quæritur, Quantum peccet qui omittit apponere aquam ?

Dicendum, quod sine aqua bene fit consecratio : eo quod aqua nec sit materia sacramenti, nec pars materiæ, ut dictum est : et ideo dicendum est de causa omissionis. Illa enim potest esse hæresis, aut contemptus, aut negligentia : et primis duobus modis est peccatum mortale contra ritum sacramenti ordinatum ad hæresim vel scissuram. Tertio modo distinguendum mihi videtur in causa negligentiæ, scilicet quod hæc vel est detentio, vel occupatio circa vana, vel circa illicita. Si primo modo non peccat mortaliter : sed corripiendus est graviter, ne circa hoc de cætero negligens inveniatur. Si secundo modo, aut hoc est ex cura vanorum et temporalium quæ pertractat, aut ex inopinata subreptione : et primo quidem modo graviter peccat : et si mihi contingeret, facerem emendam tamquam pro peccato mortali. Secundo autem modo orandum est pro ipso, quia non peccavit mortaliter : sed indiget adjutorio contra tentatorem. Tertio autem modo, quando scilicet fit ex occupatione circa illicita, non est dubium quin peccet mortaliter.

Ad 1. Ad id autem quod videtur probare, quod semper peccet mortaliter, dicendum quod appositio aquæ non est de principalibus sacramenti, sed de adjunctis ad ampliorem significationem.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod non celebrat aliter quam institutum est : quia nec formam mutat, nec materiam, licet aliquid omittat de non principali.

Et per hoc patet solutio ad omnia objecta.

ARTICULUS X.

An species sacramentales aliis liquoribus admixtæ, corrumpantur, an maneant salvæ ?

Quinto, Quæritur quæstio difficillima harum specierum quando aliis liquoribus admiscentur.

Videtur enim, quod numquam corrumpantur per admixtionem aliquam :

1. Corpus enim gloriosum divinum non est admiscibile corpori non glorioso : post consecrationem autem est corpus gloriosum et divinum : ergo non admiscetur alicui.

2. Si forte tu dicas, quod species admiscentur et corrumpuntur, et corpus evolat in cœlum : hoc videtur non esse intelligibile : quia habet Philosophus in primo de *Generatione et Corruptione*, ubi distinguit quæ miscibilia sunt, et quæ non, quod accidentia nec sibi nec aliis sunt miscibilia : constat autem, quod non remanent ibi nisi pura accidentia : ergo non admiscentur aliis corporibus vel accidentibus.

3. Item, Generatio et corruptio fiunt duobus modis, scilicet simpliciter, et secundum quid : constat autem quod utraque est substantiæ : una quoad acceptionem vel amissionem formæ substantialis : alia secundum acceptionem vel amissionem formæ accidentalis : ergo neutra erit accidentis secundum se : ergo videtur, quod cum hæc sint accidentia, secundum se numquam resolvantur in aliquid aliud.

4. Item, Unumquodque quod corrumpitur, secundum suum esse corrumpitur : sed accidentis esse est inesse, ut dicit Philosophus : ergo non corrumpuntur nisi secundum inesse : et sic non corrumpuntur hic, et non possunt alio mo-

do corrumpi : ergo simpliciter non corrumpuntur : sed manent incorruptibilia : et sic species panis et vini semper manent.

5. Item, Aristoteles circa finem primi *Physicorum* dicit, quod contraria nec patiuntur nec agunt ad invicem sine materia subjecta : sed quæ non agunt nec patiuntur ad invicem, numquam se corrumpunt : ergo accidentia hoc modo accepta, nec se corrumpunt ad invicem, nec corrumpuntur ab aliis : sed hoc modo accipiuntur in sacramento post consecrationem factam : ergo nec a seipsis nec ab aliis umquam corrumpuntur.

6. Præterea, Putrefactio quæ est in hostia diu reservata post consecrationem, constat quod non primo refertur ad corpus divinum gloriosum : ergo necesse est, quod referatur ad aliquid primo corruptum : constat autem quod hoc non est accidens : quia hoc secundum esse dependet ad aliud primum, si non est ibi aliquid pro substantia : ergo putrefactio quæ ibi apparet, ad nullum primo putrefactibile potest reduci, quod non capit intellectus hominis.

7. Si forte tu velis dicere, secundum quod quidam scripserunt et dixerunt, quod post consecrationem peracto officio sacramenti redit substantia prima, scilicet sub specie panis et vini, et per illam substantiam permiscetur aliis corporibus et putrescit et corrumpitur. CONTRA : Ille reditus aut est quia substantia sub accidentibus sit servata : aut quia creatur de novo sub accidentibus. Si primo modo : hoc non esse potest : quia sicut supra habitum est, illa convertitur in corpus Christi, et postea non dimittitur ei aliquid. Si secundo modo : hoc iterum falsum est : quia quamdiu discerni possunt species manentes, tamdiu judicatur esse corpus Christi : ergo sub illis accidentibus numquam causatur alia substantia.

Præterea, Cum incipit putrefieri, constat quod adhuc manent species : ergo corpus Christi est adhuc sub illis, et non alia substantia.

Præterea, Non diceretur hic vere esse corpus Christi si accidentia illa ducerent in aliam speciem, quam in corpus Christi : cum igitur verum est dicere hoc esse corpus Christi accidentibus manentibus, constat quod sub illis accidentibus numquam alia substantia est quam corpus Christi erit.

Et ita videtur nihil esse dictum, quod redeat alia substantia : et ideo fuerunt alii dicentes, quod accidentia illa in permixtione et corruptione convertuntur in substantiam, et ut substantiæ corrumpuntur et permiscentur.

Sed quod hoc nihil sit, de facili probatur sic : Accidentia illa nec sunt unius generis nec unius sensus, sed quoddam est quantitas, quoddam qualitas, et quoddam est gustus, et quoddam visus : ergo si convertuntur in substantiam, non convertuntur in substantiam unius generis et unius sensus, sed transeunt in diversas substantias etiam genere et sensu, et hoc nihil est dictum.

Si autem dicatur, quod transeunt in substantiam ejusdem generis : tunc quæritur, quæ sit hujusmodi conversio qua diversa genera transeunt in unum genere et numero.

Item, Cum plura sint accidentia, videtur quod plures sint substantiæ constitutæ ex illis : et hoc non est verum.

Item, Philosophus dicit, quod ex accidente non fit substantia : ergo accidentia illa non convertuntur in substantiam.

Ideo iterum fuerunt alii qui dixerunt, quod solum unum illorum accidentium converteretur in substantiam, scilicet quantitas, et alia afficerent illam substantiam, sicut prius fecerunt substantiam panis et vini. Sed hoc ridiculum est : quia ex quantitate non fit substantia, ut dicit Philosophus.

Præterea, Cum illa substantia sit quanta, unde venit quantitas illa, si ita tota transsubstantiata est in subjectum : oportet enim quod ex sola quantitate fiat quantitas et substantia : et hoc non est

verum : ergo patet, quod illud nihil est dictum, et non intelligibile.

Solutio. Solutio. Dicendum mihi videtur sine præjudicio aliorum, quod accidentia per se miscentur et corrumpuntur, vel in transitu ad aliud subjectum, vel in corruptione in non esse.

Ad hoc autem intelligendum videntur mihi duo consideranda. Unum est, quod nos ideo dicimus formam substantialem et accidentalem unam numero non posse esse in duobus subjectis successive : quia ipsa non est secundum se, sed semper habet esse in subjecto : et quando non est in illo, tunc simpliciter non est : quia si ipsa extra subjectum esset et non in subjecto, nos diceremus, quod sicut unum et idem mobile transfertur de loco ad locum, ita una et eadem forma transferretur de subjecto ad subjectum.

Aliud est, quod ideo accidens apud naturam nec agit nec patitur ab alio sine subjecto : quia non est sine subjecto : et ideo subjectum non confert ipsi virtutem agendi, vel patiendi, sed potius sustinet ipsum tantum : et ideo subjectum neutri est contrarium : sed si esset secundum se sine subjecto, absque dubio propria virtute ageret et pateretur : cum igitur secundum opinionem celebriorem et magis catholicam formæ illæ maneant sine subjecto, dico quod per se possunt agere et pati admixtionem et putrefactionem, et per se in aliud subjectum transferri : sed ex illo in quod transferuntur, non possunt transferri in tertium : quia quod absque subjecto esse potuerunt, habuerunt ex hoc quod fuerunt in mysterio sacramenti per modum signativum, et hoc modo non sunt in tertio vel quarto vel deinceps subjecto in quod transferuntur a secundo. Hujus autem ratio infra supra ultimum capitulum hujus distinctionis explicabitur.

His habitis, facile est respondere objectis.

Ad 1. Dicendum ergo ad primum, quod corpus gloriosum divinum, nec miscetur, nec corrumpitur : sed species in se manentes ex mixtione vel corruptione in aliud transeunt : et tunc non est ibi corpus Christi.

Ad aliud dicendum, quod Philosophus non considerat nisi accidentia quorum esse est inesse : et non illa quæ sunt secundum esse potentia divina ad mysterium sacramenti. Ad 2.

Ad aliud dicendum, quod generatio physica sive sit simpliciter, sive secundum quid, semper est substantiæ, ut dictum est : hic autem est alia mutatio, eo quod accidens hic manet sine subjecto potestate divina ad usum sacramenti fidei et Ecclesiæ. Ad 3.

Ad aliud dicendum, quod hoc intelligitur de accidente quod totum dependet secundum esse ad subjectum in quo est : talia autem accidentia non sunt hic, sed potius ex potestate divina sustentata sunt sine substantia, ideo ut compleatur significatio sacramenti fidei et Ecclesiæ. Ad 4.

Ad aliud patet solutio per ante dicta : quia hoc non est ideo ut materia communis det eis virtutem qua agant ad invicem et patiantur, sed potius qua non agant nisi sint : et non sunt nisi quia sunt in materia utriusque in communi in potentia : unde si sine materia essent calidum et frigidum, tunc sine materia repugnarent ad invicem et alterum corrumperet reliquum. Ad 5.

Ad aliud dicendum, quod sine præjudicio loquendo putrefactio est in quantitate hostiæ primo : quia hæc est ante saporem et colorem, ut infra probabitur : et est in ea alio corrumpente, scilicet qualitatibus aeris activis, vel alterius corporis : vel ex eo quod illæ qualitates quæ sunt in hostia, actus contrarios habent, et resolvunt eam. Ad 6.

Ad objectum autem dicendum, quod in physica putrefactione tenet hoc : quia in illis accidens dependet a subjecto, et non hic. Ad 7.

Si autem objiciatur, quod illa putrefactio sit physica, dico quod ipsa quidem

physica est, sed non est physice existentis, sed potius virtute divina.

Sed adhuc tunc objicitur, quod virtus divina conservans est potentior omni corrumpente : et sic non deberent species illæ corrumpi. Ad hoc dicendum videtur, quod virtus divina non conservat et continet nisi ad actum sacramenti : et ideo conservatio ejus non impedit corruptionem earum secundum esse naturale quod habent in se.

Ad in autem quod objicitur contra opiniones inductas, videtur esse concedendum : sed tamen in rebus difficilibus nulli præjudicandum esse videtur, nisi soli errori, ubi ille apertus cognoscitur : quia quædam subsunt fidei quæ ratione penetrari non possunt : et Deus potest facere plus quam possumus intelligere : quia *non erit impossibile apud Deum omne verbum* [1].

ARTICULUS XI.

An aqua et vinum quæ miscentur in calice possunt separari ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, C, sub finem : « *Quæ copulatio aquæ et vini sic miscetur in calice Christi, ut mixtio illa non possit separari,* etc. »

Hoc enim falsum videtur : quia

1. Dicit Philosophus, quod mixta separari possunt.

2. Præterea, Si vinum habeat aquam mixtam, ut dicunt alchimici, contingit eam separari multis quidem modis, quibus extrahitur substantia a substantia in qua est, et unus modus sufficiat gratia exempli : cum enim simile attrahit simile, et porosum præcipue trahat humidum : si in vinum mixtum mittatur juncus decorticatus siccus ex similitudine naturæ, quia crescit in aqua, attrahit simile, et ex porositate trahit humidum : ergo ex porositate et similitudine aquæ naturæ trahit humidum aqueum relinquendo vinum : ergo hoc modo separabitur aqua admixta : ergo separabilis est : et hoc est contra *Litteram*.

Item, Contra ritum Ecclesiæ est et fidem : quia Ecclesia ordinat et dicit, quod aqua absumitur a vino, ita quod transeat in speciem vini et saporem, sicut prius dictum est.

3. Si forte tu dicas, quod non est separata aqua per hunc modum : sed est vinum quod contrahit juncus sive scirpus. Contra : Probetur vini fortitudo et sapor ante immissionem scirpi sive junci, et post extractionem : et invenietur post fortius et saporosius, quam ante : hæc autem intensio saporis et fortitudinis non potest esse nisi ex remotione contrarii, quod est humidum aquæ : ergo juncus extrahit aquam, ut videtur : ergo falsum dicit in *Littera*. Alia autem possent poni quibus hoc docetur fieri : sed quia hoc naturale et magis apparens est, illud sufficiat.

Solutio. Dicendum, quod juncus substantiam aquæ non trahit ex omni humido, sive sit mixtum, sive purum : sed quando est plus mixtum, tanto plus trahit, quia plus invenit : et quanto purius tanto trahit minus, quia minus invenit : unde non separatur eadem aqua infusa : sed potius substantia aquæ in vino quæ actu vinum est, ex qualitatibus aquæ in junco existentibus convertitur ad naturam aquæ et trahitur. Vinum enim, ut ait Philosophus in IV *Meteororum*, est species aquæ : et sunt in eo partes debiliores, citius quam aliæ ad naturam aquæ transmutabiles : et illas attrahendo alterat juncus vel scirpus : et ideo non est separatio, sed potius corruptio quarumdam partium vini magis debilium. Et per hoc patet solutio ad totum.

Solut

[1] Luc. I, 37.

D. *Julius Papa.*

Si vero quæritur, An irritum sit quod geritur, si aqua prætermittatur? Audi quod sequitur in eodem canone [1] : Non potest, inquit, calix Domini esse aqua sola, aut vinum solum, nisi utrumque misceatur. Item Cyprianus [2] : Calix Domini non est aqua sola, aut vinum solum, nisi utrumque misceatur : sicut nec corpus Domini potest esse farina sola, nec aqua sola, nisi utrumque fuerit adunatum, et panis unius compage solidatum. Si quis tamen non intendens introducere hæresim, oblivione vel ignorantia aquam prætermiserit, non videtur esse irritum sacramentum : sed ille graviter est corripiendus. Nam et Græcorum Ecclesia non apponere aquam dicitur. Quod etiam ex dictis Cypriani videtur posse colligi [3]. Ait enim : Si quis de antecessoribus nostris vel ignoranter vel simpliciter non hoc servaverit, quod nos Dominus facere et exemplo et magisterio docuit, potest simplicitati ejus indulgentia Domini venia concedi. Nobis vero non potest ignosci, qui nunc a Domino instructi sumus, ut calicem Domini cum vino mixtum, secundum quod Dominus obtulit, offeramus. Ex hoc videtur, quod si quis simpliciter vel ignoranter vinum offerat sine aqua, sacramentum conficiat. Aqua vero nullatenus sine vino potest offerri in sacrificio, nec panis nisi de frumento, nec granum frumenti, nisi redactum fuerit in panem : quia Christus et panem se dicit [4], et grano frumenti se comparat [5]. Quod ergo supra dictum est non posse vinum solum offerri, determinari oportet : recipit enim exceptionem. Non potest, nisi simpliciter vel ignoranter fiat : vel, non potest, id est, non debet. Quibusdam tamen videtur hoc generaliter verum. Colligitur etiam ex prædictis, quod Christus vinum aqua mixtum dedit discipulis.

Corpus vero tale dedit, quale tunc habuit, id est, mortale et passibile. Nunc vero sumitur a nobis immortale et impassibile : nec tamen majorem habet efficientiam. Eucharistia quoque intincta non debet dari populo pro

[1] Cf. De consec. dist. II, cap. *Non debes* (Nota edit. Lugd.)
[2] Cf. De consec. dist. II, cap. *Sicut in sanctificatione* (Nota edit. Lugd.)
[3] Cf. De consec. dist. II, cap. *Et scriptura* (Nota edit. Lugd.)
[4] Joan. VI, 35 et 48 : *Ego sum panis vitæ.* Et infra, ỳ. 41 : *Ego sum panis vivus.*
[5] Joan. XII, 24 et 25.

supplemento communionis [1] : quia non legitur Christus alicui discipulorum præbuisse panem intinctum nisi Judæ [2]. Tunc vero non accepit Judas corpus Christi, sed tantum panem : corpus vero et sanguinem Christi ante cum aliis discipulis perceperat.

ARTICULUS XII.

An calix possit esse aqua sola, aut vinum solum, aut mixtum ex utroque ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, D, circa medium : « *Quod ergo supra dictum est non posse vinum solum*, etc. »

Videtur enim expositio nihil valere, cum dicit : « *Nisi simpliciter fiat, vel ignoranter.* » Quia simplicitas vel ignorantia sunt dispositiones consecrantis, et non de esse sacramenti : ergo non faciunt ad hoc quod fiat consecratio, vel non fiat, sed potius quod meritorie vel non meritorie fiat.

Solutio. Solutio. Dicendum, quod posse hoc non est posse sacramenti : sed potius posse juris ex ordinatione Ecclesiæ et congruentia sacramenti, ut supra dictum est : et per hoc patet solutio.

ARTICULUS XIII.

Quale corpus Christus dedit discipulis suis, an mortale et passibile, vel immortale et impassibile ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, D, § 2 : « *Corpus vero tale dedit, quale tunc habuit*, etc. »

Circa hoc ante *Litteram* videntur tria esse quærenda : quorum primum est, Quale corpus dedit discipulis, utrum scilicet mortale et passibile, vel immortale et impassibile ?

Secundum, Et quid esset si servatum fuisset in pyxide usque in triduum, vel celebratum fuisset in triduo, vel de novo confectum ?

Tertium, Utrum ipse sumpsit corpus suum, quando illud dedit discipulis suis, an non ?

Ad primum objicitur sic :

1. In *Littera*, et I ad Corinth. xi, 24, sunt eadem verba in Glossa, quod ipse dedit corpus quale tunc habuit : tunc autem habuit passibile : ergo dedit corpus suum passibile.

2. Item, Innocentius in libro de *Sacramentis* : « Tale Dominus dedit corpus discipulis, quale tunc habuit : » constat autem, quod habuit passibilis : ergo passibile tradidit.

3. Item, Veritatis non est fingere : sed Christus est veritas : ergo Christi non est fingere : sed fingere est alterius modi exhibere quam est : ergo Christus se in sacramento alterius modi non exhibuit quam fuit : sed fuit passibile : ergo passibile et mortale corpus dedit discipulis.

4. Item, Hoc accipitur ex modo loquendi cum dicit: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur* : tradendum enim corpus in futuro esse non poterat nisi mortale, quia aliter traditio non intulisset ei passionem : cum ergo idem porrexerit discipulis, videtur quod fuerit sub eadem dispositione : ergo passibile præbuit.

[1] Cf. De consec. dist. II cap. *Cum omne* (Nota edit. Lugd.)

[2] Joan. xiii, 46.

5. Item, Detur, quod dedit impassibile : ergo fuit impassibile, et in cruce fuit passibile : ergo fuit simul passibile, et non passibile : sed impassibile et non passibile aut æquipollent, aut unum sequitur ad aliud : ergo simul fuit passibile, et non passibile : sed si fuit non passibile : ergo non fuit passibile : quia negativa de prædicato finito, et affirmativa de prædicato infinito æquipollent : ergo simul fuit passibile, et non fuit passibile in eodem tempore : ergo contradictoria verificantur de eodem in eodem tempore, quod est impossibile.

6. Si forte tu dicas, quod hoc non sequitur : quia respectu diversorum accipiuntur, scilicet respectu formæ sacramenti secundum quam est impassibile, et respectu formæ naturalis propriæ secundum quam est passibile. Item, Respectu sumentium sacramentum est impassibile, et respectu lanceæ et crucis passibile. Si, inquam, sic dicas. CONTRA : Passibile et impassibile sunt qualitates absolutæ fluentes a naturali potentia vel impotentia patiendi : ergo sive comparentur ad aliud sive non, semper sunt uno modo : constat autem, quod Christus tunc non habuit naturalem impotentiam patiendi, id est, qua non pateretur accedente læsivo inferente passionem : ergo a nulla comparatione potuit esse vel fieri impassibile, non alterata in eo natura passibili : constat autem, quod sacramentum in eo non alteravit naturam : ergo dedit corpus suum passibile, et nullo modo impassibile.

Sed contra. SED CONTRA hoc objicitur :

1. Matth. XVII, 2, super illud : *Et transfiguratus est ante eos*, Glossa : « Illud corpus quod habuit per naturam dedit discipulis in cœna non mortale, non corruptibile. » Hoc expresse dixit : quia dedit incorruptibile, cum tamen haberet passibile.

2. Item, Levit. VII, 33, super illud : *Qui obtulerit sanguinem*, etc., dicit Glossa : « Carnem suam ante passionem esui non aptam, esui aptam fecit. » Constat autem, quod passibilis non esset esui apta : ergo fecit eam impassibilem.

3. Item, Hugo de sancto Victore : « Tenebat se in manibus, tenens erat mortalis, tentum immortale : » sed hoc erat corpus quod dedit discipulis : ergo corpus dedit immortale et impassibile.

Item, Hugo : « Ego absque præjudicio veritatis magis ad hoc accedo, ut illud impassibile et immortale quantum pertinet ad sanctificationem sacramenti tradidisse dicitur : si enim hoc esse potuit, quod ipse seipsum manibus gestaret, et corpus suum sine corruptione sui edendum distribuit : et tamen qui dedit et qui dabatur, et qui portabat et qui portabatur, idem esset : quid mirum si dicatur, quod ipse in eo quod dabatur, erat immortalis, et in eo quod dabat mortalis fuit, non duo, sed unus ? »

4. Item, Passibile patitur accedente læsivo : si ergo ipse dedit illud passibile, patiebatur accedente læsivo : attritio autem dentium læsivum est : ergo patiebatur et occidebatur masticatione discipulorum, quod falsum est : ergo non dedit corpus suum passibile et mortale, ut videtur.

Solutio. SOLUTIO. Dicendum, quod circa hanc quæstionem ambæ partes habent suos defensores : et illi qui sequuntur Hugonem de sancto Victore dicunt, quod Dominus ante resurrectionem suam, usum quatuor dotium corporis assumpsit, quavis non assumpserit habitum : actum enim sive usum subtilitatis assumpsit, quando ex utero matris clausis pudoris repagulis exivit : vim autem agilitatis, quando sicco vestigio super undas ambulavit : claritatis autem, quando resplenduit facies ejus in monte Thabor, quando transfiguratus est ante discipulos : sed actum impassibilitatis in cœna, quando corpus suum discipulis dedit, non passibile secundum actum, licet habitu esset passibile : quia (sicut dictum est) ipse non assumpsit habitum dotium, sed tantum actum : et hæc est sententia

Magistri Hugonis de sancto Victore.

Ad 1,2,4 et 5. Et tunc patet solutio ad omnia primo objecta, præter duo, scilicet quod objicitur de fictione, et de verificatione contradictoriorum simul de eodem.

Ad 3. Ad primum ergo illorum dicendum, quod non erit fictio (ut dicit Augustinus) nisi quando ordinatur ad deceptionem : unde etiam dicitur, Lucæ, xxiv, 28, quod *finxit se longius ire :* nec reputatur fictio nisi bona, ut dicit Augustinus, quia non ordinatur ad decipere, sed potius ad instructionem : unde sicut ipse ostendit discipulis claritatem, ne de morte sua nimis tristarentur et turbarentur : ita in cœna propter instructionem resurrectionis ostendit eis impassibilitatem, et in aliis locis actus aliarum dotium.

Ad 6. Ad aliud dicendum, quod non erat ibi aliqua oppositio contradictionis : quia æquivoce sumitur passibile, et impassibile : mortale, et immortale : passibile enim et mortale sumuntur secundum habitum, sed immortale et impassibile secundum actum : ut idem sit impassibile et immortale, quia non patiens, et non moriens in distributione sacramenti.

Hoc autem qui dicere voluerit, potest, et habet unde respondeat objectis. Ego autem magis assentio alteri opinioni quam Magister tangit in *Littera*, et Glossa super epistolam I ad Corinth. xi, 24, et Innocentius in libro de *Sacramentis*, scilicet quod passibile dedit corpus suum : et ideo etiam in memoriam passionis frequentatur sacramentum ab Ecclesia.

Ad object. 1 Ad hoc autem quod primo objicitur, dicendum quod Glossa sic intelligitur, scilicet quod dedit immortale et impassibile, id est, non passum, et non mortuum in sacramento vel sacramenti susceptione : et hujus non est causa quod fuit impassibile, sed causa in solutione patebit.

Ad object. 2. Ad aliud dicendum, quod illa Glossa Levitici non intelligitur de impassibilitate, sed potius quia corpus in figura et forma humana non est esui aptum, ideo tradidit illud sub forma panis sub qua est esui aptum.

Ad aliud dicendum, quod illa fuit opinio Hugonis quam non tenemur sequi, nisi velimus. Si tamen velimus sustinere quod dicunt, dicemus quod ipse refert hoc ad id quod non patiebatur secundum actum sub sacramento : sed causam hujus non determinat : et ego non credo, quod hæc fuit causa quod impassibilitatem assumpsit, quia nulla ad hoc cogit necessitas, ut jam infra patebit. Ad object.

Ad aliud dicendum, quod illa propositio verissima est, qua dicitur, Passibile patitur accedente læsivo : sed in sacramento nullum accessit sibi læsivum : quia sicut habebimus in sequenti distinctione a Magistro determinatum, masticatio et divisio non referuntur ad corpus Christi, sed ad formas tantum sive species accidentales : hoc tamen puto fuisse quod coegit eos qui diversa sunt opinati a Magistro hic, quod dederit corpus suum impassibile : unde cum hoc, sicut jam patuit, nihil omnino cogat, patet quod non est ratio quare dicatur corpus suum impassibile tradidisse. Ad objec

ARTICULUS XIV.

Quid de corpore Christi esset factum, si ab aliquo discipulorum fuisset consecratum in triduo, aut servatum in pyxide ? et, An anima existens in limbo etiam potuerit esse in corpore consecrato ?

Secundo quæritur, Quid esset de corpore illo factum, si ab aliquo discipulorum fuisset servatum per triduum, vel ab aliquo eorum de novo confectum vel consecratum ?

1. Cum enim unum et idem numero esset corpus quod pependit in cruce, et quod servabatur in pyxide : videtur, quod quodcumque accidit ei in cruce, totum hoc acciderit ei in pyxide : sed in cruce vulne-

rabatur, lanceabatur, irridebatur, potabatur aceto : ergo et in pyxide fiebat ei quodlibet istorum : et hoc plane falsum est : quia crucifixio et hujusmodi ad visus hominum fuerunt, et nihil talium videbatur in pyxide fieri circa corpus.

2. Si autem tu dicas, quod in pyxide non crucifigebatur, tunc videtur quod contradictoria verificantur de eodem in tempore uno et eodem : in cruce enim occidebatur, et non in pyxide, et in eodem tempore ipsum erat idem existens : ergo unum et idem existens uno tempore crucifigebatur et non crucifigebatur, sive moriebatur et non moriebatur, quod non capit intellectus.

3. Item, Aut moriebatur in pyxide, aut non moriebatur : sed non moriebatur : ergo idem homo eodem tempore erat mortuus et vivus, quod nec fides admittit, nec intellectus capit. Si moriebatur : aut eodem genere mortis quo extra pyxidem moriebatur, aut non. Si non : ergo duobus generibus mortis moriebatur Christus, quod iterum abhorret Scriptura. Si eodem, sed extra moriebatur crucifixione : ergo et in pyxide moriebatur crucifixione : sed moriens crucifixione crucifigitur : ergo Christus in pyxide crucifigebatur, et eadem ratione lanceabatur, etc.

Sed contra.

Sed contra :

1. Christus non nisi in uno loco crucifigebatur, scilicet in Golgotha : pyxis autem non fuit in Golgotha : ergo in pyxide non crucifigebatur.

2. Item, Licet corpus Christi et anima ex unione ad deitatem quæ ubique est, possit esse in pluribus locis, tamen actus Judæorum et Gentilium non poterat esse nisi ubi erant Gentiles et Judæi, qui tantum fuerunt in uno loco : sed illi non erant in pyxide : ergo nec actus eorum : sed actus eorum sunt crucifixio, lanceatio, clavatio, et hujusmodi : ergo ista non facta in pyxide, sed tantum in cruce.

Quæst. 1.

Item. Ulterius quæritur hic, Si confectum fuisset in triduo, utrum esset perfectum sacramentum, an non ?

Videtur, quod non :

1. Supra enim habitum est, quod ex vi consecrationis panis non convertitur nisi in corpus, et vinum in sanguinem, et ex unione est ibi tam anima quam deitas : ergo non existente unione animæ ad corpus, non erat ibi anima : ergo non conficitur nisi corpus mortuum : sed corpus mortuum et sanguis mortuus non esset sacramentum perfectum : ergo in triduo non fuisset sacramentum perfectum, ut videtur.

2. Item, Non vivum non vivificat : sed corpus Christi vivificat : ergo non potuit confici non vivum : sed triduo si confectum fuisset, fuisset non vivum : ergo in triduo non potuit confici, ut videtur.

Quæst. 2.

Si tunc quæritur, Utrum Christus poterat præcipere animæ existenti in limbo ut esset in corpore consecrato ?

Videtur, quod sic : quia

1. Ipse est omnipotens, et potestatem habet ponendi animam suam, et iterum sumendi eam [1] : ergo videtur etiam, quod hoc potuit facere.

2. Item, Ex hoc nullum generatur præjudicium redemptionis : quia anima simul et semel potest esse in diversis locis : et ita existens in corpore sub sacramento, non recederet propter hoc a limbo lucens redimendis ab inferno : ergo videtur, quod hoc fecisset Christus, si in triduo fuisset consecratum.

3. Item, Modo totus est in cœlis, et totus in multis altaribus simul et semel : ergo tota similiter anima potuit esse in limbo separata a sepulto corpore, et tota anima in corpore sub forma sacramenti confecto, et nullum videtur esse inconveniens.

Sed contra.

Sed contra :

Hac positione facta idem corpus nu-

[1] Joan. x, 18.

mero esset in forma sacramenti, et in sepulcro : et in forma sacramenti esset animatum et vivum, in sepulcro autem inanimatum et mortuum : ergo idem corpus numero et in eodem tempore esset animatum et non animatum, et vivum et mortuum : quod est inconveniens, et absurdum, et etiam contra fidem.

Solutio. Solutio. Dicendum videtur cum antiquis in hac quæstione, qui dicunt, quod quædam nomina, verba, et participia, dicunt passiones naturales vel communes ad naturales et violentas, et hæc possunt copulari corpori existenti in pyxide si servatum fuisset per triduum, sicut patitur, dolet, moritur, sentit dolores, sentit passiones, et hujusmodi. Quædam autem dicut passiones violentas ipsa voce, sicut vulneratur, verberatur, crucifigitur, et hujusmodi, et hæc non possunt copulari corpori nisi ubi est sub propria forma, sicut fuit in Calvariæ loco sive in Golgotha, quod idem est. Causa autem hujus est, quia talia dicunt passionem, non secundum quod est passionati, sed secundum quod est illatio et effectus actionis : et cum actus crucifigentium non fuerit nisi in loco crucifigendi, non possunt talia fieri circa Christum nisi secundum formam qua inter crucifigentes apparuit, et in loco crucifixionis. Alia autem dicunt passionem, secundum quod est tantum in patiente : et cum patiens fuerit idem in cruce et in pyxide, ideo illa copulantur ei utrobique. Unde antiqui determinabant hanc quæstionem per duos versus, sic dicentes :

> Pyxide servatum poterit copulare dolorem
> Innatum : sed non illatus convenit illi.

Ad 1. Secundum hoc ergo videtur dicendum ad primum, quod licet idem sit corpus in cruce, et in pyxide, tamen sub alia et alia forma : et verum est, quod quidquid accidit ei in cruce, accidit ei in pyxide, quod dicit ipsius passionis quantitatem et substantiam ex parte patientis : sed vulnerari, et hujusmodi, præter passionis substantiam dicunt comparationem ad agentem extra : et ideo non oportet, quod accidant ei. Et est in argumento locus sophisticus figuræ dictionis ex commutatione ejus quod dicit quid passionis, in id quod dicit passionem qualem, scilicet ad actionem agentis comparatam.

Ad aliud dicendum, quod contradictio de eodem non verificatur : quia hæc est vera, quod corpus Christi crucifigebatur : et hæc est falsa, corpus Christi non crucifigebatur : sed hæc est duplex, Corpus Christi crucifigebatur in pyxide, ex eo quod ly *in pyxide* potest determinare corpus Christi mediante participio subintellecto, scilicet *ens*, sub hoc sensu, corpus Christi ens in pyxide crucifigebatur, et sic est vera. Vel potest determinare ly *crucifigebatur*, et sic est falsa. Similiter et hæc est duplex, Corpus Christi in pyxide non crucifigebatur, ut patet per se ex distinctione præcedenti. Et istæ, Corpus Christi crucifigebatur in pyxide, et, Corpus Christi non crucifigebatur, non sunt contradictoriæ, nisi secundum quod determinatio refertur ad idem in una et in alia : et hoc non est inconveniens, quod hoc modo non crucifigebatur in pyxide, quia ex hoc non sequitur, quod non crucifigebatur : et est ibi fallacia secundum quid ad simpliciter. Ad

Ad aliud dicendum, quod in pyxide moriebatur, et eodem genere mortis quo extra, sed hæc mors in pyxide non inferebatur ei, sed in cruce. Et ideo non sequitur, moriebatur in pyxide eodem genere mortis : ergo crucifigebatur : quia crucifigi non tantum dicit idem genus mortis, sed etiam illationem illius secundum quod est ab agente, et gratia illius non convenit ei in pyxide, sed gratia ejus quod tantum fuit ex parte patientis : et hæc solutio dicit idem genus mortis. Ad

Ad id quod ulterius quæritur, sine præjudicio videtur mihi, posito quod conficeretur in triduo, quod corpus Christi esset in sacramento sine anima : nec Adque

puto verum esse quod quidam dicunt, scilicet quod suspensa esset forma sacramenti in triduo, sed potius puto, quod si sacramentum consecratum esset in triduo, quod habuisset effectum.

Ad 1. Ad id autem quod contra objicitur, dicendum quod perfectum sacramentum dicitur tribus modis. Uno modo a perfectione materiæ et formæ sacramenti : sicut omnis res in esse perfecta est perfectione illorum duorum in compositione, dummodo illa res non sit simplex, sed composita ex materia et forma. Secundo modo dicitur sacramentum perfectum : quia perfecte facit actum ad quem institutum est. Et his duobus fuisset illud sacramentum perfectum in triduo. Tertio dicitur sacramentum perfectum a numero eorum quæ sacramentum continet, et hoc modo improprie. Et hoc modo verum est, quod non tot substantias contineret in triduo, quot continet extra triduum, quia non continet animam.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod corpus Christi non est vivificatum a vita naturali, cujus causa est anima, sed a vita quæ est deitas : et illam vitam haberet unitam sibi in triduo, et gratia illius vivificaret, et ideo etiam Christus morte sua deitatis virtute vivificavit mortuos, ut dicit Augustinus,

Quæst. 2. Ad id quod ulterius quæritur, Utrum Christus potuit facere animam suam intrare suum corpus sub sacramento, et non in sepulcro ?

Dicendum, quod aliud est posse facere, et aliud posse fieri, et de suo posse, et fieri, alibi dictum est, scilicet in fine primi libri *Sententiarum*. Sed puto dicendum, quod non potuit illud fieri : quia sic sequeretur, quod idem esset animatum et inanimatum, quod est inconveniens.

Ad 1. Ad primum autem quod contra objicitur, dicendum quod potest omnia : non tamen omnia possunt fieri simul propter oppositionem vel consecutionem impossibilitatis.

Ad 2 et 3. Ad aliud dicendum, quod hæc non est causa, quod possit esse in pluribus simul : sed potius illa, quod idem corpus numero in uno et eodem tempore non potest esse animatum in uno loco, et inanimatum in alio loco : quia si hoc esset, ubique esset inanimatum : et si est hic animatum, ubique est animatum : et ideo non potest esse, quod anima sit in corpore in sacramento, et non in sepulcro.

Aliter autem dicunt quidam : et qui volunt sequi illos, possunt : sed hic opiniones omnium prosequi esset dispendiosum.

ARTICULUS XV.

An Christus in cœna in propria persona sumpserit corpus suum ?

Tertio quæritur, An Christus in propria persona sumpsit suum corpus in cœna, quando illud dedit discipulis ?

Et videtur, quod sic : quia

1. Matth. xxvi, 27, super illud : *Bibite ex hoc omnes*, dicit Chrysostomus : « *Bibite ex hoc*, ut discipuli videntes non dicerent : Quid sanguinem bibo ? Ut enim non turbarentur, sicut turbati fuerunt multi qui abierunt retro [1], primus ipse sanguinem suum bibit. »

2. Item, Ruth, iii, 7, super illud : *Cum comedisset Booz et bibisset*, dicit Glossa : « Comedit Christus et bibit, cum in cœna corpus et sanguinem suum tradidit discipulis. »

3. Item, *Quia pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem, ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium* [2].

4. Item, Levit. viii, 23, super illud : *Quem*, scilicet arietem, *cum immolasset*

[1] Cf. Joan. vi, 67.

[2] Ad Hebr. ii, 14.

Moyses, sumeus de sanguine ejus, etc., Glossa : « Primo sacerdos, postea alii ejus sanguine unguntur : quia in cœna primo Christus sanguinem suum accepit, deinde discipulis tradidit. »

5. Item, Glossa ibidem : « Sanguinem suum bibit, et aliis bibere dedit, cum intelligibilem sanguinem super altare, id est, suum corpus fudit. »

6. Item, Hæc videtur esse sententia antiquorum, qui fecerunt versus de solutione hujus quæstionis, dicentes :

Rex sedet in cœna, turba cinctus duodena :
Se tenet in manibus, se cibat ipse cibus.

7. Item, Videmus hoc, quod ipse circumcisus est, et postea baptismum succedentem circumcisioni suscepit : ergo a simili cum communicaverit agno typico, ipse etiam communicavit carni et sanguini suo succedenti agno typico.

8. Item, Sacramenta inceperunt a Christo, et ab ipso tamquam a capite fluxerunt in Ecclesiam : ergo primo in Christo esse debuerunt, deinde in Ecclesia : cum igitur communio sit sacramentum Ecclesiæ præcipuum, communio debuit ab ipso incipere.

9. Item, Cum dicitur in Psalmo CXXXII, 1 : *Ecce quam bonum*, etc. Et subjungitur, ℣. 2 : *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam*, etc. : ergo a capite descendit unctio sacramentalis in barbam, id est, in Apostolos, ut exponunt Sancti, et a barba in oram vestimenti, id est, in minimos de Ecclesia. Ergo inunctio præcipui sacramenti, id est, communicatio, videtur primo incepisse ab ipso, deinde in Apostolos derivata fuisse.

Sed contra. SED CONTRA :

1. In natura nihil est vanum et frustra : ergo minus in operibus Christi : sed esset, si communicasset : ergo non communicavit. PROBATIO assumptæ. Illud sacramentum restaurat deperditum in viribus spiritualibus, perficiendo majorem unionem membrorum cum capite : sed Christus nihil perdidit, nec magis uniri potuit quam unitus fuit : ergo in ipso ad nullum finem fuisset communio si communicasset : ergo frustra et in vanum : quia dicit Philosophus, quod frustra vel vanum est, quod est ad aliquem finem, et non includit illum.

2. Item, Sanguis causat redemptionem in his a quibus sumitur : sed Christus non erat redimendus, sed potius redemptor : ergo non debuit communicare sanguini.

Item, Non est ejusdem propinare suum sanguinem et bibere : sed Christus fuit ut pincerna sanguinis : ergo non bibit ipsum.

3. Item, Videtur esse occasio hæresis, scilicet quod etiam ipse sicut alii ibi indigeret effusione sui sanguinis, cum eum sumeret sicut alii : Christus autem in omnibus intendit ædificare fidem : ergo non debuit suum sanguinem sumere.

SOLUTIO. Sine præjudicio quorumdam aliter dicentium, videtur mihi tutius esse, quod dicamus hoc quod sancti Patres expresse tradiderunt, scilicet quod Christus sanguinem suum accepit, et suum corpus. Et fateor me deficere in solvendo dicta eorum : sed mihi videtur, quod hoc expresse intendunt dicere. Sol

AD PRIMUM quod contra objicitur, dici potest, quod est finis in se, et finis in alio : communio autem corporis et sanguinis Christi finem non habuit in se, sed in alio : et illum tangit prima auctoritas Chrysostomi, scilicet ne alii horrerent qui ante horruerant, dicentes : *Durus est hic sermo, quis potest eum audire* [1] ? Et relicto eo abierunt retro. Ad

Alia autem causa est ut significaret, quod sicut gratia redemptionis ab ipso derivatur ad membra, ita etiam ritus et institutio observationis, et ideo communicavit.

AD ALIUD dicendum, quod communio Ad

[1] Joan. VI, 61.

in Christo non causat redemptionem, sed potius fuit ut forma et exemplar ritus observandi, et sine horrore communicandi de cætero. Hæc etiam fuit una causarum supra positarum, qua etiam ipse sub speciebus cibi et potus generaliter tradidit corpus suum et sanguinem.

Object. 3. Ad aliud dicendum, quod hæc non fuit occasio hæresis : quia jam per doctrinam et miraculum et testimonium Patris de cœlo factum, et transfigurationem didicerant, quod nullo horum indigeret, sed restabat solum informatio ad ritum Ecclesiæ per exemplum acceptum a Christo. Unde Apostolus, I ad Corinth. xi, 23 : *Ego enim accepi a Domino quod et tradidi vobis.*

E. *Ubi illa accidentia fundentur*[1] *?*

Si autem quæritur de accidentibus quæ remanent, id est, de speciebus et sapore et pondere, in quo subjecto fundentur? potius mihi videtur fatendum existere sine subjecto, quam esse in subjecto : quia ibi non est substantia, nisi corporis et sanguinis Dominici, quæ non afficitur illis accidentibus. Non enim corpus Christi talem habet in se formam, sed qualis in judicio apparebit. Remanent ergo illa accidentia per se subsistentia ad mysterii ritum, ad gustus fideique suffragium : quibus corpus Christi habens formam et naturam suam tegitur.

ARTICULUS XVI.

An in sacramento Eucharistiæ maneant accidentia sine subjecto ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, E, « *Si autem quæritur de accidentibus quæ remanent*, etc. »

Hæc est quæstio gravissima de accidentibus, quia dicit accidentia hic esse sine subjecto.

Et contra hoc objicitur multipliciter : eo quod tota philosophia videatur esse contra.

1. Primo sic : *Esse* non potest separari ab ente, quia sequeretur contradictio, scilicet ens quod est, non esse : sed accidens est ens quoddam : ergo suum esse non est separabile ab illo : sed suum esse, ut dicit Philosophus, est inesse : ergo inesse non est actu ab ipso separabile : sed si inest, non inest nisi subjecto : ergo actu non potest separari a subjecto : et ita non erit hic sine subjecto.

2. Si forte tu dicas, quod Deus potest facere etiam plus quam possumus intelligere : nos autem possumus intelligere accidens sine subjecto : ergo Deus potest hoc facere. Contra : Non quæritur quid

[1] Edit. J. Alleaume, *fundantur*.

Deus possit facere, sed quid in creatura possit fieri : sed jam ostensum est, quod esse alicujus entis non potest separari ab ipso, quin sequatur contradictio si separetur secundum actum : ergo hoc non potest fieri in accidente.

3. Item, In ordinatione sapientiæ divinæ est, quod accidens non est nisi in subjecto : sed contra ordinationem sapientiæ non potest facere Deus, ut dicit Augustinus, et Anselmus : quia faceret contra seipsum : ergo videtur non posse facere, quod accidens sit sine subjecto.

4. Item, Si accidens causatur a principiis substantiæ in esse, ita continetur ab eisdem in esse : sed unumquodque naturaliter deficit, cum separatur a principiis causantibus et continentibus ipsum : ergo accidens deficit cum separatur a substantia, et principiis ejusdem : ergo si in sacramento accidens separatur a subjecto, accidens non manet : sed manet sicut judicat visus : ergo non est sine subjecto.

5. Item, I ad Corinth. xi, 21, super illud : *Alius quidem esurit, alius autem ebrius est,* dicit Glossa, quod in magna quantitate consecrabant, et comedebant. Sed constat, quod accidentia non inebriarent vel reficerent aliquem : ergo videtur, quod accidentia ibi non maneant sine subjecto.

6. Item, Magis constant ea quæ sunt in diversis generibus, quam ea quæ sunt in eodem genere : sed corpus et spiritus sunt in eodem genere, accidens et per se ens in diversis : ergo magis distant accidens et per se ens sive substantia, quam corpus et spiritus : sed corpus non potest fieri spiritus, ut dicit Augustinus, et probat Boetius in libro de *Duabus naturis in una persona Christi* in fine : ergo accidens multo minus potest fieri ens per se : ergo non potest esse sine subjecto.

7. Item, Adspectui humano ibi appareret non tantum accidens, sed album, rotundum, denominatum et informatum ab accidente : aut igitur sic est in sacramento sicut apparet, aut non. Si sic est : ergo est ibi aliquid denominatum et informatum, et nihil nisi substantia et subjectum : ergo accidens non est sine subjecto. Si non : ergo aliter est in sacramento veritatis, quam apparet extra adspectum hominis, et sic est phantasia vel præstigium, quod absurdum est dicere et credere de sacramento veritatis et Ecclesiæ.

8. Item, Diffinitio non separatur a diffinito, eo quod diffinitio dicit esse diffiniti ; cum igitur accidens diffiniatur per inesse, videtur quod inesse non potest separari ab accidente actu : quia de illa separatione quæritur hic.

9. Item, Philosophus in primo libro *Physicorum* contra Parmenidem loquens dicit : Si animal et bipes quæ diffiniunt hominem, sunt accidens, et homo erit accidens : et sic accideret etiam, quod homo esset accidens alii : ergo a simili si diffiniens accidens est tantum in alio esse, et numquam per se esse, erit et ipsum accidens diffinitum tantum in alio, et numquam per se : sed inesse est diffinitivum accidentis, et numquam habet esse nisi in alio : ergo accidens numquam est nisi in alio sit. PROBATIO assumpti. Dicit Philosophus, quod accidens est quod cum sit in alio, non est in eo velut pars quædam, et impossibile est esse sine eo in quo est : ergo patet propositum.

10. Item, Damascenus videtur velle dicere, quod substantia panis manet, et etiam substantia vini, in quibus fundantur accidentia, et sic numquam sunt per se : quia ipse dicit, quod sicut eramus compositi ex duplici substantia, scilicet corpore et anima : ita fecit cibum duplicem conjungendo pani et vino deitatem in spiritualem cibum : sed pani et vino non adjungitur deitas nisi remaneant ibi substantiæ panis et vini : ergo accidentia sunt in illis, non sine subjecto, ut dicitur in *Littera.*

11. Item, Dicit Philosophus, quod quanta fuerit superficies, tantum album esse dices : sed nos videmus ibi tantum album : ergo quantitas albi alicujus superficiei quantitate diffinitur : ergo est

ibi superficies : sed sicut se habet album ad superficiem in dependentia secundum esse, ita etiam se habet superficies ad substantiam : ergo sicut album non est sine superficie, ita superficies non est sine corpore et substantia, in qua sit.

12. Item, Non erit ens per accidens nisi sit ens per se : sed in sacramento, ut dicitur in *Littera*, non est aliquod ens per se : ergo non erit ibi ens per accidens : sed est ibi ens per accidens, ut probat visus : ergo necesse est ut substernatur ei ens per se, quod est substantia : ergo accidens non erit ibi sine subjecto, ut videtur.

13. Si forte tu dicas, quod accidens mutatur in substantiam, hoc probatur esse impossibile multis modis. Et primo quidem : quia dicit Philosophus, quod ex accidente impossibile est fieri substantiam. Alio modo : quia si ex accidente fit subtantia : aut substantia in qua est accidens quod videtur in sacramento, aut alia substantia. Si substantia in qua est. CONTRA : Accidens quod est in substantia, causatur a substantia in qua est : si ergo est causa existendi substantiæ in qua est : ergo accidens causa est causæ quæ causat ipsum, quod non est intelligibile : et Augustinus negat hoc in primo libro de *Trinitate* : quia causatum non est causa causæ ut sit, sed potius e converso. Si autem convertatur in aliam substantiam quam sit illa in qua est : quæratur, quæ sit illa, et non erit assignare. Et præterea tunc restat eadem quæstio de istis accidentibus quæ adhuc manent sine substantia : quoniam non sunt in substantia in quam convertuntur.

Item, Ridiculosum videtur esse : quia nihil convertitur in aliud eodem modo manens quo prius erat : sed nos videmus accidentia in sacramento eodem modo manere, ut prius erant : ergo in substantiam non convertuntur accidentia.

Item, Si convertantur in substantiam, in quam substantiam convertuntur ? Cum enim in supra dictis patet, quod non sunt nisi duæ substantiæ, scilicet panis et vini, et corporis Christi, in alteram harum convertuntur. Constat autem quod non convertuntur in substantiam panis et vini : quia illæ substantiæ non manent, sed in corpus et sanguinem Christi transsubstantiantur : ergo relinquitur quod convertuntur in substantiam corporis Christi : et hoc absurdum est : quia corpus Christi gloriosum, nec album, nec rotundum est, nec saporem panis nec vini habet.

14. Item, Quibus differunt species, eisdem differunt differentiæ : sed substantia et accidens sunt duæ species entis, vel genera, quia de hoc non est vis : ergo quibus differunt substantia et accidens, eisdem differunt differentiæ ipsorum : sed substantia et accidens differunt per se, et per esse in alio : ergo et differentiæ eorum : ergo esse in alio non potest esse per se, ut videtur, cum non sit substantia, et hoc est impossibile, ut jam probatum est : ergo accidens non potest separari a subjecto.

HOC ETIAM alia via multipliciter probari potest, scilicet per operationem accidentium :

1. Duo enim sunt in calore, scilicet essentia caloris, et operatio, scilicet calefacere : constat autem, quod calefaciendi operatio non convenit calori per se sine subjecto existenti : quod probatur per hoc quod dicit Philosophus, quod « non agunt ad se invicem nisi communicantia secundum naturam. » Et hoc idem Boetius dicit in libro de *Duabus naturis in una persona Christi*. Cum igitur operatio accidentium expresse inveniatur in sacramento, videtur quod ibi accidentia non sint sine subjecto.

2. Item, Ad hoc quod color agat in visum, oportet quod sit actus lucidi, et lux incorporata in ipso quæ abstrahit ipsum : sed si non sit corpus in quo sit color, non erit lux incorporata abstra-

hens colorem : ergo non erit color visibilis : sed in sacramento est color visibilis : ergo est ibi corpus cui lux abstrahens ipsum incorporatur : ergo non est sine subjecto ibi.

3. Item, Dicit Philosophus in primo de *Anima*, quod recto in quantum rectum est, multa accidunt, ut tangere æneam sphæram in puncto : sed tamen numquam tanget hoc separatum rectum : ergo ad hoc quod accidens habeat operationem quæ per se ei convenit, oportet quod sit in subjecto : sed accidentia in sacramento habent operationem propriam sive convenientem proprie : non ergo sunt ibi sine subjecto.

4. Item, Dicit Philosophus, quod sensus sit susceptivus specierum sensibilium materia præsente : ergo si materia non est præsens, nec suscipit eas, nec illæ agent in sensum : sed species agunt in sensum : ergo sunt in aliqua materia, ut videtur.

5. Item, Sensus proprie differunt : quia quidam apprehendunt de longe, quidam nihil nisi speciem in materia, ut visus de longe, tactus autem speciem in materia accipit, et gustus secundum quod est quidam tactus : sed quod est in sacramento, immutat et gustum et tactum : ergo est ibi species in materia.

6. Item, Dicit Philosophus, quod tactus non nisi corporum est : ergo quod tangitur in sacramento, est corpus : non ergo est accidens sine subjecto.

7. Item, In hoc distinguuntur sensus apprehensivi de foris et de intus, quod interiores accipiunt species sine materia, de foris autem non nisi materia præsente : ergo quidquid accipitur a sensu qui est vis apprehensiva de foris, est species in materia : ergo cum accipiat id quod in sacramento apparet, ipsum erit species in materia existens : non ergo est ibi accidens sine materia.

Tertia via objicitur adhuc per putrefactionem ipsarum specierum ad ea quæ generantur ex putrefactione earum specierum :

1. Constat enim quia putrefactis illis quæ apparent in sacramento, quæcumque etiam illa sint, generantur inde vermes : vermis autem ex accidente puro materialiter generari non potest : ergo oportet aliquam substantiam ibi ponere, quæ putrefacta convertatur in vermen.

2. Item, Putrefactio corruptio est, constat autem, quod generatio et corruptio fiunt a causis contrariis : ergo non generatur nec corrumpitur, nisi secundum sui mutationem susceptibile est contrariorum : hoc autem proprium est solius substantiæ, ut dicit Philosophus in *Prædicamentis* : ergo accidentis non est generari et corrumpi, ut videtur.

3. Item, In libro de *Sex principiis* dicit Porretanus de forma accidentali, quod forma est compositioni contingens, simplici et invariabili essentia consistens : constat autem, quod hoc quod est invariabile, nec putrefit, nec corrumpitur : ergo si accidentia sunt ibi sine subjecto, accidentia nec putrescunt nec corrumpuntur : quod est contra visum, quia nos videmus ea corrumpi : ergo non sunt ibi sine subjecto.

4. Si forte tu dicas, quod Deus corrumpit ea : hoc ridiculosum est : quia Deus est causa existentiæ rerum : et si destruit, quod construit, secundum Apostolum [1], prævaricatorem se constituit. Ergo Deus non est causa : sed potius hoc accidit ex subjecto in quo sunt, ut videtur.

Sed contra hæc omnia disputatur sic :

1. Accidens denominat substantiam in qua est : sed accidentia non denominant corpus Christi, quia corpus Christi non est album, vel rotundum : nec substantiam panis, quia illa transsubstantiata est in corpus Christi : ergo non denominant aliquam substantiam : ergo sunt ibi sine subjecto, ut videtur.

[1] Ad Galat. II, 18 : *Si enim quæ destruxi, iterum hæc ædifico, prævaricatorem me constituo.*

2. Item, In Decreto, dist. prima de *consecratione*, omnia verba Ambrosii dicunt, quod sunt ibi sine subjecto. Item, Hoc dicitur hic in *Littera*. Ergo ita est.

3. Item, Nos videmus, quod in hoc sacramento omnia quæ sunt in eo, accipiunt statum altiorem : transit enim corpus inanimatum in animatum, et non gloriosum in gloriosum, et non divinum in divinum : ergo et accidentia altiorem statum debent accipere : non autem altiorem accipiunt nisi secundum quod sunt sine subjecto : ergo in sacramento sunt sine subjecto.

4. Item, Accidentia manent, ut ducant in aliud sicut signa sacramentalia : sed si manet propria substantia accidentium, non ducunt nisi in illam substantiam subjecti : ergo non ducunt in refectionem spiritualem corporis Christi, et sic evanesceret usus signorum in sacramento : cum igitur hoc sit inconveniens, oportet quod in sacramento sint sine subjecto.

5. Item, Nos videmus, quod ea quæ sunt supra rationem, sicut articuli fidei, non possunt probari nisi per aliud quod est supra rationem, sicut articuli probati sunt per operationem miraculorum. Cum igitur multa in hoc sacramento quod et dicitur sacramentum fidei, sint supra rationem, videtur quod congruentia exigit, quod aliquid sit in ipso subjectum sensui, quod sit supra rationem : hoc autem non potest esse nisi quod accidentia sensibilia sint ibi sine subjecto : ergo accidentia debuerunt in hoc sacramento sine subjecto remanere.

6. Item, Non videtur esse impedimentum ex parte operationis specierum accidentalium in sensu : quia si alicui convenit aliquid per se, etiam separatim convenit illi, sicut triangulo habere tres angulos æquales duobus rectis, etc. : sed immutatio sensuum convenit sensibilibus per se : ergo etiam sensibilibus separatis convenit : ergo licet sint sine subjecto, tamen immutant sensum, et agunt in ipsum.

7. Item, Sensus, ut dicit Commentator super lib. de *Anima*, secundum esse spirituale suscipit sensibilia : sed separata magis sunt secundum esse spirituale, quam quando sunt in materia et subjecto : ergo magis susceptivus est sensus sensibilium separatorum, quam eorum quæ sunt in materia : ergo non est impedimentum quin illæ formæ sentiri possint, licet sint separatæ a subjecto.

8. Item, Ponamus, quod maneat forma in speculo, etiam non præsente objecto, et apposito adspiciente, adhuc videbitur forma illa : et tamen non est in materia : ergo forma sine materia bene potest sensum immutare.

9. Item, Quod in tertia via objicitur, videtur nullum præstare impedimentum : sicut enim jam habitum est, quod alicui per se convenit, semper ei convenit : formæ autem illæ per se corruptibiles sunt : ergo etiam ipsæ existentes sine subjecto corruptibiles erunt.

10. Item, Omni adspicienti patet ad sensum, quod corrumpuntur : et probo, quod non per miraculum : quia dicunt Anselmus et Chrysostomus, quod ea quæ miraculose fiunt, sunt sola divina voluntate : constat autem, quod voluntas divina quæ eas produxit, non corrumpit eas : ergo per naturam corrumpuntur : ergo corruptio accidit eis separatis, sicut conjunctis in materia.

11. Item, Supra satis probatum est, quod subjectum commune contrariorum non confert eis principium agendi et virtutem, sed tantum sustinet : ergo si sustineretur sine subjecto, pugnarent contraria, et destruerent se mutuo : ergo formæ illæ manentes sine subjecto, naturaliter possunt destrui et corrumpi, sicut quando sunt in subjecto.

12. Item Superinfundatur vinum dividens species illas : constat, quod divisio corrumpit : ergo corrumpi possunt species illæ : et idem sequitur de divisione panis : sed constat, quod speciebus illis non manentibus, non manet ibi corpus Christi : ergo species corrumpuntur naturaliter, et tunc non est ibi corpus Christi.

13. Si forte tu dicas, quod in infinitum divisibilis est species panis et species vini, eo quod species sunt homogeniorum : illud stultum est : quia dividi in infinitum non est passio nisi continui, et non panis, vel carnis, vel vini : ergo tantum potest dividi species vini quod non erit species vini, et species panis quod non erit species panis : ergo etiam naturaliter potest corrumpi, licet per se existat.

Solutio. SOLUTIO. Dicendum, quod accidentia manent ibi sine subjecto, sicut probant ultimæ rationes : et de hoc consueverunt a Magistris quatuor rationes assignari : quarum prima est, ut, scilicet non existente ibi substantia quæ proprium est subjectum illarum specierum, humana mens ad aliam spiritualem escam rapiatur ex accidentium significatione, in corporalibus spiritualia intelligens, sicut et in aliis sacramentis. Unde Ambrosius : « In isto sacramento quod est corpus non est corporalis esca, sed spiritualis. »

Secunda ratio, ut ostendatur totum esse fidei quod in sacramento est, et nihil naturæ. Unde Hugo de sancto Victore : « Divina sapientia carnem Christi sub corporalis eduli specie velavit, et sic sumendam proposuit, ut sensus foveretur in uno, et fides in alio. »

Tertia ratio est assuefactio hominum ad credendum supernaturalia, cum videant oculis suis accidentia quæ nullum subjectum afficiunt, ut dicit hic Magister in *Littera*.

Quarta ratio est ordinatio completa eorum quæ sunt in sacramento, et hæc tacta fuit in objiciendo : quia cum omnia inferiora hujus sacramenti altiorem statum accipiant, conveniens fuit ut etiam signa accidentalia qualitatum acciperent statum altiorem in hoc quod sine subjecto ibi ad obsequium sacramenti remanerent.

Et his habitis, respondendum est objectis per ordinem, tenendo quidem fidem, sed philosophiam non sequentes nisi quantum possumus salva fide.

DICENDUM ergo videtur ad primum, Primæ Ad quod illa accidentia duplicia sunt, scilicet qualitates sensibiles quæ sunt objecta propriorum sensuum : et quantitas, et figura, quæ sunt objecta sensus communis : et non ex æquo se habent ad subjectum : sed secundum ordinem naturæ quantitas proximior est subjecto, quam qualitas.

Item, Inter qualitates illæ quæ sunt objecta tactus, causæ sunt aliarum, et immediate sequuntur complexionem qualitatum tactus, ut qualitates gustus, quia ille est quidam tactus : et quia saporis signa sunt odores, ideo odor proximior est subjecto, quam color. Et per hunc modum dicendum videtur, quod continens colorem est quantitas, et causans ipsum complexio qualitatum tactus : unde non causatur ibi nec continetur virtute divina solum, sed etiam per naturam, ut jam dictum est. Et idem dicendum videtur de odore et sapore. Sed objecta tactus Ad 2. continentur quidem quantitate : sed secundum causam non possunt causari ab aliis qualitatibus. Figura etiam cum sit qualitas circa quantitatem dicta, ut dicit Philosophus, est in quantitate ut in subjecto : eo quod ipsa est terminativa quantitatis, sicut ex diffinitione ejus accipitur in primo *Euclidis*, ubi dicitur, quod figura est superficies una vel pluribus lineis contenta. Sed de quantitate non videtur mihi, quod secundum naturam possit esse sine subjecto nisi virtute divina contineatur : licet enim quantitas sit ante corpus naturale, non tamen est ante compositum ex partibus substantiæ quæ sunt forma et materia, quale compositum considerat Metaphysicus : eo Ad 3. quod probatur in libro de *Substantia orbis*, quod materia primo susceptibilis est formæ substantialis, eo quod illa sola finit eam : et ideo etiam non dividitur forma substantialis divisione subjecti : quia non est major in majori parte subjecti, et minor in minori : omnis autem forma quæ suscipitur a subjecto secundum ordinem naturæ post quantitatem, dividitur per

accidens, et major est in majori, et minor in minori. Unde dico, quod quantitas est formæ, et non materiæ, sed compositi ex materia et forma. Sed quod materia et forma sint partes substantiæ, quod est ens primum, quod separatum a quantitate et motu considerat primus Philosophus, hoc jam alias satis plane probatum est a Philosophis. Sed tamen quia quidam in illa quæstione huic contradixerunt, ideo hic posita sunt ista.

Ad objectionem autem dicendum, quod esse numquam separatur ab ente : sed esse est actus entis, et actus essentiæ : unde si essentiam secundum se accipimus, secundum intellectum adhuc essentia est. Et ita dico hic, quod quantitas est esse essentiæ, et non esse quantitatis alicujus quod ipsa informet, ut subjectum in quo est : et hoc contingit virtute divina hoc operante ad congruentiam sacramenti.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod bene potest fieri id quod jam dictum est : quia sicut habitum est, esse quod habet accidens in subjecto, est quasi esse entis compositi : sed esse quo essentia est id quod est, intelligitur in accidente secundum se : et de hoc non intelligit Philosophus, quod ejus esse est inesse, sed potius hoc constituitur ex principiis suæ essentiæ et suæ quidditatis : sicut ipse Philosophus dicit, quod si quis cubitali magnitudine posita, dixerit id quod positum est, quantum esse, quid dicit, et quantum significat, et hoc non est separabile ab ipso, ita quod ipsum remaneat : sed id quod habet in subjecto, separabile est potestate Creatoris.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod ex ordinatione sapientiæ divinæ est, quod accidens non sit sine subjecto secundum causas seminales naturales quas prius conditor inseruit, ut dicit Augustinus : sed præter has causas, etiam Dominus inseruit primis creatis potestatem obedientiæ ad id quod Creator vellet ad fidei demonstrationem : sed in hoc sibi non contrariatur, si utraque pro tempore explicat prout voluerit, ut dicit Augustinus.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod accidens nec tantum causatur a principiis substantiæ in esse, nec tantum continetur ab eisdem, sed a virtute divina : unde etiam secundum esse subtracta substantia subjecti, potest teneri, eo quod virtus divina non dependet ad subjectum continens et causans, sed potius e converso, cum sicut jam patuit, non secundum omne esse causatur accidens a principiis subjecti, quia secundum esse suæ essentiæ sive diffinitivum, non dependet a principiis sui subjecti, sed potius ab his quæ ingrediuntur ipsius difinitionem.

Ad 5. Ad aliud dicendum, quod hic diversimode respondetur [1], et ego nulli præjudico : quidam enim dicunt, quod in transitu illarum specierum in alia redit substantia prima illarum specierum. Quidam autem alii dicunt, quod sicut species sunt ibi sine subjecto quasi in actu substantiæ, ita in nutriendo habent actum substantiæ. Et utrumque potest satis congrue dici.

Ad 6. Ad aliud dicendum, quod accidens hic non mutatur in substantiam : et hoc supponit objectio, et ideo non valet.

Ad 7. Ad aliud dicendum, quod in omnibus accidentibus salvatur satis informatio præterquam in quantitate, ut patet ex prædictis, sed in quantitate non potest meo judicio dici proprie *quantum* per denominationem, nisi hoc modo quo prima denominant seipsa, sicut unitas seipsa est una. Et Augustinus in libris de *Trinitate* dicit, quod albedo seipsa est alba : licet Philosophus in alio sensu videatur negare hoc : cum enim denominare sit formæ accidentalis, et non substantialis, ut habetur ex principio *Prædicamentorum :* et quantitas sit prima forma accidentalis, ipsa erit prima denominans : et cum ipsa sit loco subjecti aliarum specierum quæ ibi apparent, erit

[1] Vide D. Thomam hic, Dist. II, Q. 1, Art. 1, ad 4 (Nota edit. Lugd.)

ipsa denominata ab aliis, et denominans seipsam : et ideo quantum quod videtur ibi, est quantitas ipsa, ut mihi videtur.

Ad 8. Ad aliud dicendum, quod verum est, quod diffinitio non separatur a diffinito : sed duplex est diffinitio accidentis, scilicet secundum esse quod habet in subjecto : et sic dantur illæ diffinitiones quæ continentur in *Topicis*, scilicet quod accidens est quod contingit eidem inesse, et non inesse : et istæ conveniunt accidenti secundum suum nomen : quia accidens est dictum quasi ad aliud cadens. Sed secundum essentiam accidentis dantur aliæ diffinitiones ex genere et differentia accidentis, secundum quod accidens est absolute intellectum in sua essentia : et illa diffinitio non separatur ab ipso, ita quod ipsum remaneat, ut dictum est : objectio autem procedit ac si accidens non habeat esse diffinitivum nisi in subjecto, et hoc non est verum.

Ad 9. Per idem etiam patet solutio ad sequens : quia animal et bipes sunt de diffinitione hominis, et aliter inesse est de diffinitione accidentis : quia animal et bipes constituunt essentiam hominis, sed inesse non dat essentiam accidenti, sed tantum esse quod habet in subjecto, et illo abstracto adhuc remanet essentia accidentis, aliquo continenti ad usum sacramenti.

Ad 10. Ad aliud dicendum, quod hoc solvendum est, ut Magister supra dixit, per tropum quo solent signantes et continentes rerum sortiri vocabula quæ signantur et continentur : et hic tropus est *metonymia* dictus a Donato. Unde ponit ibi Damascenus panem pro specie panis.

Ad 11. Ad aliud dicendum, quod illa propositio hic non valet : quia sicut se habet album ad superficiem, ita superficies ad subjectum : quia superficies hic continetur virtute divina ad usum sacramenti, eo quod superficies in hoc convenit cum natura subjecti, quod ipsa est subjectum qualitatum quæ per eam insunt subjecto : unde superficiei et quantitati quæ secundum aliquid convenit cum subjecto, scilicet in suscipiendo qualitates quasdam, datur ad usum sacramenti in toto cum subjecto convenire, scilicet quantum ad ejus per se existere sine subjecto.

Ad aliud dicendum, quod hæc propositio, Non erit ens per accidens nisi sit ens per se, non sic intelligitur, quod essentia accidentis non sit nisi sit essentia subjecti in quo fundetur : quia hoc falsum est, cum expresse dicat Avicenna, quod accidens est cujus esse est absoluti intellectus, et est dependens ad subjectum : sed intelligitur, quod omne per accidens reducitur ad aliquid per se, quod est ante illud, et hoc verum est : et hoc modo nihil valet ad propositum concludendum. Ad

Ad aliud dicendum, quod bene concedo hoc, quod absurdum est dicere quod accidens mutatur in substantiam. Unde ea quæ contra hoc objecta sunt, videntur esse concedenda. Ad

Ad aliud dicendum, quod scilicet ultimum est in prima via objiciendi, quod accidens et substantia non differunt tantum in modis essendi per se et in alio, sed etiam in suis essentiis : unde licet post transsubstantiationem substantiæ quæ est materia sacramenti, sit accidens subjecti sine subjecto per se, adhuc tamen differt a substantia propria essentia accidentalis naturæ per se, scilicet quod ipsum in natura sua est accidens. Ad

Ad hoc autem quod objicitur per secundam viam, dicendum, quod hoc nihil valet : quia Philosophus non dicit nisi de operatione illa in qua transmutatur unum in aliud quæ abjicit a subjecto, et non de quacumque operatione : quia Philosophus non considerat accidens nisi causatum et contentum in esse a subjecto : eo quod ipse per rationem a principiis naturalibus rei sumptam, aliud investigare non potest : ideo dicit, quod non agit sine subjecto : sed ubi continetur virtute superiori ad opus divinum in sacramento demonstrandum, nihil prohibet etiam remanere suam operationem. Secund Ad

Ad aliud dicendum, quod sicut Philo- Ad

sophus dicit, Pythagoras appellavit colorem *epiphanium*, eo quod apparet in superficie : unde lux intelligitur incorporari, quando facit colorem actu immutativum visus. Et quod dicit Philosophus in libro de *Sensu et sensato*, quod color est extremitas perspicui in corpore determinato, intelligitur sic, quod ad determinatum corpus sit reflexio lucis : ideo extremitas perspicui lucidi ibi magis lucet, et ideo magis facit colorem actu in extremitate quam alibi : et ideo etiam, quia lux non tantum ibi abstrahit colorem, sed reflectit ad visum : et ad omnia illa sufficit superficies quantitatis dum per se maneat, et ideo nihil impedit hoc quin accidentia immutent visum.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod Philosophus in primo de *Generatione et Corruptione* dicit, quod etiam tactus est metaphysicus : et ideo quod separatum rectum non tangit æneam sphæram, hoc est ideo, quia ænea sphæra est corpus naturale, et habet esse in materia ex parte æris in quo est : et rectum non in quantum rectum est : sed si esset in natura rectum in quantum rectum, ita tangeret, sicut tangit rectum ligneum vel cupreum : illa autem accidentia sunt, et ideo agere possunt.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod præsente materia suscipit, hoc ideo est, quia suscipit speciem existentem in materia : sed si esset sine materia, sine materia susciperet eam : unde hoc accidit sensui, quod non suscipit speciem nisi præsente materia, et nihilominus susciperet eam, si esset sensibile sine materia.

Ad 5 et 6. Ad aliud et sequens est una solutio per ea quæ ante dicta sunt, scilicet quod est ibi tactus physicus quoad qualitates immutantes tactum, et metaphysicus quoad quantitatem : et quod non est ibi substantia, hoc non impedit tactum : quia substantia secundum quod substantia nullo sensu sensibilis est : et quod exigitur in aliis, hoc est ideo, quia tangibilia non habent esse sine subjecto sicut hic.

Ad ultimum patet solutio per ea quæ ante dicta sunt in solutione præcedentis immediate argumenti. Ad 7.

Ad id quod objicitur per tertiam viam, gravius est solvere. Dicendum tamen mihi videtur, quod illæ species putrefiunt illo modo quo supra in quæstione propria de hoc determinatum est [1]. Et bene mihi videtur, quod vermes vel alia quædam possunt generari ex putrefactione altero duorum modorum, scilicet quod aut substantia redeat, et illa fit materia ex putrefactione generati : aut si non redit : quia tunc ex mutua actione et passione illarum specierum in circumstantia corpora, aliquid de circumstantibus corporibus abjiciatur, et ex corruptione illa materialiter vermes generantur. Quidam autem dicunt, quod nihil umquam generatur ex tali putrefactione : sed hoc est contra hoc quod frequenter videmus, præcipue si in magna quantitate consecraremus. Tertia via. Ad 1.

Ad aliud dicendum mihi videtur, quod sicut quantitas in hoc convenit cum substantia, quod ipsa est subjectum quorumdam accidentium, ita etiam convenit cum proprietate substantiæ, quod ipsa secundum sui mutationem recipit contraria : non tamen est substantia : quia hoc non convenit ei per se et primo, sed per accidens, scilicet per substantiam tenentem eam in esse : et hoc est ex eo quod virtute divina loco subjecti in esse continetur, et ideo naturaliter corrumpuntur corruptione contrarii. Ad 2.

Ad aliud dicendum, quod Porretanus absque dubio ibi loquitur de forma accidentali, et loquitur de illa secundum quod ipsa est essentia abstracta ab hoc et ab illo, et non secundum quod habet esse in natura per subjectum continens, vel per divinam virtutem ad usum sacramenti : et ideo non est in tali esse corruptibilis. Ad 3.

Ad alia objecta de plano mihi videtur esse concedendum. Ad 4.

[1] Cf. Supra in hac distinctione, Art. 10.

DISTINCTIO XIII.

1. De fractione et partibus. 2. De sacrificio altaris.

A. *De fractione et partibus.*

Solet etiam quæri de fractione et partitione quæ ibi videtur fieri, utrum vera sit? Et si ibi vera fractio est, cujus rei sit, vel in qua re fiat? Cumque non sit ibi alia substantia quam Christi, si in aliqua substantia est illa fractio, in corpore Christi videtur esse. Sed econtra, cum ipsum corpus incorruptibile sit (quia immortale et impassibile) in ipso non posse esse videtur. Nam et Christus redarguit carnalem sensum discipulorum, qui putabant carnem Christi sicut aliam in partes dividendam, et morsibus dilacerandam [1]. Ideo quibusdam placet, quod non sit ibi fractio sicut videtur : sed dicitur frangi, quia videtur frangi. Quibus objicitur quod ait Ambrosius : Nihil falsi putandum est in sacrificio veritatis : vel sicut fit in magorum præstigiis, ubi delusione quadam falluntur oculi, ut videant esse quod non est. Ad hoc illi dicunt : Non fallit nos visus, nec fallitur : quod esset, si crederetur ita frangi, ut videtur. Nec illusio est : quia ad utilitatem fidei, non ad deceptionem ita fit : sicut et Christus ostendit se duobus discipulis in via in specie peregrini : nec in eo tamen talis forma erat, sed oculi eorum tenebantur ne eum agnoscerent [2].

[1] Cf. Joan. VI, 62 et seq.
[2] Luc. XXIV, 16.

DIVISIO TEXTUS.

« *Solet etiam quæri de fractione*, etc. »

Hæc distinctio dividitur in duas partes : in quarum prima Magister primo movet quæstionem, quid frangatur in sacramento, et solvit secundum quatuor opiniones. In secunda autem tangit partium significationem, ibi, E, « *Quid autem illæ partes significent*, etc. »

Adhuc prima dividitur in quatuor secundum quatuor opiniones in *Littera* tactas. Et secunda incipit ibi, B, « *Alii vero dicunt*, etc. » Tertia, ibi, C, « *Alii tradunt corpus Christi*, etc. » Quarta, ibi, D, « *Sed quia corpus Christi incorruptibile*, etc. »

In prima autem quatuor continentur. Primo enim ponit rationem ad hoc quod corpus frangatur. Secundo, rationem ad oppositum. Tertio, elicit quorumdam circa hoc opinonem falsam. Quarto, objicit contra illam.

Et hæc plane patent in *Littera*.

ARTICULUS I.

An possibile sit aliquid frangi in sacramento ?

Sed incidit hic quæstio, Utrum possibile sit ibi aliquid frangi ?

Et videtur, quod non :

1. Quidquid enim non est actu secundum se, hoc non frangitur : sed accidens non est actu secundum se : ergo non frangitur secundum se : necesse est ergo, quod corpus Christi frangatur in se : sed hoc est impossibile : ergo nihil ibi frangitur.

2. Item, Fractio sonat divisionem violentam : violenta autem divisio nequaquam est nisi in substantia : sed nulla substantia est ibi frangibilis : ergo non est ibi fractio nisi secundum phantasiam.

3. Idem, Quantitas divisibilis quidem est, sed non est divisibilis nisi in alio fundata : hæc autem non est in alio fundata : ergo non est divisibilis.

4. Item, Quantitatem non est accipere nisi dupliciter, scilicet secundum se, et secundum esse : secundum se autem accepta non est nisi in anima, scilicet in imaginatione vel intellectu : sed secundum esse est in rebus naturalibus : aut igitur fractio convenit ei secundum quod est in abstractione et in anima, aut secundum quod est in esse. Constat, quod non primo modo : quia secundum quod est in anima non est quantitas, sed intentio quantitatis quæ in anima non est nisi per esse spirituale, et sic non est divisibilis : ergo si frangitur, fractio convenit ei per esse quod habet in rebus naturalibus : sed in sacramento non est in aliqua re naturali : ergo ei non convenit ibi fractio.

5. Item, Generatio omnis per prius convenit substantiæ, et alia non habent generationem nisi per hoc quod sunt substantiæ, vel in substantia : ergo et corruptio omnis prius erit substantiæ, et alia non corrumpuntur nisi in quantum sunt substantiæ vel in substantia : sed fractio est corruptio quædam : ergo est substantiæ, vel alicujus quod est in substantia : sed nulla substantia est ibi corruptibilis, nec aliquod ens in substantia : ergo non est ibi simpliciter fractio, sed apparentia fractionis.

6. Item, In omni divisione quantitatis in qua vera divisio est, pars subjecti mensuratur parte una quantitatis, et alia pars alia : ergo si hæc vera divisio quantitatis est, una pars subjecti alicujus mensuratur parte una, et alia pars alia : sed hoc non est verum : ergo non est hæc vera divisio vel fractio quantitatis : ergo phantastica, ut dicit prima opinio in *Littera* dicta.

7. Item, Ut dicit Philosophus in primo *Cœli et mundi*, Continuum dividitur in infinitum : hoc autem cum sit passio continui secundum quod continuum, non convenit corpori physico secundum quod hujusmodi : ergo panis non erit divisibile in infinitum. Inde procedo sic : Quidquid dividitur divisione corrumpente speciem, non dividitur divisione quantitatis continuæ tantum, sed divisione corporis physici vel artificiati : sacramentum autem cum frangitur, sic dividitur : ergo non dividitur divisione quantitatis continuæ tantum, sed divisione corporis physici vel artificiati. PRIMA probata est. SECUNDA sic probatur : Multiplicentur enim fractiones : constat autem, quod quandoque ibi erunt non species panis : ergo constat propositum : sed nullum corpus physicum vel artificiale ibi frangitur : ergo non est ibi vera fractio, sed visa tantum.

8. Item, Non videtur esse aliqua causa quam Magister assignat contra hanc opinionem ex verbis Ambrosii, scilicet quod nihil falsi debeat esse in sacramento veritatis, sicut in magorum præstigiis. Primo : quia sicut dicitur in *Littera*, quod visa fractio ad rem non refertur, et ideo nihil ibi decipit vel decipitur. Secundo : quia dicit Aristoteles, quod abstrahentium non est mendacium, eo quod abstractionem ad rem non referunt : ergo nec hic apparentis divisionis erit mendacium, eo quod ad rem non referatur.

9. Item, Fractione facta videntur ibi esse plura : et tamen constat, quod ibi non est nisi unum, scilicet Christus : ergo videtur ut non est, et tamen non dicimus esse præstigium vel falsitatem : ergo a simili etiamsi dicatur ibi visa fractio esse et tamen non existens, non propter hoc erit ibi falsitas vel præstigium.

10. Item, Accidentia videntur in aliquo esse, et tamen in nullo sunt, ut prius habitum est : si ergo propter hoc non dicitur falsitas esse in sacramento, nec propter ista debet aliqua falsitas dici in sacramento.

SED CONTRA :

1. Dicit Aristoteles in primo *Physicorum*, quod si sola substantia est, ipsa est indivisibilis : ergo substantia non primo divisibilis est, sed quantitas : sed in sacramento est quantitas per se, ut prius ostensum est : ergo aliquid ibi dividitur per se et proprie : fractio autem quædam divisio est : ergo aliquid ibi frangitur per se et proprie.

2. Item, Cujuscumque est accipere partes secundum se, illud secundum se est frangibile : sed partes quantitatis continuæ accipiuntur in sacramento secundum se : ergo videtur, quod sit frangibile secundum se.

3. Item, In textu Evangelii dicitur, quod accepit panem, et benedixit, et fregit, et dixit : *Hoc est corpus meum* [1]. Ergo verissime fractum est : ergo et verissima fuit fractio.

4. Item, Quod secundum pluralitatem partium refertur ad plura signanda, necesse est plures habere partes, si verum signum esse debeat : sic autem refertur sacramentum secundum suas partes ad vivos, et eos qui sunt in purgatorio, et beatos : ergo necesse est quod in veritate plures habeat partes : constat autem, quod non est in uno sacramento plures accipere partes, nisi per fractionem : ergo necesse est verissimam ibi esse fractionem.

5. Item, Præstigia sunt quæ non in re, sed in oculis sunt tantum intuentium : si ergo hæc fractio non est in re, sed tantum in oculis intuentium, tunc præstigium erit, et non sacramentum : hoc autem inconveniens est : ergo nulla fractio ibi est, nisi in re aliqua.

6. Item, Mathematicus si accipiat divisionem secundum actum, numquam

[1] Luc. XXI, 19 : *Et accepto pane, gratias egit et fregit, et dedit eis, dicens : Hoc est corpus meum*, etc.

potest eam ad rem non referre : ergo similiter erit in sacramento : sed in sacramento non accipitur fractio vel divisio imaginativa vel intellecta tantum, sed secundum actum : ergo refertur ad rem : ergo aliquid ibi frangitur realiter et in veritate.

7. Item, Quidquid sit de divisione, fractio sonat violentiam : sed violentia non fit nisi in rebus : ergo fractio non fit nisi in rebus : ergo fractio non fit nisi secundum rem : non ergo solum est visa in sacramento, sed in veritate existens.

8. Item, Si non esset nisi visa fractio, ad fractionem non oporteret esse nisi actum animæ, et non corporis : sed in sacramento necesse est adhiberi actum corporalem, scilicet discerptionem per impulsum digitorum vel unguium : ergo non est fractio solum imaginaria, sed realis et in veritate.

Solutio. Solutio. Dicendum, quod in veritate realis est fractio in sacramento, sicut dicit ultima opinio quæ sola liquide veritatem fidei tenet.

Ad 1. Ad primum autem quod objicitur dicendum, quod accidens quod est quantitas, est ibi secundum se : secundum se autem esse, est esse sine subjecto, ut prius dictum est, hoc est, non secundum esse naturale, sed virtute divina continente species ad usum sacramenti et fidei. Unde cum sic virtute divina teneatur, frangi secundum se et dividi potest.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod per accidens fit hoc quod nulla divisio violentia fit nisi in substantia, scilicet quia quantitas non est secundum esse naturale nisi in substantia : nihilominus tamen si esset secundum se, divideretur : in sacramento autem est secundum se, ut habitum est, et ideo ibi frangi potest et violenter dividi.

Ad 3. Ad aliud similiter dicendum, quod aliter est hic, et aliter in naturalibus est : quia hic operatur virtus divina secundum exigentiam significationis sacramenti, et ideo continet hic quantitatem sine subjecto.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod quantitas aliter accipitur secundum quod est accidens rei naturalis in cujus diffinitione cadit materia sensibilis, et aliter secundum quod virtute divina refertur ad usum sacramenti. Et primo quidem modo procedit objectio inducta, secundo autem modo non.

Ad 5. Ad aliud dicendum, quod divisio hæc est corruptio quædam : et bene concedo hoc quod naturaliter corrumpitur forma panis accidentalis : et hoc qualiter fiat, in præcedenti distinctione habitum est et determinatum [1].

Ad 6. Ad aliud dicendum, quod hoc verum est ubi quantitas manet secundum esse naturale : jam autem habitum est, quod in sacramento est sine subjecto.

Ad 7. Ad aliud dicendum, quod bene videtur mihi concedendum esse, quod tantum posset multiplicari divisio, quod corrumperentur species panis accidentales quæ manent ibi : et ideo non est omnino fractio mathematicæ quantitatis quæ fit ibi, nec etiam naturalis proprie, sed ejus cui convenit fractio naturalis propter hoc quod virtute divina continetur in esse.

Ad 8. Ad aliud quod objicitur contra causam quam Magister assignat quare non valeat opinio ex verbis Ambrosii, dicendum quod optime objicitur : quia opinio nulla est. Ad id autem quod objicitur, dicendum quod impossibile est eam divisionem quæ actu fit, ad rem non referre : quia divisio nulla est nisi in re actuali : et ideo illi nihil dicunt. Ad hoc quod objicitur de mathematicis, dicendum quod non est simile : quia in mathematicis passio probata convenit quanto secundum se, licet non conveniat huic quanto vel illi : hic autem consideratur non ut convenit quanto secundum se, sed potius huic secundum quod est aliquid hoc.

Ad 9. Ad aliud dicendum, quod in veritate

[1] Cf. Supra, Dist. XII, Art. 10.

ibi sunt plura et plures partes, sed non plura sacramenta : quia numerus ille non ponitur circa formam sacramenti, sed potius circa species sacramentales.

Ad 10. Ad aliud dicendum, quod accidentia videntur esse, et sensus particularis non est de substantia quæ subest accidentibus nisi per accidens : hic autem intellectus sacramenti cogit ut accipiantur sine subjecto. Unde falsum est, quod ibi videantur in subjecto : sensus enim non est nisi de accidentibus : et intellectus accipit ea sine subjecto propter exigentiam sacramenti.

ARTICULUS II.

An fractio prædicta sit in corpore Christi, aut in formis tantum ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, A, circa initium : « *Sed econtra, cum ipsum corpus incorruptibile sit*, etc. »

Videtur enim hoc nihil impedire fractionem : quia

1. Comestio magis corrumpit quam fractio : et tamen conceditur, quod corpus Christi comedatur : ergo etiam concedi debet, quod corpus Christi frangitur.

2. Item, De quocumque probatur species, et genus : sed quidquid comeditur, attritu dentium masticando frangitur : ergo si corpus Christi comeditur, corpus Christi frangitur.

3. Item, Hoc sacramentum est memoriale passionis : sed in passione veraciter fuit corpus Christi divisum clavis et lancea : ergo fractum : ergo sacramentum non expresse repræsentabit, nisi etiam in sacramento sic dividatur : ergo fractio verissime est in corpore Christi.

4. Item, Alia quædam videmus impossibilia secundum naturam esse in sacramento : sicut unum numero circumscriptum corpus esse in diversis locis, et accidens esse sine subjecto, et corpus inanimatum grossum transsubstantiari in corpus animatum divinum gloriosum : quæro ergo, Quare illa esse in sacramento conceduntur, sed non quod est incorruptibile simul frangatur?

Solutio. Dicendum, quod absque dubio fractio non est in corpore Christi, sed potius in formis tantum. Sol

Ad primum autem dicendum, quod comestio multa importat, scilicet divisionem cibi per dentes, et trajectionem in corpus, et digestionem, et incorporationem, sive unionem. Et tamen passive conceditur, quod corpus Christi comeditur ratione illius quod est trajicere in corpus, quia verum corpus Christi trajicitur sub speciebus sacramenti in corpus nostrum : sed divisio per dentes refertur ad speciem : digestio autem non est ibi : quia non cadit in secessum, et unio sive incorporatio spiritualis passive convenit comedenti, ut supra ostensum est, et ita patet quod comestio non ponit fractionem. Ad

Ad aliud patet solutio, quod comestio non est species fractionis ratione trajectionis in corpus, sed ratione attritionis per dentes, et illa non refertur ad corpus Christi. Ad

Ad aliud dicendum, quod passio repræsentatur in sacramento secundum quod est effectiva redemptionis et solutiva pretii : et hoc patet ex ipso actu immolationis in quod offerimus sacramentum quod Christus pro nobis in ara crucis obtulit : non autem repræsentantur particulares pœnæ inflictæ, et ideo non esset conveniens dividi corpus Christi. Ad

Ad aliud dicendum, quod contraria simul, vel ex quibus directe sequuntur disposita per affirmationem et negationem, numquam ponuntur esse simul : quia hoc fieri non potest. Cum autem dicitur, quod est simul in pluribus locis, hoc dicitur ratione consecrationis quæ fit in pluribus locis, et ex hoc non sequitur Ad

aliquod oppositum illi : et sic de aliis inductis. Sed si concederetur frangi, cum frangi sit corrumpi quoddam, oporteret per locum a specie concedere, quod corrumperetur : et per hoc quod est incorruptibile, habet quod non corrumpitur : ergo simul corrumperetur, et non corrumperetur : quod est simul opposita per affirmationem et negationem esse vera, quod fieri non potest.

ARTICULUS III.

An quando Christus ostendit se discipulis in via in specie peregrini, fecerit actum simulatorium sive illusorium ?

Deinde quæritur de hoc quod inducunt isti pro exemplo, ibi, A, sub finem : « *Sicut et Christus ostendit se duobus discipulis in via specie peregrini* [1], etc. »

Videtur enim illusio fuisse :

1. Quod enim non est de essentia rei, non facit rem esse veram vel falsam in substantia sua : sed intentum ab agente non est de substantia actus vel facti sui, quia finis non est de re : ergo nec falsam facit rem, nec veram : ergo quod hoc fecit ad fidei utilitatem, non fecit non silamutorium actum.

2. Item, Simulatio non perficitur in uno tantum, sed in duobus, scilicet uno ostendente quod non est, et in alio intelligente quantum est de ostensione simulationis : Evanvelium autem expresse dicit quod *finxit se longius ire* [2], et discipuli putabant eum hoc velle : ergo fuit ibi perfecta illusio.

3. Item, Nihil agnoscitur sub specie quæ nullo modo est in ipso nisi per præstigium vel infirmitatem oculi intuentis : ergo quod non præstigiose nec ab oculo infirmo videtur, sub propria videtur specie : sed oculi discipulorum non fuerunt infirmi, nec præstigiose ligati : ergo species quam viderunt in Deo fuit species peregrini : sed constat, quod secundum veritatem peregrinus non fuit : ergo simulata ab ipso fuit species peregrini, et sic fuit ibi verissima illusio.

Solutio. Dicendum, quod nulla illusio fuit ibi. Unde dicendum est exemplum esse bonum : sed tamen id esse falsum ad quod confirmandum inducitur ab illa opinione. Solutio.

Ad primum autem dicendum, quod intentio facit non simulatorium agentem : sed duplex est intentum, scilicet in opere, et intentum per opus : intentum in opere fuit ostendere eis per similitudinem qualis fuit tunc in mentibus discipulorum, et quoad hoc verissime et non similitudinarie egit : quia nullus alius ita hoc demonstrat : intentum autem per opus non fuit in opere, sed consequens ipsum, scilicet confirmatio fidei discipulorum quoad articulum resurrectionis, et hoc est extra opus, et non facit opus verum, vel simulatorium, sed potius primum : sicut etiam nos non dicimus simulare Ezechielem, quando fecit perfodi domum, et latenter se exportari [3] : quia in illo tempore demonstravit, quod ita fugere haberent de domibus suis transmigrandi. Ad 1.

Ad aliud dicendum, quod simulatio est etiam in uno in comparatione ad alterum : sed ita non fuit hic, sed potius instructio per actum quem propter discipulos exercuit : quia facilior est instructio quæ fit similitudine parabolarum et operum. Ad 2.

Ad aliud dicendum, quod oculi discipulorum in veritate tenebantur, et tenens erat dubietas resurrectionis. Unde Christus se eis in propria specie objecit : et tamen propter impotentiam oculi non Ad 3.

[1] Cf. Luc. XXIV, 13 et seq.
[2] Luc. XXIV, 28.
[3] Ezechiel. VIII, 8 et seq.

glorificati, non viderunt eum sub lumine gloriosi corporis, sed potius sub specie coloris : et dubietas resurrectionis fecit æstimare peregrinum, eo quod viderunt eum venientem de loco adorationis, scilicet Jerusalem. Unde patet nullam ibi fuisse simulationem.

B. *Aliorum opinio.*

Alii vero dicunt, quod sicut ibi species panis est, et non est ibi res cujus vel in qua sit illa species : ita est ibi fractio quæ non fit in aliqua re, quia nihil ibi frangitur : quod mirabiliter Dei potentia fieri dicunt, ut ibi fiat [1] fractio, ubi nihil frangitur.

ARTICULUS IV.

An consecratione facta maneant omnia accidentia, et etiam soliditas mathematica secundum esse reale ?

Deinde quæritur de secunda opinione quæ incipit, ibi, B, « *Alii vero dicunt, quod sicut ibi species panis est, et non est ibi res cujus vel in qua sit illa species,* etc. »

Videtur enim falsum esse quod inducunt pro exemplo, scilicet quod sit ibi species, et non res aliqua cujus species sit illa :

1. Constat enim satis ex prius habitis, quod non intelligitur de specie substantiali, quia illa non manet post consecrationem, sed de accidentali quæ manet : aut ergo ibi manet quodlibet accidentale, vel aliquod. Si quodlibet : ergo etiam soliditas mathematica : ergo manet ibi corpus : ergo post consecrationem est ibi corpus illud quod est species : constat autem quod corpus Christi verum non est species illa, nec aliqua pars illarum specierum : ergo corpus Christi verum non est corpus illud quod manet in numero specierum : ergo post consecrationem manet aliquod corpus quod non est corpus Christi in sacramento altaris, quod in præcedenti distinctione negatum est in *Littera.*

2. Item, Corpus quodcumque invenitur sine aliquo, non est idem illi sine quo invenitur : sed corpus quod est trina dimensio, in sacramento invenitur sine corpore quod est panis ante consecrationem : ergo non est idem illi : ergo in sacramento sunt tria corpora, scilicet corpus panis, et corpus dimensionale, et corpus Christi : et hoc nemo dicit.

3. Item, Philosophus in IV *Metaphysicæ* in Boetii translatione objiciens contra Platonem, reliquit pro inconvenienti corpus mathematicum diversum a naturali, et corpus naturale esse in eodem loco : ergo et hic hoc erit inconveniens : sed si manet ibi corpus mathematicum,

[1] Edit. J. Alleaume, *sit.*

et corpus naturale, duo corpora quorum unum est mathematicum et alterum est naturale, sunt in eodem loco, quod inconveniens dicit esse Philosophus : ergo non est ibi corpus tale.

4. Item, Impossibile est easdem numero lineas esse duorum corporum : sed corpus transiens quod panis est, et corpus manens quod est mathematica soliditas, sunt duo corpora : ergo non eædem numero lineæ erunt corporum illorum : constat autem, quod aliquæ lineæ fuerunt quibus mensurabatur panis : ergo jam erunt in sacramento tria corpora quanta, scilicet panis, et id quod quantum videtur et rotundum post consecrationem, et corpus Christi : et hoc erit mirum ad quid sint ibi.

Si propter hoc dicatur, quod species non omnes manent in sacramento, hoc erit irrationabile, cum eadem ratio sit de una specie accidentali manente et de alia.

Præterea, Supra ostensum est, quod præcipue manet ibi quantitas ut fundamentum aliarum specierum : sed non est ratio quare longitudo maneat, et non latitudo, et profundum : ergo videtur, quod tota soliditas mathematica maneat.

Item, Euclides in principio *Geometriæ* dicit, quod corpus mathematicum est, quod longitudinem, latitudinem et profunditatem habet : hoc autem videmus habere ipsam speciem manentem : ergo manet corpus mathematicum, et ita redit idem quod prius.

utio. SOLUTIO. Dicendum, quod sicut in præcedenti opinione, ita et in ista exemplum verissimum est : sed tamen opinio per exemplum confirmata falsa est : et bene concedo, quod omnes species accidentales manent, et etiam soliditas mathematica manet ibi secundum esse reale, non in anima tantum secundum quod habet esse in abstractione.

1. AD PRIMUM ergo dicendum, quod ego non reputo inconveniens, quod post consecrationem in sacramento sint duo, quorum utrumque sit corpus : sed tamen non proprie dicuntur duo corpora : quia corpus non per unam rationem dicitur de naturali et mathematico, ut quidam dicunt. Sed tamen videtur mihi dicendum si proprie velimus loqui, quod sunt duo corpora, scilicet naturale, et mathematicum : quorum unum per se et substantialiter corpus est : alterum autem non per se, sed per denominationem et mensuram ab illo, scilicet naturali : et talia duo corpora nihil prohibet esse in sacramento, et hoc non est negatum supra, sed quod non sunt ibi duo corpora naturalia constantia ex materia et forma quæ sunt partes physici corporis.

AD ALIUD dicendum, quod illa propositio est falsa, nisi intelligatur aliud esse quod est essentia alia, et alia : alia enim est essentia substantiæ, et alia accidentis, si tamen accidens est essentia aliqua. Unde si accidens maneret corrupto subjecto, denominaretur quantitas mathematica ab illo : sicut dicimus, quod hoc quod videmus in altari est figura alba, non erit hoc album a primo albo diversum quod fuit panis, nisi sit alia essentia, sed subjecto est idem. Dicit enim Philosophus, quod unum per accidens dicitur tripliciter, scilicet sicut accidens et subjectum, ut album, et hoc quocumque demonstrato, etc. : sed verum est quod quæcumque per naturam separantur, illa sunt diversa substantialiter : sed virtus divina ad usum operans sacramenti, facit in sacramento quod est supra naturam, ut sæpius dictum est. Ad 2.

AD ALIUD dicendum, quod meo judicio, duo corpora sive naturalia, sive mathematicalia, sive quorum unum est naturale et alterum mathematicum, dummodo duæ sint ibi quantitates, non possunt esse in eodem loco per naturam. Unde dico sine præjudicio, quod corpus quidem est in veritate in sacramento, sed non sicut in loco, sed in signo : sed hoc infra patebit melius in hac eadem distinctione, in explanatione quartæ opinionis. Et ideo objectio quæ supponebat Ad 3.

quod ibi erant duo corpora ut in loco, supponebat falsum, et procedit ex falsis.

Si autem objiciatur, quod ubicumque est corpus aliquod contentum in alio corpore per veritatem suæ naturæ et quantitatis, ibi est sicut in loco : dico quod hoc falsum est : sed hoc expediri sine longa disputatione non potest quam statim infra ponemus, Domino concedente.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod sicut patuit prius, eædem numero lineæ fuerunt panis ut subjecti, quæ manent in formis sacramentalibus essentialiter : et ideo numquam fuerunt ibi tria corpora, nec tria quorum quodlibet est corpus subjectum divisum ab alio.

ARTICULUS V.

An fractione facta maneat unum sacramentum, sed plures sint ibi formæ ?

Sed adhuc quæritur de ista opinione quæ tangitur in *Littera*, ibi, C, « *Ita est ibi fractio quæ non fit in aliqua re*, etc. »

Videtur enim esse vera. Ita enim videmus, quod in corpore quod potentia est duo, si dividatur, fit actu duo et esse essentiale prædicatur de ipso sicut duo secundum esse : ut linea actu divisa est duæ lineæ, et duæ longitudines, et duæ quantitates : cujus igitur essentiale principium secundum esse manet unum, illud manet indivisum : sed de speciebus essentialiter prædicatur sacramentum, et illud divisione facta manet unum : ergo divisio illa non fuit in speciebus, nec in corpore Christi : ergo non est ibi divisum.

Quod autem essentialiter prædicetur de iis speciebus, ex hoc accipitur, quod unum cadit in diffinitione alterius, ut patuit in principio hujus libri in *Littera*.

Item, Quod manet unum sacramentum secundum actum, hoc patet ex suppositione omnium : quia per omnia quæ fiunt in canone, non intendunt conficere nisi unum sacramentum.

Ulterius quæritur, In quo differt hæc opinio a præcedenti ?

Videtur autem, quod in nullo : quia præcedens dixit, quod videtur ibi fractio quæ non est, cum nihil frangatur : hæc autem videtur penitus secundum rem dicere idem : ergo videtur aut falsum dicere, vel superflua esse : quoniam unum bis vel pro duobus refert.

Ad hoc dicendum, quod unum remanet sacramentum, et forma efficitur plures formæ per divisionem. Propositio autem illa quæ inducta est, quod inferiori diviso secundum esse, multiplicatur id quod de ipso prædicatur, intelligitur de iis quæ absolute insunt inferiori : sed si respective insunt, non est necessarium : ut si dividatur album, erunt duo alba, sed tamen non duæ similitudines alborum ad tertium album, sed potius una similitudo : quia relatio non accipit unitatem vel multitudinem ab eo in quo est, proprie in eo quod relatio est, sed potius ab eo ad quod est : et hoc patet ex diffinitione relativorum quæ secundum Philosophum sunt quæcumque hoc ipsum quod sunt, aliorum dicuntur. Unde etiam relatio plus est ratio quam ens vel essentia : sed tamen habet aliquid entis vel aliquid essentiæ. Ratio autem sacramenti in relatione est : et ideo trahit unitatem ab eo cujus est sicut rei interioris significat et causatæ.

Ad aliud dicendum, quod hæc opinio differt a præhabita : quia illa ponebat, quod divisio in veritate est in sacramento secundum quod est actus dividentis, et non secundum quod est actus rei divisæ : sed præcedens non dixit in sacramento esse divisionem nisi secundum quod divisio est apparens ad sensum, sed non existens in veritate rei.

C. *Aliorum opinio.*

Alii tradunt corpus Christi essentialiter frangi et dividi, et tamen integrum et incorruptibile existere. Quod se colligere asserunt ex confessione Berengarii, qui confessus est coram Nicolao Papa et pluribus Episcopis, panem et vinum quæ in altari ponuntur, post consecrationem non solum sacramentum, sed etiam verum corpus et sanguinem Christi esse : et sensualiter non solum sub sacramento, sed in veritate manibus sacerdotum tractari et frangi, et fidelium dentibus atteri.

ARTICULUS VI.

An opinio illa sit vera quæ dicit corpus Christi essentialiter frangi, et dividi : et tamen integrum, et incorruptibile manere ?

Deinde quæritur de tertia opinione quam tangit, ibi, C, « *Alii tradunt corpus Christi essentialiter frangi et dividi*, etc. »

Hoc enim videtur competere sacramento : quia

1. Isti dicunt, quod cum omnia præcedentia in hoc sacramento sint supra naturam, aliquid etiam in fractione supra naturam esse debet : sed hoc esse non potest, nisi in hoc quod non frangibile frangatur, et tamen integrum maneat : ergo stabit opinio istorum. Quod autem in omnibus præcedentibus sit aliquid supra naturam, patet in converso, et in conversione, et accidentium mansione sine subjecto, et iterum in continentia ipsius sub tam parvis speciebus.

2. Item, In sacramento isto corpus inanimatum materiale aliquo modo contemperat se virtute verborum corpori animato, divino, et glorioso : ergo etiam et e contrario aliquo modo debet corpus divinum contemperari non glorioso corpori materiali : non autem potest sibi conformari, nisi frangatur : ergo videtur essentialiter frangi.

3. Item, Consuevit dici, quod in hoc sacramento se Dominus ostendit omnipotentem, qui hoc fecit quod ratio humana intelligere non potest, cum hoc præcipue facere debeat in fractione in qua corpus aptatur partibus Ecclesiæ quæ sunt in gloria, vel mundo, vel inferno, id est, purgatorio : videtur quod maxime in hoc debeat aliquid facere supra intellectum : ergo frangitur corpus, et tamen manet indivisum.

4. Item, Gregorius dicit, quod « fides non habet meritum cui ratio humana præbet experimentum : » ergo etiam in fractione aliquid esse convenit quod remotum est ab humana ratione : sed quod frangantur species non est alienum a ratione : ergo debet frangi corpus, ut videtur.

Sed contra.

Sed contra :

1. Christus integer et totus pro singu-

lis est oblatus : divisio autem refertur ad partes Ecclesiæ : cum igitur pro singulis partibus totus sit oblatus, totus Christus debet manere in singulis partibus : ergo non debet frangi.

2. Item, Contradictoria simul verificari non possunt : sed corpus Christi frangi simul et non frangi sunt contradictoria et secundum idem : ergo simul verificari non possunt : ergo opinio est falsa.

Solutio. Solutio. Dicendum, quod hæc opinio falsa est et non ponenda : quia, sicut rationibus probatum est, nec fidei congruit, nec cum ratione.

Ad 1. Ad primum igitur dicendum, quod licet aliquâ sint supra naturam, non tamen oportet quod illud sit supra naturam, quia sacramento non convenit : quædam enim operantur ad esse sacramenti, quædam ad usum : et illa quæ sunt ad esse sacramenti, sunt supra naturam : quæ autem ad usum, non oportet esse supra naturam : et fractio ordinatur ad usum sacramenti, non ad esse, cujus signum est quod fractio fit propter triformes partes Ecclesiæ pro quibus sacramentum istud offertur, et non sicut aliquid quod operetur vel pertineat ad esse sacramenti.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod hoc non oportet : quia corpus materiale inanimatum non assumitur, nisi ut per transsubstantiationem fiat ibi corpus divinum gloriosum : et ideo panis transsubstantiatur in corpus Christi gloriosum, ut supra dictum est in quæstione de *transsubstantiatione* [1] : non enim corpus Christi transsubstantiatur in panem, sed e converso.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod non omnino signum est omnipotentiæ facere ea quæ sunt supra rationem, sed in talibus quæ necessaria sunt saluti, et expediunt Ecclesiæ : aliter sequeretur, quod melius operaretur Deus faciendo contrarium ordini naturæ, quam operando secundum naturam.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod fides non habet experimentum humanæ rationis : sed hoc intelligitur ita quod non rationi innititur, sed veritati : ratio autem obsequitur fidei : unde in corde fidelis ratio innititur fidei, et non fides rationi : et sic intelligitur dictum Gregorii.

ARTICULUS VII.

An confessio Berengarii, qui confessus est coram Papa panem et vinum qui in altari ponuntur, post consecrationem non solum sacramentum, sed etiam verum corpus Christi esse, etc., sit vera ?

Deinde quæritur de confessione Berengarii qui dicit, ibi, C, in fine : « *Sed in veritate manibus sacerdotum tractari et frangi, et fidelium dentibus atteri.* »

1. Si enim hæc confessio fuit recepta a Papa Nicolao, et pluribus Episcopis, tunc videtur temerarium esse si aliquis aliter sentiat : dicit autem hic Magister aliter sentiendum esse : ergo est temerarius.

2. Item, Quidquid per sedem Apostolicam in diversis partibus mundi publicari præcipitur ut fidele, illud pro fide tenendum est : sed confessio ista imperio Nicolai Papæ publicata est : sic ergo pro fide tenenda est. Quod autem ita sit, accipitur ex decreto de *consecratione*, ubi sic dicitur : « Hanc confessionem suæ fidei de corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi a Berengario Romæ coram centum et quindecim Episcopis factam misit Papa Nicolaus per urbes Italiæ, Germanæ, Galliæ, et ad quæcumque loca in quibus fama pravitatis ejus pervenire ante potuit [2]. »

3. Item, Ibi dicitur, quod post confes-

[1] Cf. Supra, Dist. XI.

[2] Cf. De consec. dist. II.

sionem scriptam in hæc verba, juravit dicens : « Per sanctam homousion Trinitatem, et per hæc sacrosancta Evangelia, eos qui contra hanc fidem venerint cum dogmatibus et sectatoribus suis æterno anathemate dignos esse pronuntio. » Ex hoc accipitur, quod concilium excommunicandos decrevit qui aliquid aliud sentirent quam professus est Berengarius. Et videtur, quod tota fere Doctorum universitas quæ quartam tenet opinionem incidit in excommunicationem.

4. Item, In principio suæ confessionis dicit Berengarius : « Consentio autem sanctæ Romanæ Ecclesiæ et Apostolicæ sedi : et ore et corde confiteor de sacramentis Dominicæ mensæ eamdem fidem me tenere quam Dominus et venerabilis Papa Nicolaus, et hæc sancta synodus auctoritate Evangelica et Apostolica tenendam tradidit, mihique firmavit. » Ex omnibus his videtur, quod Magistri male faciunt condemnando hanc opinionem.

olutio. Solutio. Dicendum, quod opinio quæ tertia ponitur, non est sana, nec tenenda.

Ad hoc quod objicitur de confessione Berengarii, dicendum quod ad aliud inducta fuit confessio illa in concilio coram Nicolao Papa, et ad aliud inducitur hic : in concilio enim inducitur eo quod ipse dicebat, quod corpus Christi non vere esset in altari post consecrationem : sed tantum in sacramento, hoc est, in signo, et non in veritate : et ideo ad hoc quod exprimeret quod in veritate ibi esset, coactus est ad hunc modum expressionis. Quod autem ita sit, patet ex confessione Berengarii, ubi sic dicit : « Anathematizo omnem hæresim, præcipue eam de qua hactenus infamatus sum : quæ adstruere conabatur panem et vinum quæ in altari ponuntur, post consecrationem solummodo sacramentum, et non verum corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi esse. » Unde Papa ad talem modum expressionis compulit, qui ostendit quod omnibus modis quocumque modo factis, tentis, retentis, et repositis formis, post consecrationem semper continent verum corpus sive sub dentibus sive sub manibus : et hoc quidem est verum.

Unde hoc etiam conceditur, quod corpus Christi verum atteritur dentibus fidelium in sacramento : sed hoc simpliciter sine determinatione concedendum non est hic. Cum enim dicitur quod corpus Christi verum atteritur dentibus fidelium in sacramento, non veritas continentiæ corporis Christi, sed attritio refertur ad formas continentes : et hoc intellexit Papa et concilium : quia hoc directe fuit contrarium hæresi suæ quam prius habuerat.

Ad id ergo quod primo objicitur, dicendum quod non est confessio præcepta dilatari, nisi gratia ejus quod in veritate sub speciebus corpus Christi post consecrationem continetur. Ad 1.

Ad aliud dicendum, quod non juravit nisi de veritate corporis Christi contenti sub sacramento. Ad 2, 3 et 4.

Et eodem modo dicendum est ad omnia quæ de confessione sua objiciuntur.

D. *Sententia probabilior.*

Sed quia corpus Christi incorruptibile est, sane dici potest fractio illa et partitio non in substantia corporis, sed in ipsa[1] forma panis sacra-

[1] In edit. J. Alleaume deest *ipsa*.

mentaliter fieri : ut vera fractio et partitio sit ibi, quæ fit non in substantia corporis, sed in sacramento, id est, in specie. Ne autem mireris vel insultes si accidentia videantur frangi, cum ibi sint sine subjecto, licet quidam asserant ea fundari in aere. Est ibi vera fractio et partitio, quæ fit in pane, id est, in forma panis. Unde Apostolus ait : *Panis quem frangimus* [1] : quia forma panis ibi frangitur, et in partes dividitur. Christus vero integer manet, et totus est in singulis. Unde Augustinus [2] : Quando Christus manducatur, vita manducatur. Sed quis audeat manducare Dominum suum ? et tamen veritas invitans nos ad manducandum ait : *Qui manducat me, et ipse vivet propter me* [3]. Nec occiditur Christus ut manducetur, sed mortuos vivificat : quando manducatur, reficit, non deficit : vivit manducatus, quia surrexit occisus : nec quando manducamus, partes de illo facimus : et quidem in sacramento sic fit. Item [4], Norunt fideles quomodo manducent carnem Christi : unusquisque accipit partem suam. Unde et ipsa gratia *partes* vocantur. Per partes manducatur, et manet integer totus : per partes manducatur in sacramento, et manet integer totus in cœlo, manet integer totus in corde tuo. Ideo ista dicuntur sacramenta, quia in eis aliud videtur, et aliud intelligitur : videtur panis et calix, quod et oculi renuntiant : quod autem fides instruenda postulat, panis est corpus Christi, calix est sanguis. Ex his datur intelligi, quod fractio et partes quæ ibi videntur fieri, in sacramento fiunt, id est, in specie visibili. Ideoque illa Berengarii verba ita distinguenda sunt, ut sensualiter non modo in sacramento, sed in veritate dicatur corpus Christi tractari manibus sacerdotum : frangi vero et atteri dentibus, vere quidem, sed in sacramento tantum. Vera ergo est ibi attritio et partitio : sed in singulis partibus totus est Christus. Unde Hieronymus : Singuli accipiunt Christum Dominum, et in singulis portionibus totus est : nec per singulos [5] minuitur, sed integrum se præbet singulis [6]. Item, Hilarius : Ubi pars est corporis, ibi est et totum.

[1] I ad Corinth, x, 16.
[2] S. Augustinus, In sermone de verbis Evangel.
[3] Joan. vi, 58.
[4] Cf. de consec. dist. II (Nota edit. Lugd.)
[5] Edit. J. Alleaume, *singulas*, scilicet portiones.
[6] S. Hieronymus, In sermone quodam. Et habetur de consec. dist. II, cap. *Singuli accipiunt* (Nota edit. Lugd.)

ARTICULUS VIII.

An opinio illorum sit vera qui dicunt, quod in sacramento nulla fractio vel partitio sit, quæ non sit in substantia ac in sacramento ?

Deinde quæritur de opinione quarta quæ dicit, quod est ibi vera fractio et partitio quæ fit non in substantia, sed in sacramento.

Videtur enim hoc esse falsum : quia

1. Si aliquod unum convenit pluribus, ita quod est in aliis ab uno quod est causa ejus in omnibus, non existente illo, non erit illud in aliquo aliorum : sed fractio non est in accidentibus, nisi causetur a substantia fracta : ergo substantia fracta non existente, non erit fractio in aliquo accidentium. PROBATIO majoris est : quia cum ignis sit causa calidi in omnibus, nullo existente igne, nullum erit calidum : et si primum movens est causa motus in omnibus, non existente primo, non movebit nec movebitur aliquod aliorum moventium. PROBATIO secundæ innuitur in *Littera*, scilicet quod fractio per prius conveniat substantiæ.

2. Item, Omnis forma quantum est de se, unit et continet id cujus est forma : si igitur fiat pluralitas secundum esse, hoc erit a materia : ergo oportet, quod aliqua secundum esse sint ibi diversa et multiplicata : ergo in pluribus partibus erit fracta materia.

Solutio. Ad 1. SOLUTIO. Dicendum ad primum, quod licet aliqui dicant, quod divisio et fractio etiam per prius conveniunt substantiæ, et per posterius quanto : ego tamen hoc, quia non intelligo, non dico : quia dicit Philosophus, quod si unum tantum est quod est substantia, ipsum est indivisibile : et ideo quia fractionis et divisionis non est prima causa materia vel substantia, sed potius quantitas : ideo procedere non videtur prima ratio.

AD ID autem quod ex *Littera* videtur innui probatio hujus, videtur dicendum, quod hoc innuit in *Littera* : non quia primo fractio conveniat substantiæ, sed quia accidentia non est accipere nisi in substantia : et quia non convenit eis fractio nisi secundum esse acceptis, ideo innuit in *Littera*, quod nihil secundum naturam frangatur, nisi in substantia : tamen in veritate si quis proprie dicere vellet quid est quod frangitur, diceret quod substantia quanta per se : sed quia accidens in sacramento habet esse præter substantiam, ideo per se convenit ei frangi sine substantia.

AD ALIUD dicendum, quod forma de se unit id cujus est forma : sed divisio convenit ei per accidens, id est, secundum suum esse : hoc autem esse est duplex : secundum naturam in materia, et secundum usum sacramenti per se, ut sæpius dictum est supra. Ad 2.

ARTICULUS IX.

An potest dici, quod accidentia post consecrationem maneant in aere ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, D, circa initium : « *Licet quidam asserant ea fundari in aere.* »

Videtur hæc opinio esse concedenda : quia

1. Dum aliquid sit consonum fidei, quanto magis appropinquat rationi, tanto magis est concedendum : sed magis appropinquat rationi ea esse in aere, quam sine subjecto : ergo magis est concedendum.

2. Item, Non excluditur per hoc veritas sacramenti : quia totum corpus Christi ibi in qualibet parte continetur : ergo hoc aliquis potest opinari.

Sed contra. SED CONTRA :

1. Aer est elementum humidum, spirituale, interminatum : ergo quod fundatur in eo fluit, et non tenet in eo figuras : ergo formæ si fundatur in aere, figuras nullas retinent : et hoc est falsum ad sensum : ergo non fundantur in aere.

2. Item, Dicit Philosophus, quod accidentia conferunt ad cognitionem ejus quod quid est, hoc est, substantiæ : ergo accidens ducit in cognitionem subjecti : ergo formæ illæ ducerent in cognitionem aeris, si essent in aere fundatæ : sed simul et semel unum eodem modo se habens non ducit in cognitionem diversorum : ergo accidentia illa non ducerent in cognitionem corporis Christi : ergo frustra essent in sacramento, quod est inconveniens : ergo non fundantur in aere.

Solutio. SOLUTIO. Dicendum, quod non fundantur in aere, ut patet duabus ultimis rationibus.

Ad 1. AD PRIMUM autem dicendum, quod neutrum multum vicinum est rationi, scilicet quod sint ibi accidentia sine subjecto, vel quod fundentur in aere : sed tamen quia hoc magis est secundum congruentiam sacramenti, quod sint sine subjecto, ideo hoc conceditur, et alterum non.

Ad 2. AD ALIUD dicendum, quod veritas sacramenti per hoc non excluderetur : et ideo non reputantur hæretici qui hoc dicebant : sed congruentia sacramenti, et eorum quæ sunt in sacramento, per hoc excluderetur : et ideo non conceditur.

ARTICULUS X.

Quomodo totum corpus Christi sub tantilla forma contineatur in sacramento ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, D, post initium : « *Christus vero integer manet, et totus est in singulis.* »

Est enim gravis quæstio, Qualiter corpus Christi totum sub tantilla forma contineatur ?

Videtur enim, quod hoc sit impossibile :

1. Dicit enim Philosophus, quod locus et locatum sunt æqualia secundum quantitatem : sed locatum est corpus Christi, locans autem species quæ apparet : ergo sunt æqualia per quantitatem, quod falsum est, cum corpus Christi est tricubitum forte vel parum minus, locans autem vix habet latitudinem digiti unius.

2. Item, Euclides in libro II *Geometriæ* dicit, quod corpus est quod longitudinem, latitudinem, et profunditatem habet : ergo quod continet ipsum, necesse est quod contineat ipsum secundum longitudinem, latitudinem, et profunditatem : sed non est intelligibile, qualiter majus contineatur a minori secundum omnem dimensionem, cum forma illa minor sit in omni dimensione, quam verum corpus Christi quod pependit in cruce : ergo videtur, quod non possit illud continere.

3. Item, Particulæ corporis et loci, ut dicit Philosophus ad unum communem terminum copulantur : ergo ubicumque est accipere particulas corporis, ad easdem necesse est particulas corporis loci copulari, et e converso : sed secundum duos et amplius cubitos est accipere particulas corporis Domini, quod pependit in cruce : ergo in tantum extendentur particulæ loci : ergo et formæ continentes, quod videmus esse falsum, quia vix excedit forma quantitatem unguis.

4. Item, Sacramentum, ut dixerunt antiqui, continet res suas ut vasa medicinalia medicinas : sed vas amplioris est extensionis, quam res ipsa quæ est in vase : ergo et forma sacramentalis amplioris extensionis est, quam corpus Christi : et hoc videmus esse falsum : ergo species sacramentalis non continet totum Christum.

5. Item, Tota die concluditur et sup-

ponitur in demonstrativis, quod majus non æquatur minori: sed continens et contentum si proprie sumantur, æquantur: ergo sunt æqualia: sed forma continet, et corpus Christi continetur: ergo sunt æqualia. Inde sic: Species est digitalis, et corpus Christi est bicubitale: ergo digitale et bicubitale sunt æqualia: sed bicubitale est majus digitali: igitur majus æquatur minori, quod etiam impossibile est.

6. Item, Si linea egrediatur de centro locati ad superficiem loci, et alia de centro loci ad superficiem locati, illæ lineæ erunt æquales. Probatio hujus est: quia non differunt nisi per punctum: et hoc non addit longitudinem aliquam. Educatur ergo linea de centro corporis Christi ad superficiem corporis Christi secundum quamcumque dimensionem, et alia educatur de centro speciei ad superficiem ejusdem: illæ ergo erunt æquales, quod ad sensum est falsum.

7. Item, Æqualia sunt, ut dicitur in primo *Euclidis*, quæ sibi supposita se invicem non excedunt: sed corpus Christi non excedit quantitatem speciei, nec e converso: ergo sunt æqualia: sed corpus Christi est septem pedum, esto quod sit tantum: ergo quantitas illarum specierum est septem pedum, quod est etiam contra sensum.

8. Item, Sicut totum continens impletur a contento, sic continens et contentum sunt ejusdem figuræ: sed tota forma illa impletur a corpore Christi: ergo forma et corpus Christi sunt ejusdem figuræ: sed forma illa est rotunda: ergo etiam corpus Christi est rotundum, quod falsum est, cum habeat faciem, et manus, et pedes, positione differentes.

9. Item, Cum aliquid per totam quantitatem et substantiam continetur in alio, erit in determinata parte caput, et in alia pedes: quæratur ergo, ubi in forma illa sit caput, et ubi pedes? Si dicas, supra: ergo si quis dividat infra non erunt sub illo nisi pedes, quod falsum est. Si autem dicas, infra: tunc habebis caput reversatum: et hoc est ridiculum.

10. Si quis propter hoc velit dicere, quod corpus Christi non est in speciebus illis, sicut locatum in loco, sed potius sicut signatum in signo: videtur esse hæresis Berengarii supra condemnata: ergo non est ita dicendum.

Præterea quæritur, Utrum signatum secundum veritatem totius quantitas continetur a signo, vel non continetur, sed signatur tantum? Si primo modo: tunc redibit eadem quæstio. Si secundo modo: tunc incidit hæresis Berengarii, qui dixit Christum non secundum veritatem, sed secundum signationem contineri in sacramento. Quæst.

Ad hoc quidam volunt dicere, quod corpus Christi gloriosum est modo in loco non per modum corporis grossi, sed per modum corporis spiritualis: et ut melius intelligatur, ponunt simile in corpore spirituali quod dicunt esse lucem, quæ situaliter quidem dilatatur per mundum, et tamen tota posset esse in uno puncto. Et hoc quidem dictum est eorum, quod ego si bene intelligo, sic intelligo esse dictum, quod corporis habentis quantitatem dimensivam duplices sunt partes: ita quod quædam habeant partem juxta partem: et hoc exigit locum sibi æqualem. Aliud est quod habet se indifferenter ad hoc, quod habeat partem juxta partem, et quod habeat partem sub parte: et ideo indifferenter potest esse in loco partis et totius, et in loco indivisibili propter sui spiritualitatem. Et hoc quidem ego confinxi ad intelligendum dicta quorumdam modernorum: quia constat, quod nulli antiquorum concordant. Potest igitur dici secundum eos, quod corpus Christi maximæ simplicitatis est inter corpora: et ideo indifferenter se habet ad hoc quod habeat partem juxta partem, et partem sub parte, et ideo potest esse in loco minori sua statura, et etiam indivisibili.

Sed quod hoc figmentum stare non possit, sic probatur: quia figura est terminatio quantitatis secundum quemdam

modum eminentiæ et depressionis in corporibus naturalibus : sicut alia est figura hominis, et alia asini : figura igitur illa aut est terminatio quanti quod habet partem juxta partem, aut partem sub parte, aut quantum ad utrumque. Si primo modo, habeo propositum : quia dicit Philosophus in *prima philosophia*, quod omne corpus naturale habet figuram propriam, sine qua non est ipsum in specie sua : et idem dicit Commentator super II de *Anima*. Aut igitur Christi corpus retinet figuram suam unam, aut non. Si sic : ergo sub speciebus habet partem juxta partem, et tunc redit prima quæstio. Si non : ergo Christus est ibi sine figura nasi, et oculorum, et oris, et non existente figura, non sunt etiam ipsa membra : ergo erit ibi sine membris, sicut truncus, et neque sicut truncus, quia etiam figura trunci destruitur ibi. Si autem figura est terminatio quanti secundum quod habet partem sub parte. Contra : Habens partem sub parte, omnes partes habet in una vel habere potest, et tunc illa est indivisibilis per sensus : ergo idem videtur esse capax figuræ totius, et partis : figura autem nasi tendit in conum et intus est triangularis : et figura trunci est rotunda et circularis : ergo in eodem indivisibili secundum sensum erit circularis figura, et pyramidalis intus triangularis : quod si intelligibile est, mirum est.

Item, Quædam partes hominis sunt quæ de sua natura sunt concavæ, ut nasus, pectus, et hujusmodi : illæ igitur in illo indivisibili aut sunt manentes concavæ, aut compressæ sub parte una. Si primo modo : ergo pars erit juxta partem et in indivisibili, et non sub parte. Si secundo modo : ergo corpus gloriosum comprimitur, et destruitur ejus figura, et per consequens natura, ut prius dictum est. Si tertio modo dicatur se habere corpus gloriosum, idem sequitur impossibile.

Præterea, Quando dicitur pars esse sub parte : aut intelligitur quod præpositio *sub* notat situm et positionem unius sub alia tantum, aut continentiam. Si primo modo : ergo tantum crescit in augmentum subtus propter partium quantitativarum aggregationem, quantum diminuitur in latum, vel in longum : et sic non valebit ad propositum : quia forma illa non continebit ipsum secundum illum situm quem notat præpositio *sub*. Si notet continentiam : ergo totum vel omnes partes possunt esse in una : quod iterum mirum est si aliquis intelligit.

Si forte dicas, quod esse partem sub parte notat partium indifferentiam quoad locum, et non quoad aliud. Contra : Locus datur quanto in eo quod quantum est finibile sive terminale extra : ergo quæcumque differentiam habent in tali quantitate, differunt secundum situm necessario : sic autem differunt totum et pars : ergo locus eorum habebit differentiam.

Si forte dicas, quod hæc omnia vera sunt de corpore quod obstat alteri, et hoc est grossum et materiale : tale autem non est corpus spirituale quod est sicut lux. Contra : Istæ rationes non supponunt nisi corporis quantitatem : ergo indifferenter concludunt in quocumque corpore quantitatem habente.

Item, Accipiamus aliquod corporum cœlestium, cujus substantia sit quod sit corpus rotundum, habens diametrum centum cubitorum : quæro, si hac manente figura potest esse in loco indivisibili quoad sensum ? Si sic : ergo figura secundum esse accepta centum cubitorum in diametro et trecentorum in circumferentia, sine sui corruptione potest esse in eo quod est indivisibile secundum sensum : et hoc est dicere, quod cœlum potest esse localiter in uno grano milii : quod qui dicit, non oportet quod aliquid absurdum neget. Si secundo modo : tunc rationes prius habitæ tenent etiam in corporibus spiritualibus.

Sed quia nobis de hac mirabili opinione restat grandis disputatio in fine

quæstionis de *resurrectione* [1], modo quæ dicta sunt, sufficiant.

Solutio. Solvendo autem dicimus ad quæstionem, quod Christus tripliciter comparatur ad res creatas. Comparatur enim ut Deus, et sic tripliciter est in rebus : uno modo qui convenit Patri et Spiritui sancto, quo est in omnibus essentialiter, præsentialiter et potentialiter. Alio modo idem convenit Patri et Spiritui sancto, quo est in sanctis per inhabitantem gratiam. Tertio modo discreto a Patre et Spiritu sancto, quo est in natura humana per unionem.

Secundo modo comparatur ad res alias per assumptam carnem, secundum quod natus est de Virgine, et pependit in cruce : et sic est in loco per circumscriptionem.

Tertio modo, secundum quod ipse plenus gratia in deitate et humanitate existens, supermundana ratione est res sacramentalis, et cibus spiritualis Ecclesiæ, et sic est in sacramento. Unde sicut panis non secundum partem et partem est in illa et alia ratione cibi, sed eadem ratio cibi est in toto et in qualibet parte cibi : ita ipse, ut signatum respondeat signo, non est in una parte aliter quam in alia, sed uno modo essentialiter in toto : et si in partes dividatur, erit in qualibet parte. Et similiter de vino in quo est una ratio significandi totum in toto, et in qualibet parte : et ideo licet dividatur vinum, erit totus qui fuit sub tota specie vini, et totus sub qualibet parte : et ideo nullæ rationes in hoc sacramento recipiendæ sunt, quæ non sunt secundum operationem sacramenti ad esse, vel usum. Unde sicut supermundana ratione operatur virtus divina ad esse sacramenti in transsubstantiatione et mensura accidentium sine subjecto : ita etiam commetitur se toti et parti secundum congruentiam signati ad signum : et ideo omnino nihil valent rationes quæ fuerunt de comparatione locati ad locum : quia licet sit ibi Christus quantus in veritate quantitatis et substantiæ, non tamen secundum leges loci et locati, sed secundum leges signati in sacramento et signi continentis id quod significat secundum proprietatem sacramentorum novæ legis, quam istud sacramentum plenissime habet inter omnia novæ legis sacramenta.

Dicendum ergo ad primum, quod supponitur falsum objiciendo : quia forma illa non habet se ad corpus Christi sicut locus ad locatum, sed potius sicut signum continens ad signatum secundum veritatem contentum, non quidem secundum leges loci, sed secundum leges signi : et ideo etiamsi frangatur, in qualibet parte totum erit, quod non esset si esset in eo sicut in loco. Ad 1.

Ad aliud dicendum, quod corpus Christi habet omnes tres dimensiones cum figura propria, et sine aliqua contractione, et ideo verissime corpus est : sed non comparatur ad formam illam sicut ad locum vel æquale cui commensuratur, sed potius, ut dictum est, ut signatum ad signum. Ad 2.

Ad aliud dicendum, ut dictum est, quod non habent se sicut locus et locatum ad invicem. Ad 3.

Ad aliud dicendum, quod non intellexerunt antiqui, quod sacramenta essent quædam vasa in quantum locus est vas, sed in quantum vas habet se quodammodo ad actum medicinæ et medici : dicimus enim, quod medicus sanat, et medicina et clyster et embutum : sed medicus effective, et medicina sicut virtus conjuncta naturæ, et clyster est sicut instrumentum ponens medicinam in locum debitum : et ita se habent in curatione animæ Deus, et gratia, et sacramentum : unde nihil valet objectio inducta. Ad 4.

Ad aliud dicendum, quod minus non Ad 5.

[1] Cf. Infra, IV Sententiarum, Dist. XLIV, Art. 1, 2, 3 et 4. Tom. XXX hujusce novæ editionis.

æquatur majori : hoc enim demonstratum est : sed non est hic comparatio quanti ad quantum secundum legem et principium quantitatis, sed potius secundum rationem cibi comparatur ad conjunctum : et quia illa ratio una est in toto et in parte, ideo una ratione comparatur ad totum et partem, ut dictum est.

Ad 6. Ad aliud dicendum, quod secundum rationem sacramenti nulla potest egredi linea de centro formæ rotundæ quæ in altari apparet, nec figurabile est centrum ejus : quia sic jam attenderetur secundum principia et leges quantitatis, et jam diximus, quod sic non est ibi commensuratio corporis Christi ad sacramentum : et ideo illa objectio nihil valet.

Ad 7. Ad aliud dicendum, quod æqualitas duplex est, scilicet secundum quantitatem molis, et secundum quantitatem virtutis : secundum quantitatem molis non attenditur æqualitas inter signum et signatum, sed secundum quantitatem virtutis : ut scilicet cum ibi illud contineatur signatum, quod illud continet et signum, et est hoc in toto et parte æqualiter, ratione supra dicta, qua diximus, quod una est ratio cibi in toto et in parte.

Ad 8 et 9. Ad aliud dicendum, quod non sequitur, si totum continens impleatur a contento, quod sit ejusdem figuræ, nisi contentum sit in continente sicut locatum in loco : hoc autem non est hic, ut sæpius dictum est.

Eodem modo respondeo ad sequens : quia hoc non est verum nisi de illis quæ ita sunt in aliis, quod pars una est in parte una continentis, et alia in alia : in sacramento Eucharistiæ non sic est : sed una est comparatio contenti ad totum et ad partem propter unam rationem significandi cibum spiritualem in toto et in parte.

Ad 10. Ad id quod objicitur contra rationem inductam, dicendum quod si quis diceret corpus Christi non secundum veritatem substantiæ et quantitatis esse in sacramento, sed tantum sicut signatum remotum per substantiam a signo, ille esset de hæresi Berengarii : sed nos non sic dicimus, sed potius dicimus ipsum signatum esse in signo substantialiter in tota sua quantitate : et ideo nihil commune cum hæresi, Domino concedente, habebimus.

Ad 11. Ad aliud dicendum, quod quædam sunt in loco secundum veritatem substantiæ et quantitatis, et secundum leges loci et locati : quædam autem sunt in loco secundum veritatem substantiæ et non quantitatis, nec secundum legem loci : et quædam quasi medio modo sunt in aliquo, non ut in loco, per veritatem substantiæ et quantitatis, et non secundum leges loci, sed secundum legem illius in quo sunt vel esse dicuntur. Primo modo sunt in loco ea quæ circumscribuntur in loco. Secundo modo sunt in loco ea quæ diffiniuntur in loco, ut spiritus creati. Tertio modo corpus Christi est in sacramento, non secundum legem loci, sed secundum legem signi signantis cibum spiritualem æqualiter in toto et in parte : et ideo patet solutio illius objectionis.

Ad aliud quod objicitur de opinione inducta, sine præjudicio respondeat qui voluerit : quia ego numquam potui intelligere, quod lux esset corpus, vel quod corpus haberet partem sub parte, vel quod duo corpora possent esse in eodem loco. Et ideo quod non intelligo, defendere non præsumo : sed nostra opinio est quæ dicta est : et infra, in quæstione de *resurrectione*, apparebit quid sentiam de corporibus gloriosis [1].

[1] Cf. Infra, in hoc eodem libro IV Sententiarum, Dist. XLIV, Art. 1, 2, 3 et 4. Tom. XXX hujusce novæ editionis.

ARTICULUS XI.

An quisque fidelium communicans accipiat totum Christum vel partem suam? et, An totus Christus est in qualibet parte hostiæ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, D, circa medium: « *Norunt fideles quomodo manducent carnem Christi: unusquisque accipit partem suam.* »

Sed contra: Unusquisque accipit totum Christum: non ergo unusquisque accipit partem suam.

Si forte dicas, quod pars refertur ad divisionem hostiæ continentis, et non ad Christum contentum, videtur falsum: quæro enim, Unde hoc quod totus Christus sit sub qualibet parte?

1. Quæcumque enim sic se habent ad invicem, quod unum secundum esse non dependet ad alterum, multiplicato uno, alterum non est de necessitate sub qualibet partium per multitudinem acceptarum: sic autem se habent ad invicem corpus Christi et figura illa quæ *hostia* appellatur: ergo multiplicatis partibus hostiæ, non necessario erit Christus sub qualibet illarum.

2. Item, In naturis videmus formas multiplices: quædam enim sic sunt in materia, quod materia divisa dividitur forma, ut lapidis forma et aliorum homogeniorum: quædam etiam sunt ita in materia, quod divisa materia, non necessario forma manet in qualibet parte, ut anima sensibilis in corpore multæ diversitatis in compositione partium, ut in leone, vel asino: quædam autem sic, quod nec alicujus corporis est proprius actus, cum ipsa per operationem non sit affixa, sed potius operatio sua est pura et a materia denudata, et similiter essentia, sicut anima rationalis secundum intellectum: et illa, ut dicunt Philosophi, nec est corpus, nec est virtus in corpore: et corpore diviso non manet in singulis, nec multiplicatur in illis: sed ad similitudinem hujus videtur se habere corpus Christi ad species sacramentales: ergo videtur, quod illis divisis, non sub singulis debeat esse totus Christus.

Præterea quæratur, Unde contingit hoc, quod sub qualibet parte sit totus Christus quando frangitur hostia? Quæst.

Videtur enim, quod non debeat contingere: Christus enim non habetur in hostia nisi virtute consecrationis unius: virtute ergo consecrationis unius habebitur semel Christus, et virtute duarum bis, et sic deinceps: sed in omnibus partibus hostiæ non est nisi una consecratio: ergo non debet haberi nisi sub toto, et non sub hac parte hic, et sub illa ibi.

Si forte hoc aliquis adstruere velit per exempla, et ponat exemplum in speculo in quo integre resultat forma una, et fracto resultant plures formæ: videtur, quod hoc nihil sit: quia in uno speculo convexo vel plano resultat forma una propter reflexionem quæ sit ad unum: sed in pluribus fractis non potest fieri reflexio ad unum: quia dividitur radius in termino vitri, et sic revertitur ad centrum continui: hoc autem non est in hostia, unde nulla videtur esse similitudo.

Item, Quidam ponunt simile in anima sensuali quorumdam animalium habentium corpora rugosa aut annulosa et æqualia in compositione et complexione per totum vel fere æqualia, quibus divisis manet anima sensibilis per sensum et motum in omnibus partibus truncatis: et hoc iterum non videtur habere similitudinem: quia ibi non est una numero anima in utraque parte truncata, sed duæ factæ per divisionem ab una, quæ propter similitudinem complexionis sit duæ: hic autem unus numero Christus manet in singulis partibus hostiæ: unde nihil simile videtur.

Si forte dicas, quod nihil prohibet unum numero esse in diversis locis. Unde dicit Augustinus, quod anima est in

diversis locis, quia est in corde et in cerebro tota et in aliis partibus. Et forte aliquis vellet dicere, quod sic est, et in aliis spiritualibus substantiis. Videtur, quod hoc nihil sit ad propositum : quia etiamsi dicamus, quod sic sit in spiritualibus substantiis, quod tamen non est verum, non tamen propter hoc sequeretur, quod sic sit in corpore Christi vero : quia hoc verissime corpus est, et non spiritus.

Præterea, De spiritualibus substantiis creatis, hoc est falsum : quia, ut dicit Damascenus, diffiniuntur in loco : et ut idem Damascenus dicit, diffiniri loco est hic et non alibi esse : cuicumque autem convenit esse in pluribus locis simul, huic convenit hic et alibi esse : ergo non diffinitur in loco, quod negat Damascenus.

Si autem propter hoc aliquis dicat, quod hoc convenit corpori divino secundum quod medium est inter Deum qui ubique est, et creaturam quæ in uno loco est, ut dictum est. Unde corpus creatum Deo unitum est in pluribus locis, ubi consecratur, et in quas partes hostia dividitur : videtur hoc esse falsum : proprietas enim medii semper comitatur medium, quamdiu medium est : cum igitur corpus Christi sit semper medium inter Deum increatum, et creaturam, si tamen medium est, semper erit in pluribus locis : sive ergo consecretur in pluribus locis sive non, et sive hostia dividatur sive non, semper erit in pluribus locis, quod falsum est et hæreticum : ergo ratio nulla quæ tamen fere ab omnibus solet assignari.

Solutio. Solutio. Sine præjudicio videtur mihi dicendum, quod causa quare totus Christus est sub qualibet parte, cum hostia dividitur, hæc est : quia ratio significandi totum cibum spiritualem, æqualiter est in toto corpore, et in parte : et ideo cum hostia est una, erit unum significans unum cibum spiritualem : et cum est plura, erunt significantia omnia cibum eumdem : et ideo cum in hoc sacramento præcipue quod principale est inter sacramenta novæ legis, continentia sequatur rationem significandi, cum unum est significans, unum erit continens in se cibum signatum : et cum plura sunt signantia, plura erunt continentia cibum eumdem totum et integrum : et hæc est causa, quare hostia divisa, in qualibet parte sub qualibet manet totus Christus, cibus animæ spiritualis.

Ad hoc ergo quod primo objicitur, dicendum, quod secundum esse dependent a se invicem forma et materia : et in talibus procedit objectio : sed secundum contineri dependent a se signum in sacramento et signatum prout accipitur sacramentum novæ legis : et ideo multiplicato signo, necesse est rem signatam esse sub quolibet illorum.

Ad aliud dicendum, quod objectio illa procedit secundum granum formæ magis et minus separatæ : sed in signo sacramentali non est sic : non enim dicimus, Christum esse in sacramento sicut animam in corpore, et sicut intellectum in corpore : licet quoad hoc quod in tota forma est totus Christus, et in qualibet parte totus, habeat similitudinem quamdam cum esse animæ rationalis in corpore : quæ, secundum Augustinum, « in toto est tota, et in qualibet parte tota. »

Ad aliud dicendum, quod sicut jam dictum est, virtute significationis talis, et non virtute significationis simpliciter, hoc contingit, scilicet quod sacramentum hoc illius causa est secundum esse quod signat, et continet illud : consecratio autem non est causa nisi remota, scilicet quod sit sub hostia, sive divisa sive indivisa.

Ad aliud dicendum, quod significatio in genere non est causa hujus : sed potius significatios pecialis, et præcipue hujus sacramenti, quod antonomastice est sacramentum novæ legis, ut dictum est.

Ad hoc quod dicitur de exemplis, dicendum quod illa exempla sunt in parte similia, et non in toto, sicut bene probant objectiones : divina enim non habent similia perfecta in rebus corporali-

bus. Unde Hilarius : « Si qua nos exempla ad divina afferimus, nemo ea putet perfectionis formam in se continere : et tamen bona sunt similia, eo modo quo id quod est in parte, repræsentat id quod est in toto. »

Ad id quod objicitur de Augustino, dicendum quod dupliciter contingit aliquid esse in alio ut in loco, scilicet proprie, et improprie : proprie ut circumscriptum vel diffinitum est in loco : et hoc simul non potest esse in pluribus locis : improprie autem quod in alio est, sicut in materia quæ habet similitudinem cum loco secundum Isidorum propter capacitatem : et sic intelligitur dictum Augustini : quia anima est in corpore sicut in eo quod aliquam habet similitudinem cum loco : quod tamen proprie est materia sua et subjectum. Unde sicut nulla pars materiæ est quæ non perficiatur a forma, ita nulla pars corporis est in qua essentialiter non sit anima : non tamen proprie est in pluribus locis.

De hoc autem quod dicitur, quod habeat hoc corpus Christi, in quantum medium est inter pure creatum, et pure increatum, dicendum videtur quod falsum est : sicut probant in contrarium factæ rationes.

ARTICULUS XII.

An vere dicatur, Christus per partes manducatur in sacramento, et manet integer totus in cœlo, manet integer totus in corde tuo ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, D, post medium : « *Per partes manducatur in sacramento, et manet integer totus in cœlo, manet integer totus in corde tuo.* »

Secundum hoc enim videtur esse in pluribus locis simul et semel, quod videtur stare non posse :

1. Nihil enim est cujus substantiæ aliquid inveniatur extra terminum substantiæ suæ : sed locus est terminus substantiæ et entis : sicut enim tempus est mensura esse, ita locus entis sive ejus quod est : sed in hoc loco est terminus Christi in quo est : igitur nihil sui extra illum locum invenitur, ut videtur.

2. Item, Philosophus dicit : « Quæcumque dividuntur loco, dividuntur etiam subjecto : » sed constat quod Christus a se subjecto non disjungitur : ergo etiam loco non dividitur : ergo non est simul in pluribus locis : quia quæcumque in pluribus locis sunt, loco divisa sunt.

3. Item, Sit quod Christus in hoc altari sit in loco qui est palmi propter speciem hostiæ quæ tanta est et non major, et in alio altari sit ad unum cubitum, in cœlo autem sit secundum propriam staturam corporis septem pedum. Inde procedo sic : Quæcumque uni et eidem sunt æqualia, ipsa inter se sunt æqualia : sed hæc tria loca uni et eidem sunt æqualia, quia uni et eidem corpori Christi : ergo hæc tria inter se sunt æqualia, quod absurdum est : ergo videtur, quod non sit verum quod primo supponebatur, scilicet quod sit in pluribus altaribus et in cœlo.

Quæst. 1.

Item quæratur, Utrum Christus sit in pluribus locis ?

Posset enim aliquis dicere, quod esse in sacramento non est esse in loco, ut prius dictum est, sed sacramentum est in pluribus locis : et ex hoc non sequitur, quod Christus sit in pluribus locis. Contra : Quidquid est in omni loco in quo consecratur, si loca suæ consecrationis sunt plura, ipsum erit in pluribus locis : sed corpus Christi est in omni loco in quo consecratur, et loca suæ consecrationis sunt plura : ergo est in pluribus locis.

Quæst. 2.

Ulterius quæritur hic, Qualiter hæc tria specialiter enumerentur in *Littera*, quod manducatur in sacramento, et manet totus integer in mente, et totus in cœlo ?

Aut enim corporaliter est in mente, aut non. Si non : tunc æquivoce dicitur esse in mente, et in cœlo, et in sacramento : quia in sacramento est et in cœlo corporaliter, in mente autem spiritualiter tantum : ergo videtur, quod non debet enumerari cum duobus aliis modis. Si autem dicitur ens corporaliter in mente : ergo aliquid præter Deum Trinitatem illabitur substantialiter menti : quod est contra Augustinum qui dicit, quod « nihil illabitur substantialiter menti præter Deum Trinitatem. »

Quæst. 3. Ulterius autem adhuc videtur, quod corporaliter debeat illabi menti : quia dicitur, quod ille est cibus animæ. Sed constat, quod cibus illabitur illi quod cibat : ergo corpus Christi illabitur animæ.

Item, Augustinus, « Ut quid paras dentem et ventrem ? crede, et manducasti : » ergo videtur, quod non transit in ventrem, sed in animam : ergo animæ substantialiter illabitur.

Sed quia de hoc multum supra [1] inquisitum est, sufficiat hoc quod dictum est.

Solutio. Ad 1. Solutio. Dicendum ad primum, quod esse in loco dicitur duplicitur, scilicet per se, et per accidens. *Per se* non credo, quod aliquid creatum in pluribus locis possit esse simul. Hoc tamen dico sine præjudicio sententiæ aliorum. *Per se* autem *in loco esse* dico, quod loco circumscribitur : et hoc modo corpus Christi non est nisi in uno loco, hoc est, in cœlo empyreo in potioribus bonis Patris collocatum. *Per accidens* autem dicitur *esse in loco,* quod gratia alterius in quo ipsum essentialiter est, est in loco : sicut anima est in loco, et corpus Christi est in loco in Ecclesia vel in altari, quia species sacramenti in quo ipsum essentialiter est, in loco est per se : aliquod enim accidens nihil prohibet esse in loco per se, sicut vult Philosophus : quia in mathematicis etiam datur locus, cum tamen corpora mathematicalia sint accidentia. Patet ergo, quod objectio non valet : quia cum sic dicitur, quod « nihil est cujus substantiæ aliquid inveniatur extra terminum proprium, » intelligitur hoc de termino intra, sicut est superficies locati : vel termino extra, sicut est locus eorum quæ per se sunt in loco : et sic necessitatem habet propositio. Sed non intelligitur de his quæ per accidens sunt in loco : quia si detur per impossibile, quod corpus hominis sit in pluribus locis, sequitur necessario quod anima esset in pluribus locis per accidens : et ita dicendum est hic gratia specierum sacramenti : et hoc non est inconveniens, quod illæ sint in pluribus locis per se, quia illæ numero plures species sunt.

Ad aliud dicendum, quod dictum Philosophi intelligitur de his quæ dividuntur sive distinguuntur loco per se, et non de his quæ dividuntur loco per accidens. Ad

Ad aliud dicendum, quod sicut patuit ex præhabitis, æquivoce dicitur esse Christus in loco, in cœlo, et in sacramento : quia in cœlo per se, et in sacramento per accidens : æqualitas autem est eorum in quibus est quantitas una vel univoce : unde objectio illa non valet. Ad

Præterea habitum est, quod inter species sacramenti et corpus contentum non potest attendi æqualitas, nisi tantum quantitas secundum virtutem, et adhuc per relationem, ut quantum id significat, tantum istud significetur : et hoc ratione iterum patet, quod hæc objectio non procedit.

Ad aliud dicendum, quod Christus per se non est nisi in loco uno : per accidens autem est in pluribus locis, ut dictum est : et hoc non est inconveniens : sic enim per accidens est in omni loco in quo consecratur, et tamen essentialiter et Ad qu

[1] Cf. Supra, Dist. IX, Art. 1 et seq.

secundum veritatem est ibi : sicut anima si corpus esset in pluribus locis per se, per accidens esset in pluribus locis : et tamen secundum veritatem et substantiam esset in illis. Quod enim in loco est per se, secundum leges loci est in loco : et hoc satis supra ostensum est, quod non convenit corpori Christi in sacramento.

2. Ad aliud dicendum, quod modi dicendi aliquid esse in loco bene possunt distingui, etiamsi sint æquivoci : et ita distinguuntur hic : Christus enim dicitur tripliciter esse in rebus, sicut supra dictum est. Quod autem est in mente, hoc habet commune Patri et Spiritui sancto, sed non hoc quod est in sacramento : nec hoc quod est in cœlo empyreo, quia hoc intelligitur circumscriptive gratia corporis quod ibi circumscribitur.

Ad id autem quod objicitur, quod nihil illabitur menti præter Deum Trinitatem, dicendum quod Christus quoad corpus substantialiter non implet mentem, sed potius quoad divinitatem unitam corpori.

ad 3. Ad id autem quod contra objicitur, dicendum quod dicitur *cibus mentis*, quia per effectum gratiæ implet mentem.

Qualiter autem transeat in ventrem, et qualiter non, superius late est disputatum [1].

ARTICULUS XIII.

An ubi pars corporis est, ibi sit et totum secundum Hilarium ? et, Quale sit illud ubi, *quando dicitur :* Ubi est princeps, ibi rex ?

Deinde quæritur de dicto Hilarii, ibi, D, in fine : « *Ubi pars est corporis, ibi est et totum.* »

Hoc enim impossibile videtur : quia

1. Bene sequitur in toto integro, ubi est totum, ibi est pars, cum totum positum in esse ponit partem : sed Hilarius dat nobis conversam hujus : conjungantur ergo istæ duæ sic : ubi pars est, ibi est totum : et ubi est totum, ibi est pars : ergo ubi est pars aliqua una, ibi est pars quælibet : ergo ubi est pes, ibi est manus, et oculus, et auris : ergo omnia membra confusa sunt in loco uno.

2. Item, Ubi est pars, ibi est totum : ergo ubi est pes, ibi est totum : ergo et caput : ergo ubi est pes, ibi est caput : ergo corpus inordinatissimum est et indecorum, quia membra non habent distantiam quæ facit elegantiam corporis.

3. Item, Ubi est pars, ibi est totum : ergo, ut prius, se caput habet ad pedes : ergo est reversatum : et talia infinita sequuntur ex dicto Hilarii, ut videtur : ergo videtur esse falsum.

4. Item, In quo distinguere non est totum et partem, in illo non potest dici : Ubi est pars, ibi est totum : sed in speciebus illis non est distinguere partem et totum : ergo non est dicere : Ubi est pars, et totum. Probatur autem prima harum per hoc quod omnia quæ per se sunt in loco, distinguuntur in loco secundum principium, medium, et finem. Secunda autem probatur per hoc quod in nulla parte illius hostiæ est dicere, quod ibi sit manus, vel pes, ut patet ex præhabitis : ergo videtur simpliciter falsum esse quod dicit Hilarius.

Quæst. Ulterius quæritur, Cujusmodi *ubi* significatur cum dicitur : Ubi est pars, ibi est totum ? *Ubi* enim (sicut dicit Philosophus) est circumscriptio corporis a loci circumscriptione procedens : et si tale *ubi* signatur, hoc videbitur esse impossibile : quia sicut sæpius habitum est, locus et locatum sunt æqualia : unde locus partis, et pars æqualia sunt : et si totum esset in eodem loco, oporteret quod to-

[1] Cf. Supra, Dist. IX, Art. 5.

tum et pars essent æqualia : et hoc est contra primum principium, Omne totum est majus sua parte.

Solutio. Ad 1. SOLUTIO. Dicendum, quod Hilarius meo judicio intendit dicere, quod Christus aliter sit in sacramento, et aliter in loco per se : quia ubi est in loco per se, ibi assignatur ei distinctio partium in loco : sed ubi est ut in sacramento, ibi non assignatur ei hujusmodi distinctio : et hoc intendit dicere Hilarius quando dicit, « Ubi est pars, ibi est totum : » quia ubique est in forma : si enim frangitur, ubique est quælibet pars, et ubique est totum in omnibus partibus : et hoc modo est improprie verum, quod ubi est caput, ibi est pes, quia non de quacumque parte formæ acceptæ. Sed non sequitur quod infertur ulterius, quod membra sint confusa in loco uno : quia non sunt ibi sicut in loco nisi per accidens, ut prius dictum est, per hoc scilicet, quod forma illa vel pars ejus est in loco.

Ad 2 et 3. AD ALIUD dicendum, quod non sequitur, quod sit corpus inordinatum : quia cum dicitur, Ubi est pes, ibi est caput, intelligitur quod *ubi* ut in sacramento signante et continente est pes, ibi est caput : et hoc non est inconveniens : quia nec pes ibi continetur et signatur ut pes, nec caput ut caput, sed utrumque ut cibus spiritualis : et ex hoc nulla sequitur confusio vel inordinatio corporis : sed sequeretur si membra ibi distinguerentur sicut in loco per se.

Per idem patet solutio ad sequens.

AD ALIUD dicendum, quod in corpore Christi secundum se distingui possunt membra : sed in comparatione ad formas signantes non possunt distingui : quia per quamlibet partem formæ totum corpus cum omnibus partibus signatur et continetur. Sed Hilarius loquitur hic, quod ubi est pars, ibi est totum : ut exprimat illam distinctionem per comparationem ad formam signantem et continentem.

AD ID quod ulterius quæritur, dicendum quod *ubi* dicitur per accidens, et per se. Per accidens : sicut dicimus, quod ubi est corpus, ibi est anima, cum tamen anima non habeat *ubi* per se. Per se autem, sicut cum dicimus, ibi est corpus circumscriptum : et Hilarius consignare intendit hic *ubi* per accidens : quia ubi pars est ut in sacramento, ibi est totum, ut præhabitum est.

E. *Quid illæ partes significent ?*

Quid autem partes illæ significent, Sergius Papa tradit, inquiens[1] : Triforme est corpus Christi. Pars oblata, in calicem missa, corpus Christi quod jam surrexit, monstrat : pars comesta, ambulantem adhuc super terram : pars in altari usque ad finem missæ remanens, corpus jacens in sepulcro significat : quia usque in finem sæculi corpora sanctorum in sepulcris erunt.

Et sicut partes illæ mysticam tenent significationem, ita etiam et fractio, passionis Christi et mortis est repræsentatio : unde ipse ait,

[1] De consec. dist. II, cap. *Triforme* (Nota edit. Lugd.)

Hoc facite in meam commemorationem [1], id est, in memoriam Passionis et mortis meæ. Nam, ut ait Ambrosius [2] : Quia in morte Christi liberati sumus, hujus in edendo et bibendo carnem et sanguinem, memores esse debemus.

Sed caveat quisque ne indigne percipiat, quia judicium sibi manducat. Non enim est iste panis qui vadit in corpus, sed panis vitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit. Sic ergo vive, ut quotidie merearis accipere, nec accedas indignus. Indignus est, qui aliter celebrat mysterium quam Christus tradidit, vel qui habens mortale peccatum accedit. Ergo etsi sint peccata quotidiana, ut non sint mortifera, antequam accedas dimitte debitoribus tuis. Si dimittis, dimittetur tibi : et sic securus accede. Panis enim salutaris est, non venenum. Si ita accedis, spiritualiter manducas. Spiritualiter enim manducat, qui innocentiam ad altare portat.

DIVISIO TEXTUS.

« *Quid autem partes illæ significent*, etc. »

Hic incipit secunda pars hujus distinctionis in qua agitur de harum partium significatione. Et dicuntur tria hic in capitulo isto, scilicet quid partes illæ significent : et hoc in principio capituli. Secundo, quid significet fractio per quam partes illæ dividuntur, quia passionem Domini, ibi, E, § 2 : « *Et sicut partes illæ*, etc. » Tertio, tangit, qui digne et qui indigne participant, ibi, E, § 3 : *Sed caveat quisque ne*, etc. »

Sententia primi notatur in duobus versibus :

Hostia dividitur in partes : tincta beatos
Plene, sicca notat vivos, servata sepultos.

ARTICULUS XIV.

Quid significent partes, in quas hostia dividitur a sacerdote celebrante ?

Incidit quæstio, Cum multiplex sit Ecclesiæ divisio :

1. Prima, Quia quidam sunt de Ecclesia solo numero, quidam autem numero et merito : et Christus obtulit se pro utrisque : videtur ergo, quod aliqua partitio corporis Christi debeat esse correspondens illis.

2. Item, Alia trimembris divisio Ecclesiæ intelligitur per Noe, Daniel, et Job [3], quæ est in prælatis, et continentibus, et conjungatis : ergo debet fieri aliqua divisio respondens illi divisioni.

3. Item, Videtur quod nulla debet esse pars pro beatis : quia illi non in specie, sed in rerum veritate jam capiunt sacramentum : sed partitio non fit nisi in specie : ergo nulla partitio debet fieri pro beatis in specie ipsa, ut videtur.

[1] Luc. XXII, 19 ; I ad Corinth. XI, 24.
[2] Cf. de Consec. dist. II, cap. *Non iste* (Nota edit. Lugd.)
[3] Cf. Ezechiel. XIV, 14 et seq.

4. Item, Beati non indigent oblatione redemptionis : quia jam salvati sunt : cum igitur hoc sacrificium fiat ad redemptionem a peccatis, videtur quod nihil in ipso fieri debeat pro beatis.

5. Item, Si non esset peccatum, Christus non esset mortuus et oblatus in cruce : sed consecratio sacramenti fit in memoriam Dominicæ mortis : ut dicit Apostolus, I ad Corinth. xi, 26 : ergo pro his qui non indigent amplius de effectu mortis, non debet aliquid fieri in sacramento : tales autem sunt beati : ergo nihil pro eis fieri debet in sacramento.

6. Ulterius, Videtur quod idem sit offerre pro his qui sunt in sepulcro et pro beatis : illi enim qui quoad animam sunt beati, quoad corpus sunt in sepulcro : et videtur, quod sic non differant quantum ad personas, sed quantum ad partes solum.

7. Si forte tu dicas, quod illi qui sunt in sepulcro, sunt illi qui sunt in purgatorio : tunc male dicit *Littera* generaliter loquens de his qui sunt in sepulcro.

Quæst. 1. Ulterius quæritur de hoc quod dicitur in *Littera*, quod « pars oblata, in calicem missa, corpus Christi quod jam surrexit, monstrat. »

Videtur enim, quod hoc sit inconveniens : quia calix significat passionem : corpus autem quod jam resurrexit, extractum est extra passiones : ergo pars immissa calici non significat congrue partem quæ jam resurrexit.

Quæst 2. Præterea quæritur, Quæ sit pars illa quæ jam resurrexit ?

Certum enim a Sanctis non habemus quod aliquis jam in corpore cum Christo sit beatus : de his enim qui cum Christo surrexerunt, et de beata Virgine quidam sic et quidam aliter sentiunt : ergo illa pars quæ immittitur calici, non significat nisi Christum : sed hoc videtur inconveniens : quia Christus pro se non obtulit sacrificium : ergo nec modo pro Christo offerri debet : ergo nulla pars debet offerri pro his qui jam surrexerunt, ut videtur.

Ulterius videtur, quod comestio non debet significare ambulantes adhuc supra terram : quia

1. Comestio significat incorporationem : ergo magis unitis Christo et incorporatis magis convenit illud : sed magis uniti Christo et incorporati sunt illi qui sunt in gloria : ergo illis magis signari habent per partem comestam : et contrarium hujus dicitur in *Littera*.

2. Item, Supra dictum est, quod non est ita in isto cibo sicut in alio : quia iste cibus convertit ad se cibatum, quod non faciunt cibi alii, sed potius convertuntur ad cibatum : ergo pars comesta maxime significat eam partem, quæ maxime ad Christum est conversa : hæc autem est pars unita sibi per gloriam : ergo eos qui sunt in gloria significare debet, et non ambulantes super terram.

Ulterius videtur, quod pars ea quæ remanet in altari, non debeat significare eos qui jacent in sepulcris : in fine enim missæ illa pars quæ mansit, sumitur per comestionem : sed comestio significat ambulantes super terram : ergo etiam signatur per hoc quod illi qui jacent in sepulcris, in fine resurgent et ambulabunt super terram : quod falsum est, cum tunc obviam Christo rapientur in nubibus in aera, et sic semper cum Domino futuri sunt, ut dicit Apostolus [1].

Ulterius videtur, quod iste usus fractionis qui hic scribitur, non generaliter observatur ab Ecclesia : quia in religionibus pluribus, scilicet Prædicatorum, Minorum, et Cisterciensium, et multis Ecclesiis sæcularibus nihil relinquitur in

[1] I ad Thessalon. iv, 16 : *Deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera : et sic semper cum Domino erimus.*

fine missæ : ergo videtur, quod nulla pars in sacramento illorum significet jacentes in sepulcris : et sic non est generale quod dicitur hic.

Si forte dicatur, quod loquitur Sergius Papa secundum consuetudinem primitivæ Ecclesiæ, in qua subdiaconus et diaconus reliquias sacræ partitionis in fine missæ post communionem remanentes consumebant : hoc nihil est : quia hoc non fiebat in hostia per tria divisa : nec hoc fiebat omni die, sed tempore communionis populi : nec tunc semper, sed quando aliquid mansit de reliquiis : hic autem Papa generaliter loquitur de partium significatione.

Solutio. Solutio. Dicendum videtur, quod Papa loquitur hic de congruentissima significatione fractionis et partium : et non de quacumque significatione minus congrua : et loquitur tantum secundum ritum qui in Ecclesia Romana consuevit observari pro tempore. Uuniversaliter enim corpus Christi in tria dividitur, licet non universaliter una partium usque in finem missæ observetur : quia propter periculum partium decidentium de sacramento, a quibusdam ambæ partes simul sumuntur, et deinde etiam pars in calicem missa : et hoc non ut contrarium significare velint quam Papa dicit, sed potius periculum cavere, idem signari intelligentes, quod ille fideliter expressit.

Ad 1. Dicendum ergo ad primum, quod omnis pars aliquo modo significat incorporatos Christo qui soli communicant : quia (ut dicit Ambrosius) spiritualiter communicat, qui innocentiam secum ad altare portat : cum autem illi qui solo numero de Ecclesia sunt, spiritualiter non communicent, per nullam partem significantur : licet pro eis in redemptionem et expiationem offeratur : non enim omnes illi de partibus corporis sunt vel significantur, pro quibus offertur, sed illi qui sunt in corpore mystico per partes sacramenti veri corporis significantur.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod illa divisio non est prima quæ significatur in Ezechiele, xiv, 4 et seq., per Noe, Daniel, et Job : sed potius est divisio unius partis, scilicet illius quæ ambulat super terram : et ideo illa præsupponit istam : quia corporis Christi mystici alia pars est in gloria, et alia exspectat secura in sepulcro, et tertia pugnat in merito : et illa quæ pugnat in merito, triformis est, sicut significatur in Ezechiele.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod partes non significant virtutem passionis, sed potius partes corporis Christi quæ sibi spiritualiter unitæ sunt : et ideo regnantes in gloria, cum præcipue uniti sint Christo, debent in sacramenti partibus significari. Alia etiam ratio hujus est : quia hoc sacramentum non fit pro impetranda venia, sed etiam ut laudes per ipsum Deo reddantur pro liberatione jam facta : et hoc modo possunt fieri pro beatis significationes in partitione sacramenti.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod Christus non esset mortuus, si non esset peccatum : non tamen sequitur, quod liberatus non habens peccatum non debeat habere memoriam mortis liberantis ut gratias agat, et laudet redemptorem : et hoc significatur in fractione corporis Christi.

Ad 5 et 6. Ad aliud dicendum, quod non est idem offerre pro beatis et pro illis qui sunt in sepulcro : quia cum triplex sit resurrectio, sicut infra ostendetur [1], scilicet resurrectio a culpa per gratiam, quæ fit hic : et resurrectio animæ a pœna, quæ fit per gloriam : et resurrectio corporis a putredine et corruptione, quæ fit in futuro : intelliguntur hic jam resurrexisse, qui media resurrectione resurrexerunt : in sepulcro autem jacere, qui adhuc torquentur in purgatorio quod usque in finem mundi durabit.

Per hoc patet solutio ad sequens.

Ad 7. Ad hoc autem quod objicitur, quod

[1] Cf. Infra, Dist. XLIII. Tom. XXX hujusce novæ editionis.

generaliter videtur intelligere jacentes in sepulcro, dicendum quod ideo loquitur generaliter : quia talis vicissitudo morientium et purgandorum et evolantium usque ad finem mundi durabit : unde illi qui sunt in purgatorio jacent, quia neutram stolam adhuc adepti sunt in anima, jam stant aliqualiter in resurrectione, quia a culpa et etiam a pœna in anima resurrexerunt.

Ad quæst. 1. Ad aliud dicendum, quod non attenditur in hoc sacramento, quod calix significat passionem : sed cum duplex sit Eucharistiæ perceptio : una est cum labore masticationis, et alia sine labore, sed cum suavitate potus habet sapientiam : hic sumitur in specie sacramenti quasi sub cortice alieno quem masticari oportet : in futuro autem sumitur in gustu sapientiæ salutaris sine resistentia, ut potus, et hoc significatur per partem in calicem missam. Unde nihil prohibet uno multa significari secundum diversas proprietates : ut si calix per se significet passionem, in quantum tamen habet potum, significat statum in gloria.

Ad quæst. 2. Ad aliud dicendum, quod illa pars quæ jam resurrexit, est illa quæ adepta est stolam animæ, ut patet ex prædictis, vel stolam corporis et animæ, si aliqui sunt qui cum Domino jam sunt in patria : quod ego credo quidem esse verissimum de beata Virgine, et aliis qui cum Domino surrexerunt.

Ad quæst. 3. Ad aliud dicendum, quod pars comesta significat ambulantes super terram, non ex ea proprietate qua comestio est incorporatio, sed ex illa qua comestio est restauratio deperditi et confirmatio debilitati per famem : spiritualis enim gratiæ fervor per calorem concupiscentiæ deperditur, et homo spiritualis debilitatur : propter quod inductus est usus comedendi : et ideo nihil valet objectio facta de unione et incorporatione.

Ad aliud dicendum, quod illa quæ remanet jacens, congruissime significat jacentes in sepulcro : et ideo relinquitur jacens super patenam, quæ significat pressuram lapidis claudentis sepulcrum : et ideo significat pœnam quæ sequitur mortem in purgatorio. Alii enim non sunt in sepulcro Domino nisi qui ad locum purgandorum bonorum descendunt. Quod autem in fine comeditur, non fit ad hoc ut significetur, quod iterum debent ambulare super terram, sed quod per oblationem puniti in purgatorio accipiunt confortationem sicut per cibum : et non oportet, quod omnes proprietates in significando aliquid secundum rem mysticam attendantur : quia et hæc eadem res habet multas proprietates, et potest multa significare secundum modum in sacra Scriptura. Ad

Ad aliud dicendum, quod non oportet, quod iste usus generaliter observetur : quia non omnium est cautela qua sciant sibi cavere ne aliquid decidat de sacramenti partitione : sed bene puto, quod quando solemnes primo celebrant, ut Papa, vel aliqui qui loco capitum generalium sunt in Ecclesia, quod tunc debet observari : ut per personas quæ generaliter præsident Ecclesiæ, totus status partium Ecclesiæ significetur. Ad

Ad hoc autem quod ultimo objicitur, bene concedo quod hoc non intellexit Sergius Papa, talem significationem partibus attribuendo.

ARTICULUS XV.

An communio et fractio hostiæ sint signum ejusdem vel diversorum ? et, Quid significet quælibet ?

Deinde quæritur de hoc quod dicitur, ibi, E, § 2 : *Et sicut partes illæ mysti-*

cam tenent significationem, ita etiam et fractio, etc. »

1. Videtur enim non hoc, sed aliud dici signari a beato Dionysio in libro de *Ecclesiastica hierarchia*, cap. de *theoria sanctæ synaxeos*, ita dicente : « Divinissima autem et unius et ejusdem panis communio et pacifica traditio similem conversationem eis divinam tamquam similiter edentibus promulgat, et ad divinissimam cœnam et principale symbolum perfectorum in memoriam sacram ducit. » Ergo videtur, quod non significet passionem ut hic : quia beatus Dionysius inter signata communionis, nullam fecit mentionem de passione.

2. Item, In *Cœlesti hierarchia* dicit, quod Jesu divinæ participationis imago, est divinissimæ Eucharistiæ assumptio [1] : ergo cum hæc participatio sit futura in beatitudine, non videtur quod hoc signum dici debeat passionis.

3. Si forte tu dicas, quod fractio significat aliud quam communio : quoniam fractio significat passionem : communio autem communionem, et cœnam Domini, et alia quæ dicit Dionysius. Contra hoc videtur esse, quod fractio non refertur ad corpus, ut prius dictum est, sed ad speciem in sacramento : ergo non debet significare panem in quo corpus Christi frangebatur, sed aliquid aliud.

lutio. Solutio. Dicendum sicut tactum est, quod communio ipsa alterius signum est, et alterius ipsa fractio : quia fractio sufficit ad communionem : unde dicitur, Luc. xxii, 19 : *Fregit, et dedit eis*, scilicet discipulis suis. Unde fractio significat passionem, communio autem unionem charitatis ad proximum et ad Deum. Unde Augustinus dicit in libro *Sententiarum Prosperi* : « Dum frangitur hostia, dum sanguis de calice in ora fidelium funditur, quid aliud quam Dominici corporis in cruce immolatio ejusque sanguinis effusio de latere designatur ? »

Dicendum ergo ad primum, quod illa verba Dionysii dicunt signata communionis, quam communionem per gratiam unionis efficit sacramentum : hæc autem communio consistit in conversatione simili ad Christum cui incorporantur, et memoriam cœnæ in qua incorporantur et confortantur, et memoriam communionis charitatis Christi in quam primi perfecte congregati et uniti sunt, et adhuc congregatur et unitur Ecclesia. Ad 1.

Ad id autem quod objicitur de *Cœlesti hierarchia*, dicendum quod ipse ibi loquitur de signato communionis secundum rationem anagogicam : et hoc verum est, quia significat per hanc perceptionem in sacramento, perceptionem rerum in veritate futuram in beatitudine : sed hoc non importatur in fractione proprie loquendo. Ad 2.

Ad ultimum autem dicendum, quod licet fractio non sit in corpore Christi, eo quod illud frangi non potest, repræsentat tamen fractio in specie illud quod fuit in corpore Christi : et hoc non est inconveniens : quia etiam tunc mortale et passibile fractum est, quale nunc non est : et illa fractio per aliquid quod est circa corpus, designatur. Ad 3.

ARTICULUS XVI.

An aliquis existens in peccato mortali, potest accedere ad communionem, et accipere corpus Christi ?

Deinde quæritur de hoc quod dicitur, ibi, E, § 3 : « *Sed caveat quisque ne indigne percipiat*, etc. »

Infra enim statim dicet, quod « indignus est, qui habens mortale peccatum accedit. »

Unde quæruntur hic tria, quorum pri-

[1] S. Dionysius, Lib. de Cœlesti hierarchia, cap. 4.

mum est, an aliquis potest accedere cum peccato mortali existens ?

Secundo, Utrum sacerdos potest repellere aliquem in peccato mortali existentem ?

Tertio, An habens mortale peccatum, potest videre corpus Christi ?

Ad primum proceditur sic :

1. Ambrosius dicit : « Si desit fides et charitas, judicium sibi manducat et bibit : » sed ei qui est in mortali peccato, deest fides et charitas : ergo judicium sibi manducat et bibit.

2. Item, Augustinus : « Sicut Judas cui buccellam tradidit Christus, non malum accipiendo, sed bonum male accipiendo, locum præbuit diabolo : sic indigne quis sumens corpus Christi, non efficit, ut quia malus est, malum sit : aut quia non ad salutem accipit, nihil accipiat. » Ex his accipitur, quod talis non accipit ad salutem, sed accipiendo locum dat diabolo : ergo non debet accipere.

3. Item, Minus videtur quod ingerens se sanctis officiis, et inducens se sacramentis vestibus, vel prædicans indignus, peccet mortaliter, quam si indignus accipiat corpus Domini : sed ille qui prædicat indignus, vel induitur sacris vestibus, vel suscipit ordines indignus, peccat mortaliter, ut dicunt Magistri : ergo multo magis et iste.

Sed contra.

Sed contra :

1. Eccle. ix, 1, dicitur : *Nescit homo utrum amore vel odio dignus sit* : ergo nemo scit an habeat charitatem an non : ergo omnes dubitant utrum habeant charitatem : ergo omnes dubitant, utrum sint digni, an indigni : ergo etiam dubitant per consequens, utrum mortaliter peccent accipiendo, vel non : sed regula est in sacra Scriptura, quod qui facit de quo dubitat utrum sit mortale peccatum an non, peccat mortaliter : ergo omnis homo accedens ad corpus Domini, peccat mortaliter, quod est valde horribile dicere.

2. Item, Dignus dicitur vita æterna, qui facit aliquid unde juste debetur ei vita æterna : ergo digne accedit ad corpus Christi, qui facit aliquid unde juste debetur ei corpus Domini : ergo aliquo humano opere ponderari potest corpus Domini : quod falsissimum est, quia dignius est toto mundo et infinitis mundis si essent : ergo nullus accedit dignus : ergo omnis homo accedens peccat mortaliter.

Solutio. Dicendum, quod dignus aliquis dicitur dupliciter, scilicet per æquivalentiam : et hoc modo nullus est dignus vita æterna, nec etiam corpore Domini. Secundo modo dicitur dignus per æstimationem : et hoc dupliciter adhuc, scilicet æstimatione rei, et sic nullus dignus est : vel æstimatione æstimantis per bonitatem suam propter valorem nostrum ex parte nostrorum operum : sicut dicitur in epistola ad Titum, iii, 5 : *Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit :* et sic sumus digni vita æterna, et digni communione corporis et sanguinis Domini : quia dignos nos æstimat, quando sumus sine mortali peccato secundum nostram conscientiam : indigni autem quando conscientia accusante sumus in mortali peccato.

Ad primum ergo quod objicitur contra hoc, dicendum quod nemo scit utrum sit dignus scientia certa : sed scientia præsumptionis multi sciunt : et hoc sufficit : quia delicta nullus intelligit [1]. Unde etiam Augustinus dicit, quod peccatum de quo quis non recordatur, et tamen paratus est confiteri et satisfacere, si recoleret, aut Deus misericorditer indulget, aut ut pius pater revelat. Et ideo talis dignus reputatur.

Ad aliud patet solutio per distinctionem prius positam.

[1] Psal. xviii, 13 : *Delicta quis intelligit ?*

ARTICULUS XVII.

An sacerdos debeat repellere aliquem in mortali peccato existentem ?

Deinde quæritur, An sacerdos debet repellere aliquem in mortali peccato existentem ?

Videtur autem quod non : quia

1. Dicit Augustinus in libro IV de *Trinitate :* « Non prohibeat dispensator pingues terræ mensam Domini manducare, sed exactorem moneat timere. » Pingues autem terræ, sicut dicit Glossa super illud Psalmi XXI, 30 : *Manducaverunt et adoraverunt omnes pingues terræ*, sunt peccatores indigni : ergo tales a sacerdote qui dispensator est, non sunt prohibendi.

2. Item, In decreto [1] exponitur ab Augustino illud, *Si peccaverit in te frater tuus*, etc. [2]. Dicit ibi Augustinus, *in te*, id est, te solo sciente. « Si ergo peccaverit in te : et vis eum coram hominibus arguere, non es corrector hominis, sed proditor criminis. » Ergo a simili si sacerdos sciat solus hunc esse indignum, si repellit ipsum a communione, non est corrector, sed proditor : ergo non debet eum repellere.

3. Item, Ex hoc accideret maximum scandalum : quia sacerdos malus cuilibet posset hoc modo imponere maculam, et repellere a communione : cum igitur hoc non debeat fieri, videtur quod sacerdos nullum debeat repellere.

4. Item, Dominus non repulit Judam, licet moneret eum ut caveret sibi : ergo cum sua actio, nostra est instructio, sacerdos non debet repellere aliquem, ut videtur.

5. Item, Sacerdos non est dominus sacramentorum, sed dispensator : sed sacramenta sunt concessa ad usum subditorum : ergo videtur, quod cum unicuique sit dandum quod suum est, quod ipse nullo digno vel indigno debet denegare : ergo nullum debet repellere.

SED CONTRA : Sed contra.

1. Furioso non est dandus gladius in tempore furiæ, quia seipsum interficeret : ergo cum pejor sit interfectio in anima, non est dandum alicui quantumcumque petat, unde seipsum interficeret in anima : sed indigne accipiens corpus Domini, interficit seipsum, accipiendo : ergo non est dandum a sacerdote : ergo est repellendus.

2. Item, Aristoteles in V *Ethicorum* dicit, quod justum legale minus valet, quam justum per naturam : quia justum per naturam considerat quid, cui, quando reddendum : sed legale dicit semper esse reddendum quod suum est. Unde legale præcipit reddi alteri quod suum est quandocumque petit : justum autem per se non reddit, nisi quando ad utilitatem provenire potest : et ideo habens depositum, non reddit petenti, vicinis latronibus qui spoliarent : ergo videtur a simili et hic, licet lex divina præcipiat, quod sacramenta sint danda omnibus, tamen justus sacerdos non debet dare, nisi det ad salutem : sed indignus non sumit ad salutem : ergo sibi dari non debet : et ideo repellendus.

3. Item, Lex divina etiam præcipit ut non fiat. Matth. VII, 6 : *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos :* canes autem et porci sunt peccatores : ergo talibus non est dandum : ergo repellendi sunt.

4. Item, Quod tibi non vis fieri, numquam facias alicui [3] : sed sacerdos si es-

[1] Causa 2, quæst. 1 (ex textu).

[2] Matth. XVIII, 15. Cf. Levit. XIX, 17; Eccli. XIX, 13 ; Luc. XVII, 3.

[3] Tob. IV, 16 : *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias.*

set indignus, deberet nolle sibi dari corpus Domini : ergo non debet dare alteri : ergo repellere debet indignum.

5. Item, Projiciens corpus Domini in latrinam vel in lutum, peccat mortaliter : sed peccator luto vilior est : ergo dans peccatori magis peccat, quam projiciens in lutum : ergo peccator est repellendus.

6. Item, Cyprianus Episcopus ita scripsit Ebraico Episcopo : « Pro dilectione tua consulendum me existimasti, frater charissime, quid videatur mihi de histrione et mago illo qui apud nos constitutus, adhuc in artis suæ dedecore perseverat, et magister et doctor, non erudiendorum, sed perdendorum puerorum, id quod male didicit, cæteris quoque insinuat : an talibus sacra communio cum cæteris Christianis debeat dari, aut nobiscum debeant communicare? puto nec majestati divinæ, nec Evangelicæ disciplinæ congruere, ut pudor et honor Ecclesiæ tam turpi et infami contagione fœdetur. » Ergo a simili aliqui repellendi esse videntur.

7. Item, Ex consilio Carthaginensi : « Scenicis atque histrionibus, cæterisque hujusmodi personis, vel apostatis, conversis vel reversis ad Deum, gratia vel reconciliatio non negetur. » Ergo a contrario sensu, si non revertuntur, neque convertuntur tales ad Deum, reconciliatio debet eis negari : ergo debent repelli.

Solutio. Solutio. Dicendum, quod peccator duplex est, scilicet notorius, et occultus : occultus non debet repelli, notorius autem perseverans in peccato debet repelli. Est autem notorius duplex, scilicet per convictionem testium in judicio, sicut adulter convictus et non pœnitens : et notorius per turpe officium vel artem vel contubernium quod exercet, sicut usurarii et publicani per exercitium et officium publicum : et per artem histrio, et magus : et per contubernium turpe, sicut meretrix : tales enim repellendi sunt nisi pœnitentia publica prius prioribus actibus renuntiantes satisfaciant. Alii autem non sunt repellendi, ne prodantur, et ne populus scandalizetur qui ignorat peccata eorum.

Ad primum ergo dicendum, quod non est simile de peccatore, et furioso : quia furiosus non videt periculum suum, et ideo nihil habet retrahens ab interfectione sui, quando habet gladium : sed peccator usum habet rationis, et videt suum periculum, et potest retrahi si vult. Ad objecti

Ad aliud dicendum, quod per se justum cavet proximo de periculo ex parte alterius, sed de periculo malæ voluntatis non cavet : et ideo vir justus restituit alteri quod suum est, etiam quando scit, quod male expendit, licet non daret quando est inter latrones qui possunt auferre : et ita se habet sacerdos justus ad peccatorem postulantem corpus Domini. Ad objecti

Ad aliud dicendum, quod lex divina præcipit, quod sacerdos non det, et sacerdos non dat, sed ille rapit de manibus ejus : præcipue cum sacerdos non sit nisi dispensator. Vel dicatur, quod vis est in eo quod dicit, *Nolite*, id est, non velitis : etsi quandoque aliud oporteat fieri propter necessitatem scandali : sicut dicitur, Jacobi, v, 12 : *Ante omnia, fratres mei, nolite jurare* : tamen quandoque jurare necesse est propter malitiam incredulitatis. Ad objecti

Ad aliud dicendum, quod hæc est falsa, quod sacerdos deberet velle in casu, quod sibi non daretur : imo deberet velle, quod sibi daretur, sed non deberet velle se accipere si daretur : quia dare justum est, accipere autem injustum. Ad objecti

Ad aliud dicendum, quod non est simile : quia latrina et lutum impossibilitatem habent munditiæ ad recipiendum corpus Domini : sed non sic peccator qui in momento potest conteri et effici dignus : et ideo non debet negare : quia posset nocere multum si subtraheret peccatori pœnitenti, et peccator potest converti in momento. Ad objecti

Ad object. 6 et 7. Ad aliud et ultimum patet solutio per distinctionem in fine istius solutionis positam.

ARTICULUS XVIII.

An habenti peccatum mortale liceat videre corpus Christi, et quomodo?

Tertio quæritur, Utrum liceat videre corpus Christi habenti mortale peccatum?

Videtur enim, quod non : quia

1. Luc. XVIII, 13, laudatur publicanus qui *nolebat nec oculos ad cælum levare:* ergo multo minus peccator est dignus videre corpus Domini, quod melius et dignius est cœlo.

2. Item, II Paralip. dixit Manasses in *Oratione* sua : *Non sum dignus intueri et adspicere altitudinem cæli, præter multitudineum iniquitatum mearum:* ergo multo minus peccator dignus erit videre corpus Domini.

3. Item, I Reg. VI, 13 et seq., Bethsamitæ percussi sunt, quia viderunt arcam Domini, quæ tantum figura fuit corporis Domini : ergo multo magis peccator percutietur, indigne respiciens corpus Dominicum.

4. Item, II Reg. VI, 6 et 7, Oza percussus est, eo quod extendit manum ut teneret arcam, cum tamen calcitrassent boves trahentes illam. Ex hoc videtur, quod etiamsi periclitaretur per casum vel aliquid aliud corpus Domini, quod peccatori non liceret tangere, nec videre.

Sed contra. Sed contra :

1. Sæpe videmus, quod ostensio boni provocat ab bonum : ergo videtur, quod non debeant prohiberi videre peccatores.

2. Item, Videmus quod universalis usus Ecclesiæ habet, quod facta consecratione, elevatur hostia, a populo videnda et adoranda : cum tamen constat probabiliter celebranti, quod multi existentes in mortalibus peccatis assistant in Ecclesia : constat autem, quod universalis Ecclesia nihil agit periculosum : non ergo periculosum est videre, sed salubre, ut videtur.

Solutio. Solutio. Dicendum videtur, quod videri potest, et debet : sed non multiplicari respectus propter humilitatem : sed potius viso corpore percutiendo pectus in pœnitentia recogitet, quod non sit dignus, quod in conspectu et visu frequenti remaneat tantæ sanctitatis.

Ad 1 et 2. Dicendum igitur ad auctoritates duas quæ primo inducuntur, quod laudatur humilitas in illis : et illa laudatur in isto in hoc quod respectum non multiplicat : sed tamen propter admonitionem mortis Christi quæ petras scindit, et ex illis suscitat filios Abrahæ, bonum est videre memoriale mortis. Unde non est simile de cœlo, eo quod tale non est memoriale ejus, quod tam efficaciter convertit peccatores.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod Bethsamitæ percussi sunt qui nudam arcam viderunt, quam videre non debuerunt nisi involutam, sicut dicitur, Numer. IV, 6 : unde etiam in *Littera* innuitur, quod curiositate multi potius respiciebant arcam, quam vocarent sacerdotes qui involverent eam. Hic autem corpus Domini involutum est specie panis et vini : et ideo videri potest.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod ut communiter dicitur, Oza percussus est propter duo : unum, quia pollutus in nocte cum uxore, præsumpsit in mane propior accedere ad currum, et tenere eum volens propior inter cæteros accedere, debuit se digne præparare : vel quando noluit se præparare, debuit dimittere, et alium propius accedere, qui dignior esset. Alia causa erat : quia cum esset Levita, debuit portare arcam propriis humeris, sed ipse permisit eam boves trahere, et ideo percussus est.

ARTICULUS XIX.

An ille qui aliter celebrat quam institutum est a Christo, peccet mortaliter?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, E, § 3 : » *Indignus est, qui aliter celebrat mysterium quam Christus tradidit*, etc. »

Quæritur enim, Quis sit ille? Potest enim multipliciter aliter celebrari, aut ex parte materiæ, aut ex parte formæ. Ex parte materiæ : sicut Græci qui conficiunt in fermentato, cum Dominus consecravit in azymo : vel qui non miscet vino aquam.

Videtur ergo, quod omnis talis peccat mortaliter : vel dicatur, quis sit ille qui aliter celebrat.

Solutio. Solutio. Dicendum, quod omnia illa consideranda sunt circa materiam et formam, et modum missæ et canonis : quæ supra determinata sunt : et aliter celebrans ex contemptu, peccat mortaliter, et adeo indignus est, quod gradus sui periculo debet subjacere.

Cum quosdam errores contra celebrationem sacramenti Julius Papa tangat scribens (et ponitur in decreto de consecratione, distinct. II, cap. *Cum omne crimen*) sic dicens : « Audivimus quosdam schismatica ambitione detentos, contra divinos ordines et Apostolicas institutiones, lac pro vino in divinis sacrificiis dedicare : alios quoque intinctam Eucharistiam populis pro complemento communionis porrigere : quosdam etiam expressum vinum in sacramento Dominici calicis offerre : alios vero pannum lineum musto intinctum per totum annum reservare, et in tempore sacrificii partem ejus aqua lavare, et sic offerre : quod quam sit Evangelicæ atque Apostolicæ doctrinæ contrarium, et consuetudini Ecclesiasticæ adversum, non difficile ab ipso fonte veritatis probabitur, a quo ordinata ipsa sacramentorum mysteria processerunt. »

Quintus error est in celebrandi et sumendi modo, ut parum infra dicetur. Unde Gelasius Papa : « Comperimus, quod quidam, sumpta tantummodo corporis sacri portione, a calice sacrati cruoris abstineant : qui procul dubio (quoniam nescio qua superstitione docentur adstringi) aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur : quia divisio unius ejusdem mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire. »

Alius error tangitur in concilio Toletano XII : « Relatum est nobis quosdam de sacerdotibus non tot vicibus communionis sanctæ gratiam sumere, quot sacrificia in uno die videntur offerre : sed si in uno die plurima offerant sacrificia, omnibus se oblationibus a communione suspendunt : et in sola tantum extremi sacrificii oblatione communionis sanctæ gratiam sumunt, etc. Quare ita certum est, quod hi qui sacrificantes non edunt, rei sunt Dominici sacramenti. Quicumque ergo sacerdotum deinceps divini altaris sacrificium oblaturus accesserit, et se a communione suspenderit, ab ipsa qua se indecenter privavit gratia communionis, anno uno repulsum se noverit. Nam quale erit sacrificium cui nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur? »

Alii etiam sunt modi infiniti : sed isti modi sufficiant quia a sanctis Patribus modo sunt tacti.

ARTICULUS XX.

An existenti in peccato mortali debeat sacerdos dare hostiam consecratam, vel non consecratam?

Deinde quæritur de hoc quod dicit statim post, ibi, E, § 3 : « *Vel qui habens mortale peccatum accedit.* »

Videtur enim cum sacerdos sit medicus, et sacramentum medicina, quod sacerdos tali quantumcumque desideranti dare non debet : ergo repellere debet eum : quod supra improbatum est [1].

Jst. 1. Juxta hoc ulterius quæritur, Utrum tali melius sit dare hostiam non consecratam?

Videtur, quod sic : quia

1. Sic cavetur ei ne sibi noceat indigna sacramenti communicatio.

2. Item, Per hoc removetur scandalum : quia populus forte scandalizari posset de hoc quod non communicat.

contra. Sed contra :

1. II Mach. VI, 18 et seq., nolebat Eleazarus simulare etiam propter vitæ amorem : ergo videtur, quod nec hic simulandum est.

2. Item, Hoc sacramentum est sacramentum veritatis : ergo repugnat omni falsitati : ergo nihil in eo est per falsitatem agendum : sed esset falsitas quædam simulatio talis : ergo non est dandum.

Jst. 2. Ulterius quæritur, Si sacerdos per se non petentibus talibus possit dare panem benedictum, et non Eucharistiam?

Videtur autem quod non,

1. Propter jam habitas rationes.

2. Præterea, Potest in momento compungi : et si compungitur, nocet ei sacerdos subtrahendo cibum salutarem : ergo non debet facere.

3. Item, Nihil prodest per hoc peccatori, quia ille credit se communicare : ergo ita contemnit non communicans, sicut communicans : ergo non debet ei dare nisi hostiam.

Item, Dominus dedit Judæ Eucharistiam : ergo et dispensator ejus debet dare malis.

Solutio. Solutio. Dicendum ad primum, quod non omnino simile est de medico et sacerdote : quia sacerdos adjuvat voluntatem hominis quæ libera est ad hoc quod faciat quod in se est : et tunc Deus non negat gratiam : sed medicus adjuvat naturam quæ subjacet necessitati, et quandoque adjuvari non potest, nec redire potest quando vult : et ideo sacerdos dat quod ille vult, ut sic a morte et verecundia retrahatur voluntas, et convertatur ad Dominum : medicus autem non, quia nocivis non adjuvatur natura, sed potius impeditur.

Ad quæst 1. Ad aliud quod juxta hoc quæritur, dicendum quod tali petenti potest dari hostia non consecrata seorsum quidem posita, non corpori Domini intermixta : tamen non sæpe debet fieri, ut puto, ut magis de peccato suo territus citius revertatur.

Ad object. 1. Ad hoc quod contra objicitur, dicendum quod non est simile de Eleazaro : quia ille rogabatur simulare se comedere illicitum, quod nullus simulare debet : hic autem simulatur licitum, quod etiam præceptum est fieri.

Ad object. 2. Ad aliud dicendum, quod non est falsitas, sed potius cautela mali quod posset ex scandalo multorum esse : nec etiam est simulatio in sacramenti confectione, sed potius in similitudine usus sacramenti.

[1] Cf. Supra, Art. 17 hujusce distinctionis XIII.

Ad quæst. 2. Ad id quod ulterius quæritur, dicendum quod nullo modo debet hoc sacerdos ex seipso facere, sicut probatum est : sed si rogatur, aliquando acquiescere potest, et non sæpe, sicut diximus.

ARTICULUS XXI.

Quare communicaturus specialiter jubetur dimittere debitoribus suis?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, E, § 3 : « *Antequam accedas, dimitte debitoribus tuis*, etc. »

Quare specialiter facit mentionem de isto peccato in communicando : omne enim peccatum facit indignum si est mortale, ut ante dixi : ergo mentionem generaliter facere deberet de omnibus ut dimitteretur ei.

Solutio. Ad hoc videtur dicendum, quod sacrificium quo Christus obtulit seipsum, præcipue fuit propter amorem fraternum. Unde, ad Hebr. II, 14 et 15 : *Quia pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem, ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est, diabolum : et liberaret eos qui timore mortis per totam obnoxii erant servituti.* Et ideo peccatum odii fratrum maxime contrariatur communioni. I ad Corinth. XI, 18 : *Primum quidem*, id est, præcipuum malum, *convenientibus vobis in Ecclesiam, audio scissuras esse inter vos*, etc.

ARTICULUS XXII.

An Magister bene dicat, quod spiritualiter manducat qui innocentiam ad altare portat?

Deinde quæritur de hoc quod dici, ibi, E, § 3, in fine : « *Spiritualiter manducat, qui innocentiam ad altare portat.* »

Secundum hoc enim videtur, quod pauci manducent spiritualiter : quia pauci sunt innocentes, qui non peccaverunt.

Solutio. Dicendum quod intelligitur de innocentia quantum ad immunitatem culpæ mortalis, et non de innocentia baptismi : homo enim per pœnitentiam potest esse immunis a culpa : et sic sumitur innocentia a beato Gregorio in quadam quadragesimali Collecta : « Deus innocentiæ restitutor et amator, quem nosse vivere, et cui servire regnare est, etc. »

F. *Si illud sit sacrificium, etsi sæpius immoletur Christus ?*

Post hæc quæritur, Si quod gerit sacerdos, proprie dicatur sacrificium vel immolatio : et si Christus quotidie immoletur, vel semel tantum immolatus sit ? Ad hoc breviter dici potest, illud quod offertur et consecratur a sacerdote vocari *sacrificium* et *oblationem* : quia memoria

est et repræsentatio veri sacrificii et sanctæ immolationis factæ in ara crucis. Et semel Christus mortuus in cruce est, ibique immolatus est in semetipso [1]. Quotidie autem immolatur in sacramento, quia in sacramento recordatio fit illius quod factum est semel. Unde Augustinus [2]: Certum habemus quia *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur*, etc. [3], tamen ne obliviscamur quod semel factum est, in memoria nostra omni anno fit, scilicet quoties pascha celebratur. Numquid toties Christus occiditur? sed tantum anniversaria recordatio repræsentat quod olim factum est: et sic nos facit moveri, tanquam videamus Dominum in cruce. Item, Semel immolatus Christus in semetipso, et tamen quotidie immolatur in sacramento [4]. Quod sic intelligendum, quia in manifestatione corporis et distinctione membrorum semel tantum in cruce pependit, offerens se Deo patri hostiam redemptionis efficacem, eorum scilicet quos prædestinavit. Item, Ambrosius: In Christo semel oblata est hostia ad salutem potens: quid ergo nos? Nonne per singulos dies offerimus? Et si quotidie offeramus, ad recordationem ejus mortis fit: et una est hostia, non multæ. Quomodo una, et non multæ? quia semel immolatus est Christus. Hoc autem sacrificium exemplum est illius: idipsum, et semper idipsum offertur: proinde hoc idem est sacrificium, alioquin dicetur, quoniam in multis locis offertur, multi sunt Christi: non, sed unus ubique est Christus: et hic plenus existens, et illic plenus: sicut quod ubique offertur, unum est corpus, ita et unum sacrificium. Christus hostiam obtulit: ipsam offerimus et nunc: sed quod nos agimus, recordatio est sacrificii. Nec causa suæ infirmitatis repetitur, quia perficit hominem: sed nostræ, quia quotidie peccamus [5]. Ex his colligitur esse sacrificium et dici, quod agitur in altari: et Christum semel oblatum, et quotidie offerri: sed aliter tunc, aliter nunc. Et etiam quæ sit virtus hujus sacramenti ostenditur: remisso scilicet peccatorum venialium, et perfectio virtutis.

[1] Ad Hebr. VII, 27 : *Hoc fecit semel*, scilicet Christus, *seipsum offerendo*.
[2] S. AUGUSTINUS, Super Psal. XX. Et habetur de consec. dist. II, cap. *Semel* (Nota edit. Lugd.)
[3] Ad Roman. VI, 9.
[4] IDEM, In libro Sententiarum Prosperi. Et habetur de consec. dist. II, cap. *Semel immolatus* (Nota edit. Lugd.)
[5] S. AMBROSIUS, Super Epistolam ad Hebræos. Et allegatur de consec. dist. II, cap. *In Christo* (Nota edit. Lugd.)

DIVISIO TEXTUS.

« *Post hæc quæritur, Si quod gerit sacerdos, proprie dicatur sacrificium vel immolatio ?* »

Hæc est ultima pars hujus tractatus de Eucharistia, in qua agitur de ipsa ex parte consecrantis eam : et hoc est ex parte causæ efficientis vel quasi efficientis.

Et dividitur in duas partes : in quarum prima agitur de actu sacerdotis quem facit in conficiendo. In secunda, agitur de his quæ hoc sacramentum requirit in consecrando, sicut ordinem, et vitam, et intentionem : et incipit ibi, H, « *Solet autem quæri, Utrum pravi sacerdotes,* etc. »

Adhuc autem prima habet quæstiones quatuor, quarum tamen duæ simul tanguntur et determinantur in libro, scilicet quo nomine vocetur actus sacerdotis, et utrum Christus semel vel sæpius immoletur ? et de solutione harum est capitulum primum.

Secunda quæstio est de institutione hujus sacramenti : et de hoc est capitulum secundum, quod ibi incipit ibi, G, § 1 : « *Institutum est enim hoc sacramentum,* etc. »

Tertio quæstio est, Utrum quotidie vel raro celebrandum et communicandum sit ? et de hoc est tertium capitulum quod incipit ibi, G, § 2 : « *Si autem quæratur, Utrum quotidie communicandum sit,* etc. »

ARTICULUS XXIII.

An Christus immolatur in omni sacrificio ?

Incidit autem quæstio circa primum.

Videtur, quod non dicatur Christus quotidie sacrificari et immolari propter repræsentationem præteritorum :

1. Eadem enim ratio est de crucifixione et morte, quæ est de sacrificio et immolatione : ergo si dicatur immolari, quia fit repræsentatio immolationis factæ, dicetur crucifigi et tradi, quia fit repræsentatio crucifixionis et occisionis factæ : quod falsum est.

2. Item, Non sequitur, istius occisio repræsentatur : ergo iste occiditur : ergo nec hic sequi videtur, immolatio vel sacrificium repræsentatur : ergo immolatur vel occiditur.

3. Item, Videtur quod fieri hoc non debeat : quia hoc quod est occasio hæresis, ab Ecclesia fieri non debet : sed repræsentatio mortis significat mortalem, cum tamen dicat Apostolus, quia Christus resurrexit a mortuis, et jam non moritur [1] : ergo fieri non debet.

4. Item, In sacramento nulli facienda est injuria : sed Christus semel oblatus, hominum peccata tulit sufficienter, prout dicit Apostolus [2] : ergo injuria fit ei si tota die offertur pro peccatis.

Ulterius quæritur, Quare dicatur *immolatio* vel *sacrificium ?*

Ad hoc dicendum, quod Christus omni die verissime immolatur, cum sacrificium offertur Deo Patri : immolatio enim dicit actum oblationis ex parte rei obla

[1] Ad Roman. VI, 9 : *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur,* etc.

[2] Ad Hebr. IX, 27 : *Christus semel oblatus est a multorum exhatienda peccata.*

tæ, et sacrificium dicit eumdem actum ex parte effectus : unde cum ex parte rei oblatæ semper maneat oblatio pro nobis oblata et offerenda, semper immolamus et semper sacrificamus. Non est autem ita de crucifixione : hæc enim dicit non actum rei oblatæ, sed potius actum iniquum Judæorum vel passionem, prout est ab eis illata : sic autem non fuit iteranda : et ideo non est simile. Et per hoc patet solutio ad primum.

Ad 2.

Ad aliud dicendum, quod immolatio nostra non tantum est repræsentatio, sed immolatio vera, id est, rei immolatæ oblatio per manus sacerdorum : unde duo dicit, scilicet rem occisam, et oblationem : quia immolatio proprie est oblatio occisi ad cultum Dei : et quoad oblationem non est repræsentatio tantum, sed verus actus offerendi. Sic autem non est de occisione et crucifixione.

Ad 3.

Ad aliud dicendum, quod non est hic occasio hæresis : sed esset si notaretur iterari occisio : et hoc dictum est quia non notatur.

Ad 4.

Ad aliud dicendum, quod non fit injuria : quia eadem res semper offertur, et sub uno effectu : sed si quæreretur alia res ad occisionem et redemptionem, tunc morti Christi fieret injuria.

Id quæst.

Ad ultimum dicendum, quod nomen ipsum quod est *immolatio*, dicitur ab instrumentis, ubi occidebatur pecus quod offerebatur : occidebatur enim super magnum lapidem ad modum molaris rotundum, et partes occisi super eum ponebantur : et loco illius modo utimur altari : sed secundum significationem propriam sonat actum oblationis ex parte rei oblatæ et occisæ : sacrificatio autem seu *sacrificium* dicit eumdem ex parte effectus.

Quæs

Soluti Ad I

ARTICULUS XXIV.

An Christus quotidie immoletur in sacramento ?

Deinde quæritur de hoc quod dicitur, ibi, F, post principium : « *Quotidie autem immolatur in sacramento*, etc. »

Instantia enim hujus videtur esse in Parasceve : quia tunc non consecratur.

Ulterius quæritur, quare illo die non consecratur ? Quæst. 1.

Ulterius adhuc quæritur, Quare sanguis a die cœnæ usque in diem Parasceves non reservatur, sicut corpus ? Quæst. 2.

Solutio. Dicendum, quod quotidie immolatur, licet non quotidie conficiatur : quia etiam in Parasceve immolatio fit absque consecratione. Solutio.

Ad aliud dicendum, quod instituit Ecclesia, quia illo die Christus vere seipsum obtulit in cruce : et ideo noluit Ecclesia ut immolaretur in sacramento, ut populus circa veram oblationem, ablata sacramentali quæ sub velamine est, magis afficeretur. Ad quæst. 1.

Ad aliud dicendum, quod nulla causa est quam quidam dicunt, quod hostiæ consecratæ intinctione vinum in Parasceve convertatur in sanguinem : quia secundum hoc alicui sacerdoti intingenti corpus Christi in vino, et postea sumenti utrumque, scilicet corpus et vinum, iterum eodem die liceret celebrare : quod falsum est, cum sit pransus. Ad quæst. 2.

Item, Vinum non fit sacramentum nisi accedente verbo : si autem verum esset quod isti dicunt, efficeretur sacramentum sine forma sacramenti. Unde di-

cendum, quod sanguis non reservatur propter periculum effusionis, quia effundi posset : et iterum quia non potest reponi de vase in vas nisi aliquid adhæreat vasi de humore : et ideo Ecclesia statuit non reservandum esse.

Deinde notandum est circa hoc quod dicit, ibi, F, sub medio : « *Quoties pascha celebratur,* etc., » quod pascha dicitur multipliciter.

Quandoque enim dicitur *panes azymi*, qui tunc comedebantur. Joan. XVIII, 28 : *Ipsi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent pascha.*

Item, Dicitur Christus immolatus. I ad Corinth. V, 7 : *Etenim pascha nostrum immolatus est Christus.*

Item, Agnus paschalis qui tunc comedebatur. Matth. XXVI, 17 : *Ubi vis paremus tibi comedere Pascha ?*

Item, Tempus illud quando celebratur. Joan. XIII, 1 : *Ante diem festum Paschæ*, etc.

Item, Cœna quam comedebant in vespera. Matth. XXVI, 2 : *Scitis quia post biduum Pascha fiet.* Unde versus :

Est azymum pascha, Jesus, agnus, vespera, cœna.

Deinde notandum est super hoc quod dicit, ibi, F, post medium : *Nonne per singulos dies offerimus*, etc. »

Innocentius enim dicit, quod quinque de causis hæc fit immolatio.

Prima est, quia quotidie peccamus : et ideo oportet paratam esse medicinam : et hæc tangitur in *Littera.*

Secunda est, ut lignum vitæ semper sit in medio paradisi.

Tertia est, ut nobis uniatur Christus sacramentaliter, et nos ei spiritualiter. Et hanc tangit Hilarius in libro VIII de *Trinitate* sic dicens : « Cur gradum quemdam atque ordinem consummandæ veritatis exposuit, nisi ut ille in Patre per naturam divinitatis, nos e contra in eo per corporalem nativitatem ejus : et ille rursus in nobis per sacramentorum mysterium crederetur : ac si perfecta mediatoris unitas doceret, ut nobis in se manentibus ipse maneret in Patre, et in Patre manens maneret in nobis : et ita ad unitatem perficiendam cum qua in eo naturaliter per nativitatem inest, nos quoque natura in eo inessemus, ipso Christo naturaliter in nobis permanente. Quod autem in nobis naturaliter hæc unitas sit, ipse ita testatus est, dicens : *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo* [1]. »

Quarta causa, est ut habeamus memoriam passionis : et hæc tangitur, I ad Corinth. XI, 24 : *Hoc facite in meam commemorationem.*

Quinta est, ut Judæi conversi agno vero loco typici utantur, quem esurient, sicut dicit Psalmus LVIII, 7 : *Convertentur ad vesperam, et famem patientur ut canes : et circuibunt civitatem.*

ARTICULUS XXV.

An sacramentum Eucharistiæ valeat contra venialia peccata ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, F, circa finem : « *Nec causa suæ infirmitatis repetitur*, etc. »

Ex hoc enim quod hic dicitur, videtur quod hoc sacramentum valeat contra venialia : videtur autem, quod etiam contra mortalia valeat : quia

1. Dicitur in Collecta beati Gregorii quæ pro vivis et mortuis in communi dicitur : « Sit ablutio scelerum, sit forti-

[1] Joan. VI, 55 et 57.

tudo fragilium, sit contra mundi pericula firmamentum, sit vivorum atque mortuorum fidelium remissio omnium delictorum. » Ex prima parte accipitur, quod valet contra mortalia : quia scelera non nisi mortalia dicuntur. Ex parte vero ultima accipitur quod æqualiter valet contra venialia et contra mortalia.

2. Item, Supra habitum est in eodem capitulo, quod est repræsentatio mortis Christi et oblationis : sed illa fuit contra mortalia et venialia : ergo hoc sacramentum contra utraque peccatorum genera ordinatur.

3. Item, De consecratione, distinct. II, Julius Papa dicit : « Cum crimen omne atque peccatum oblatis Deo sacrificiis deleatur, quid de cætero pro delictorum expiatione Domino dabitur, quando in ipsa sacrificii oblatione erratur? » Ergo videtur, quod istud sacrificium valeat ad omnis delicti expiationem.

4. Item, Istud vocatur sacramentum sacramentorum, et maximum sacramentum : ergo majorem habet effectum quam alia quæ non sunt tam digna sacramenta : sed baptismus et pœnitentia valent contra mortale : ergo multo magis et istud.

5. Item, Actus hominis gratia informatus, minus valet quam actus Christi, qui plenus est gratia : sed actus hominis gratia informatus sufficit delere mortale, sicut patet in dolore pœnitentiæ : ergo multo magis actus Christi : et ille repræsentatur in communione : ergo valet contra mortalia.

Sed contra videtur, quod non valet contra venialia.

1. Sacramentum enim valet ad effectum suum proprium inducendum : sed non est ejus proprius effectus deletio venialium : ergo non inducit illum. Probatio minoris : Quidquid est contra quod multa ordinantur, nullum eorum erit proprium destructivum illius, nisi omnia illa sint unum in ratione, vel unum reducatur ad aliud : sed contra veniale multa ordinantur, sicut aqua benedicta, benedictio pontificalis, et hujusmodi : et non habent omnia hæc unam rationem, nec reducitur unum ad aliud : ergo nullum eorum est proprium destructivum peccati venialis.

2. Item, Sit quod aliquis accedat cum duobus vel tribus venialibus : aut valet ad omnium remissionem, aut non. Et non potest dici, quod non valeat ad omnium remissionem, quia eadem est ratio de uno et de alio : ergo si valet ad remissionem unius, valet ad remissionem omnium. Si autem hoc detur : tunc aliquis in hac vita potest vivere sine peccatis, quod est contra Augustinum dicentem, quod hoc non potest fieri, et est scriptum supra [1].

3. Item, Cum purgatio talis sit effectus hujus sacramenti : et omnia talia remedia frequenter debeant iterari : videtur, quod secundum hoc uno die deberet pluries communicari, vel plures missæ celebrari, quod falsum est.

4. Item quod non valet contra mortale, sic videtur probari : quia aut accedit cum mortali, aut non. Si sic : ergo judicium sibi manducat et bibit. Si non : ergo non remittitur sibi mortale.

Item, In cœna Christi valuit omnibus præter eum qui accessit cum mortali, scilicet Judam, de quo dicitur, Joan. xiii, 27. quod *post buccellam, introivit in eum Satanas* : ergo similiter fit adhuc: ergo non remittitur mortale peccatum in perceptione hujus sacramenti.

Solutio. Solutio. Sicut supra dictum est in quæstione de *distinctione sacramentorum*, [2] Eucharistia nec contra mortale nec contra veniale ordinatur, sicut ad proprium effectum, sed potius contra debilitatem quæ procedit ex deperditione spiritualitatis : quæ deperditio spiritualitatis contingit tam ex originali quam actuali

[1] Cf. III Sententiarum, Dist. II. Tom. XXVIII hujusce editionis.

[2] Cf. Supra, Dist. I, Art. 2.

peccato. Sed quod hic dicit Ambrosius, et Magister in fine capituli concludit, intelligitur de effectu consequenti, et communi huic sacramento et aliis quibusdam remediis peccati: cum enim per spiritualem cibum restituitur robur spiritus, tunc excludit venialium frequentiam: et ex fervore devotionis deletur veniale quod inest, et etiam reatus pœnæ peccati mortalis, quod per pœnitentiam factum est veniale. Et hoc modo intelliguntur verba Sanctorum inducta.

Ad 1. AD PRIMUM ergo dicendum, quod ablutio est scelerum, quantum ad reliquias remanentes, et debitum pœnæ.

Ad 2. AD ALIUD dicendum, quod hoc modo quo dictum est, valet contra omne peccatum, sed proprie restaurat robur spiritus deperditi ex peccato et pœna peccati.

Ad 3. AD ALIUD dicendum, quod mors Christi multa habuit, quæ non habet in se, nisi per repræsentationem sacramentum: habuit enim positionem animæ secundum veritatem, et pœnam pro omnibus satisfacientem sufficienter, licet non efficienter: et hoc non habet in se sacramentum per veritatem: quia Christus modo non moritur, nec pœnam passionis patitur: et ideo non sequitur, quod sacramentum sicut passio valeat contra omne peccatum, sed quod repræsentatur in ipso remissio omnis peccati sufficienter, non efficienter.

Ad 4. AD ALIUD dicendum, quod multis modis sicut etiam supra tactum est, et de Confirmatione habitum est, dicitur unum sacramentum majus alio: quia vel a majori datur: vel majoris gratiæ collativum: vel quia dignior est res contenta: vel dignioris rei non contentæ significativum. Et primo quidem modo confirmatio, secundo baptismus, tertio Eucharistia, et quarto matrimonium dignius dicitur: et ideo non sequitur si majus est in genere, quod majorem gratiam conferat contra peccatum, quod est esse majus secundum quemdam modum majoritatis sacramentorum. Et est ibi fallacia consequentis.

AD ALIUD dicendum, quod actus Dei qui est dolor satisfactivus pro peccatis nostris, non est per veritatem in sacramento, sed per repræsentationem solum; et ideo illa objectio non valet.

AD ID quod objicitur, quod non valet contra venialia, bene videtur esse concedendum per eum modum quo procedit prima objectio. Sed secunda non valet: quia ex consequenti delet venialia: et ideo si aliquis consequitur remissionem venialium omnium, quod bene credo quod sæpe contingit: tamen verbum Augustini et Joannis Evangelistæ manet verum: quia non diu potest manere in tali statu, manente concupiscentia in carne.

AD ALIUD dicendum, quod etiamsi valeat contra venialia, non sequitur quod frequenter debeat iterari: quia cum sit sacramentum dignissimum quantum ad rem contentam, exigit magnam præparationem ante faciendam, quæ non potest sæpe fieri: tamen commendatur propter hoc omni die communicans, ut dicitur in *Littera*, dummodo digne communicet: quæ dignitas causatur ex præparatione præcedenti.

AD ALIUD dicendum, quod non est accedendum cum mortali peccato: sed tamen contra mortale valet, non ex parte culpæ, sed pœnæ, ut dictum est.

Et per hoc etiam patet solutio ad totum.

G. *De causa institutionis.*

Institutum est enim hoc sacramentum duabus de causis. In augmentum virtutis, scilicet charitatis, et in medicinam quotidianæ infirmitatis. Unde Ambrosius : Si quoties effunditur sanguis Christi, in remissionem peccatorum effunditur, debeo semper accipere, qui semper pecco : debeo semper habere medicinam [1]. Item, Augustinus : Iteratur quotidie hæc oblatio, licet Christus semel sit passus : quia quotidie peccamus peccatis, sine quibus mortalis infirmitas vivere non potest. Et quia quotidie labimur, quotidie Christus mystice immolatur pro nobis. Dedit enim nobis hoc sacramentum salutis, ut quia nos quotidie peccamus, et ille jam mori non potest, per hoc sacramentum remissionem consequamur. Quotidie comeditur ipse et bibitur in veritate, sed integer et vivus manet [2]. Item, Mysterium fidei dicitur : quia credere debes, quod ibi salus nostra consistat [3].

Si autem quæratur, Utrum quotidie communicandum sit? Audi quid inde tradit Augustinus : Quotidie, inquit, Eucharistiam accipere, nec laudo, nec vitupero : omnibus tamen Dominicis diebus communicandum hortor. Si tamen mens in affectu peccandi est, gravari magis dico Eucharistiæ perceptione, quam purificari. Et licet quis peccato mordeatur, si peccandi tamen de cætero non habeat voluntatem, et satisfaciat lacrymis et orationibus, accedat securus : sed hoc de illo dico, quem mortalia peccata non gravant [4]. Si non frequentius, saltem ter in anno homines communicent, nisi forte quis criminalibus impediatur : in Pascha scilicet, et Pentecoste, et in Natali. Omnes ergo communicent, qui noluerint carere ecclesiasticis liminibus [5].

[1] S. Ambrosius, Lib. IV de Sacramentis, cap. 6.
[2] S. Augustinus, Ad Januarium. De consec. dist. II cap. *Iteratur* (Nota edit. Lugd.)
[3] Cf. de consec. dist. II, cap. *Quid sit sanguis* (Nota edit. Lugd.)
[4] S. Augustinus, Lib de ecclesiasticis dogmatibus, cap. 53.
[5] Fabianus Papa. De consec. dist. II, cap. *Si non* (Nota edit. Lugd.)

ARTICULUS XXVI.

An sacramentum Eucharistiæ congruo tempore sit institutum a Christo post cœnam?

Deinde quæritur de hoc quod tertio quæritur : et tangitur ibi, G, « *Institutum est enim hoc sacramentum duabus de causis,* etc. »

1. Cum enim alia sacramenta sæpius instituta sint, sicut baptismus cum dictum est: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua,* etc. [1] : et in baptismo Salvatoris, ut supra determinatum est in quæstionibus de *baptismo Salvatoris,* et istud sacramentum sit sacramentum sacramentorum, videtur et istud sæpius debere esse institutum.

2. Item, Baptismus institutus est post passionem quantum ad formam : Eucharistiæ vero effectus est incorporatio qua fideles incorporantur Christo, quæ fit per innovationem, cujus exemplum est resurrectio : ergo etiam deberet institutum esse post resurrectionem.

3. Item, Innocentius, sicut supra notavimus [2], unam causam ponit Eucharistiæ, ut lignum vitæ sit in medio paradisi : lignum autem vitæ panis Angelorum est, et hoc est per gloriam beatitudinis quæ post resurrectionem est ostensa : ergo videtur, quod post resurrectionem debuit institutum fuisse.

4. Ulterius videtur, quod ante cœnam institui debuit : agnus enim paschalis sumi non debuit ab agno, sed potius ab his qui redimebantur per sanguinem agni : ergo videtur, quod Christus, qui verus agnus est, non debuit prius comedere agnum typicum, sed potius ante cœnam, vel sine cœna offerre seipsum.

5. Item, Cum Christus recepit circumcisionem, non statim ad circumcisionem continuavit baptismum, sed diu post. Cum igitur similiter se habeant ad invicem agnus typicus et verus, sicut circumcisio et baptismus, videtur quod non statim post agnum typicum debuit institui immolatio agni veri, sed diu post : et hoc non est factum.

Ulterius quæritur de causa institutionis, quam Magister tangit in *Littera,* scilicet quæ est augmentum virtutis : de alia enim causa quam tangit in *Littera,* ante habitum est.

1. Ejusdem enim est augere virtutem et conferre : sed baptismi est conferre virtutem : ergo et baptismi est augere : ergo hæc non est propria causa institutionis Eucharistiæ. Quod autem prima sit vera, patet per virtutem consuetudinalem quæ generatur ab actibus et augetur ab eisdem, et sic est de aliis rebus in natura.

2. Item, Supra in tractatu de *baptismo* [3], dicitur, quod virtutes in baptismo augentur : ergo patet, quod non est proprius effectus Eucharistiæ.

3. Item, Supra in principio hujus notulæ super hunc quartum *Sententiarum,* sæpius probatum est, quod omne sacramentum est contra peccatum et contra vulnus peccati, et in hoc differt gratia sacramentalis a gratia quæ est in donis et virtutibus : ergo secundum hoc nullius sacramenti proprius effectus erit augere virtutem : ergo nec istius : ergo et ista causa quam tangit in *Littera,* nulla esse videtur.

4. Si dicatur, quod non auget virtutes in genere, sed quamdam auget virtutem, scilicet charitatem. Contra : Charitas augetur, gratia aucta per bona opera : quia dicit Augustinus, quod « charitas datur ut nutriatur, et nutrita augeatur, et au-

[1] Joan. III, 5.
[2] Cf. Supra, Art. 24, hujusce distinctionis.
[3] Cf. Supra, Dist. IV.

cta perficiatur: » cum autem hoc facere sit gratiæ et bonæ vitæ, non erit proprius effectus hujus sacramenti.

Item, Nihil augetur nisi per id quod unitum sibi simile est in specie, ut caro hominis per id quod fit caro hominis, et sic de aliis: sed supra probatum est, quod gratia sacramentalis et gratia virtutum non sunt unius speciei: ergo una non auget aliam: ergo falsum est quod dicitur in *Littera*, ut videtur.

Solutio. Solutio. Dicendum videtur ad hoc, quod instituta est Eucharistia, ut hic dicitur, a Deo ad medicinam quotidianæ infirmitatis, quæ causatur ex deperdito robore abstinentia spiritualis cibi, ut sæpius dictum est, et non debuit institui nisi post cœnam ante passionem, quia non nisi a passione trahit effectum, et est repræsentatio ipsius passionis: et ideo tamquam memoriale arctius memoriæ commendandum, ultimo institui debuit, ut infra in *Littera* dicetur.

Ad 1. Ad id autem quod primo objicitur, dicendum quod in baptismo multa fuerunt, et penes illa multa varias habuit institutiones, ut supra in quæstionibus de *baptismo* dictum est[1]: sèd non sic est in Eucharistia, quæ tota gratiæ est, et ideo non nisi prope ostensionem maximæ gratiæ debuit ostendi.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod baptismus est sacramentum necessitatis ad quod multis modis oportuit assuefacere homines: et ideo ante Christum inducebatur a Joanne, et postea a Christo multis modis instituebatur, et post resurrectionem habuit complementum formæ: sed Eucharistia est repræsentatio immolationis factæ in passione, et ideo non debuit post, sed ante institui: licet enim innovet, hoc est effectus ejus consequens, et non proprius, ut habitum est.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod lignum vitæ est panis Angelorum: tamen secundum quod sub sacramento accipitur, panis est sub cineribus coopertus, id est, exprobrationibus occidentium, et sputis, et flagellis, et etiam ideo frequentius iteratur figura crucis in consecratione, quod non fiet quando aperta rerum veritate accipietur.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod Christus Novum Testamentum in sacrificiis utriusque continuavit Veteri, sumendo prius agnum paschalem, et postea dando suum corpus: et ideo debuit institui post cœnam, quod verum est: Christus ergo agnum paschalem sumpsit, et non fecit ut ostenderet se indigere liberatione, sed in omnibus tenendo legem, ostendit legem non esse profanam, sicut idololatriam, et a Deo esse datam: et in veritatem Novi Testamenti esse convertendam. Objectio autem illa procedit ac si agnus a nullo comederetur, nisi hoc fine quod liberaretur per ipsum ab Angelo exterminatore.

Ad 5. Ad aliud dicendum, quod ad baptismum multipliciter oportuit homines induci, tum quia est sacramentum necessitatis, tum quia est generale sacramentum, tum etiam quia est janua sacramentorum: et bene et congrue isto introducto, omnia alia sunt introducta: et ideo oportuit diu post circumcisionem susceptam exspectare: sed non sic est in Eucharistia: sed statim continuari debuit Novum ad Vetus, consummato Veteri per passionem Christi.

Ad quæst. Ad id autem quod ulterius quæritur de causa quam tangit Magister in *Littera*, dicendum quod sacramentum corporis Christi multipliciter potest ostendi, secundum quod ipsum multa in se habet.

Potest enim attendi quantum ad suam rem principalem quam continet et causat ex parte suscipientis quantum in se est: et sic proprie est sacramentum novæ legis, specialis gratiæ collativum, quæ est ordinata contra infirmitatem quotidia-

[1] Cf. Supra. Dist. III, Art. 3.

nam, quæ est ex debilitate roboris spiritualis, ut dictum est.

Potest et attendi non in quantum est sacramentum, sed in quantum est repræsentatio eorum quæ facta sunt circa mortem Christi : et sic est sacramentum amoris, quia ibi Jesus circa nos majorem amorem ostendit, et sic nostrum amorem ad se excitavit et emit. Unde Bernardus : « Supra omnia te mihi reddit amabilem, bone Jesu, calix quem bibisti opus redemptionis nostræ. » Item, Bernardus : « Multum difficultatis assumpsit quo te multæ dilectionis debitorem constitueret, admoneretque ad gratiarum actiones difficultas redemptionis, quem minus devotum effecerat facilitas conditionis. » Et hoc modo loquitur Magister hic. Unde hic non est proprius effectus sacramenti in quantum sacramentum est ex re operata in sacramento, sed potius in quantum est repræsentatio passionis Christi, nostram sibi ementis charitatem.

Potest etiam considerari, in quantum habet pro re eum qui est causa et auctor omnis gratiæ, et *de cujus plenitudine nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia* [1] : et sic non confert tantum augmentum charitatis, sed etiam omnium virtutum.

Ad 1 et 2. Et per hoc patet solutio ad primum : quia nihil prohibet plures causas secundarias esse ejusdem effectus, licet una sit per se secundum unum modum causalitatis. Unde baptismus dat augmentum virtutum, per hoc quod est majoris gratiæ principium : Eucharistia autem per hoc quod est excitativum ad majorem devotionem et amorem ex memoria passionis Christi.

Per hoc etiam patet solutio ad secundum.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod in veritate sacramentalis gratia differt a gratia virtutum et donorum, et non auget eam per essentialem unionem cum illa, sed potius per occasionem, scilicet quia excitat ad devotionem, qua habita, confertur frequenter major gratia in habitu, semper autem in actu.

Ad aliud dicendum, quod augmentum charitatis per modum meriti multis attribui potest, omnibus videlicet quæ faciunt mereri : sed tamen essentialiter non augetur nisi a Deo per gratiæ appositionem vel assimilationem suæ bonitatis, sicut determinari habet in quæstione de *augmento virtutum*.

ARTICULUS XXVII.

An quotidie sit communicandum ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, G, § 2 : « *Si autem quæritur, Utrum quotidie communicandum sit*, etc. »

Hæc est autem quarta quæstio in principio hujus distinctionis tacta.

1. Videtur enim Augustinus male dicere : « Nec laudo, nec vitupero. » Aut enim loquitur de malis, aut de bonis. Si de malis : tunc erit vituperabile. Si autem de bonis : tunc videtur esse laudabile : laudabile enim est bonum bene facere : et quanto sæpius facit, tanto est laudabilior : sed optimum vel de optimis est dicere missas et communicare : ergo quanto sæpius id facit aliquis, tanto magis est laudandus : ergo male dicit Augustinus.

2. Item, Stultus est ægrotus qui habet medicinam paratam, et non iterat eam toties quoties redit morbus : sed morbus venialium semper redit : ergo stultus est qui non sæpe sumit medicinam : ergo vituperabilis, quia omnis stultus in eo quod talis, vituperabilis est : ergo iterum male dicere videtur Augustinus.

3. Item, Sacrificium Deo offerre,

[1] Joan. I, 16.

semper fuit bonum, et erit bonum : ergo optimum sacrificium Deo offerre, est optimum : ergo sæpissime offerendum : ergo laudabile est, quod quotidie immoletur et accipiatur Christus, quia ipse est optimum sacrificium.

4. Item, Manna quod pluit Deus de cœlo, quotidie præterquam in die sabbati colligebatur [1] : ergo videtur etiam, quod id quod significabat manna, omni die ante quietem perpetuæ vitæ sit colligendum et edendum : hoc autem est corpus Christi : ergo laudabile est, quod quotidie fiat.

5. Item, In veteri lege *juge sacrificium* significabat istud sacrificium : et illud quotidie bis fiebat [2] : ergo videtur etiam, quod istud sæpius iterandum sit : et quanto sæpius, tanto melius.

id contra. SED CONTRA :

1. Dicit Gregorius, quod « bonarum mentium est ibi culpam agnoscere, ubi culpa non est : » ergo multo magis bonæ mentis est suam agnoscere indignitatem : constat autem, quod nullus sufficienter dignus sit : ergo bonæ mentis est agnoscere se indignam, et removere se a communione.

2. Item, In veteri lege non omnis populus intrabat Sancta sanctorum, sed solus pontifex, et semel in anno, et cum multo vestium ornatu, et incenso, et sanguine [3] : constat autem, quod fuerunt significationes istorum quæ modo geruntur : videtur ergo adhuc non omnibus, et non semper, sed quandoque ordinatis hominibus cum incenso orationum, et sanguine, scilicet memoria passionis esse communicandum : cum igitur ita non possunt præparari sæpe, non sæpe erit communicandum.

Solutio. SOLUTIO. Dicendum, quod causa dicti Augustini procedunt verba objectionum. Et hoc patet in decreto de *consecratione*, dist. II, cap. *Quotidie*, ubi verba quæ hic deficiunt, supplentur sic : « Si dixerit quispiam non quotidie accipiendam Eucharistiam, alius autem affirmat quotidie, faciat unusquisque quod secundum fidem suam pie credit esse faciendum. Nec enim litigaverunt inter se, aut quisquam eorum alteri se præposuit, Zachæus, et ille centurio, cum alter eorum gaudens in domum suam suscepit Dominum [4] : alter dicit, *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum* [5] : ambo Salvatorem honorificantes, quamvis non uno modo : ambo peccatis miseri, ambo misericordiam consecuti. Ad hoc valet, quod manna secundum propriam voluntatem in ore cujusque sapiebat [6]. » Ex his accipitur, quod ratione diversarum virtutum, scilicet humilitatis recognoscentis propriam infirmitatem, et charitatis cupientis se Deo conjungere, ambo sunt laudabiles. Discretio autem quæ auriga virtutum est, temperat utrasque : et medium semper laudabilius est extremis.

Ad 1. DICENDUM igitur ad primum, quod de bonis loquitur Augustinus : et licet sit idoneus, tamen sua reputatione non est satis idoneus : et quia in hoc honorat Deum recognoscendo excellentiam corporis sui cui nihil satis dignum est, convertitur ei hoc ipsum in laudem et meritum.

Ad 2. AD ALIUD dicendum, quod stultus nec sacramentaliter, nec spiritualiter manducat. Unde ipse abstinens sacramentaliter ad tempus propter humilitatem, non est stultus, quia spiritualiter non abstinet : et ideo non tenet illa objectio.

Ad 3. AD ALIUD dicendum, quod multi actus in se boni sunt, et tamen propter nostram fragilitatem ad illos actus compa-

[1] Cf. Exod. XVI, 16 et seq.
[2] Cf. Numer. XXVIII, 6.
[3] Cf. Exod. XXX, 10 ; Levit. passim ; Numer. IV, 4.
[4] Cf. Luc. XIX, 6.
[5] Matth. VIII, 8.
[6] Sapient. XVI, 20 et 21.

ratam, nobis efficiuntur mali vel incauti, sicut jurare. Dicere enim verum bonum est, et advocare testem Dei veritatem bonum est : tamen propter nostram scientiam quæ semper dubio permixta est, vitandum est nobis jurare : et ita dicendum videtur hic de communione : quia licet in se optima sit, tamen quia multæ sunt aversiones nostræ et inidoneitates, quandoque nobis tutum est abstinere propter humilitatem.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod manna licet significaret futuram refectionem in corpore Christi, fuit tamen datum in usum corporalis alimoniæ itinerantibus per desertum : et ideo non erat periculum illud singulis diebus accipere, sed potius necessarium.

Ad 5. Ad aliud dicendum, quod *juge sacrificium* significabat futuram Christi passionem in quantum est passio, et non cibum spiritualem, qui est in Christo passo in quantum hujusmodi : et ideo totum incendebatur. Et quia hæc passio quotidie debet esse in igne cordis nostri, propter hoc quotidie offerebatur. Unde, Psal. cxl, 2 : *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo*, etc.

ARTICULUS XXVIII.

An ter in anno sit communicandum ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, G, § 2, circa finem : « *Si non frequentius, saltem ter in anno homines communicent*, etc. » Hoc enim est decretum Fabiani Papæ, sicut dicitur ibi, de *consecratione*, dist. II.

Videtur autem sæpius esse communicandum : quia

1. Dicit Ambrosius, sicut in *Littera* habuimus : « Si quoties effunditur sanguis Christi, in remissionem peccatorum effunditur, debeo semper accipere, qui semper pecco : debeo semper habere medicinam. »

2. Item, Hilarius Episcopus : « Si non sint tanta peccata ut excommunicetur quis, non debet se a medicina corporis Domini separare : » ergo videtur, quod quotidie sit communicandum.

3. Item, Ex concilio Martini Papæ : « Si quis intrat in Ecclesiam Dei, et sacras Scripturas audit, et pro luxuria sua avertit se a communione sacramenti, et in observandis mysteriis declinat constitutam regulam disciplinæ : istum talem projiciendum de Ecclesia Catholica esse decernimus, donec pœnitentiam agat, et ostendat fructum pœnitentiæ suæ : ut possit communione percepta indulgentiam promereri. » Ergo videtur quod sæpius communicandum sit.

4. Item, Hoc videtur a simili corporalis cibi, quem quotidie accipimus : cum ergo non in solo pane vivat homo [1], sed magis in spirituali pane, videtur quod quotidie iste cibus sit accipiendus.

5. Item, Super illud Matthæi, vi, 11 : *Panem nostrum supersubstantialem* [2], etc., dicit una Glossa, « Eucharistiam. »

Ergo ipsa est panis quotidianus : ergo quotidie sumendus : non igitur tantum tribus vicibus in anno.

Ulterius videtur, quod ad minus quatuor vicibus sit communicandum in anno. Quo

1. Dicit enim Soter Papa : « In Cœna Domini a quibusdam perceptio Eucharistiæ negligitur : quæ quoniam in eadem die ab omnibus fidelibus (exceptis his quibus pro gravibus criminibus inhibitum est) percipienda sit, Ecclesiasticus usus demonstrat : cum etiam pœnitentes eadem die ad percipienda corporis et sanguinis Domini sacramenta reconci-

[1] Matth. iv, 4 ; Luc. iv, 4 : Sapient. xvi, 26.
[2] Luc. xi, 3 : *Panem nostrum quotidianum*, etc.

lientur. » Ergo in Cœna communicandum est ad minus.

2. Item, Dominus tunc instituit,et discipulos tunc communicavit: ergo cum sua actio nostra sit instructio,videtur quod tota Ecclesia tunc debeat communicare.

3. Item, In religionibus quibusdam observatur in tantum ut illa die nullus subditorum celebret, sed omnes communicent de manu superioris, quemadmodum discipuli de manu Domini : ergo vipetur, quod hic usus omnibus sit æmulandus.

Quæst. 2. Ulterius quæritur hic, Quæ pœna sit non communicantis secundum statuta canonum ?

Videtur, quod ejiciendus sit extra Ecclesiam, eo quod

1. Dicitur, Joan. VI, 57 : *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet, et ergo in illo*.Ergo a contrario sensu, Qui non manducat, etc., non manet in Christo : in Christo autem manere est in corpore mystico manere : cum ergo ille talis a corpore mystico se abjiciat, etiam ab Ecclesia abjiciendus esse videtur.

2. Item, Hoc sacramentum nomen proprium habet a quo tota Ecclesia sibi comparticipat, scilicet *communionem* : ergo qui se privat communione, nihil debet habere de communitate vel de communicatione : ergo ab ipsa communicate et communicatione est præcidendus : ergo excommunicandus.

3. Item, Hoc videtur ex concilio Toletano, in decreto de *consecratione*, dist. II : « Hi qui intrant in Ecclesiam Dei, et deprehenduntur numquam communicare, admoneantur quod si non communicent, ad pœnitentiam accedant, id est, si excommunicati sunt, satisfaciant: si communicant, id est, si non excommunicati sunt, non semper abstineant : si non fecerint, abstineant, id est, excommunicentur. »

4. In concilio Elibertano: « Omnis homo ante sacram communionem a propria debet abstinere uxore tribus aut quatuor aut sex diebus : nec inter Catholicos connumerabitur, qui in istis videlicet temporibus, Pascha, Pentecoste, et Natali Domini non communicaverit. » Ex his videtur, quod non communicans sit excommunicandus.

Quæst. 3 Ulterius quæritur, Quare his tribus temporibus communicandum instituerunt Patres, potius quam aliis ?

1. Quia cum hoc sacramentum non sit nisi memoriale passionis, videtur quod solum in die Passionis sit communicandum fidelibus, et ad minus in Pascha.

2. Item, In Pentecoste nullo modo videtur : quia tunc tota carnalitas conversa est ad spiritum : et subtrahebatur Apostolis a corde præsentia carnis, ut locum haberet præsentia deitatis : ergo videtur, quod tunc non sit communicandum carni et sanguini Christi : quia sicut ipse dicit : *Spiritus est qui vivificat : caro non prodest quidquam* [1].

3. Item, In Veteri Testamento legitur in Exodo, XII, 10, quod si aliquis immundus fuit mense primo, quod celebraret Pascha mense secundo. Ergo videtur, quod etiam sancti Patres in Novo Testamento remedium super hoc debeant providere, si aliquis his temporibus præparatus non esset, quod alio tempore communicaret.

4. Item, Levit. XXIII, passim, legitur quod omnia ista tria festa celebrantur per octo dies, et singulis diebus fiebant sacrificia, et populus edebat coram Domino : ergo videtur, quod etiam sit faciendum in Novo, et multo plus : quia Novum Testamentum est octavarum, cum vetus fuit hebdomadarum : ergo per octo dies in quolibet festo communicandum est, ut videtur.

5. Item, Cum duo istorum temporum

[1] Joan. VI, 64.

habeant respondentiam in Veteri Testamento, scilicet Pascha et Pentecoste, in quibus populus edebat coram Domino: quare tertium, scilicet Natale, non habet correspondens aliquod: in Januario enim non convenit populus coram Domino, sed in Septembri, et tunc nos non communicamus.

6. Item, Cum Patres statuerunt primum, ut in quolibet die dominico, et deinceps ut tribus vicibus per annum populus communicaret, qualiter modo statutum est, ut saltem semel in anno hoc fieret?

7. Item, Numquid prohibendæ sunt matronæ habentes viros suos, et abstinentes se a coitu per unam vel duas noctes et alias devotæ, ne sæpius communicent?

8. Item, Viduæ et aliæ in castitate viventes et appetentes communicare, numquid sunt prohibendæ? Videtur, quod non: quia nihil quod auget gratiam et devotionem et sui custodiam, est prohibendum: frequentia autem communionis omnia hæc facit in communicante: ergo non est prohibenda.

Solutio. Ad 1

SOLUTIO. Dicendum videtur ad primum, quod non loquitur solum de communione sacramentali, sed magis de spirituali: hæc enim sæpius iteranda est, etiam eodem die: quia medicina est nostræ infirmitatis. Alia autem ordinanda est, ut cum solemnitate et honore tanti sacramenti fiat.

Ad 2 et 3.

AD ALIUD dicendum, quod Hilarius Papa loquitur de his qui abstinent semper. Illi enim male faciunt et contra canonum statuta.

Per hoc idem patet solutio ad sequens: quia loquitur de his qui abstinent temporibus in quibus communicandum ordinat Ecclesia.

Ad 4.

AD ALIUD dicendum, quod non est omnino simile de corporali cibo ad spiritualem: quia corporalis non repugnat nostræ indignitati ex sua dignitate, sed semper indignior est comedente: panis autem spiritualis propter suam dignitatem quandoque repellit nos a se, quando fœditates vel peecata in nobis apparent.

Item, Panis corporalis non supplet defectum nostrum, nisi materialiter sumatur: sed spiritualis supplet defectum nostrum, etiamsi solum sacramentaliter sumatur.

AD ALIUD dicendum, quod Glossa illa in contrarium, loquitur sub distinctione, scilicet quod quotidianus debet esse quoad usum sacramentalis manducationis, vel spiritualis: et non quoad usum sacramentalis manducationis tantum. Ad

AD ALIUD dicendum, quod in veritate satis consonum est operibus spiritualibus communicare in Cœna: et bene puto, quod alias præparati, et tunc volentes communicare, non sunt prohibendi: sed tamen quia infirmitates hominum multæ sunt, et communicante uno vult alius communicare: quandoque differuntur usque in diem Paschæ, ut duobus residuis diebus in ampliori custodia sua sint: quia populus male custodit se post communionem, et in expectando communionem custodit se melius. Unde si aliqua est persona in qua hoc non timetur, puto ei concedendum esse, quod communicet in illo die: et sic fit apud religiosos, ut probatur in sequenti objectione. Ad qua Ad 1,

AD ALIUD quod ulterius quæritur, Quæ sit pœna non communicantis? Dicendum, videtur, quod absque dubio talis excommunicandus est post sufficientem admonitionem. Ego autem reputo signum alterius duorum peccatorum: scilicet quia aut obstinatæ malitiæ, quoniam nullo modo vult recedere a peccatis, aut hæresis. Unde multum etiam meo judicio delinquunt Prælati, tales fovendo, cum illos præcipue excommunicare deberent: et hoc videtur velle Fabianus Papa cum dicit, quod « omnes tribus his temporibus communicent, si noluerint ecclesiasticis carere liminibus. » Ad quæ Ad 1,2

Ad hoc quod objicitur in illo decreto, quod præcipit tribus diebus ab uxore abstinendum esse, etc., dicendum quod bene puto, quod sit sic faciendum : si tamen alter conjugum inveniatur debitum reddere coactus et non expetere : et hoc frequenter facere, eo quod alter non vult etiam illo tempore abstinere : ego communicare concederem illi qui reddit invitus, et non alteri qui extorquet debitum, quando non est extorquendum : quia constat, quod etiam illo tempore reddere tenetur, si probabiliter timet de incontinentia alterius.

quæst. 3. Ad 1. Ad hoc quod ulterius quæritur de his specialibus temporibus, dicendum quod tria sunt in communione, scilicet manducatio spiritualis quæ vivificat, ut dicit Dominus, et corpus quod sumitur, et repræsentatio passionis. Et primum respondet tempori quoad adventum Spiritus sancti in die Pentecostes. Secundum autem quoad Natale, quando corpus illud apparuit in mundo. Tertium autem quoad Pascha, quando passio celebrata fuit.

Ad 2. Ad id quod objicitur de Pentecoste, dicendum quod carnalis præsentia quæ erat cum fidei debilitate, impedivit consolationem divinam : sed talis non est in sacramento, sed potius quæ est cum fidei plenitudine : quia nihil in hoc sacramento operatur nisi fides : et ideo præcipue convenit communio in tempore quo Spiritus sanctus est datus.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod Patres Novi Testamenti, non attendunt immunditiam nisi peccati : vel quæ signum est peccati, ut pollutio, vel matrimonialis coitus ex vitio incontinentiæ procedens. Et quia hæ infirmitates cito corrigibiles sunt, non oportet alia tempora providere, nisi forte in diem alium, vel tertium : et hoc bene habet Ecclesiæ consuetudo ; nec super hoc novam oportuit facere constitutionem, ut beatus Gregorius determinat de hac pollutione loquens, sicut supra etiam est notatum.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod octo diebus sacrificia repetebantur propter memoriam resurrectionis, ad quam per sacrificium Christi venimus. Quod autem continue octo diebus epulabantur, non significat epulationem sacramentalem, sed potius spiritualem manducationem, quæ non est intermittenda, sicut dicit Apostolus, I ad Corinth. v, 8 : *Epulemur...in azymis sinceritatis et veritatis.*

Ad 5. Ad aliud dicendum, quod Scenopegia quæ fit mense Septembri, non habet aliquid respondens in Novo Testamento : quia significat iter per desertum, in quo accipiebatur lex vetus, quæ finienda erat in Novo Testamento : sed Pascha et Pentecostes significant sacramenta novæ legis, scilicet Passionem, et Spiritus sancti adventum : et ideo ista habent tempora respondentia, illud aurem non.

Ad 6. Ad aliud dicendum, quod antiqui Patres fuerunt in aureo sæculo respectu nostri temporis, scilicet quia adhuc novitio fervore fervebat Ecclesia. Postea autem venerunt novissimo tempore tempora periculosa, in quibus refriguit charitas multorum, et propter indignitatem populi constitutum fuit ter in anno. Sed quia proni sunt sensus hominis in malum ab adolescentia sua [1], ideo temporibus istis statutum est, ut semel generaliter communicet populus in anno : et utinam adhuc dignet communicaret !

Ad 7 et 8. Ad aliud dicendum, quod mihi videtur, quod præparantes se ad communionem per abstinentiam a coitu vel coeuntes non debent prohiberi a frequenti communione, præcipue de mense in mensem secundum solemnitates majores : quia injuste arcentur qui digni sunt : et impie cum eis agitur, quando eis subtrahitur cibus salutaris, qui datus auget eis gratiam quam acceperunt.

[1] Cf. Genes. viii, 21.

H. *Si hæretici et excommunicati hoc sacramentum conficiant*

Solet etiam quæri, Utrum pravi sacerdotes hoc sacramentum conficere queant? Ad quod dici potest, quod aliqui licet sint pravi consecrant vere, scilicet qui intus sunt nomine et sacramento, etsi non vita : quia non in merito consecrantis, sed in verbo efficitur Creatoris. Unde Augustinus : Intra Catholicam Ecclesiam in mysterio corporis et sanguinis Domini, nihil a bono majus, nihil a malo minus perficitur sacerdote : quia non in merito consecrantis, sed in verbo perficitur Creatoris, et virtute Spiritus sancti. Credendum est enim, quod in verbis Christi sacramenta conficiantur. Sicut ipse est qui baptizat, ita ipse est qui per Spiritum sanctum suam efficit carnem et sanguinem [1]. Item, Gregorius : Putant quidam communionem corporis minus esse sanctificatam, si illorum fiat officio, quorum vita eorum oculis videtur ignobilis. Heu ! in quam magnum laqueum incidunt : ut divina et occulta mysteria plus ab aliis sanctificata posse fieri credant, cum unus idemque Spiritus sanctus in tota Ecclesia invisibiliter ea mysteria et operando sanctificet, et sanctificando benedicat [2]. Mysterium ideo dicitur, quod secretam et reconditam habeat dispensationem. Sacrificium vero, quasi sacrum factum : quia prece mystica consecratur pro nobis in memoriam Dominicæ passionis. Sacramentum est in aliqua celebratione, cum res ita fit, ut aliquid significatæ rei accipiamus. Sacramenta sunt baptisma, chrisma, corpus Christi : quæ ideo sacramenta dicuntur, quia sub tegumento visibilium rerum divina virtus secretius salutem eorumdem sacramentorum operatur. Unde a secretis virtutibus vel sacris sacramenta dicuntur [3]. Panis et calicis sacramentum Græce *Eucharistia* dicitur, Latine *bona gratia* interpretatur : et quid melius corpore et sanguine Christi ? Sive ergo per bonos, sive per malos ministros intra Ecclesiam dispensetur, sacramentum tamen est, quia Spiritus sanctus vivificat : nec bonorum dispensatorum meritis ampliatur, nec malorum attenua-

[1] S. Augustinus, Lib. de corpore Domini : et allegatur, de consec. dist. II, cap. *Intra Catholicam* (Nota edit. Lugd.)

[2] I ad Corinth. xii, 11.

[3] Isidorus, Lib. I Etymologiarum.

tur. Hoc de corpore Domini, hoc et de baptismate et chrismate dicendum est et tenendum : quia virtus divina secretius operatur in eis, et divina solummodo est hæc virtus sive potestas, non humanæ efficaciæ.

Illi vero qui excommunicati sunt, vel de hæresi manifeste notati, non videntur hoc sacramentum posse conficere, licet sacerdotes sint : quia nemo dicit in ipsa consecratione, Offero, sed Offerimus, quasi ex persona Ecclesiæ [1]. Et ideo cum alia sacramenta extra Ecclesiam possint celebrari, de hoc non videtur. Quod etiam Augustinus [2] tradere videtur dicens : Recolite nomen, et advertite veritatem. Missa enim dicitur, eo quod cœlestis missus [3] ad consecrandum vivificum corpus adveniat : juxta dictum sacerdotis dicentis, « Omnipotens Deus, jube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum, etc. » Idcirco nisi Angelus venerit, missa nequaquam jure vocari potest. Numquid enim si hoc mysterium hæreticus ausus fuerit usurpare, Angelum de cœlis [4] mittit Deus oblationem ejus consecrare ? maxime cum eisdem per Prophetam comminatus sit, dicens : *Maledicam benedictionibus vestris* [5]. Quod si benedictionibus eorum se asserit maledicturam veritas, quid erit de hostia ? Ergo dicemus illam posse benedici ab illo, quem scimus a Deo fore maledictum cum sua benedictione ? Si enim Deus maledixerit benedictionibus hæreticorum, et simoniacus [6] benedixerit : quis eorum prævalebit ? Numquid benedictio maledicti ad nihilum poterit redigere verba verissima comminantis Dei ? Ex his colligitur, quod hæreticus a Catholica Ecclesia præcisus, nequeat hoc sacramentum conficere : quia sancti Angeli, qui hujus mysterii celebrationi assistunt, tunc non adsunt, quando hæreticus vel simoniacus [7] hoc mysterium temerarie celebrare præsumit. Non enim dubitare licet, ubi corporis Domini [8] et sanguinis mysteria geruntur, supernorum civium adesse conventus.

In hujus autem mysterii expletione, sicut formam servari, ita ordinem haberi, scilicet ut sit sacerdos, et intentionem adhiberi oportet ut illud facere intendat. Sed si non credit de illo mysterio sicut veritas habet, numquid potest intendere illud conficere ? et si non intendit, numquid con-

[1] Hic non tenetur Magister (Nota edit. Lugd.)
[2] S. Augustinus, In sermone de corpore Christi. (Nota edit. Lugd.)
[3] Edit. J. Alleaume, *nuntius*.
[4] Ibidem, *de cælo*.
[5] Malach. II, 2.
[6] Edit. J. Alleaume, *schismaticus*.
[7] Ibidem, idem.
[8] Ibidem, *dominici*.

ficit? Aliqui dicunt, etiam non recte de illo mysterio sentientes posse intendere : non quidem illud conficere, quod jam esset recte credere, sed id agere quod geritur ab aliis dum conficitur : et sic adhibetur intentio : et si intentio dicatur deesse conficiendi illud mysterium, tamen ex quo intendit ea dicere et agere quæ ab aliis geruntur, impletur mysterium.

Illud etiam sane dici potest, quod a brutis animalibus corpus Christi non sumitur, etsi videatur. Quid ergo sumit mus, vel quid manducat? Deus novit hoc.

De hoc cœlesti mysterio aliqua perstrinximus a Catholicis fideliter tenenda. Qui enim his contradicit, hæreticus judicatur.

DIVISIO TEXTUS.

Deinde transeundum est ad aliam partem distinctionis quæ incipit, ibi, H, « *Solet etiam quæri, Utrum pravi sacerdotes,* etc. »

In hac enim parte agitur de his quæ hoc sacramentum requirit in consecrante.

Et habet tres partes : in quarum prima ostendit quid requirit in vita, scilicet quod intra Ecclesiam. In secunda, ostendit quod requirit ordinem et intentionem, ibi, H, § 3 : *In hujus autem mysterii expletione,* etc. » In tertia vero dicit, quid requiritur ex parte sumentis, scilicet quod sit rationalis. Et illis in fine par accidens adjungit, quid sit hæreticus, eo quod dixit in epilogo, quod qui hic determinatis contradicit, est hæreticus : hæc autem incipit, ibi, H, § 4 : « *Illud etiam sane potest dici,* etc. »

Duo autem dicuntur in prima parte : in quarum secunda ostendit multis auctoritatibus et rationibus, quia qui non est intus, sed exclusus per schisma vel hæresim vel excommunicationem,non conficit communionem, id est, Eucharistiam. In prima autem ostendit, quod mali qui sunt intus non præcisi ab Ecclesia conficiunt, licet mali sint. Secunda incipit, ibi, H, § 2 : « *Illi vero qui excommunicati sunt,* etc. »

ARTICULUS XXIX.

An malus etiam sacerdos conficiat?

Incidit autem quæstio contra hoc quod intendit Magister in prima parte, scilicet utrum malus conficiat?

Deinde, Utrum præcisus ab Ecclesia conficiat?

Tertio, Utrum missa boni melior sit, quam missa mali sacerdotis?

Quarto, Quare specialiter prohibetur a canonibus, quod sacramenta non recipiantur ab hæreticis, simoniacis, et fornicariis manifestis?

Ad primum objicitur sic :

1. Dominus Jesus Christus per se dedit conficiendi potestatem : et non omnibus, sed quibusdam : ergo illi qui non sunt successores illorum, conficiendi potestatem non habent : sed Apostolici viri tribus noscuntur, scilicet vita, scientia, et potestate : ergo deficientes in aliquo illorum, potestatem non habent conficiendi : sed mali deficiunt in vita : ergo non conficiunt.

2. Item, Quanto sublimior est actus, tanto requirit perfectionem agentem : sed sublimissimus est actus conficiendi corpus Christi : ergo sublimissimum convenit esse agentem : ergo illi tali non deficit sublimitas vitæ : si ergo hæc deficiat, videtur non conficere.

3. Item, Augustinus dicit, quod Christus remittit peccata per columbam, vel per columbæ membra : ergo multo magis conficit per Spiritum sanctum, vel columbæ membra : sed mali non sunt columbæ membra : ergo ipsi non conficiunt, ut videtur.

4. Item, Omnis potestas est ordinata, et ordinate a Deo descendit : ergo a Deo descendit in Ecclesiam, et per Ecclesiam ad singulos : sed mali non sunt de unitate Ecclesiæ : ergo non descendit ab ipso ad eos : ergo mali non conficiunt.

5. Item, Cum in naturis sic est, quod membrum abscissum non habeat actum corporis, nec etiam membrum putridum. Cum igitur mali sint in Ecclesia sicut membrum putridum, videtur quod non habeant aliquem actum corporis mystici : sed consecrare corpus Christi et sanguinem Domini, sublimissimus est actus : ergo non habent potestatem consecrandi, ut videtur.

6. Item, Sapient. 1, 5 : *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum.* Ergo multo magis effugiet aperte malum : sed sine Spiritus sancti operatione non consecratur corpus Domini : ergo mali non consecrant, ut videtur.

7. Item, Qui non potest quod minus est, non potest etiam quod majus est : sed malus nulli potest impetrare primam gratiam, quæ minor est quam totus Christus in plenitudine deitatis et humanitatis : ergo multo minus potest conficere sacramentum continens Christum in plenitudine.

contra. Sed si hoc secundum hæreticos concedatur,

1. In contrarium sunt quæ primo adducuntur in *Littera*.

2. Item, Ratio est contra sic : Quidam actus sunt divini, ita quod etiam fiant per alias causas : quidam autem divini tantum. Verbi gratia, actus naturæ a Deo sunt et a natura : creare autem, et gratiam dare, et resuscitare, non sunt nisi divini : ergo illi communicari non possunt, licet homo orando aliquid circa eos promovendos valeat per ministerium operari : ergo in talibus actibus, nec bonus, nec malus, aliquid facit : ergo æqualiter fiunt per bonum et malum ministrum : sed tales sunt actus sacramentales, ut habetur in *Littera* illa, ubi ex Augustino diffinitur sacramentum, dicendo quod « sacramentum illud est quod sub quodam tegumento visibilium rerum divina virtus secretius operatur salutem : » ergo hujusmodi omnia æqualiter fiunt per bonos, et per malos ministros.

3. Item, Matth. xxiii, 3 : *Omnia quæcumque dixerint vobis, servate et facite : secundum opera vero eorum nolite facere.* Ergo potestatem etiam super bonos habent mali ligandi atque solvendi : sed in eodem ordine datur potestas ligandi et solvendi, et consecrandi Eucharistiam : ergo potestatem habent mali ad utrumque.

4. Item, Donum Dei pure habens vim a passione Christi, est gratia sacramentalis, et necessarium homini ad salutem : tale autem sub potestate hominis ponere esset periculum, quoniam vix invenitur bonus : et qui creditur bonus, frequenter est malus : ergo omnes ab illo sacramenta percipiendo essent neglecti et damnati, quod maximum esset inconveniens : quia tunc homo omnino excusatus ignorantia, pro culpa alterius damnaretur, quod est inconveniens : ergo oportet, quod et bonus et malus et qualiscumque minister inveniatur, det gratiam in sacramento.

Solutio. Solutio. Absque omni dubitatione tenendum est, quod mali sacerdotes conficiunt, et alia dant sacramenta : et oppositum est error, et defenditur ut hæresis.

Ad 1. Unde dicendum ad primum, quod non

dedit eis Christus potestatem, ut necessario boni essent in vita : sed Christus volens non tantum dare ministros sacramentorum, sed etiam ostendere quis minister sit idoneus qui meritorie tractet sacramenta, elegit perfectos in vita, et contulit eis scientiam et potestatem : sed non est necessarium alios sic esse : sed verum est quod nisi sint tales, non sunt digni, sed ad perditionem animæ suæ tractant sacramenta.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod actum illum qui est transsubstantiatio, non agit sacerdos, sed potius Verbum increatum in verbo creato, sicut supra in quæstione de *forma* hujus sacramenti ostensum est : unde si iste actus esset sacerdotis, tunc objectio faceret aliquid ad propositum : sed non operatur ibi sacerdos nisi in ministerio tamquam proferens verba, ut dictum est.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod *columbæ membra* dicuntur dupliciter, sicut etiam membra corporis. Sunt enim membra quibus explentur actus potentiarum animæ quæ sunt in corpore. Spiritus autem sanctus est motor totius mystici corporis, et movet multipliciter, scilicet quantum ad potestatem in miraculis quibusdam, et quantum ad potestatem in sacramentis, et dispensationibus jurisdictionum, et quantum ad actum meriti. Et ille qui est membrum columbæ quantum ad actum miraculorum quem operatur Spiritus sanctus per ipsum, non est membrum nisi in quantum conformat se motori. Et ideo non sunt membra nisi quæ moventur secundum gratiam ad opera meritoria. Unde malus est membrum columbæ quantum ad potestatem dispensationis sacramentorum : sicut etiam idem potest esse membrum per quod expletur actus gratiæ gratis datæ per Spiritum, sicut miracula, vel doctrina, vel prophetia.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod omnis potestas descendit ordinate : sed duplex est conjunctio corporis ad caput, scilicet in vita, et potestate. Et quantum ad vitam non descendit id quod movet formaliter, in malos : quia contrarium ejus est in subjecto, scilicet peccatum : sed quoad potestatem descendit, quia peccatum non contrariatur potestati, sed potius frequenter aggravatur.

Ad aliud dicendum, quod nec in naturis membra uno modo moventur ab anima : quia quædam recipiunt sensum, et motum : quædam autem motum, et non sensum, et ossa, et hujusmodi. Et hoc modo sunt mali in corpore mystico in quos descendit robur potestatis ad sustinendum totam Ecclesiam : cum tamen ipsi non recipiant sensum gratiæ.

Ad aliud dicendum, quod ibi vis est in eo quod dicit *Spiritus sanctus disciplinæ* : quia Spiritus in quantum sanctus, inspirat sanctitatem et disciplinam, id est, morum correctionem : et quoad hujusmodi actus effugiet aperte malum, sicut et fictum. Sed sunt alii actus Spiritus in quantum est spiritus, ut roborare in potestate miraculi, et hujusmodi actuum : et illi non habent impedimentum in malis : et ideo Spiritus omnia convertens in obsequium suum, talibus frequenter confert potestatem ad opera sacramentorum.

Ad aliud dicendum, quod illud quod non potest minus, non potest etiam majus : sed non est majus operari in ministerio ad actum sacramentalem, quam impetrare primam gratiam, sed potius multo minus : et ideo illa objectio non procedit. Actus autem ille qui est transsubstantiatio, non est sacerdotis, sed Dei, ut dictum est.

ARTICULUS XXX.

An præcisus ab Ecclesia etiam potest conficere ?

Secundo quæritur, Utrum ab Ecclesia præcisus conficere possit ?

Videtur autem, quod non : quia

1. Dicit Augustinus, quod extra Ecclesiam non est locus veri sacrificii : sed præcisus pro hæresi vel simonia vel schismate, vel alias excommunicatus, extra Ecclesiam est : ergo non habet verum sacrificium.

2. Item, Cyprianus martyr : « Sacramenta hæreticorum sunt sacrilega, et inania : » ergo non conficiunt.

Item, Hieronymus : « Panem pollutum comedunt hæretici : » ergo panem sanctificationis videntur non habere : sed Eucharistia est panis sanctificationis : ergo hæretici non conficiunt, ut videtur.

3. Item, Sicut sacerdoti in ordine confertur potestas consecrandi, ita confertur ei potestas ligandi et solvendi : sed constat, quod præcisi non possunt ligare et solvere : ergo non possunt conficere.

4. Item, Ex concilio Laodicensi : « Non oportet hæreticorum benedictionem accipere, quoniam maledictiones sunt magis quam benedictiones : » ergo videtur, quod benedicendo non possunt consecrare Eucharistiam.

5. Item, In concilio Martini Papæ : « Non liceat clericis vel laicis ab hæreticis eulogias, id est, benedictiones accipere : quia maledictiones sunt magis quam benedictiones. »

6. Item, Leo Papa : « In Ecclesia Dei (quæ corpus Christi est) aliter nec rata sunt sacerdotia, nec vera sacrificia, nisi in proprietate suæ naturæ verus nos Pontifex reconciliet. »

7. Item, Leo Papa : « Manifestum est, per crudelissimam et insanissimam vesaniam in Alexandrina sede omnium cœlestium sacramentorum lumen exstinctum. Intercepta est sacrificii oblatio, defecit chrismatis sanctificatio, et parricidalibus manibus impiorum omnia sese subtraxere mysteria. »

8. Item, Gregorius in libro tertio *Dialogorum*[1] de Hermenegildo rege, Leovigildi filio : « Superveniente Paschalis festivitatis die, intempestæ noctis silentio, ad eum perfidus pater Arianum Episcopum misit, ut ex ejus manu sacrilegæ consecrationis communionem perciperet, atque per hoc ad patris gratiam redire mereretur. Sed vir Deo deditus, Ariano Episcopo ad se venienti exprobravit, ut debuit, ejusque a se perfidiam dignis increpationibus repulit. » Aliaque etiam multa ad hoc facienda adducuntur in decreto I, cau. q. I.

Ex his ergo omnibus videtur accipi, quod præcipue in isto sacramento præcisi ab Ecclesia non conficiunt.

9. Item, In Psalmo LXXXIII, 4 : *Passer invenit sibi domum, et turtur nidum*, etc., ubi dicit Glossa, quod hæreticorum pulli conculcantur, quia extra Ecclesiam sunt : ergo videtur, quod sacrificium hoc non conficiant.

Sed contra.

SED CONTRA :

1. Baptizat hæreticus, et baptizatum est : confirmat, et confirmatum est : ergo etiam conficit, et confectum est. Quod autem inductiones veræ sint, probatur I, q. 1, per multa decreta.

2. Item, Virtuti verborum cum ordine et intentione conficiendi datur potestas : sed hæc omnia in hæretico et præciso possunt esse : ergo tales possunt conficere.

3. Item, Augustinus contra Cyprianum loquens, dicit quod « ubicumque Ecclesiæ sacramenta sunt, ibi sunt et veneranda, sive intra Ecclesiam, sive extra Ecclesiam. » Ergo si habeat ordinem et conficiat in forma Ecclesiæ, vera sunt sacramenta.

4. Item, Jacob recognovit esse suum semen per thorum, id est, per uterum ancillarum : et ancillæ significant hæreticos, ut dicit Augustinus contra Donatistas : semen autem sacramenta : ergo sacramenta etiam fiunt per præcisos.

5. Item, I cau. q. I : « Sacramentum in modum lucis ab immundis coinquinari non potest. » Et alia multa sunt ibi

[1] S. GREGORIUS, Lib. III Dialogorum, cap. 31.

de hoc. Ergo videtur, quod Magister hic falsum dicat in *Littera*.

Solutio. Solutio. Dicendum videtur, quod Magister non est sustinendus : quia communis sententia et veritas est, ut dicit Augustinus, quod omnia Dei sacramenta non requirunt in faciente nisi ordinem quo ipse minister est, et intentionem, ut infra patebit. In se autem non exigunt nisi materiam debitam, et formam propriam. Cum igitur hæc Eucharistia habeat etiam extra Ecclesiam, confici potest, licet hoc illi faciant ad suam damnationem.

Et ideo etiam non videtur quibusdam Doctoribus consentiendum, qui hoc subtiliando inquirunt, quare hæretici, vel schismatici, vel simoniaci, vel aperti fornicarii, non conficiant? quia simpliciter falsum est quod dicunt, ut infra in quarto hujus quæstionis articulo ostendetur.

Si quis autem Magistrum sustinere voluerit, aliter dicere poterit, scilicet quod loquitur Magister de hæreticis, et extra Ecclesiam existentibus non tantum quantum ad reputationem Ecclesiæ quæ excommunicavit eos, sed etiam quantum ad modum et ritum celebrandi sacramenta : quia formam Ecclesiæ in celebrando sacramenta non tenent : et tunc verum est quod dicit Magister in *Littera*.

Dicendum ergo ad omnia decreta quæ pro illa parte inducta sunt, quia non prosunt ad salutem suam, et aliorum, secundum quod duplex est res sacramenti. Una quæ est res et sacramentum : et illam conferunt sicut in Baptismo characterem, et in Confirmatione, et Ordine. Similiter et in Eucharistia corpus Christi verum sub speciebus visibilibus panis et vini. Alia est res quæ facit salutem formaliter, sicut gratia causatur in sacramentis : et illam conferre non possunt : quia *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum*[1]. Et hæc solutio est communis.

Alia autem solutio est prius tacta, quod loquuntur illa decreta Patrum de illis qui extra sunt quantum ad veram formam consecrandi, et quantum ad materiam : et tunc non est mirum si sacramenta non conficiunt, quia ordinem et formam non servant.

Ea autem quæ objiciuntur in contrarium, ego de plano concedo.

ARTICULUS XXXI.

An missa boni sacerdotis sit melior quam missa mali sacerdotis?

Tertio quæritur, Utrum missa boni sacerdotis melior sit, quam mali?

Videtur autem, quod non : quia

1. Dicit Augustinus, quod sacramenta nec a bonis meliora, nec a malis pejora fiunt : sed missa bona est ratione sacramenti Eucharistiæ : ergo videtur, quod non sit boni sacerdotis missa melior, quam mali.

2. Item, Quod in bonitate crescere non potest nec a bonitate depravari, illud non fit a bono melius, nec a malo pejus : sed tale est corpus Christi quod conficitur in missa : ergo, etc.

3. Item, Secundum hoc spes poneretur in homine si ab uno melius fieret, quam ab alio. Dominus autem præcipit, quod hoc non fiat[2]. Ergo videtur, quod missa unius sit sicut missa alterius.

Sed contra : Sed c

1. Si duo bona fuerint æqualia, et uni apponatur bonum, et alii nihil : meliora sunt duo, quam unum : sed corpus Christi est quoddam bonum æquale, sive per bonum, sive per malum fiat : et huic in missa boni conjungitur bonitas personalis

[1] Sapient. i, 5.

[2] Joan. xvii, 5 : *Maledictus homo qui confidit in homine*, etc.

in orationibus, et devotione, et hujusmodi : in missa autem mali nihil talium adjungitur : ergo missa boni sacerdotis melior est quam mali sacerdotis.

2. Item, Melius est quod cæteris paribus est fructuosius : sed id fructuosius est quod majoris devotionis est excitativum, quam id quod minoris est, cæteris paribus : missa autem boni majorem excitat devotionem, quam mali : ergo est melior.

Solutio. Dicendum, quod missæ ratione substantialis quod in missa est, æquales sunt : sed ratione illius quod adjunctum est, et est opus hominis, inæquales : et sic melior est missa boni, ut probant objectiones. Neque vitupero libentius audientem bonum hominem quam malum : quia frequenter malus homo irreverenter tractat corpus Domini, sic quod pallæ non sunt mundæ, nec attentus stat in altari : et hoc abominale debet esse omni diligenti corpus Domini.

Ad ea autem quæ primo objiciuntur, dicendum quod hoc verum est ratione substantiæ sacramenti tantum ; sed multa sunt adjuncta sacramento. Dixi autem, *cæteris paribus* : quia obedientia posset cogere audire malum potius quam bonum : et tunc melius est audire malum quam bonum, quia obedientia melior est quam victima, et quam bonum personale.

Et per hoc patet solutio ad omnia quæsita.

ARTICULUS XXXII.

Quare specialiter prohibetur a canonibus, quod missa vel sacramenta non recipiantur ab hæreticis, simoniacis, schismaticis, et notoriis fornicariis ?

Quarto quæritur, Quare specialiter prohibetur a canonibus, quod missa vel sacramenta non recipiantur ab hæreticis, simoniacis, schismaticis, et notoriis fornicariis ?

Et de hæreticis, et præcisis, et simoniacis, satis habetur, I, q. 1, et XXIV, q. 3. De fornicariis autem multum habetur, ubi de *vita et honestate clericorum*.

1. Cum igitur jura prohibeant, videntur homines peccare qui a talibus accipiunt Ecclesiastica sacramenta, vel missas audiunt.

2. Item, I ad Corinth. v, 18 : *Si is qui frater nominatur, est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens,... cum ejusmodi nec cibum sumere.* Ergo multo minus ab eo missam audire debemus, vel sacramenta percipere.

3. Item, Tales per hoc quod in dispensatione sacramentorum admittuntur, foveri in peccato videntur : ergo bonum et utile est, ut populus subtrahendo ostendat eis damnationem, ut citius resipiscant.

Sed contra :

1. Multos scimus esse fornicarios per argumenta gradientia super terram, et etiam per lecti indistinctionem et cohabitationem : sed tamen ipsum actum non videmus, quia ipse coitus videri non potest : et dicunt nobis sacri Pontifices, quod tales audire et non aspernari debemus. Et Dominus dicit : *Omnia quæcumque dixerint vobis, servate et facite* [1]. Ergo sacramenta a talibus debemus recipere, et missas eorum audire.

2. Item, Videmus quod tales frequenter sunt prælati et decani et plebani et archidiaconi et episcopi et archiepiscopi, et tales non desunt : ergo omnes tales essent fugiendi.

Si forte dicas, quod Lucius Papa tertius distinguit inter fornicatorem notorium, et occultum : tunc quæstio est, Quid de hoc tenendum, et quid sentiendum sit ?

Solutio. Dicendum, quod notorii in

[1] Matth. xxiii, 3.

talibus vitiis existentes non sunt audiendi, si quidem notorium est per confessionem coram judice factam, vel testium probationem : vel quod nulla tergiversatione possit celari quod sit hæreticus, vel schismaticus, vel simoniacus : cum ille ipso jure excommunicatus sit, nullus debet ab eo sacramenta percipere : et si scienter percipit, mortaliter peccat. Quamdiu autem hoc non est factum, et celatur ab Ecclesia, tunc audiri debet.

De fornicariis autem eodem modo distinguendum est inter notorium, et occultum. Si autem sit famosum tantum in ore multorum, debet sibi purgatio imponi, in qua si deficeret, pro convicto habetur : et tunc non debet audiri : et hoc est de rigore juris, ut cæteri terreantur : quia alias non esset malum tales audire. Antequam autem fiat notorium, debet talis audiri : et contumax reputatur, qui non audierit.

Ad 1, 2 et 3. Ad primum ergo dicendum, quod Apostolus loquitur ad terrorem, ut citius corrigantur : et ita etiam jura loquuntur.

Et per hoc patet solutio ad omnia quæ sequuntur.

Ad object. 1. Ad ea autem quæ in contrarium objiciuntur, patet solutio : quia de quolibet, et præcipue de superioribus, præsumendum est bonum, nisi probatum sit contrarium.

Ad object. . Ad aliud autem quod posset quæri, Cum multa sint mortalia peccata, quare jura magis loquuntur contra ista, quam alia ?

Dicendum quod isti peccant directe contra ipsum sacramentum : est enim hoc totum sacramentum fidei, et causativum unionis corporis mystici per charitatem Christi passi, et maximæ gratiæ, ita quod in se continet auctorem omnis gratiæ, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ et gratiæ Dei absconditi : et consummativum maximæ spiritualitatis. Sed fidem operantem in sacramento violat hæreticus : charitatem autem et unitatem schismaticus : gratiam autem incomparabilem, vilem et sub pretio ponit simoniacus : et fornicator per carnalem immunditiam contrariatur spiritualitati sacramenti. Et ideo isti præcipue arcentur a celebratione.

Deinde notandum super illud, « *Nihil a bono majus*, etc. » Versus enim sunt in determinationem hujus quæstionis sic :

Vim sacramenti non mutat vita ministri.
Sicut deterius non fit pro deteriori,
Sic nec fit melius pro presbytero meliori.
Hoc sacramentum numquam licet esse sinistrum,
Quamvis per pravum celebretur sæpe ministrum.

ARTICULUS XXXIII.

An corpus Christi verum sit melius corpore Christi mystico ?

Deinde objicitur de hoc quod dicit, ibi, H, § 1, sub finem : « *Et quid melius corpore et sanguine Christi*, etc. »

1. Ex hoc enim accipit, quod corpus Christi verum, melius est corpore Christi mystico.

2. Item, Causa semper est melior suo effectu : sed causa corporis mystici est corpus verum ; ergo melius est illo.

3. Item, Pretium valens hoc et adhuc plus, melius est quam hoc demonstratum : sed corpus Christi verum, pretium est valens ad redemptionem totius corporis mystici, et adhuc plus, quia si infiniti mundi essent, omnes sufficienter redempti essent per sanguinem Christi : ergo ipsum melius est.

4. Item, Creator pure, infinite distat a creatura pura : sed id quod est creatura, unita Creatori, medium est inter hæc duo : ergo sicut est minus bonum Creatore, ita melius creatura ; sed corpus Christi verum est unitum Creatori, et corpus Christi mysticum non : ergo cor-

pus Christi verum, melius est corpore Christi mystico.

Sed contra. SED CONTRA :

1. I ad Corinth. x, 11 : *Omnia in figura contingebant illis.* Glossa : « In bonis multo melius figuratur per figuram quam sit ipsa figura. » Sed corpus Christi verum est figura corporis mystici. Ergo mysticum est melius.

2. Item, Augustinus dicit, quod « totus Christus est membra cum capite : » constat autem, quod membra cum capite sunt aliquid melius, quam caput solum : ergo corpus Christi mysticum est melius, quam corpus Christi verum.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quod corpus Christi verum, melius est corpore mystico, proprie loquendo : quia proprie loquendo corpus mysticum non dicit nisi membra adhærentia capiti : et tunc fit comparatio inter membra et caput : et in illa comparatione non intelligitur caput in altero comparatorum.

Ad object. 1. ET SECUNDUM hoc dicendum ad primum, quod Glossa super verba Apostoli ad Corinthios, loquitur de his quæ sunt figura tantum : quorum scilicet totus usus est in significando, et non in communicando, sicut fuit agnus paschalis : et non intelligitur de his quæ sunt signa, et causa, et res.

Ad object. 2. AD ALIUD patet solutio per prædicta : quia licet totus Christus sit caput cum membris, tamen quando comparatio fit inter verum corpus quod est caput, et corpus mysticum quod est membra, non intelligitur caput includi cum membris.

Aliter dicunt quidam distinguentes in corpore mystico, scilicet quod potest dicere membra tantum, vel caput cum membris. Si primo modo, dicunt melius esse corpus Christi verum quam mysticum : si secundo modo, tunc dicunt mysticum melius esse quam verum.

ARTICULUS XXXIV.

An bene dicatur missa, *quia cœlestis missus est ad consecrandum vel vivificandum ?*

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, H, § 2 : « *Missa enim dicitur, eo quod cœlestis missus ad consecrandum vivificum corpus adveniat*, etc. »

Cœlestis missus Angelus est : ergo Angelus mittitur ad consecrandum et vivificandum : et hoc falsum est : quia supra probatum est, quod Verbum increatum consecrat et vivificat in verbo creato.

Quæst. 1. ITEM quæratur, Quid vivificatur ibi ?

Videtur, quod nihil : quia corpus Christi ante vivebat, et species illæ numquam vivunt, nec ante, nec post : et non sunt ibi plura in sacramento : ergo videtur, quod nihil ibi vivificetur.

Si forte tu dicas, quod cœlestis missus non vocatur hic Angelus, sed potius Christus qui dicitur *magni consilii Angelus*, secundum translationem Septuaginta [1]. Contrarium videtur ex *Littera* statim, ubi sequitur : « Jube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum, etc. » Cum enim nihil perferat seipsum, patet quod ibi non sumitur Angelus pro Christo.

Quæst. 2. ULTERIUS videtur falsum, quod dicunt, quod hæc sit ratio quare *missa* dicatur.

1. Dicit enim Hugo de sancto Victore : « Missa quasi transmissa dicitur, eo quod populus per ministerium sacerdotis qui mediatoris vice fungitur inter Deum et homines, preces, vota, et oblationes Deo transmittit. »

[1] Isa IX, 6.

2. Item, Hugo : « Ipsa enim hostia sacra *missa* vocari potest : quia a Patre transmissa est nobis prius, ut scilicet nobiscum esset : postea a nobis Patri, ut apud Patrem pro nobis esset. »

3. Item, Hugo : « Missa ab emittendo dicitur, ut quidam dicunt : quia ut sacerdos hostiam consecrare incipit, per manum diaconi et ostiariorum, catechumenos et non communicantes foras Ecclesiam emittit. »

Quæst. 3 ULTERIUS adhuc quæritur de hoc quod dicit : « Jube hæc perferri in sublime altare tuum. »

Aut enim demonstratur species, aut corpus Christi verum per ly *hæc*. Si primo modo : tunc nihil dicit : quia species non perferuntur, et non habent locum, ubi aperta rerum est veritas, sicut in patria : unde inutiliter illuc perferuntur. Si secundo modo, inutilis est petitio : quia corpus Christi verum semper est in potioribus bonis Patris.

Quæst. 4. ULTERIUS quæritur adhuc, Quid sit *sublime altare ?*

Solutio. SOLUTIO. Dicendum ad primum, quod *cœlestis missus* secundum Magistrum in *Littera* dicitur Angelus creatus qui propter reverentiam tanti sacramenti advenit et assistit altari. Vel potius dicendum, quod multitudo Angelorum : et secundum hoc gerundia illa, *ad consecrandum et vivificandum,* descendunt a verbo impersonali : et sensus est, ut consecretur et vivificetur. Si autem de Christo intelligitur, tunc non habet locum prima objectio.

Ad quæst. 1. AD ALIUD dicendum, quod vivificatio refertur ad corpus Christi mysticum, unitum vero vel intellectum in vero : et non refertur ad corpus verum, vel ad species.

Ad quæst. 2. AD ALIUD dicendum, quod multis rationibus *missa* dicitur : quarum tres Hugo in tribus auctoritatibus tangit, et quartam tangit Magister in *Littera,* et aliæ plures inveniri possunt.

AD ALIUD dicendum, quod petitio illa tota refertur ad corpus mysticum intellectum in vero : unde sensus est : « Jube hæc, etc., » id est, omnes fideles intellectos in verbo *hæc*, perferri, etc.,ut scilicet socientur corpori vero in cœlo secundum bona patriæ, sicut sociantur secundum gratiam viæ. Ad quæst

AD ALIUD dicendum, quod *sublime altare* dicitur hic eminentia Trinitatis, in qua omne sacrificium reponitur, quod ab Ecclesia offertur. Est enim altare superius, inferius, interius, exterius. Ad quæst

Superius autem duplex, scilicet eminentia Trinitatis, Exod. xx, 26 : *Non ascendes per gradus ad altare meum.* Glossa : « In Trinitate non facies gradus, secundum magis et minus distinctos. » Item, Superius est Ecclesia triumphans, Psal. L, 21 : *Tunc imponent super altare tuum vitulos.*

Inferius iterum duplex est, scilicet Ecclesia militans, Exod. xx, 25 : *Si altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de sectis lapidibus.* Item, Inferius est mensa templi, Psal. CXVII, 27 : *Constituite diem solemnem in condensis, usque ad cornu altaris.*

Est autem *interius* iterum duplex. Primum est cor mundum, Levit. v, 12 : *Ignis in altari semper ardebit.* Glossa, id est, charitas in corde. Item, Interius altare, fides incarnationis, Exod. xx, 24 : *Altare de terra facietis mihi,* id est, fidem habebitis de incarnatione, non solum de deitate.

Est etiam altare *exterius*, et hoc duplex, scilicet ara crucis, Levit. VI, 9, Super altare holocausti ponebatur sacrificium vespertinum. Item, Exterius, sacramenta Ecclesiæ, et præcipue Eucharistia, Psal. LXXXIII, 5 : *Altaria tua, Domine virtutum, rex meus, et Deus meus.*

ARTICULUS XXXV.

Quomodo intelligendum sit illud, Maledicam benedictionibus vestris ?

Deinde quæritur de hoc quod dicitur, ibi, in notula, § 2, « *Maledicam benedictionibus vestris* [1]. »

Cum enim benedictiones sacerdotum sint vel esse videantur sacramenta, videtur quod sint maledicta : quod est contra decretum I, quæstione 1, quia dicit, quod sacramenta immundari non possunt.

Quæst. Ulterius quæritur etiam juxta hoc de duobus sacerdotibus æqualiter malis, quorum unus cum conscientia mortalis peccati celebrat, alter autem territus non celebrat, sed simulat se celebrare : quis eorum magis peccat?

Et videtur, quod primus : quia ille contemnit, et, quantum in se est, temerat sacramentum.

Solutio. Solutio, Dicendum ad primum, quod si vis fiat in *Littera*, nulla est objectio. Hoc enim quod dicitur *vestris*, discretive sumitur : et nulla est tunc objectio : quia sacramenta non sunt benedictiones sacerdotum, sed Dei : unde, Numer. vi, 27, dicitur : *Invocabunt nomen meum super filios Israel, et ego benedicam eis.*

Ad quæst. Ad aliud dicendum, quod simulans plus peccat, quia peccat in Deum, ponendo simulationes in sacramento suo : et in homines quos decipit, et adorare creaturam facit, id est, hostiam non consecratam : et in seipsum, quia Ordo sibi datus est ad consecrandum. Alius autem peccat in seipsum.

[1] Malach. II, 20.

ARTICULUS XXXVI.

Quare dulcedo sacramenti non sentitur a sumentibus ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, H, § 2, in fine : « *Non enim dubitare licet*, etc. »

Hoc enim quod dicit hic, reverentiam sacramenti ostendit quæ exprimitur, Sapient. XVI, 20 : *Paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem.*

Sed tunc quæritur, Quare dulcedo non sentiatur ? Quæst.

Si forte dicas, quod palatum non est bene dispositum in ipso gustante, videtur hoc nihil esse : quia optime disponunt palatum virtutes : et multi accedunt qui habent omnes virtutes : quia qui habet unam, habet omnes : et tamen nihil sentiunt.

Solutio. Sed tunc dicendum, quod panis iste voluntarius est, et sentitur ut vult ipse, et tenet suam dulcedinem nunc ne sentiatur, ut amplius sit meritum in fine, et ut amplius sentiatur in futurum. Solutio.

Præterea, Licet quis habeat virtutes, non tamen adhuc purgavit reliquias peccati, quæ impediunt gustum spiritualem.

ARTICULUS XXXVII.

An sacerdos extra altare et sine sacris vestibus potest celebrare?

Deinde notandum est de hoc quod dicit, ibi, H, § 3: « *In hujus autem mysterii expletione, sicut formam servari, ita ordinem haberi,* etc. »

Videtur autem hoc esse falsum:

1. Causa enim effectus est extra rem: ergo ab ipsa non contrahit res substantiam: ergo et sine ordine si quis dicat illa verba, perficiet corpus Domini.

2. Præterea, Supra sæpius habitum est quod efficiens est hic Verbum increatum in verbo creato: ergo quicumque sive ordinatus, sive non ordinatus, proferat verba illa, ipse videtur conficere corpus Domini.

Sed contra. Sed si hoc secundum hæreticos concedatur, videtur tunc, quod pro nihilo detur ordo presbyteralis, quod est inconveniens.

Quæst. Ulterius quæritur hic, Si sacerdos non in debito loco, id est, altari non consecrato, vel super terram ubi non est altare, et sine sacris vestibus possit celebrare?

Videtur quod non: quia

1. Ecclesia hoc modo instituit celebrandum: et Deus approbat factum Ecclesiæ: ergo Deus non permittit ut contra Ecclesiæ statutum conficiatur.

2. Item, Hoc cederet in dedecus tanti sacramenti: et Deus non permittit hoc, ut videtur: quia tunc permitteret dedecus suo Filio accidere.

Ulterius notandum, quod omnia quæ dicta sunt in tractatu de *baptismo* de intentione et his quæ exiguntur ad sacramentum, habent hic locum.

Dicendum ergo ad primum, quod sine ordine non potest quis conficere. Omnis enim actus quærit proprium efficiens. Unde non proprium efficiens in ministerio est ipse sacerdos, nisi habeat ordinem: et per hoc patet solutio ad primum.

Ad aliud dicendum, quod efficiens operans est Verbum increatum cum verbo creato: sed ministrans est sacerdos: et hunc oportet appropriari per ordinem sacerdotalem.

Ad id quod ulterius quæritur, dicendum quod conficeretur sine vestibus sacris, et sine altari, et a non jejuno: sed mortalissime peccaret conficiens, et degradandus esset, si inveniretur.

Ad aliud dicendum, quod Ecclesia instituit hoc tamquam existens de solemnitate sacramenti, et non ut de substantia.

Ad aliud dicendum, quod non cedit hoc in dedecus Filii, quia dedecus habere non potest: sed permitteret hoc Deus, si permitteret, ut justior appareret condemnatio facientis.

ARTICULUS XXXVIII.

An mus vel aliud animal brutum potest sumere corpus Christi?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, H, § 4: « *Illud etiam sane dici potest, quod brutis animalibus*, etc. »

Videtur hoc esse falsum: quia

1. Supra probatum est, quod corpus Christi tamdiu est ibi, quamdiu ibi illæ species incorruptæ apparent: sed in ore et in ventre muris apparet species panis: ergo videtur quod ibi, sit corpus Christi: ergo mus sumit corpus Christi.

2. Item, Magis repugnat peccatum perceptioni Christi, quam natura muris:

sed peccator accipit corpus Christi : ergo et mus, ut videtur.

Quæst. 1. 1. Ulterius quæritur de pœna ejus qui male custodit corpus Domini, ita quod ex sua negligentia a muribus vel ab aliis animalibus comeditur.

Quæst. 2 et 3. 3. Item, De pœna effundentis sanguinem, et de pœna evomentis : et quid faciendum est quando tales casus contingunt?

Solutio. Ad 1. Solutio. De primo habita est supra longa quæstio [1] : dicendum tamen est hic, quod sumere dicit unionem vel potentiam ad illam, quæ non est in bruto : sed in peccatore in quo sensus ad rationem est ordinatus secundum quam ipse capax est spiritualis manducationis, quod non est mus. Bene tamen concedo, quod quamdiu sunt ibi species discernibiles, tamdiu est ibi corpus Domini : hoc enim quod dicitur in apparatu decretorum de *consecratione*, dist. II : « Qui bene non custodierit, etc., » scilicet quod statim desinit sacramentum postquam a bruto tangitur, hæreticum est, et ridendum : sed dicendum modo prædicto.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod peccatum non repugnat capacitati, sed idoneitati. Quod autem non est aliquis idoneus, non facit ut non sumat, sed potius ut ad salutem non sumat : sed si non est capax, nec spiritualiter nec sacramentaliter manducat : licet sub speciebus manducantis corpus Domini sit verum, quamdiu species discernibiles apparent non ad alium humorem transmutatæ.

Ad quæst. 5. Ad aliud quod ulterius quæritur, dicendum per decretum de *consecratione*, distinctione secunda : « Qui bene non custodierit sacrificium, et mus vel aliud aliquod animal illud comederit, quadraginta diebus pœniteat. » Qui autem perdiderit illud in Ecclesia : aut pars ejus ceciderit, et non inventa fuerit : triginta dies pœniteat. »

Ad hoc autem quod quæritur, Quid debeat fieri si effunditur : et qualiter effundens debet pœnitere? Ad quæst. 2.

Dicendum, quod secundum quoddam decretum de *consecratione*, distinctione secunda, cujus sunt hæc verba. « Si per negligentiam aliquid de sanguine stillaverit in terram, seu super tabulam, lingua lambatur, et locus ipse radatur, quantum satis est, et abrasio comburatur : cinis vero in sacrarium recondatur : et sacerdos quadraginta dies pœniteat. Si super altare stillaverit calix, sorbeat minister stillam, et tribus diebus pœniteat. Si super linteum altaris, et ad aliud stilla pervenerit, quatuor diebus pœniteat. Si usque ad tertium, novem diebus pœniteat : si usque ad quartum, viginti diebus pœniteat, et linteamina quæ tetigerit stilla tribus vicibus minister abluat calice supposito, et aqua ablutionis sumatur, et juxta altare recondatur. » Ecce responsio ex verbis Pii Papæ.

Ad aliud quod quæritur de evomente, respondendum est ex verbis Bedæ in suo *Pœnitentiali*, qui sic dicit : « Siquis per ebrietatem vel voracitatem Eucharistiam evomuerit, quadraginta dies pœniteat, si laicus est : clerici et monachi seu diaconi et presbyteri septuaginta diebus pœniteant : episcopi nonaginta. Si pro infirmitatis causa evomuerint, septem dies pœniteant. » Ad quæst. 3.

Si autem quæritur, Quid sit faciendum quando accipit speciem carnis vivæ vel membri? Quæst.

Videtur mihi esse distinguendum, quod aut transfiguratur quoad visum omnium, aut quoad visum aliquorum tantum. Si quoad visum aliquorum tantum : tunc videtur esse sumendum. Solutio.

[1] Cf. Supra, in hac distinctione, Art. 4 et seq.

Si autem transfiguratur quoad visum omnium : tunc non videtur mihi esse sumendum, sed pro reliquiis habendum : et aliud consecrandum, et illud sumendum est a sacerdote : quia canon dicit, quod toties sacerdos communicare debet, quoties celebrat. Quod autem ita sit, patet in decreto de *consecratione*, distinct. II, ubi dicit Hieronymus super *Leviticum* : « De hac quidem hostia quæ in Christi commemoratione mirabiliter fit, edere licet : de illa vero quam Christus in ara crucis obtulit, secundum se edere nulli licet, hoc est, quando accipit speciem in qua pependit in cruce, id est, in specie cruentæ carnis, vel membri alicujus. »

I. *Quid faciat hæreticum, et quid sit hæreticus ?*

Ne autem ignores quid faciat hæreticum, vel quid sit hæreticus, audi breviter quid inde sancti Doctores tradant. Hilarius ait : Exstiterunt plures qui cœlestium verborum simplicitatem, non veritatis ipsius absolutionem susceperunt : aliter interpretantes quam dictorum virtus postularet. De intelligentia enim hæresis, non de scriptura est : et sensus, non sermo, fit crimen. Idem in libro VIII de *Trinitate* : Intelligentiæ sensus in crimine est. Hieronymus dicit, quod ex verbis inordinate prolatis incurritur hæresis. Augustinus diffiniens quid sit hæreticus, ait : Hæreticus est qui pro alicujus temporalis commodi, et maxime gloriæ principatusque sui gratia, falsas ac novas opiniones gignit vel sequitur.

ARTICULUS XXXIX.

Hæreticus quis sit, et unde dicatur ?

Deinde videndum est de hoc quod dicit, ibi, I, « *Ne autem ignores quid faciat hæreticum*, etc. »

Hæreticus enim potest venire a verbo Latino *hæreo, es* : vel a Græco αἵρεσις, quod est *electio*. Si primo modo : tunc qui hæret sententiæ suæ defendendo eam, ille hæreticus est, si sententia illa est hæretica. Si secundo modo : tunc ille est hæreticus, qui electionem suam sequitur, et non sententiam Scripturarum et defendit illam.

Videtur autem contrarietas inter Hilarium et Hieronymum in *Littera :* quia Hilarius dicit, quod « non sermo sed sensus in crimine est. » Hieronymus autem, quod « ex verbis inordinate prolatis incurritur hæresis. »

Sed solutio est, quod verba inordinate quandoque proferuntur sub alia significatione quam habent : eo quod pro- Solutio

ferens putat eam sanam facere intelligentiam. Et in hoc casu loquitur Hilarius : quia tunc quando ostenditur venenum latere in his, ille qui dixit, corrigat dictum suum : et in tali casu sufficit corrigere suum dictum, et retinere sensum. Si autem adhæreat modo significandi verborum, tunc sensus fuit hæreticus : et sic intelligitur dictum Hieronymi : et præcipue in materia difficili, sicut de Trinitate et Incarnatione.

Et hæc de *Eucharistia* dicta sufficiant.

DISTINCTIO XIV.

De sacramento pœnitentiæ.

A. *De pœnitentia.*

Post hæc de pœnitentia agendum est. Pœnitentia longe positis a Deo necessaria est, ut appropinquent. Est enim, ut ait Hieronymus [1], secunda tabula post naufragium : quia si quis vestem innocentiæ in baptismo perceptam peccando corruperit, pœnitentiæ remedio reparare potest. Prima tabula est baptismus, ubi deponitur vetus homo, et induitur novus. Secunda, pœnitentia, qua post lapsum resurgimus, dum vetustas reversa repellitur, et novitas perdita resumitur. Post baptismum prolapsi per pœnitentiam renovari valent, sed non per baptismum. Licet homini sæpius pœnitere, sed non baptizari.

Baptismus tantum est sacramentum : sed pœnitentia dicitur et sacramentum, et virtus mentis. Est enim pœnitentia interior, et est pœnitentia exterior. Exterior, sacramentum est : interior, virtus mentis est : et utraque causa salutis est et justificationis. Utrum vero omnis exterior pœnitentia sit sacramentum, vel si non omnis, quæ hoc nomine censenda sit, consequenter investigabimus. A pœnitentia cœpit Joannis prædicatio dicentis : *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum* [2]. Quod autem præco docuit, illud post veritas prædicavit, exordium sumens sermonis a pœnitentia. Pœnitentia dicitur a puniendo, qua quis punit illicita quæ commisit. Pœnitentiæ virtus timore concipitur. Unde Isaias : A timore tuo, Domine, concepimus et peperimus spiritum salutis [3].

Est enim pœnitentia, ut ait Ambrosius, mala præterita plangere, et

[1] S. Hieronymus, Comment. ad cap. III Isaiæ, et Epist. de Virginitate servanda.

[2] Matth. III, 2.

[3] Isa. XXVI, 18, juxta Septuaginta. Vulgata habet, ŷŷ.17 et 18 : *Sic facti sumus a facie tua, Domine. Concepimus, et quasi parturivimus, et peperimus spiritum.*

plangenda iterum non committere [1]. Item, Gregorius : Pœnitere est anteacta peccata deflere, et flenda non committere. Nam qui sic alia deplorat,ut alia tamen committat, adhuc pœnitentiam agere aut ignorat, aut dissimulat. Quid enim prodest si peccata luxuriæ quis defleat, et adhuc avaritiæ æstibus anhelet?

His verbis quidam vehementius inhærentes, contendunt vere pœnitentem ultra non posse peccare damnabiliter : et si graviter peccaverit, veram non præcessisse pœnitentiam. Quod etiam aliis muniunt testimoniis. Ait enim Isidorus [2] : Irrisor est et non pœnitens, qui adhuc agit quod pœnitet: nec videtur Deum poscere subditus, sed subsannare superbus. Canis reversus ad vomitum [3], et pœnitens ad peccatum. Multi lacrymas indesinenter fundunt, et peccare non desinunt. Quosdam accipere lacrymas ad pœnitentiam cerno, et affectum pœnitentiæ non habere : quia inconstantia mentis nunc recordatione peccati lacrymas fundunt, nunc reviviscente usu, ea quæ fleverunt iterando committunt. Isaias de peccatoribus dicit : *Lavamini, mundi estote* [4]. Lavatur et mundus est qui et præterita plangit, et flenda iterum non committit. Lavatur, et non est mundus qui plangit quæ gessit, nec deserit, et post lacrymas ea quæ defleverat repetit. Item, Augustinus : Inanis est pœnitentia, quam sequens culpa coinquinat. Nihil prosunt lamenta, si replicantur peccata. Nihil valet veniam a malis poscere, et mala denuo iterare [5]. Item, Gregorius : Qui commissa plangit, nec tamen deserit, pœnæ graviori se subjicit [6]. Item, Ambrosius : Reperiuntur [7] qui sæpius agendam pœnitentiam putant : qui luxuriantur in Christo. Nam si vere in Christo pœnitentiam agerent, iterandam postea non putarent : quia sicut unum baptisma, ita est una pœnitentia [8]. His aliisque pluribus utuntur in assertionem suæ opinionis. Sed Ambrosius dicit : Hæc vera pœnitentia est, cessare a peccato. Et iterum, Magni profectus est renuntiasse errori : imbutos enim vitiis animos exuere atque emendare, virtutis est perfectæ et cœlestis gratiæ : et ideo sane ita diffiniri potest : Pœnitentia est virtus qua commissa mala cum emendationis propo-

[1] S. Ambrosius, In sermone quadragesimali.

[2] II Petr. II, 22 : *Canis reversus ad suum vomitum : et, Sus lota in volutabro luti.*

[3] S. Isidorus, Lib. II de Summo bono, cap. 16. Et habetur, De pœnitent. Dist. III, cap. *Irrisor* (Nota edit. Lugd.)

[4] Isa. I, 16.

[5] S. Augustinus, In lib. Soliloquiorum. Et habetur, De pœnitent. Dist. III, cap. *Inanis* (Nota edit. Lugd.)

[6] Cf. De Pœnitent. Dist. III, cap. *Qui commissa* (Nota edit. Lugd.)

[7] Edit. J. Alleaume, *reprehenduntur*, et videtur melius, uti patet, infra, C.

[8] S. Ambrosius, Super Epist. ad Corinth., cap. 10, Tom. I (Nota edit. Lugd.)

sito plangimus et odimus, et plangenda ulterius committere nolumus: quia pœnitentia vera est, in animo dolere, et odire vitia [1]. Unde illa verba præmissa : « Pœnitere est anteacta deflere, et flenda non committere : » recte sic accipi possunt, ut non ad diversa tempora, sed ad idem referantur : ut scilicet tempore quo deflet commissa mala, non committat voluntate vel opere flenda : quod innuitur ex verbis consequentibus : « Nam qui sic alia deplorat, etc. » Hinc Augustinus [2] ait : Cavendum est ne quis existimet nefanda illa crimina (qualia qui agunt, regnum Dei non possidebunt) quotidie perpetranda, et eleemosynis redimenda. In melius est enim vita mutanda, et per eleemosynas de peccatis præteritis propitiandus est Deus, non ad hoc emendus quodammodo, ut ea semper liceat impune committere. Nemini enim dedit laxamentum peccandi, etsi miserando deleat commissa peccata, si non satisfactio congrua negligatur. Item, Pius Papa : Nihil prodest homini jejunare et orare, et alia religionis opera agere, nisi mens ab iniquitate revocetur [3]. Qui ergo a malis sic mentem revocat, ut commissa plangat, et plangenda committere non velit, nec satisfacere negligit, vere pœnitet. Nec ideo non est vera pœnitentia, quia forte post, non de proposito, sed casu vel infirmitate peccabit. Ille autem irrisor est et non pœnitens, qui sic commissa plangit, ut plangenda voluntate vel opere committere non desinat. Ille etiam qui post lacrymas repetit quæ flevit, lavatur ad tempus : sed mundus non est, id est, illa munditia non est ei sufficiens ad salutem : quia est momentanea, non perseverans. Item, Illud, « Inanis est pœnitentia quam sequens culpa coinquinat, » sic intelligendum est. Inanis est, scilicet carens fructu illius pœnitentiæ qnam sequens culpa inquinat. Illius enim fructus est vitatio gehennæ, et adeptio gloriæ. Mortificatur enim illa pœnitentia et alia anteacta bona per sequens peccatum, ut non sortiantur mercedem, quam meruerunt cum fierent, et quam haberent si peccatum non succederet. Sed et si de peccato succedenti pœnitentia agatur, et pœnitentia quæ præcessit, et alia anteacta bona reviviscunt : sed illa tantum, quæ ex charitate prodierunt. Illa enim sola viva sunt, quæ ex charitate fiunt. Ideoque si per sequentia peccata mortificantur, per subsequentem pœnitentiam reviviscere possunt. Quæ vero sine charitate fiunt, mortua et inania generantur : et ideo per pœnitentiam reviviscere non valent. Similiter intelligendum est illud, « Nihil prosunt lamenta, etc. » Et illud, « Nihil valet, etc. » Si enim replicentur peccata, nihil valet

[1] S. Augustinus, Super octonarium, 22.
[2] Idem, In Enchiridion, cap. 70 in tom. III.
[3] Cf. de Pœnitent. dist. III, cap. *Nihil prodest* (Nota edit. Lugd.)

ad salutem vel ad veniam in fine præcedens lamentum, quia nihil relinquitur de vitæ munditia : quia aut peccata dimissa redeunt, ut quibusdam placet, cum replicantur : vel si non redeunt, eis tamen deletis, propter ingratitudinem ita reus et immundus constituitur, cum adhuc in expiandis implicatur, ac si jam deleta redirent. De hoc tamen, scilicet an peccata redeant, post plenius agemus. Similiter nihil valet ad salutem obtinendam, vel ad munditiam vitæ habendam, veniam de malefactis poscere, et malefacta denuo iterare. Ita etiam intelligendum est illud quod idem Augustinus alibi ait : Pœnitentia est quædam dolentis vindicta, semper puniens in se quod dolet commisisse [1]. Et infra : Quotidie dolendum est de peccato, quod declarat ipsa dilectionis [2] virtus. Pœnitere enim est pœnam tenere : ut semper puniat in se ulciscendo, quod commisit peccando. Ille autem pœnam tenet, qui semper vindicat quod commisisse se dolet. Pœnitentia ergo est vindicta semper puniens in se quod dolet commisisse. Quid restat nobis, nisi dolere in vita ? ubi enim dolor finitur, deficit et pœnitentia. Si vero pœnitentia finitur, quid relinquitur de venia ? Tamdiu gaudeat et speret de gratia, quamdiu sustentatur a pœnitentia. Dicit enim Dominus : *Vade, et jam amplius noli peccare* [3]. Non dixit, Ne pecces : sed ne voluntas peccandi in te oriatur. Quod quomodo servabitur, nisi dolor in pœnitentia continue custodiatur ? Sed semper doleat, et de dolore gaudeat : et non sit satis quod doleat, sed ex fide doleat, et non semper doluisse doleat.

DIVISIO TEXTUS.

« *Post hæc de pœnitentia*, etc. »

Totus tractatus hujus sacramenti dividitur in tres partes : in quarum prima agit de pœnitentia secundum se, scilicet prout non contrahitur ad hanc partem quæ est compunctio, vel ad illam quæ est confessio, vel ad eam quæ est satisfactio. In secunda autem agitur de partibus ejus, sive de ipsa prout in partibus consideratur : et incipit infra, distinct. XVI, ibi, A, « *In perfectione autem pœnitentiæ tria observanda sunt*, etc.» Tertio autem agit de his quæ sunt signa sacramentalia in pœnitentia : et hæc pars incipit circa finem hujus tractatus ante finem distinctionis XXII, ibi, C, « *Post prædicta restat investigare, quid in actione pœnitentiæ sit sacramentum*, etc. »

Adhuc autem prima pars subdividitur in duas partes : in quarum prima dicit, quid sit pœnitentia re, et diffinitione : in secunda autem elidit quosdam errores circa pœnitentiam, ibi, A, § 4 : « *His verbis quidam vehementius*, etc. »

Adhuc autem in prima parte determinat tria : quorum primum est ordo hu-

[1] S. Augustinus, In lib. de vera et falsa pœnitentia, cap. 8.

[2] Edit. J. Alleaume, *dictionis*.

[3] Joan. VIII, 11. Cf. Joan. V, 14 : *Ecce sanus factus es : jam noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat.*

jus sacramenti ad alia, et necessitas ad sanandum peccatum. Secundum est distinctio pœnitentiæ secundum quod ipsa cadit in diversa genera, scilicet virtutis, gratiæ, passionis, sacramenti : et hæc incipit, ibi, A, §. 2: « *Baptismus tantum est sacramentum sed pœnitentia*, etc. » In tertia, diffinit pœnitentiam per actum suum proprium, ibi, A, § 3 : « *Est enim pœnitentia, ut ait Ambrosius,* etc. »

Tangit autem primo necessitatem pœnitentiæ dicens, quod necessaria est longe positis a Deo, ut appropinquent : et tangit ordinem, cum dicit quod pœnitentia est secunda tabula post naufragium.

ARTICULUS I.

An sacramentum pœnitentiæ bene ordinetur quantum in ordine sacramentorum ?

Sed circa hoc incidit duplex quæstio, scilicet de ordine hujus sacramenti : et de verbo Hieronymi quod adducit : « *Secunda tabula post naufragium.* »

1. Supra enim habitum est, quod nullus in baptismo adultus novum hominem induit, nisi pœniteat eum veteris vitæ : ergo cum pœnitentia acceditur ab baptismum : ergo tractatus pœnitentiæ ante baptismum est ponendus.

2. Item, Matth. III, 5 et 6, dicitur, quod exibant ad Joannem *confitentes peccata sua,* et postea baptizabantur : ergo pœnitentia præcedit baptismum.

3. Item, Sine pœnitentia veniens ad baptismum, fictus reputatur, et est : ergo ad hoc quod tollatur obstaculum, oportet esse pœnitentem.

Quæst. 1. ITEM videtur, quod immediate post baptismum debuit agere de pœnitentia : quia

1. Est secunda tabula post naufragium, cum baptismus sit prima : ergo sicut secunda tabula immediate est post primam, sic pœnitentia debet esse immediate post baptismum.

2. Item, Est secunda tabula : ergo est secundum sacramentum : et hoc videtur sequi : quia, sicut supra habitum est, gratia sacramentalis solvit a peccato quod facit naufragium.

ITEM videtur, quod tractari debuit ante Eucharistiam : quia

1. Omnibus indicitur pœnitentia ante communionem.

2. Item, Agnus comedebatur cum lactucis agrestibus[1], quod significat communicandum esse cum amaritudine pœnitentiæ. Ergo videtur, quod istud sacramentum præcedat sacramentum Eucharistiæ : cum tamen Magister e converso ordinaverit.

SOLUTIO. Dicendum, quod Magister congruo ordine ordinat sacramenta : qui ordo supra assignatus est in principio notularum super hunc quartum librum Sententiarum.

Quantum autem pertinet ad hunc tractatum,

DICENDUM ad primum, quod Magister ordinat sacramenta secundum ordinem morbi, contra quem ordinatur gratia cujuscumque sacramenti : et quia primus morbus est morbus originalis, et pœnæ sequentes illum, propter hoc primo oportuit poni sacramenta quæ sunt remedia contra illum cum suis sequelis. Est autem gratia baptismalis contra morbum illum secundum se : sed quia remanet concupiscentia debilitans in prælio, ideo datur gratia confirmationis : ex concupiscentiæ autem motu sequitur defectus virium ex deperditione roboris spiritualis, contra quod ordinatur gratia sacramenti Eucharistiæ. Quia autem post omnia hæc frequenter incidit actuale mor-

[1] Cf. Exod. XII, 8.

tale, igitur quarto hoc loco agit de pœnitentia, quæ ordinatur contra id : posset tamen aliquo respectu ordinari pœnitentia ante Eucharistiam, ut alibi ostensum est [1].

Patet igitur solutio ad primum, et etiam ad tertium : quia hoc est particulare et per accidens, scilicet quia adultus habet actuale : tamen originale per se est quod curatur baptismo, et pœnitentia non præexigitur quantum ad naturam peccati, contra quod per se est baptismus ordinatus : sed potius quia baptizatus, si adultus est, et peccavit, pœnitet, aliter esset fictus : sed quod non sit per se, patet, quia si per se esset, semper pœnitentia præcederet baptismum : et hoc non est verum, ut patet in parvulis.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod baptizati a Joanne, omnes erant adulti, et in peccatis actualibus existentes : et ideo oportuit eos pœnitentia præparari ad baptismum Christi : sed tamen non oportet propter hoc quin per se et secundum naturam gratiæ quam causat baptismus, præcedat pœnitentiam, ut dictum est.

uæst. 1. Ad 1. Ad aliud dicendum, quod in morbo sunt duo, scilicet culpa, et pœna : et numerando culpam cum culpa, tunc prima culpa est originalis, et secunda actualis : et contra primam est baptismus, et contra secundam pœnitentia. Cum autem non sit sacramentum tantum ordinatum contra culpam, sed etiam contra pœnam, non sequitur, quod sit secundum sacramentum : sicut non sequitur, actuale est secunda culpa in genere : ergo est secundus morbus : quia secundus morbus est ille qui procedit ex primo, nullo addito : et hic est concupiscentia et pronitas ad malum, quæ est ex fomite vel ipse fomes : naufragium autem per se non facit pœna quæ justa est, sed potius culpa : et ideo pœnitentia est secunda tabula, non tamen secundum sacramentum, nec secundo loco ordinandum.

l 2.

Ad aliud dicendum, quod gratia sacramentalis solvit a peccato, non tantum ex parte culpæ ex qua per se facit naufragium, sed etiam ex parte pœnæ, ut dictum est : et ideo illa ratio non procedit. Ad quæst. 2. Ad 1.

Ad aliud dicendum, quod sicut generatum confortatur post generationem a natura, et deinceps nutritur : ita etiam est in sacramentis : quia primo datur sacramentum regenerationis quod dat esse gratiæ contra defectum primum : deinde confortatur ex gratia confirmationis, et tertio nutritur statim.

Si autem aliquis objiciat, quod confortatio sit per nutrimentum : ergo secundum hoc Eucharistia debet præcedere Confirmationem : dicendum, quod hoc non valet : quia duplex est confortatio in natura. Una est quæ est per remotionem dispositionum contrariarum : et hanc dat ipsum generans cum forma, vel statim post formam : quia aliter generatum non resisteret alterationibus sequentibus, sed statim corrumperetur. Alia autem est per restaurationem deperditi ; et illa fit per cibum.

Dicendum igitur, quod prima confortatio est cui similis est confirmatio, sicut sonat suum nomen : et gratia ejus debilitat concupiscentiam, et confirmat gratiam collatam in baptismo : sequens autem confortatio assimilatur Eucharistiæ : et sic patet, quod stat ordo Magistri. Ad 2.

Ad aliud dicendum, quod hoc per accidens sic est, in quantum est peccatum actuale in comedentibus : sed tamen defectus contra quem generaliter in omnibus ordinatur Eucharistia, est ante actuale : et ideo Eucharistia est ante pœnitentiam.

[1] Cf. Supra, Dist. I, Art. 3, et Dist. II, Art. 1.

ARTICULUS II.

An pœnitentia sit secunda tabula post naufragium?

Secundo quæritur, Qualiter dicatur *secunda tabula?*

Naufragium enim primo factum est per originale peccatum, et tabula salvans est baptismus : secundum autem naufragium est per actuale sive personale peccatum, et tabula salvans est pœnitentia : quæritur igitur, Utrum sit tabula in quantum virtus est, vel in quantum est gratia, vel in quantum est sacramentum?

In omnibus enim his generibus est, ut infra patebit.

Si dicatur, In quantum virtus. CONTRA : Secunda virtus communicare debet alicui primæ virtuti : non enim congrue dicitur, quod Petrus secundus est homo, si prior eo fuit asinus : ergo baptismus esset prima virtus : et hoc est falsum : ergo non in quantum virtus est secunda tabula.

Si dicatur, quod est secunda in quantum gratia : videtur falsum : quia multæ gratiæ præcedunt, scilicet confirmationis, Eucharistiæ, et baptismi.

Eodem modo objicitur si dicatur, In quantum est sacramentum : prius enim habitum est, quod non est secundum sacramentum : ergo videtur, quod nullo modo sit secunda tabula.

Solutio. SOLUTIO. Dicendum, quod secunda tabula est, in quantum est sacramentum contra morbum, qui est culpa, ordinatum : quia, sicut prius dictum est, pœna non facit naufragium in quantum hujusmodi : quia multæ pœnæ promovent ad meritum : et ille qui meretur, non patitur naufragium : unde non est secundum sacramentum simpliciter, sed secundum contra culpam ordinatum. Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICULUS III.

An pœnitentia est virtus?

Deinde objicitur de hoc quod dicit, ibi, A, § 2 : « *Pœnitentia dicitur et sacramentum, et virtus mentis*, etc. »

Et quæruntur hic duo, scilicet an pœnitentia sit virtus?

Et, Utrum sit virtus generalis, vel specialis, si virtus est?

Quod autem sit virtus, videtur ratione et auctoritate.

1. Matth. III, 2, super illud : *Pœnitentiam agite*, dicit Glossa : « Prima virtus est per pœnitentiam perimere veterem hominem. »

2. Item, Ambrosius : « Imbutos vitiis animos exuere atque emundare, virtutis est perfectæ et cœlestis gratiæ. » Constat autem, quod exuere et emundare a peccatis, est pœnitentiæ. Ergo pœnitentia est virtus.

Item, Hoc dicitur in *Littera* in pluribus locis.

3. Ratione autem probatur idem : Dicit enim Commentator super quintum *Ethicæ*, quod omnis actus laudabilis, virtutis est actus : sed pœnitere est actus laudabilis, et est actus pœnitentiæ : ergo pœnitentia est virtus.

4. Item, In quinto dicitur (et in textu et in commento), quod justitia legalis ideo est idem quod virtus in genere, quia præcepta legum sunt de actibus virtutum : ergo multo magis præcepta divina erunt de actibus virtutum : sed pœnitere est in præcepto : ergo est actus virtutis.

5. Item, Virtus et vitium sunt opposita : ergo mutuo se expellunt : dicit

enim Philosophus, quod non expellitur contingens a contingente, sed oppositum a per se sibi opposito : nec fit contingens a contingente, sed ex opposito in situ. Ergo quod expellit peccatum, est virtus : pœnitentia autem expellit peccatum.

7. Item, Quædam sunt præcepta, quia bona : quædam autem ideo bona, quia præcepta : pœnitere igitur in altero horum generum erit : constat autem, quod non est ideo bonum, quia præceptum : quia si non esset præceptum, adhuc esset bonum pœnitere : ergo est de per se bonis. Aut igitur est de pertinentibus ad intellectum, aut ad opus. Quod non de pertinentibus ad intellectum speculativum, hoc patet per se : ergo pertinet ad opus bonum in moribus : sed omne tale virtus est, ut elicitur ex littera Tullii in fine *primæ rhetoricæ* : ergo pœnitentia est virtus.

8. Item, Sicut dicit Philosophus, virtus donum facit habentem, et opus ejus bonum reddit : hoc autem facit pœnitentia : ergo est virtus.

Si forte dicas, quod pœnitere non est opus, sed passio. CONTRA : Aut est passio tantum, aut ponit actum interiorem. Constat autem, quod non passio tantum : quia dicitur in *Littera* statim infra, quod « pœnitentia est virtus, vel gratia [1], qua commissa mala cum emendationis proposito plangimus et odimus, et plangenda ulterius committere nolumus : » emendationis autem propositum est actus, et nolle iterum committere actum ponit, quia in hoc verbo *nolo, non vis*, manet voluntas actualis affirmata et supposita : ergo habetur propositum, quod opus bonum reddit : ergo est virtus.

II contra. SED CONTRA hoc objicitur :

1. Ex ipso nomine quod sonat passionem : est enim idem pœnitentia quod pœna tenta : nulla autem passio virtus est, ut ostenditur in secundo *Ethicorum*. Ergo pœnitentia non est virtus.

2. Item, Alia quædam laudabilia quæ circa mala sunt, patiendo aliqualiter, dicit Philosophus non esse virtutes, ut patet in fine quarti *Ethicorum*, ubi dicit, quod « verecundia non est virtus, sed passio : » licet laudabilis sit, et medium habeat.

3. Item, In II *Ethicorum* videtur dicere, quod nemesis non est virtus, licet sit laudabilis, et habeat medium : ergo videtur, quod nec pœnitentia, quæ est dolor delicti perpetrati, proprie loquendo sit virtus.

4. Item, Virtutis actus licet sit circa passiones quandoque, ut circa materiam, nullo tamen modo est cum passione operantis, nisi dicatur illa passio gaudium, quod est signum formæ jam habitæ : sed pœnitentia semper est passio, vel cum passione operantis : ergo pœnitentia non est virtus, ut videtur. Quod autem prima vera sit, scribitur quidem a quodam Philosopho : sed etiam probatur inducendo : quia castus sive temperatus continendo non patitur secundum delectantia in sensu sibi circumstantia, et sic de aliis : ergo propositum habeo.

Item, Omnis virtus habitus est : ergo suus erit actus aliquis et non passio : patet igitur quod virtutis non est pati proprie.

Item, Virtus est cum lætitia, vel sine tristitia ad minus : sed pœnitentia est dolor, vel cum dolore et tristitia semper : ergo non est virtus.

5. Item, Si est virtus : aut erit theologica, aut cardinalis : constat autem, quod non est theologica : quia omnes illæ habent Deum pro materia circa quam est actus, et finis propter quem : sed pœnitentia non habet Deum pro materia. Videtur etiam, quod nec cardinalis : quia non est aliqua de quatuor.

Si dicas, quod est virtus reducta ad aliquam illarum : hoc falsum videtur : quia omnis reductio est penes aliquid commune : nulla autem virtus est, quæ

[1] Desunt in *Littera* nostra hæc verba, *vel gratia*,

cum pœnitentia commune aliquid videatur habere : cum virtus sit circa opus ordinatum in bonum, pœnitentia autem est quodammodo detestatio, et non bonum secundum quod bonum : ergo videtur, quod non sit virtus.

6. Item, Augustinus dicit, quod « virtus est bona qualitas mentis, qua recte vivitur, qua nemo male utitur, quam Deus operatur in nobis sine nobis : » sed hæc omnia pœnitentiæ non conveniunt. PROBATIO : Quia pœnitentia non recte vivitur : ergo pœnitentia non est virtus. Quod autem pœnitentia non recte vivatur, probatur sic : Omne quo recte vivitur, vivitur aliqua operis rectitudine : sed operis rectitudo non est pœnitentia, quia detestari malum non dicit determinate aliquod opus rectum, sed potius quamdam dispositionem quæ præcedit omne opus rectum, quia nullum opus rectum est cum placentia mali : ergo videtur, quod non sit virtus.

7. Præterea, Communiter fere ab omnibus dicitur, quod qui habet unam, habet omnes : ergo si pœnitentia est virtus, qui habet eam, habet omnes : sed parvuli et innocentes habent multas virtutes : ergo habent pœnitentiam, quod falsum est : dicitur enim in oratione Manassæ, in medio : *Non posuisti pœnitentiam justis, Abraham, et Isaac, et Jacob, iis qui tibi non peccaverunt.*

8. Item, Christus habuit multas virtutes : ergo habuit pœnitentiam : et pœnitentia est dolor commissi criminis : ergo ex hoc sequeretur, quod crimen commisisset, quod absurdum est.

9. Item, Omnes virtutes erunt aliquo modo in patria : pœnitentia nullo modo erit in patria : ergo non est virtus. Quod autem nullo modo futura est in patria, videtur quia nullo modo erit ibi dolor, et pœnitentia dolor est, vel cum multo dolore.

Alia autem multa valde facile est hic ad utramque partem objecta adducere : sed hæc sufficiant.

SOLUTIO. Dicendum mihi videtur, quod virtus sumitur proprie, et communiter : *proprie* quidem a Philosopho in *Ethicis*, et secundum hoc est habitus ordinans in bonum intellectualis vel moralis : intellectualis quidem quia doctrina et experiendo circa operabilia sumit generationem suæ naturæ vel suiipsius ex parte illa qua materialis est : et voluntas est complens formam secundum quod dicit Philosophus, quod virtutes voluntates sunt simpliciter vel non sine voluntate, sicut φρόνησις, et prudentia, et hujusmodi, quæ sicut ipse Philosophus in VI *Ethicorum* dicit, est idem quod recta ratio : et intelligitur de recta ratione eligibilis ad opus virtutis. Moralis autem circa passiones est, vel operationes : circa passiones quidem innatas, vel illatas ; circa innatas quidem temperantia, illatas autem fortitudo. Justitia vero circa operationes, in quibus nulla proprie est passio : propter quod ipsa justitia dicitur commune bonum : quia et virtutes moderativæ delectationum vel tristitiarum sunt circa propria : medium autem sicut idem Philosophus dicit in V *Ethicorum* non habent ipsæ eodem modo : quoniam illa virtus quæ est circa passiones, proprie est medium duarum malitiarum, quarum utraque est abundantia, et defectus differenter : sicut medium audaciæ quæ audendo abundat, timendo autem deficit : et timiditatis quæ timendo abundat, et audendo deficit : et hoc quidem medium est fortitudo : et ita est reperire in temperantia, et in aliis. Sed justitia non semper est medium duarum malitiarum, nec duarum, quarum utraque differt sicut abundantia, et defectus : quod facile ostenditur in justitia directiva : quia si injustitia abundat in decem, in quibus me decipit : ego injuste deficio in decem : et medium erit ut tantum mihi restituatur, quantum ego deficio injuste, et tu abundas injuste : et malitia hic non est nisi ex parte decipientis vel fraudantis : ex parte autem ejus qui patitur injuriam, non est malitia, sed pœna tantum. Simi-

liter non nisi unus habens hic qui plus habet quam deberet : et non nisi unus deficio. Differt et aliter ratio medii : quia in duabus quæ sunt circa passiones, medium est quoad nos : et in justitia est medium rei proprie : et ideo accipitur proportionalitate geometrica vel arithmetica, ut Philosophus dicit. Sed de his alias. Sic ergo propriissime loquendo de virtute, bene concedo, quod pœnitentia non est virtus.

Aliter sumitur virtus qua recte vivitur, et extenso nomine : et hoc præcipue a Theologo qui multa quæ in genere passionum ab Ethico ponuntur, virtutes dicit : ut timorem dicit Gregorius virtutem, sicut et generaliter septem dona : et gaudium dicit Ambrosius virtutem, sicut et generaliter duodecim fructus enumeratos in epistola ad Galatas [1]. Et spem dicit virtutem theologicam omnis theologus : et similiter charitatem, et alia quæ secundum ipsum nomen passionem sonare videntur : et secundum hoc virtus erit generalius diffinita : scilicet quod quicumque habitus perficit animam rationalem secundum actum ordinantem in bonum vel a malo, quod ille *virtus* dicatur : et sic pœnitentia est virtus, et timor, et gaudium, et hujusmodi, secundum dicta Sanctorum.

Hac tamen diversitate virtutis inducti Doctores nostri, diversas acceperunt opiniones, scilicet dicentibus Magistro Gulielmo Antisiodorensi et suis sequentibus, quod pœnitentia non sit virtus : aliis autem dicta Sanctorum venerantibus, et dicentibus, quod sit virtus : mihi autem et quibusdam aliis videtur, quod sit virtus.

Oportet autem respondere ad utramque partem objectorum, ne deficiamus opinantibus utrumque, quia nos quodammodo consentimus utrisque.

Ad 1 et 2. Dicimus igitur ad primum et secundum, quod virtus sumitur ibi extenso nomine. Qualiter autem dicitur *perfecta virtus*, infra erit in quæstione.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod hoc intelligitur de virtute generaliter accepta : secundum quod etiam quarumdam passionum tractatus pertinet ad tractatum virtutum, ut verecundiæ, et timoris, et pœnitentiæ, et hujusmodi. Vel fiat vis in actu laudabili : actus enim laudabilis determinatus est in bonum propter bonum finem : et talem actum non habet pœnitentia quæ est respectu mali.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod non oportet, quod omne illud de quo est præceptum legale, sit essentialis actus virtutis. Et est instantia : quia est præceptum legis non ascendere turrim : cum tamen non sit actus essentialis alicujus virtutis : et in theologicis ire ad Ecclesiam, vel tribus vicibus per annum apparere in conspectu Domini. Et ideo distinguunt Magistri, quod duplex est actus virtutis, scilicet proprius, et communis. Proprius est essentialis, et ille est unus solus : communis autem est ille qui secundario intenditur propter aliquid quod circa actum virtutis fit.

Item, Distinguunt actus ut egrediuntur a virtute, dupliciter, scilicet elicitive, et imperative : elicitive, sicut quælibet efficit suum actum : imperative autem, sicut una bene efficit actum alterius, secundum quod ut imperans illi efficitur, et alia ut obediens illi : et sic verum est, quod omne præceptum est circa actum virtutis primum vel consequentem, elicitum vel imperatum : sed ex hoc actu sic accepto non potest probari, quod aliquis habitus sit virtutis, si virtus proprie accipiatur.

Ad 5. Ad aliud dicendum, quod iterum medium illius rationis non probat pœnitentiam esse virtutem, nisi generaliter sumpta virtute : quia ad rationem meriti sufficit in virtute, quod sit actus consequens vel imperatus ab aliqua virtute.

[1] Ad Galat, v, 22 et 23 : *Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.*

Ad 6. Ad aliud dicendum, quod peccatum duplex habet expulsivum, scilicet per modum contrarii : et sic quodlibet peccatum expellitur virtute sibi contraria : et hoc est expulsivum formale, et per se. Habet etiam expulsivum per modum efficientis : et hoc est duplex, scilicet, efficientis per se : et hoc est solus Deus, secundum quod ipse dicit, Isa. xliii, 35 : *Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me.* Et est expulsivum per modum meriti ex parte peccantis : et hoc est detestatio peccati, quæ est actus pœnitentiæ, quia meretur peccatum abolere, cui non placet peccatum, sed detestatur ipsum : et illud expulsivum quod sic expellit, non propter hoc est virtus : sed esset virtus, si expelleret primo modo, scilicet ut contrarium : et hoc modo procedit objectio. Quod autem ita sit, patet : quia ex terminis motus ostenditur, quid sit contrarium : sicut ex sano ægrum est, non ex albo : et ex albo nigrum, non ex tricubito : sic ex vitioso virtuosus, et non ex pœnitente, nisi ibi *ex* notet ordinem esse, ut dictum est.

Ad 7. Ad aliud dicendum, quod pœnitere non est perfecte bonum per se : quia pœnitere dicit quoddam quod exigitur ad bonum per se : unde est sicut adjunctum bono per se : et ideo non sequitur proprie, quod sit actus virtutis proprie acceptæ. Cum autem dicitur, quod « bonum est per se, vel ex præcepto, » accipitur generaliter bonum per se, et non stricte, scilicet prout communiter se habet ad bonum honestum, et utile, ad illud et conjunctum illi ; et cum dicitur, quod « virtus est de per se bonis, » accipitur pro honesto stricte accepto : quod diffinit Tullius dicens, quod « honestum est quod sua vi nos trahit, et sua dignitate nos allicit. »

Ad 8. Ad aliud dicendum, quod cum dicitur, « virtus bonum facit habentem, et opus illius bonum reddit, » intelligitur de opere quod est per se bonum secundum rationem medii et finis : tale autem non est opus quod est tantum a malo recedens, ut dictum est.

Et sic patet qualiter respondendum est pro parte una : et hæc forte est verior pars opinionum.

Pro alia parte, scilicet sustinendo quod sit virtus, dicemus ad primum in contrarium objectum, quod multa sunt, quæ ipso nomine passionem sonant, ut misericordia, nemesis, et hujusmodi, quæ tamen sunt habitus : et ideo quia nomen proprium ipsius habitus non habemus, nominamus ea nominibus passionum, propter aliquam similitudinem actus passionis et habitus : sicut in spe, gaudio, dilectione, etc. Et sic etiam pœnitentia est nomen passionis quo nominatur habitus ille qui movet liberum arbitrium ad detestandum peccatum. Ad obj.

Ad aliud dicendum, quod non est simile de verecundia, et pœnitentia : quia verecundia non dicit proprie actum, sed passionem culpæ consequentem : et ideo etiam verecundus, ut dicit Philosophus, non fugit turpe, quia turpe, sed quia secum habet convicium vel exprobrationem : et ideo illa tantum passio est : sed pœnitentia detestatur peccatum : non quia habet convicium vel exprobrationem : sed peccatum perpetratum, quia turpe est et malum : et hoc est actus quidam simpliciter bonus : et ideo pœnitentia virtus erit, et non verecundia. Ad obj.

Ad aliud dicendum, quod actus virtutis non habet actum passionis extra quam est, quia hoc est impossibile : sed jam habitum est, quod falsum est, quod omnis virtus est circa passiones vel operationes optimorum operativa : et etiam dicimus, quod pœnitentia est circa opus quoddam, id est, detestari peccatum perpetratum : et est cum dolore adjuncto illi actui. Ad obj.

Ad aliud dicendum, quod virtus habet delectationem quæ est consequens actum virtutis, in quantum est virtus : sed quod non habeat aliquem dolorem circa materiam, vel circa contrarium, velut instrumentum, hoc non est verum : Ad obj.

et pœnitentia habet dolorem voluntarium, ut instrumentum, tamen habet gaudium consequens actum, ut infra habebitur ex verbis Augustini : « Spiritus doleat, et de dolore gaudeat. »

Ad object 5. Ad aliud dicendum, quod ut dictum est, Ethicus non considerat nisi stricte dictas virtutes : si tamen large sumatur cardinalis virtus, tunc reducetur ad aliquam cardinalium virtutum, ut habitus secundarius ad principalem : et secundum hoc reducitur ad partem justitiæ, secundum quod pœnitentia est satisfactiva pro peccatis, Deo debitum honorem reddens, ut dicit Anselmus : et penes hoc patet, quid sit commune in actu penes quod fit reductio.

Ad object. 6. Ad aliud dicendum, quod pœnitentia recte vivitur : quia rectitudo est regula in bonum et a malo perpetrato secundum quod communiter accipitur : et ideo hic rectitudo est a malo. Objectio autem non accipit rectum, nisi valde stricte acceptum, quod est in bonum tantum.

Ad object. 7 et 8. Ad aliud dicendum, quod diversi diversimode respondent, et omnes bene : quia objectio illa de multis fit. Quidam dicunt satis probabiliter, quod duplex est virtus, scilicet informans ad bonum, et reformans a malo : informans ad bonum perfecta et vera est virtus, ut charitas, et justitia, et hujusmodi : sed reformans a malo dicitur virtus imperfecta. Et dicunt, quod hoc quod dicitur, « Qui habet unam, habet omnes, » intelligitur de virtute perfecta informante ad bonum : et adhuc in illa non sequitur nisi de perfectionibus virtutum, quia fides non mansit secundum actum imperfectum in Christo, sed secundum actum sui generis qui est visio. De hoc autem multa supra sunt notata in libro tertio *Sententiarum*. Alii dicunt, quibus videtur consentiendum esse, quod licet qui habet unam, habeat omnes, tamen non oportet quod habeat secundum eosdem actus, sicut jam dictum est de fide quam non habuit Christus secundum quod videre per speculum in ænigmate, est actus fidei, sed habuit id quod perfectum est in virtute. Ita dicunt etiam de pœnitentia, secundum quod est virtus, quod qui habet unam, habet pœnitentiam, et parvulus, et innocens, et Christus : sed non actum cui competit imperfectio, qui est detestatio peccati cum voluntate numquam admittendi : actus enim qui est detestari peccatum commissum et dolere de commisso, imperfectionis est : et ideo secundum hunc actum non inest illis.

Ad idem. Ad hoc autem quod objicitur de parvulis, intelligendum est de pœnitentia, secundum quod est virtus in genere passionis, et sacramenti : sic enim verum est, quod nullus pœnitet, nisi qui peccavit.

Ad object. 9. Ad aliud dicendum, quod iste actus, qui est detestatio peccati et voluntas non admittendi, completissimus est in patria : et hoc modo potest dici in futuro esse pœnitentia, quæ omni modo erit sine passione : sicut dicit Gregorius, quod læti meminimus quandoque vulnerum : non ex quibus tristemur, sed ex quibus medico gratias uberiores agamus.

ARTICULUS IV.

An pœnitentia sit virtus generalis vel specialis ?

Secundo adhuc ad majorem intellectum habitorum, quæritur, Utrum sit virtus generalis, vel specialis ?

Videtur autem, quod sit generalis : quia

1. Dicit Augustinus, quod « pœnitentia est res bona et perfecta, quæ omnes defectus revocat ad perfectum : » sed defectus sunt multiplices : ergo non revocantur per unam, sed per omnes virtutes oppositas : ergo pœnitentia est omnis virtus : et sic erit idem quod virtus in genere.

2. Item, Augustinus in libro V *Responsionum* : « Alia est virtus quæ revocat defectum irascibilis ad perfectum, et alia quæ defectum rationalis : » sed pœnitentia revocat omnes : ergo pœnitentia in irascibili est virtus aliqua, et aliqua in rationali : ergo est diversæ virtutes : et sic erit idem, quod virtus in genere.

3. Item, Per actus cognoscuntur habitus, et actus per opposita sibi objecta : ergo actus est generalis, cujus objectum est generale : et actus est specialis, cujus objectum est speciale : sed huic actui qui est pœnitere, respondet objectum generale, quia omne peccatum : ergo est generalis actus : ergo et habitus generalis : ergo et pœnitentia est generalis virtus, et non specialis.

4. Si forte dicas, quod non respondet peccatum in genere, sed potius peccatum perpetratum, in quantum est perpetratum : hoc videtur falsum : quia peccatum perpetratum, in quantum est perpetratum, non potest non esse perpetratum, cum sit verbum de præterito : ergo frustra erit pœnitentia de illo in quantum hujusmodi.

5. Item, Peccatum quod facit aliquis, non contrahitur per multiplicationem ad speciem unam peccati, vel genus : sed contrahitur per comparationem ad agentem tantum, scilicet respectu ejus quod ille non fecit idem in genere vel specie : ergo per illam determinationem perpetratum non contrahitur peccatum ad speciem vel materiam, sed ex parte illa remanet adhuc generale : ergo actus suus erit generalis : ergo etiam generalis habitus : et sic sequitur idem quod prius.

Item, Quando dicitur, quod objecti generalis est generalis actus, et objecti specialis actus est specialis, non intelligitur nisi de generalitate et specialitate materiæ.

6. Item, Velle bonum et velle hoc vel illud bonum, differunt sicut species et genus : quia voluntas non determinatur nisi per volitum. Et sicut differunt bonum, et non bonum : ita velle hoc et velle hoc bonum. Ergo similiter etiam se habebunt et per eamdem rationem detestari malum, et detestari hoc vel illud : sed pœnitentia non est detestatio hujus vel illius, sed generaliter mali perpetrati : ergo est virtus generalis, ut videtur.

7. Item, Cum peccatum privatio quædam est, non specificabitur nisi per habitum : ergo privatio quæ est habitus boni in genere, generalis est : ergo detestatio illius privationis quæ non est contracta ad materiam vel speciem, detestatio generalis est : hæc autem est pœnitentiæ in quantum est pœnitentia : ergo pœnitentia est virtus generalis.

SED CONTRA : Sed c

1. Pœnitentia detestatur malum, non quodlibet, sed existens in proprio subjecto : hoc autem non est generale : ergo pœnitentia non est generalis virtus, sed specialis.

2. Item, Detestari peccatum quod inest, quia vitiatum, vel quia turpe, est actus determinatus et bonus et difficilis : sed circa difficile et bonum est virtus : ergo ad hoc ordinans erit virtus aliqua.

3. Item, Omne quod perficit liberum arbitrium per actum determinatum secundum bonum et difficile, est virtus specialis : sed pœnitentia est hujusmodi : ergo est virius specialis. PROBATIO mediæ. Detestari peccatum spe veniæ, actus est reducibilis essentialiter ad aliquam aliam virtutem, licet per imperium posset esse aliter : ergo iste talis erit specialis virtus quæ est pœnitentia.

SOLUTIO. Dicendum, quod generalis virtus dicitur dupliciter. Uno modo accipitur a Philosopho : alio modo a Sanctis. In V enim *Ethicorum* dicitur : « Justitia est legalis virtus generalis, differens a virtute in genere ratione tantum, non subjecto : quia virtus est secundum quod perficit animam : et justitia vel injustitia secundum quod consonat legi, vel non, in opere de quo est lex : » hoc autem Solutio

modo non potest dici pœnitentia virtus generalis, id est, idem quod virtus subjecto, et differens ratione : quia pœnitentiæ opus non est generale opus omnium virtutum prout opus ejus accipitur proprie, scilicet detestatio peccati perpetrati propter spem veniæ et timorem gehennæ. Si autem communiter sumatur detestatio peccati vel dolor, secundum quod dicit Boetius, quod virtus sese diligit aspernaturque contrarium, tunc quælibet virtus aspernatur et detestatur vitium sibi oppositum : et hoc modo detestatio generalis vitii vel peccati, erit actus virtutis in genere. Sed hoc non dicitur proprie pœnitentia : quia pœnitudo omnis est in actu perpetrato non voluntario, id est, cui contrariatur voluntas in eo quod factus est, ut habetur ex principio II *Ethicorum*. Sed virtus in genere aspernatur omne vitium sive factum sit sive non.

Generalis autem virtus specialiter a Sanctis vocatur justitia quædam generalis, qua de impio fit justus : quam dicunt quidam esse statum generaliter rectitudinis ad Deum, ad se, et ad proximum : et hoc iterum modo non est verum, quod pœnitentia sit virtus generalis. His modis quidam addunt tertium, scilicet quod generalis virtus est colligens alias virtutes integraliter, vel quasi integraliter, secundum quod Chrysostomus dicit, quod justitia generalis est : quia est quasi vinea : et aliæ virtutes speciales sunt sicut vites. Hoc autem ego non sic intelligo : sed intelligo Chrysostomum loquentem de justitia legali, quæ generalis est per dictum modum : tamen non est ut totum integrale ad virtutem : sed dicitur *vinea* propter ambitum communitatis suæ ad opera aliarum virtutum, secundum quod ad legis præceptum referuntur : et aliæ dicuntur *vites*, quia sunt particulares quasi in ratione justitiæ legalis plantatæ. Sed aliquo modo in veritate dicitur virtus generalis secundum materiam, licet formam et rationem habeat specialem : sicut prudentia cujus objectum est eligibile ad opus morale, non in una materia, sed in omni ratione : tamen in speciali quadam ratione contrahitur prudentia in virtutem specialem. Hæc autem ratio a quibusdam vocatur ordo operis in circumstantiis et fine, secundum quod omnis virtus dicitur inspectrix medii aliquo modo, sed prudentia simpliciter. Et hoc modo per quamdam similitudinem potest dici pœnitentia virtus generalis : quia habet actum qui non determinat sibi materiam hanc vel illam, sed potius recipit malum vel peccatum in omni materia sub ratione specialis, scilicet perpetrati, quod potest consequi veniam.

Secundum hunc igitur modum dicemus, quod pœnitentia est virtus generalis generalitate materiæ circa quam est : habens tamen determinatam rationem existendi circa illam : et ideo est *specialis* dicta ab aliis virtutibus.

Dicendum ergo ad primum, sicut supra, quod revocans defectus duplex est, scilicet per modum formæ, et per modum quodammodo efficientis et operantis circa subjectum deficiens, ut a defectu removeatur. Primum est generale. Secundum non oportet quod sit generale, sed potest esse speciale. Ad 1.

Ad aliud dicendum, quod Augustinus ibi loquitur de revocantibus singulos defectus formaliter. Ad 2.

Ad aliud dicendum, quod illa objectio non probat, quod pœnitentia sit generalis nisi communitate materiæ circa quam est, quæ est quasi materia remota. Contrahitur autem illa et efficitur quasi materia propria, per rationem specialem quam pœnitentia ponit circa illam : et hoc est peccatum perpetratum, per dolorem potens habere veniam, ut dictum est. Ad 3.

Ad aliud dicendum, quod perpetratum ponit necessitatem perpetrati : et secundum hoc non est de ipso pœnitentia purgans peccatum : sed ex hoc quod perpetratum adhuc inest quodammodo in subjecto, secundum quod dicit Magi- Ad 4.

ster supra in libro secundo *Sententiarum*, quod peccatum transit actu, et manet reatu : et non manet indissolubile in subjecto, sed potius solubile per pœnitentiam : et hoc modo pœnitentia est de peccato perpetrato, sed in quantum perpetratio est causa qua aliquo modo est in subjecto non solubile nisi per pœnitentiam.

Ad 5. Ad aliud dicendum, quod est generale peccatum quoad materiam : sed tamen restringitur per hoc quod est perpetratum circa subjectum : unde ex hoc inest peccatum quod perpetratum est, et non inest quod non est perpetratum : et aliam specialitatem non quærit pœnitentia : et cum illam specialitatem recipiat formaliter actus pœnitentiæ, non erit pœnitentia virtus generalis, sed specialis, sicut prudentia, ut prius dictum est.

Ad 6. Ad aliud dicendum, quod verum est, quod voluntas determinatur per volitum : sed pœnitere non est determinare malum in quantum hujusmodi, sed potius secundum quod malum est in subjecto existens : et per hoc quod est perpetratum, potens habere veniam per dolorem : et sic efficitur voluntas specialis : et ideo non est simile quod pro simili adducitur in opposito.

Ad 7. Ad aliud dicendum, quod peccatum dicit actum privativum, et malitia dicit ipsam privationem : et bene concedo, quod non specificatur nisi per oppositum : sed per oppositum specificatur dupliciter, scilicet per id quod est materia circa quam est, vel per rationem quam ponit circa materiam remotam, quæ quamvis alterius est, tamen per determinationem efficitur sua : sicut prudentia quæ circa materiam castitatis vel fortitudinis, ponit rationem specialem, et efficit eam per hoc sibi propriam : et ita specificatur etiam virtus ex parte subjecti, scilicet quæ inest, et per ipsum consequens perpetratum, in quantum per opus proprium privativum est hujus vel illius virtutis. Vel melius dicitur, quod pœnitentia non est de peccato in quantum est sola privatio, sed in quantum est actus perpetratus cum privatione : et sic licet ex parte privationis non specificetur, nisi per oppositum, tamen ex parte actus specificari potest : et hoc modo pœnitentia est de ipso sicut virtus specialis.

Ad 8. Ad ea autem quæ objiciuntur in contrarium videtur esse concedendum.

ARTICULUS V.

Utrum pœnitentia sit in uno genere, vel in pluribus ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, A, § 2 : « *Est enim pœnitentia interior, et est exterior*, etc. »

Ex hoc enim quod hic dicitur, et parum infra, videtur pœnitentia poni in multiplici genere : dicitur enim hic *virtus*, et *sacramentum*.

Item, Parum infra, dicitur *actus*, cum dicit Ambrosius, quod « pœnitentia est præterita mala flere vel plangere, et plangenda non committere. »

Parum autem infra etiam *virtus*, vel *gratia* : cum tamen gratia proprie loquendo non sit virtus.

Item, Ulterius in eadem distinctione dicitur *dolor* sive *afflictio et amaritudo animæ*. Ergo pœnitentia est in genere virtutis, et gratiæ, et actus qui est plangere, et passionis, scilicet doloris, et sacramenti : cum autem una et eadem species non sit in diversis generibus, videtur quod istis modis non dicatur univoce, sed æquivoce.

Item, Videtur quod falsum dicat Magister in *Littera*, cum dicit, quod pœnitentia exterior est sacramentum : quia, sicut supra sæpius habitum est, in sacramento quoddam est quod est sacramentum tantum, et quoddam quod est res tantum, et quoddam quod est res et

sacramentum : et hoc est interius semper et verissimum sacramentum : ergo in pœnitentia similiter est : ergo non est exterior tantum sacramentum.

Item dicitur infra [1], et Magister dicit in *Littera*, quod in pœnitentia quiddam est quod est res et sacramentum, et est interius : ergo videtur sibi contrarius ad hoc quod hic dicit.

Quæst. 1. Ulterius quæritur, Cum alia sint sacramenta tantum, ut baptismus, et confirmatio, et Eucharistia, et sic de aliis : quare istud est virtus et sacramentum, et gratia, et dolor, et actus quidam, sicut jam habitum est, quod in diversis ponitur generibus ?

Quæst. 2. Item ulterius quæritur, Utrum pœnitentia secundum quod est virtus, sit res pœnitentiæ secundum quod est sacramentum ?

Et videtur quod sic : quia

1. Hoc est res sacramenti, quod causatur ab ipso : sed virtus pœnitentiæ causatur ab ipso sacramento pœnitentiæ : ergo est res ejus. Probatio minoris. Omnis virtus datur vere accipienti sacramentum pœnitentiæ : ergo et ista : ergo est res ejus.

2. Item, Contra morbum secundum quod culpa est, ordinantur duo sacramenta, scilicet baptismus et pœnitentia : sed plenitudo virtutum est res unius, scilicet baptismi : ergo et res alterius, ut videtur, quia peccatum quoque non expellitur nisi per virtutem.

Sed contra. Sed contra :

1. Licet omnis virtus detur in baptismo, non tamen congrue dicitur, quod castitas sit effectus baptismi vel res : quia sicut causæ sunt propriæ, ita habent proprios effectus in quibus differunt ab aliis : sed baptismus et pœnitentia sunt diversa sacramenta : ergo habent proprios effectus : proprius autem effectus non potest esse virtus, quia iste effectus a multis causatur : ergo non est effectus sacramenti istius, ut videtur.

2. Item, Nisi aliquis detestetur peccatum perpetratum, non recipit sacramentum pœnitentiæ, nec absolutionem vi clavium : cum ergo detestari sit virtutis pœnitentiæ, videtur quod ante pœnitentiam secundum quod sacramentum est, habeat pœnitentiam secundum quod est virtus : sed causa semper præcedit causatum secundum esse et rationem : ergo sacramentum pœnitentiæ non est causa pœnitentiæ virtutis, secundum quod hujusmodi, ut videtur.

Solutio. Solutio. Dicendum ad hoc, ut videtur, quod pœnitentia non accipitur in una significatione, secundum quod cadit in diversis generibus supra dictis : sed cum in peccato multa sint, et pœnitentia sit contraria peccato secundum diversas rationes contrahendi peccata, cadit in diversis generibus : est enim in peccato culpa, quæ est contraria gratiæ : et est ibi actus qui causat existentiam ejus in subjecto, quia licet actus ejus transeat, tamen remanet adhuc in subjecto peccatum, ut prius dictum est : et est iterum peccatum vulnus quoddam boni naturalis, et spoliatio gratuitorum : et idem est cum quadam delectatione in opere. Secundum igitur contrarietatem quam habet pœnitentia ad ipsum in eo quod est culpa quædam, sic pœnitentia est gratia, et ponitur in genere gratiæ : in eo autem quod est in subjecto manens ex perpetratione, sic contrarium ejus est virtus, et ponitur in genere virtutis : peccatum autem secundum quod est quoddam vulnus animæ, sic habet medicinam quæ est sacramentum, et hoc modo cadit pœnitentia in genere sacramenti : et secundum quod est in opere delectabili, contrariatur actus qui est plangere sive dolere : et secundum quod est libido quædam vel ex libidine, contrariatur passio quæ est tristitia quæ *pœnitentia* dicitur.

[1] Cf. Infra, Dist. XXII, C.

Si autem aliquis dicat, quod istæ sunt differentiæ penes modos quosdam consideratæ, magis quam penes rem : cum ea quæ sunt in diversis generibus, differunt secundum rem : et ita ista distinctio non sit competens. Dicendum, quod hæc distinctio est penes rem : quia in veritate pœnitentia quæ in toto, id est, quantum ad omnem modum et omnia quæ sunt in peccato, est dolor procedens ex habitu liberi arbitrii informati per gratiam, habens actum quemdam destructivum peccati, et manifestatus in signo, et ad intus vi clavium : unde pœnitentia singulariter dicitur omnia illa, scilicet gratia, et habitus, et actus, et sacramentum, et dolor, et etiam id quod extra injungitur per claves : et ideo æquivoce cadit in diversis generibus, licet in omnibus significationibus habeat analogiam ad unum, quod est peccato contrariari quod est perpetratum.

Ad aliud dicendum, quod Magister hic accipit exteriorem, secundum quod interiori attestatur : et sic patet, quod non valet objectio. Vel potest dici, quod Magister hic loquitur de eo quod est sacramentum tantum : sed prima solutio est melior, prout probatur infra, distinctione XXII, cap. ultimo [1].

Ad quæst. 1. Ad aliud dicendum, quod hoc sacramentum ordinatur contra peccatum personale, in quantum proprium est et personale : hoc autem consistit in actu voluntario vituperabili, eo quod est turpis : et ideo necessario habet remedium duplex contrarium, scilicet in quantum est actus, et in quantum est vulnus : et primo modo contrariatur ei virtus, secundo modo medicinæ sacramentum : et ideo pœnitentia quæ in toto contrariatur ei, est virtus et sacramentum diversa consideratione. Alia autem sacramenta non sunt contra peccatum sic consideratum, sed potius sunt contra originale, quod non agitur, sed contrahitur : vel sunt contra pœnas peccati, ut supra probatur in quæstione de *divisione et sufficientia sacramentorum* [2] : et ideo quia illa non respiciunt actum voluntarium circa quem est virtus et vitium, ideo nullo modo habent rationem virtutis.

Ad aliud dicendum, quod res sacramenti pœnitentiæ non est proprie virtus pœnitentiæ, sicut patet per objectionem contrariam, quæ bona est, et causam reddit, quare non sit res ejus : quia duplex est res sacramenti, scilicet propria, et communis, sive conjuncta illi : propria quidem est gratia specialis curans illum morbum specialem contra quem institutum est sacramentum : et habita una gratia sacramentali, non habetur propter hoc alia quæ proprie est virtus alterius sacramenti. Quia vero gratia nulla datur in parte, sed in toto, jam concomitatur illam gratiam omnis virtus : et ideo recipit omnem virtutem : et hic est effectus consequens : et hoc modo procedunt objectiones probantes virtutem pœnitentiæ esse effectum sacramenti pœnitentiæ.

Ea autem quæ objiciuntur in contrarium, licet secundum argumentum parum valeat, concedo. Dico autem, *parum valet* : quia dictum est supra in quæstionibus de *baptismo* [3], quod sacramenta dupliciter comparantur ad unum effectum inducendum, scilicet secundum quod sunt in proposito ad suscipiendum et secundum quod in re suscipiuntur : et sic nihil prohibet, quod veniens ad recipiendum pœnitentiæ sacramentum, habeat effectum pœnitentiæ, sicut veniens ad baptismum, quandoque habet effectum baptismi.

[1] Cf. Infra, Dist. XXII, C.
[2] Cf. Supra, Dist. II, Art. 1.
[3] Cf. Supra, Dist. IV, Art. 13.

ARTICULUS VI.

An pœnitentia sit justitia ?

Deinde quæritur de hoc quod dicitur, ibi, A, § 2 : « *Pœnitentia dicitur a puniendo*, etc. »

Et quæruntur tria, quorum primum est, Utrum pœnitentia sit justitia : sicut videtur innuere Magister in *Littera*.

Secundo, An sit charitas ?

Tertio, Si est virtus specialis, in qua animæ vi sit ?

Ad primum autem objicitur sic :

1. Super illud Psalmi IV,6 : *Sacrificate sacrificium justitiæ*, dicit Glossa : « Quid justius, quam ut suis quisque malis potius quam alienis irascatur, seque puniens per pœnitentiam et satisfactionem Deo offerat ? » Ergo justitiæ species est pœnitentia, vel ipsa justitia.

2. Item, Isidorus : « Tunc judicium quilibet de se statuit, quando per dignam pœnitentiam sua prava facta condemnat : » judicium autem est justitiæ exsecutio : ergo videtur, quod pœnitentia est idem quod justitia.

3. Item, Infra in *Littera* dicitur, quod « pœnitentia est virtus, vel gratia, qua commissa mala cum emendationis proposito plangimus et odimus. » Emendationis autem propositum est justitiæ directive, ut videtur velle Philosophus. Ergo pœnitentia est justitia, vel species ejus.

4. Item, Per rationem videtur idem : Distinguit enim Aristoteles in V *Ethicorum* duas species justitiæ : quarum unam vocat *distributivam*, alteram vero *directivam* : sed directiva est illa quæ tantum satisfacit læso quantum excessit lædendo, vel injuriam inferendo : hoc autem præcipue facit pœnitentia : ergo pœnitentia est species justitiæ, ut videtur.

5. Item, A Canonibus vocatur *judex* sacerdos in causa pœnitentiæ, ut injungat satisfactionem secundum modum delicti : ergo videtur, quod pœnitentia respiciat ordinatum a judice et judicatum : hoc autem ex justitia profectum est, ut dicit Tullius : ergo justitia quædam videtur esse pœnitentia.

6. Item, Hoc videtur ex Glossa super Epist. I ad Corinth. XI, 31, super illud : *Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur*. Dicit enim Augustinus in hac Glossa, quod ascendat homo tribunal mentis suæ : testis autem sit conscientia, et carnifex timor Dei : constat autem, quod loquitur de judicio pœnitentiali : ergo videtur, quod pœnitentia quædam justitia sit, cujus exsecutio est tale judicium.

Sed contra. Sed contra :

1. Justitia specialis (ut dicit Philosophus) proprie sumpta non est hominis ad seipsum, sed potius justitia metaphorice dicta : sed pœnitentia est hominis ad seipsum : ergo pœnitentia non est justitia.

2. Item, Dicit Philosophus, quod in justitia est æqualitas quædam media inter damnum et lucrum : sed secundum æqualitatem damni non restituit damnum pœnitens, sed multo minus : ergo pœnitentia non est justitia, ut videtur.

3. Item, Gregorius : « Pœnitere est radicem peccatorum excidere, et eorum suggestionibus ulterius aditum non indulgere : » radices autem peccatorum non attendunt aliquod debitum proprie sumptum : sed omnis justitia proprie sumpta est circa debitum aliquod : ergo pœnitentia non est justitia proprie sumpta.

Solutio. Solutio. Dicendum, quod quæstio ista levis est, et parum valet. Potest enim pœnitentia considerari in habitu vel in actu. Si in habitu, est habitus distinctus per se movens liberum arbitrium in peccati delectationem sub spe veniæ : et non est justitia, nec proprie justitiæ spe-

cies, de qua prædicetur justitia sicut genus de specie : sicut justitia communis de justitia distributiva, et de justitia directiva. Si autem consideretur in actu qui est detestari : tunc potest actus suus imperatus esse a justitia secundum quod dicit Augustinus, quod pœnitentia est quædam dolens vindicta, puniens in se quod dolet commisisse. Et secundum quod dicit Anselmus, quod restituit pœnitens Deo honorem debitum : et hujusmodi verba dicunt Sancti frequenter : non tamen hunc actum elicit proprie justitia, sed imperat tantum : et tunc rationem debiti assumit. Secundum autem quod in habitu consideratur, est habitus secundarius juxta principalem sumptus qui est cardinalis justitia : sicut etiam aliæ virtutes secundariæ sumuntur juxta cardinales, quæ nec sunt cardinales, nec species cardinalium, ut magnanimitas, largitas, magnificentia, mansuetudo, et hujusmodi, de quibus determinatur in IV *Ethicorum*. Et per hoc patet responsio ad objecta.

Ad 1 et seq. Dicendum igitur ad primum, quod illa Glossa loquitur in illo sensu quo imperativum pœnitentiæ justitia est : tamen est alius habitus eliciens actum illum.

Et hoc modo procedunt objectiones ad partem illam inductæ : unde patet solutio ad omnes.

Ad object. 1. Ad ea autem quæ objiciuntur in contrarium, dicendum quod justitia proprie non est hominis ad se, nisi sicut dicit Philosophus, sit hominis ad se in quantum diversa sunt in uno homine, sicut superiores vires et inferiores, et quodammodo justum est inferiores famulari, et superiores imperare : et hæc justitia non vocatur mathematica a Philosopho. Nec proprie justitia est hominis ad suos, ut sunt sui : ut patris ad filiumfamilias, vel servi ad dominum, vel viri ad uxorem : quia servus et filiusfamilias et uxor non habent suum nisi nomine domini et patris et mariti : et id proprie non redditur eis nisi in aliquo æquales sint, et nisi unus in potestate alterius, sicut uxor et vir in matrimonio, et hujusmodi. Large tamen justitia est inter istas personas quam justitiam vocat Philosophus justitiam directivam. Sed justitia proprie est inter eos qui jure suo sunt pares et æquales, ita quod suum unius non est suum alterius : et hoc modo pœnitentia secundum quod actus ejus imperatur a justitia, est quædam paritas juris inter Deum et hominem : ut Deus quidem sit damnificatus in suo, et homo superabundans et damnificans : pœnitentia aurem est æqualitas, tantum restituens Deo quantum damnificatus est et homo damnificavit.

Ad aliud dicendum, quod est æqualitas rei, et æqualitas accepta ab eo qui damnificatus est, quæ est æqualitas reputationis. Et æquale rei restituere non possumus : sed æquale quod est reputationis, scilicet quia Deus non exigit plus a nobis, quam dat nobis ex dono gratiæ : sicut si deberem tibi centum, et darem tibi nonaginta novem, et ego restituerem tibi unum, juste restituissem. Ad

Ad id quod quæritur de Gregorio, dicendum quod intelligitur de radicibus peccati perpetrati : et hoc potest fieri imperio justitiæ, licet non semper ita fieri sit necessarium, ut dictum est. Ad

ARTICULUS VII.

An pœnitentia sit charitas vel alia virtus ?

Secundo quæritur, An sit charitas, vel alia virtus, vel aliqua species ejus ?

1. Ad hoc enim quidam objiciunt, licet parum habeat apparentiæ : sicut dicit Augustinus super illud Psalmi LXXIX, 17 : *Incensa igni et suffossa*, Glossa : « Omne peccatum oritur ex amore male suadente, et etiam timor : ex amore enim fit, quod timet sibi. » Ergo in opposito similiter

erit, quod omne odium provenit ex amore boni : ergo odium hoc propter peccatum perpetratum provenit ex amore boni, et præcipue boni summi : et hic est charitas : ergo primum in pœnitentia est charitas. A principio autem motivo debet trahi ad speciem ipse actus : quia illud informat actum, quod primo movet potentiam : ergo pœnitentia erit charitatis actus, ut videtur : ergo habitualis pœnitentia est charitas.

2. Item, Amor boni universaliter in concupiscibili est : sed ex illo procedit odium mali : ergo et odium mali est in concupiscibili : et prima perfectio concupiscibilis est charitas : ergo primus amor boni et odium mali sunt charitatis : et hæc sunt pœnitentiæ : ergo pœnitentia est charitas.

Sed contra videtur, quod

1. Sit patientia per id quod infra [1] habetur ex verbis Chrysostomi : Perfecta pœnitentia cogit peccatorem omnia libenter sustinere : » sed sustinere est patientiæ : ergo pœnitentia est patientia.

2. Ulterius videtur, quod sit temperantia. Dicit enim Hilarius in libro II de *Trinitate* : « Illa est perfecta compunctionis affectio, quæ omnes a se carnalium desideriorum affectus repellit [2]. »

3. Ulterius videtur, quod sit prudentia. Luc. VI, 21, super illud : *Beati qui nunc fletis*, etc., Glossa : « Ecce prudentia qua attenditur quam misera hæc terrena, et quam beata cœlestia. » Lugere autem est pœnitentiæ : ergo et pœnitentia est prudentia.

Solutio. Solutio. Ad hoc et omnia hujusmodi dicendum, quod pœnitentia non est charitas : sed aliud est esse actum virtutis alicujus naturaliter, sive per se elicitive, ut dicunt Magistri, eo quod talem actum per modum naturæ cujusdam active elicit : sicut calidum elicit ex se calefacere. Et aliud etiam per imperium aliquod esse aliquem actum alicujus virtutis : et unc actus ille habet aliquid de ratione virtutis imperantis. Et aliud est esse actum aliquem alicujus virtutis sicut promoventis et expedientis per adjutorium aliquod ad actum : quia, sicut dicit beatus Gregorius, virtutes vocant se invicem ad convivia et adjutoria. Omnes autem hic inductæ objectiones non probant actum pœnitentiæ esse hujus vel illius virtutis, nisi per modum adjutorii.

Sed tamen sciendum, quod duo prima argumenta nihil omnino valent. Quod enim primo objicitur ibi, quod omnis timor ex amore est : hoc plane verum est : sed ille amor est habitualis placentia sui, qui dicitur esse radix vitii, non vitium aliquod in specie vel genere determinatum. Similiter cum dicitur, quod odium mali procedit ex amore boni, ille amor non est charitas vel alia virtus, sed habitualis placentia et boni naturalis, secundum quod generaliter sumitur propositio. Si autem particulariter sumatur, eo quod quandoque odium peccati ex charitate Dei est, quando oditur peccatum in quantum Deo dilecto est contrarium : tunc erit actus ille per imperium charitatis. Et forma arguendi non valet : quia procedit ex omnibus particularibus. Ad 1.

Ad aliud dicendum, quod hæc est falsa, amor boni universaliter est in concupiscibili : sive enim ly *universaliter* determinet ly *boni* : ut sit sensus, amor boni universaliter sumpti, est in concupiscibili : sive distributionem ponat circa ly *amor*, et determinet compositionem, falsa est propositio : particulare enim est bonum, quod amat ex concupiscibili, sicut sciunt omnes qui jam alibi didicerunt, quod concupiscibilis est sensibilis animæ pars. Similiter bonum est aliquid uniuscujusque objecti quod amat potentia : sicut et concupiscibilis amat suum bonum. Unde per omnem modum falsa est proposito. Ad 2.

Si autem dicatur, quod bonum simpliciter amatur a concupiscibili, et ab

[1] Cf. Infra, Dist. XVI.

[2] S. Hilarius, Lib. II de Trinitate, cap. 12.

aliis bonum sui et secundum quid, adhuc falsa est proposito, si consentimus, quod concupiscibilis est pars sensibilis animæ: sicut concorditer pronuntiant omnes auctoritates tam Sanctorum, quam Philosophorum. Si autem dicamus propositionem intelligi de concupiscibili humana quam dicunt quidam esse partem animæ rationalis: tunc nihil valet ad propositum: quia, sicut prius ostensum est, ille amor non universaliter est charitas: et si sit quandoque charitas, tunc actus pœnitentiæ erit per imperium tantum charitatis, et non essentialiter. Et forma arguendi ex paribus non valet.

Ad object. 1. Ad aliud dicendum, quod sustinere æquivoce sumitur de patientia et pœnitentia: patientia enim est in periculis, et pressuris illatis per violentiam ab extrinseco: sed in pœnitentia est sustinentia doloris assumpta voluntarie: unde illa objectio non valet.

Ad object. 2 et 3. Ad aliud dicendum, quod illa objectio non probat, nisi quod temperantia per modum advenientis promovet pœnitentiam: et eodem modo procedit id quod ultimo inducitur de prudentia: et tales adaptationes Sanctorum, similitudines quasdam, et non proprietates considerant: et valde parum probant de proposito.

ARTICULUS VIII.

In qua vi animæ est pœnitentia?

Tertio quæritur, In qua vi animæ sit pœnitentia?

1. Videtur autem quod sit in synderesi. Si enim actus aliquis alicui semper convenit, et alii non semper, magis essentialiter convenit ei cujus est semper, quam cujus non est semper: sed synderesi semper convenit detestari peccatum, non autem semper alicui alteri potentiæ animæ: ergo actus iste proprie est synderesis: ergo et habitus a quo elicitur: sed habitus ille est pœnitentia, ut dictum est: ergo pœnitentia est in synderesi.

2. Item, Videtur quod sit rationis: quia super illud Psalmi xli, 12: *Quare tristis es anima mea?* etc. Dicit ibi Glossa: « Quia ibi consolatur ratio sensualitatem dicens: *Adhuc confitebor illi*, id est, agam pœnitentiam: » sed cujus est agere pœnitentiam, in illo est pœnitentia ut in subjecto: sed rationis est agere pœnitentiam, ut jam probatum est: ergo in ratione est pœnitentia ut in subjecto.

3. Videtur autem, quod sit concupiscibilis: quia amor boni et odium mali oppositi sunt circa idem: sed amor boni est concupiscilis, et odium mali oppositi, et odium peccati est pœnitentia: ergo pœnitentia est in concupiscibili.

4. Videtur autem iterum, quod sit in irascibili. Super illud enim Matthæi, xiii, 33: *Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier*, etc., dicit Glossa, quod in rationali possidemus prudentiam, in concupiscibili desiderium virtutum, et in irascibili odium vitiorum: sed odire vitia pœnitere est: ergo pœnitentia est in irascibili.

5. Item, Videtur quod sit in libero arbitrio. Ejusdem enim est peccare et pœnitentiam agere: sed liberi arbitrii est peccare: ergo et pœnitentiam agere: ergo pœnitentia est in libero arbitrio.

6. Item, Videtur quod sit in omnibus viribus simul. Est enim virtus in illa vi in qua est materia ejus: sed materia pœnitentiæ circa quam, est peccatum: et diversa peccata sunt in singulis viribus: ergo pœnitentia est in omnibus simul.

Sed iterum hoc videtur impossibile: quia non est possibile unam et eamdem numero formam in diversis subjectis esse: sed pœnitentia est una numero forma: ergo non est nisi in uno subjecto: sed omnes potentiæ simul, sunt diversa subjecta: ergo pœnitentia non est in omnibus simul.

Sol. 0. Solutio. Dicendum, quod licet quidam dicant potentias animæ esse subjecta et virtutum et vitiorum, tamen hoc non est verum : et quod dicunt, non est dictum subtili ratione. Impossibile enim est, quod aliquid sit subjectum non habens proprietatem aliquam materiæ : unde anima est subjectum omnium eorum quæ sunt in anima secundum id quod est, et non secundum id quo est : sed verum est, quod cum perficiatur anima habitibus et formis quæ sunt in ipsa, quodammodo perficitur quoad hanc potentiam, et quodammodo quoad aliam : et hoc modo forte volunt dicere, quod virtus sit in ista vel in illa potentia. Dico ergo sine præjudicio aliter dicentium, quod ille habitus qui est pœnitentia est in irascibili cum ratione participante aliquid rationis, secundum quod ad rationem ordinatur : et hoc videtur ex dicto Augustini, quod pœnitentia est vindicta puniens in se quod dolet commisisse. Item etiam ex hoc quod pœnitentia dicitur esse indignatio sui pro peccato perpetrato. Et iterum hoc prætendit ipsum nomen quod sonat in pœnæ tentionem, qua homo punit seipsum.

Ad 1. Ad primum ergo quod objicitur, dicendum quod synderesis non illo modo remurmurat peccato quo irascibilis : quia synderesis remurmurat peccato universaliter, non perpetrato in quantum est in subjecto : sed irascibilis remurmurat sicut pœnitens remurmurat : quia hoc improprie dictum est : sed detestatur peccatum perpetratum secundum quod perpetratio causa est quod ipsum sit in subjecto et in particulari : et sic patet solutio ad primum.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod ratio dicitur hic ut ordinatrix aliarum virium : et ideo attribuitur ei quod est virium aliarum ordinatrix.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod in concupiscibili est amor boni generaliter, sicut etiam in præcedenti quæstione dictum est. Si tamen concedatur : tunc dicatur, quod odium vitii duplex est. Unum quod est dissensus vitii in genere et sequitur amorem virtutis in genere : et hic amor non est concupiscibilis proprie, sed appropriate, cum sit communiter omnium. Aliud etiam odium est speciale cum indignatione et insurrectione contra ipsum, in quantum est in subjecto : et hoc est pœnitentiæ et irascibilis, et hoc non opponitur amori virtutis vel boni in genere, sed in specie quo amat irascibilis sibi proprium objectum.

Ad 4. Ad id autem quod sequitur, licet concedamus conclusionem, tamen sciendum, quod Glossa illa loquitur non de propriis potentiarum, sed de appropriatis potius : et de talibus hoc quod intelligere potuimus scripsimus in conclusionibus nostris de anima in tractatu de *potentiis motivis*.

Ad 5. Ad aliud quod sequitur dicendum, quod non omne peccatum est in libero arbitrio, sicut in subjecto : nec in anima secundum liberum arbitrium : sed omne peccatum est in libero arbitrio sicut in causa causante et complente peccatum : ratio enim inchoat per determinationem quod ita fiat, sed voluntas complet. Deinde nota, quod quidam hoc concedunt, et utuntur hac ratione : quia inferiores potentiæ sunt moventes motæ : unde si virtutes essent in illis, essent virtutes motæ a ratione : et cum ipsæ sint gratuitæ, oporteret quod motum gratiæ præveniret motus naturæ ex parte rationis, vel liberi arbitrii, et hoc est inconveniens : ideo dicunt, quod nulla virtus est in inferioribus viribus. Et si hoc est verum quod dicunt : videtur tunc quod quidquid dicitur in fine primi *Ethicorum*, et a Damasceno, et a Gregorio Nicæno, et ab Avicenna, totum falsum est : et hoc reputo ego absurdum : et ideo dico, quod motus quo ratio ordinat et regit inferiores vires, æquivocus est ad motum virtutis gratuitæ informantis opus : et ideo si ille præveniret istam, non esset propter hoc prior nisi esset ejusdem rationis.

Præterea, Non est inconveniens, quod

ratio informata gratia præveniat concupiscibilem vel irascibilem informatam gratia: quia semper erit motus gratiæ primus.

Ad 6. Ad ultimum dicendum, quod non est in qualibet potentia pœnitentia, licet materia circa quam est, sit in omnibus vel possit esse: et hæc est ratio, quia non est in omnibus, secundum quod est de ipsa pœnitentia, sed tantum in irascibili: est enim irascibilis detestari peccatum perpetratum sub spe veniæ, et in quantum est sibi indignum peccatum et contemptibile: et hoc modo efficitur peccatum propria materia irascibilis: et hoc modo pœnitentia est de ipso.

ARTICULUS IX.

An pœnitentia sit prior aliis virtutibus?

Deinde quæritur de hoc quod dicitur, ibi, A, § 2: « *Pœnitentiæ virtus timore concipitur*, etc. »

Et quæruntur hic tria: primo de ordine ipsius ad alias virtutes, tam ex parte intellectus, quam ex parte affectus.

Et secundo, Qualiter verum est quod dicit, quod concipitur timore?

Tertio, Quare non dicitur, quod concipitur amore?

Ad primum autem objicitur:

1. Per hoc quod habetur, Matth. III, 2, in Glossa: *Pœnitentiam agite*, etc., ubi dicit Glossa: « Prima virtus est per pœnitentiam perimere veterem hominem: » ergo nulla virtus antecedit pœnitentiam.

2. Item, Pœnitentia est causa justificationis: sed in justificatione omnes virtutes infunduntur: ergo per consequens est causa omnis virtutis: ergo ipsa est prima inter omnes virtutes: quia causa prior est causato. Probatur autem prima per Hilarium in libro I de *Trinitate*, ubi dicit sic: « Sicut in baptismo omnia peccata remitti credimus, vel per martyrium nullum credimus peccatum imputari: ita pœnitentiæ compunctione fructuosa deleri fatemur peccatum: lacrymæ enim pœnitentium apud Deum pro baptismo reputantur. »

Item, Bernardus dicit, quod « prius exstirpanda sunt vitia, quam inserantur virtutes: » sed pœnitentia exstirpat vitia: ergo ipsa est ante insertionem virtutum: ergo nulla virtus præcedit eam.

Item, Augustinus: « Nullus nisi pœniteat eum veteris vitæ, novam inchoare potest: » sed abjectio veteris vitæ est ante inchoationem novæ: ergo pœnitentia est ante inchoationem novæ vitæ: inchoatio autem novæ vitæ est per virtutes: ergo pœnitentia est ante alias virtutes.

3. Item, Ad Hebr. VI, 1, dicitur: *Non rursum jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis*: sed fundamentum est primum: ergo pœnitentia est prima.

Sed contra: Sed nihil

1. Vita est primus actus animæ in corpore, vel primus actus substantiæ: sed vita in moralibus proportionaliter respondet vitæ in natura: ergo et in moralibus est primus actus vita: hic autem est actus fidei: ergo fides est prima virtus. Probatio quod fidei est actus, ad Roman. I, 17, et ad Hebr. X, 38: *Justus ex fide vivit.*

2. Item, Primum purificans cor est prima virtus purgatoria: sed fides est primum cor purificans: ergo est prima virtus. Probatio mediæ, Act. XV, 9: *Fide purificans corda eorum.*

3. Item, Beatus Gregorius et Beda dicunt, quod timor ex fide nascitur: ergo fides prior est timore: sed quod est prius priore, est prius posteriore: sed timor est prior pœnitentia, quia timore concipitur pœnitentia, ut dicitur in *Littera*: ergo fides prior est pœnitentia: ergo pœnitentia non est prima virtus.

4. Item, In omni opere vel motu prius est dirigens quam exsequens : prius enim est aperire oculos, quam ambulare : ergo prius est videre de quo dolendum est, quam dolere : hoc autem ostendit fides : ergo fides est ante pœnitentiam.

Solutio. Solutio. Dicendum, quod habitus virtutum omnes infunduntur simul tempore : tamen natura unius habet ordinem ad alium secundum ordinem suorum actuum : quia actus sunt prævii habitibus. Unde sine præjudicio quorumdam modernorum aliter dicentium, dico cum antiquis, quod illa prioritate fides prima est, sed pœnitentia proxima est justificationi, et timor Domini est media virtus, et spes similiter. Hoc autem expresse videri potest ex ipso motu pœnitentis, de quo dicit Gregorius, quod inter spem et timorem fide stabilimur : necesse est enim accedentem ad Deum primo credere, quia est, et quia remunerator est bonorum, et retributor malorum. [1] Ex isto autem conceptu habituali et actuali præhabito, consequitur timor pœnarum, et spes bonorum, et veniæ, vel bonorum per veniam : et ex isto dolor de peccatis spe veniæ ex consideratione pœnæ. Et hoc antiqui concorditer scribunt et dicunt : licet quidam moderni quadam deliberatione aliud dicere conentur.

Ad 1. Dicendum ergo ad primum, quod prima virtus dicitur ibi proxima, non quæ secundum ordinem naturæ est prima. Vel dicatur melius, quod pœnitentia dicitur prima, non simpliciter prima virtutum, sed ex parte subjecti justificabilis : quia ex parte illius prius est abjicere vitia, quam imbui virtutibus : et cum per pœnitentiam abjiciantur vitia, erit ipsa ex parte materiæ sui subjecti prima. Et hoc est primum generatione, et non formaliter : et non est primum natura nisi eo modo quo materia dicitur natura : et hoc est per posterius, ut vult Philosophus.

Ad aliud dicendum, quod ex hoc quod est causa justificationis, non probatur prior nisi modo dicto. Causa enim justificationis est duplex, scilicet removens contrarium, et est formalis causa : formalis autem causa justificationis non est pœnitentia in eo quod hujusmodi, sed potius justitia : sed est removens contrarium ex parte materiæ. Per hoc etiam patet solutio ad dicta trium Doctorum, scilicet Hilarii, Bernardi, et Augustini. Ad 2.

Ad aliud dicendum, quod fundamentum dicitur bonorum ex parte præparationis subjecti sive loci, ubi ædificandum est, et non sicut primum substans quod est pars essentialis ædificii : quia sic fides est fundamentum. Ad 3.

Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICULUS X.

Qualiter pœnitentia timore concipiatur ?

Secundum quæritur, Qualiter pœnitentia timore concipiatur ?

Videtur autem quod non concipiatur : quia omnes virtutes simul dantur per infusionem : ergo nulla concipitur per aliam, ut videtur.

Præterea, Qualiter concipitur potius quam generatur ? Quæst. 1.

Ulterius quæritur, Si timore, concipitur, quo timore concipiatur ? Quæst. 2.

Videtur autem, quod servili : quia ille prius est, et fugit pœnam : ergo inducit dolorem de merito vel reatu pœnæ : et hic est actus pœnitentiæ : ergo concipitur timore servili.

Contra : Conceptum est intra concipiens : ergo pœnitentia est intra timorem Sed contra.

sit.

[1] Ad Hebr. xi, 6 : *Credere oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator*

concipientem, sed pœnitentia est cum gratia : ergo timor est gratuitus, quo concipitur pœnitentia : sed servilis timor non est gratuitus : ergo non concipitur timore servili, ut videtur, sed initiali.

Solutio. Solutio. Dicendum, quod *conceptum* dicit intus captum, imperfectum : et ideo cum duo sint inter quæ movetur pœnitens, ut dicit Gregorius, scilicet spes, et timor : et duo sint in pœnitentia, scilicet dolor, et gratia informans, quam consequitur gaudium de dolore, ut infra habebitur. Ex parte spei magis se tenent gratia et gaudium quæ sunt perfectiva pœnitentiæ in quantum est meritoria : ex parte autem timoris magis se tenet dolor qui est materialis in pœnitentia, et secundum se imperfectus. Et hoc patet ex hoc quod contritio dolorem communem habet cum attritione : cum tamen attritio sit dolor informis de peccatis : et quia conceptum dicit intus captum imperfectum, et ex parte doloris tenet se ad timorem, dicitur magis, quod timore concipitur, quam spe vel alia virtute.

Ad primum ergo dicendum, quod licet omnes simul tempore infundantur, tamen habent ordinem quemdam secundum naturam actuum ipsarum virtutum, et etiam ex parte subjecti cui infunduntur, ut in præcedenti quæstione determinatum est.

Ad quæst. 1. Ad aliud dicendum, quod *generari* ædificationem dicit perfecti : et secundum hoc pœnitentia reducitur etiam ad timorem ut ad effectum, ut in se claudit pœnitentiam.

Ad quæst. 2. Ad aliud dicendum, quod uterque timor potest significari cum dicitur, Pœnitentiæ virtus timore concipitur. Per concipiens autem potest significari efficiens extra, et claudens in se pœnitentiam, non simpliciter, sed imperfectam : et hoc est in dolore attritionis.

Et sic non sequitur quod in contrarium objicitur : quia pœnitentia sic accepta est sicut puerperium informe, et ideo est sine gratia : et ideo generat eam et claudit in se timor servilis. Si autem intelligatur per concipiens generans intra et claudens pœnitentiam habentem formam gratiæ, sicut clauduntur puerperia formata : tunc concipiens erit timor initialis : et non valet primum argumentum, quia ostensio pœnæ non est causa pœnitentiæ in eo quod hujusmodi, sed doloris tantum.

ARTICULUS XI.

Quare pœnitentia non concipiatur amore, vel alia virtute ?

Tertio quæritur, Quare non concipiatur amore vel alia virtute ?

Fide enim videtur concipi, quia

1. Fides est in intellectu, ut prius habitum est : ergo videtur ipsa esse concipiens.

2. Item, Amor est mater virtutum : et matris est concipere : ergo videtur, quod amore concipiatur.

3. Item, Sicut supra habitum est, etiam timoris radix et causa est amor : ergo amor est primum concipiens et timorem et pœnitentiam.

4. Item, Convertens ad Deum pœnitentia, quæ vere pœnitentia est, amor est, et primum est amor, ut habitum est : ergo est prima causa pœnitentiæ : ergo concipiens.

Solutio. Solutio. Dicendum, quod omnes illæ quæstiones leves sunt. Dicendum tamen, quod fides prima est in intellectu, et amor secundum ordinem ad bonum prima virtutum in affectu, et timor prima virtutum in affectu secundum recessum a malo. Et ita secundum diversas considerationes nihil prohibet diversas esse primas : sed tamen concipiens imperfectam

pœnitentiam, et in se claudens, hoc est efficiens pœnitentiæ immediate conjunctum ei, et hoc non est nisi timor, ut prius ostensum est. Per primam autem distinctionem patet solutio objectionum : quia super illam distinctionem proceduut omnes.

ARTICULUS XII.

An diffinitio pœnitentiæ sit bene assignata ab Ambrosio ?

Deinde quæritur de hoc quod dicitur, ibi, A, § 3 : « *Est enim pœnitentia, ut ait Ambrosius, mala præterita plangere*, etc. »

Objicitur enim contra hanc diffinitionem : quia

1. Sicut dicit Philosophus in VI *Topicorum*, peccant qui ponunt in diffinitione habitus actum, ut genus : sed plangere præterita mala est actus : ergo non cadit in diffinitione pœnitentiæ quæ est habitus.

2. Item, Plangere dicit lamentum : non autem omnis pœnitens potest habere lamentum : ergo non est pœnitentiæ essentiale præterita mala plangere.

3. Si forte dicas, quod plangere dicit planctum cordis, non oculorum, vel sensus in carne. Videtur, quod adhuc non sit essentiale pœnitentiæ plangere : plangere enim sive sit interius, sive exterius, dicit actum elicitum de potentia informata gratia. Ad hoc autem ut eliciatur, exigitur tempus, ante quod ipse pœnitens est in gratia quæ infunditur in instanti. Ponamus ergo, quod gratiam habeat, et non eliciat actum plangendi, et sic moriatur : constat, quod salvabitur cum habeat gratiam : ergo habuit pœnitentiam valentem ad salutem sine planctu in actu : ergo non est essentiale pœnitentiæ plangere : ergo non sic debet diffiniri : Pœnitentia est præterita mala plangere.

4. Si dicas, quod plangere est necessarium pœnitenti propter dolorem qui supponitur in nomine pœnitentiæ : dolens enim non potest non plangere. Adhuc falsum esse videtur : quia aut infusio gratiæ præcedit dolorem illum, aut non. Si non : tunc dolor attritionis est, et non pœnitentiæ : ergo illum non sequitur plangere quod essentialiter diffinit pœnitentiam : et sic nihil esset quod dicit Ambrosius. Si præcedit eum gratia : tunc in instanti in quo infunditur gratia, simul infunduntur cum ea omnes virtutes : ergo et pœnitentia : et hanc infusionem sequitur dolor qui non potest esse nisi in tempore : et inter instans infusionis virtutum, et tempus doloris est tempus : ergo aliquod est tempus in quo est pœnitentia virtus, et non dolor, vel planctus : igitur non est essentiale pœnitentiæ dolere et plangere, ut videtur.

5. Si forte dicas, quod dolor attritionis sit dolor contritionis secundum opinionem eorum qui dicunt, quod naturalia fiunt gratuita. Videtur adhuc hoc esse falsum : quia, Matth. III, 8, super illud : *Facite fructum dignum pœnitentiæ*, etc. Glossa : « Discretio est in pœnitentia quæ timorem Dei et metum pœnarum ante oculos ponit, recolens antiquæ turpitudinis. Sic dolor cordis in fletus erumpit : quia sine dolore nulla sunt vulnera, si vitalia membrorum non fuerint circummortua. Gratia est quod sentit, sentiens quærit sanitatem. » Huc usque verba Glossæ. Ergo gratia dat sentire, sicut dicitur in ultima parte Glossæ : ergo gratia dolorem præcedit, sicut causa effectum : et ita habetur propositum.

Item objicitur de hoc quod dicit, « *Præterita mala.* »

1. Præterita enim mala non possunt non esse præterita : sed stultum est plangere quod non potest non esse : ergo omnis pœnitens est stultus.

2. Item, Per pœnitentiam efficitur

peccator conformis divinæ voluntati : ergo vult hoc quod Deus vult : sed vult præteritum factum esse : ergo et peccator vult præteritum factum esse : sed nemo sapiens plangit hoc quod vult fuisse : ergo pœnitens qui sapiens est, non plangit mala præterita, ut videtur.

3. Si forte dicas, quod licet respectu præteritorum necessariorum non sit voluntas absoluta, tamen est velleitas quæ est idem quod conditionata voluntas, scilicet quod vellet præterita mala non esse, si hoc esset possibile : ergo secundum hoc pœnitens simpliciter vult præterita mala facta esse, et sub conditione vellet non esse : ergo simpliciter non plangit mala præterita : cum tamen Ambrosius supra innuat, quod mala præterita plangit.

Ulterius quæritur de hoc quod dicit, « *Mala*, etc. »

Aut enim plangit mala quæ sunt, aut mala quæ non sunt. Si mala quæ sunt, cum non sunt mala nisi quando insunt, videtur quod insunt : sed opposita non insunt simul : ergo cum mala insunt, virtutes non insunt, nec gratia : ergo cum plangit mala, non habet gratiam nec virtutes : ergo talis planctus non est planctus pœnitentiæ virtutis, et gratia informatus, quod falsum est. Si autem plangat mala quæ non sunt. Contra : Nullus dolet de eo quod non est, secundum quod non est : ergo nec plangit illud : ergo non plangit mala quæ non sunt.

Ulterius objicitur de hoc quod dicit, « *Et plangenda iterum non committere.* »

1. Per illam enim particulam expresse videtur, quod qui patitur recidivum, quod numquam pœnituit : et hoc statim infra in hac eadem distinctione condemnatur pro hæresi.

2. Præterea, Videtur quod hoc appositum non sit essentiale pœnitentiæ. Primo quidem per diffinitionem Ambrosii, quæ infra ponetur : « Pœnitentia vera est dolor cordis et amaritudo animæ pro malis quæ quisque commisit. » In hac enim totum esse pœnitentiæ explicatur : et tamen nihil tangitur de peccatis futuris.

3. Idem videtur per rationem : Pœnitentia enim respectu præteritorum est, ut accipitur ex principio III *Ethicorum* : non igitur diffinienda est respectu futurorum.

4. Item, Boetius dicit esse locum a communiter accidentibus : pœnituit : ergo peccavit. Non autem est a communiter accidentibus : pœnituit : ergo cavebit futurum peccatum : ergo videtur, quod pœnitentia respiciat præteritum, et non futurum : ergo non est diffinienda pœnitentia per futurum.

5. Item, Pœnitentia differt a cautela : pœnitentia enim non est cautela, nec e converso. Cum igitur cautela sit respectu futuri, pœnitentia non erit ejusdem, ut videtur.

6. Item, Pœnitere non est pœnitentia : ergo diffinitio pœnitentiæ non est diffinitio ejus quod est pœnitere : sed statim in *Littera* dicitur, quod pœnitere est anteacta mala deflere, et flenda non committere : quod penitus idem est cum priori diffinitione : ergo videtur, quod peccet Magister in *Littera*.

7. Item, Videtur quod partes hujus diffinionis male ordinentur : quia Augustinus in libro de *Ecclesiasticis dogmatibus* diffinit eam sic : « Pœnitentia vera est, pœnitenda non admittere et admissa deflere. » Ergo quod erat respectu futuri, deberet esse prior pars in ordine diffinionis : et id quod est respectu præteriti, deberet esse posterior.

Ulterius hic quæritur, Utrum conveniat hæc diffinitio pœnitentiæ sacramento, vel pœnitentiæ virtuti ? Quæst

Videtur autem, quod non sacramento : quia

Sacramento essentiale est esse signum et causam : nihil autem autem hic poni-

nitur quod sit causa et signum secundum quod hujusmodi : ergo non est data de pœnitentia prout est sacramentum.

2. Item, Pœnitentia sacramentum, ut infra dicitur [1], habet partes, contritionem, et confessionem, et satisfactionem : et nihil ponitur quod respondeat confessioni et satisfactioni : ergo de sacramento pœnitentiæ data non est hæc diffinitio.

CONTRA : Omnibus quibus injungitur pœnitentia a sacerdote, specialiter præcipitur ut plangant præterita, et futura non committant : ergo videtur, quod illud quod ille dicit, de sacramento pœnitentiæ intelligatur.

Solutio. SOLUTIO. Dicendum, quod hæc diffinitio data est per effectum, et non est diffinitio proprie loquendo, sed qualiscumque assignatio : est enim actus effectus habitus, eo quod habitus movet liberum arbitrium naturæ ad talem actum. Et tangit duo quæ sunt pœnitentiæ secundum actum exercitæ. Unum quod est essentiale, et hoc est præterita mala plangere : et alterum quod coexistit illi, ut id quod est essentiale, sit efficax : et hoc est plangenda non committere : et ideo quidam antiqui dixerunt, quod hoc est fundamentum ad primum, quia sine illo primum nihil valet.

Ad 1. AD PRIMUM ergo dicendum, quod dictum Philosophi intelligitur de diffinitionibus datis per essentiam diffiniti : hæc autem est data per proprium effectum.

Et si objicitur, quod causa prior est effectu, et ideo non est diffinienda causa per effectum. Dicendum, quod duplex est prioritas, scilicet quoad nos, et simpliciter : simpliciter quidem causa prior est effectu : quoad nos autem prior potest esse effectus, quam causa. Et sic data est diffinitio, quæ assignatio quædam est ex prioribus quoad nos.

Ad 2. AD ALIUD dicendum, quod *plangere* dicitur breviter dolere actu vel habitu : et est essentialis actus pœnitentiæ, et ideo ponitur in ejus diffinitione. Et bene concedendum est hoc quod inducitur per objectionem factam secundum quod dolor semper supponitur in pœnitente, cui semper essentialiter conjungitur dolere.

Ad 3. AD HOC quod objicitur in contrarium, dicendum quod natura dolere est ante infusionem gratiæ, licet tempore simul sint dolere ex informatione gratiæ, et gratiæ infusio. Dico autem *natura* secundum quod natura dicitur materia : et hoc patet ex hoc quod dicunt Doctores, scilicet quod quatuor exiguntur ad justificationem impii, scilicet motus liberi arbitrii in peccatum, et motus liberi arbitrii in Deum, et remissio culpæ, et gratiæ infusio. Motus autem liberi arbitrii in peccatum est detestatio cum dolore. Et sic patet quod cum hic diffiniatur pœnitentia ex prioribus quoad nos, quod dolor natura præcedit gratiam, secundum quod natura materia est, ut prius notet prioritatem ex parte subjecti et materiæ.

Ad 4. AD ID autem quod objicitur contra hoc, dicendum quod falsum supponitur in objectione : quia licet inter instans et instans sit tempus secundum Aristotelem, non tamen inter instans et tempus est tempus : sicut inter punctum et punctum est linea, non tamen inter punctum et lineam : et ita dico, quod inter instans infusionis gratiæ, et tempus in quo meritorie dolet pœnitens, nihil est medium.

Ad 5. AD ID autem quod objicitur de Glossa super Matthæum, dupliciter potest responderi. Uno quidem modo, quod loquitur Glossa de gratia gratis data, quæ est fides informis, quæ ante oculos ponit pœnas et cætera hujusmodi : et tunc nullam vim habet objectio. Aliter potest dici, quod loquitur de gratia gratum faciente : et tunc dicendum, quod infusio gratiæ præcedit dolorem, non tempore,

[1] Cf. Infra, Dist. XVI.

sed natura : aliter tamen sumendo naturam quam prius, scilicet pro forma : unde infusio gratiæ præcedit dolorem simpliciter, dolor autem infusionem gratiæ quoad nos, et ex parte materiæ.

Ad 1. Ad hoc quod ulterius objicitur de hoc quod dicit, « *Præterita mala*, etc. » Dicendum, quod planctus non est de peccatis prout sunt in perpetratione, sed potius prout perpetratio peccati aliquo modo antecedit (alias, causat) peccata quoad existere in subjecto : sicut dicitur communiter, quod peccatum transit actu, et manet reatu : et hoc etiam in præcedentibus est notatum.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod non oportet semper voluntatem nostram conformare divinæ voluntati in volito : sed, sicut notavimus super finem libri primi *Sententiarum*, sufficit quandoque conformare voluntatem nostram voluntati divinæ secundum causam efficientem : ut scilicet velimus hoc quod Deus vult nos velle : et hoc modo conformat pœnitens.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod pœnitens simpliciter vult non fecisse peccatum : licet enim respectu futuri sit contingens, et necessarium ex præterito (dico autem necessarium per accidens), tamen illud necessarium causatum est a nostra voluntate, et ideo non est necessarium nisi secundum quid : et de hujusmodi potest esse voluntas simpliciter ut sint, vel non sint.

Ad id quod ulterius quæritur de hoc quod dicitur, « *Mala*, etc. » Dicendum, quod plangit mala quæ simpliciter non sunt, sed sunt secundum quid, scilicet in recordatione, et secundum effectum qui est reatus pœnæ : et per hoc patet, quod nec stultus est sic plangens, nec contrarietatem ad gratiam habens.

Ad 1. Ad id quod ulterius quæritur, dicendum quod hoc quod dicit, « *Plangenda non committere*, » refertur ad propositum, id est, quod habeat propositum de cætero non peccandi : et ideo hoc coexistit pœnitentiæ : quia sicut in aliis sacramentis semper aliquid exigit sacramentum quod removeat fictionem, quam refugit Spiritus sanctus : et hoc ideo est apponendum in diffinitione quæ est ex his quæ sunt priora quoad nos, ut prius dictum est.

Et per hoc patet solutio ad sequentia : Ad 2. quia non est essentiale, et tamen quoad effectum pœnitentiæ consequendum, ne sit pœnitens fictus, necesse est ut coexistat pœnitentiæ in pœnitente : et ideo apponitur a Sanctis in notificatione pœnitentiæ.

Ad aliud dicendum, quod ista diffinitio non est data per essentiam, sed potius per effectum, ut dictum est : infra enim ait idem esse pœnitere, ubi notat essentiam.

Ad aliud dicendum, quod Augustinus respicit ordinem partium ex parte pœnitentis : quia in illo prius est removere obstaculum, et deinde poni pœnitentiam : Ambrosius autem ordinat partes secundum quod sunt magis essentiales pœnitentiæ.

Ad aliud dicendum, quod illa diffini- Ad 4. tio convenit pœnitentiæ in quantum est virtus, et in quantum est sacramentum : est enim virtus movens liberum arbitrium ad opus quod est flere peccatum, et eadem est sacramentum secundum quod causalitatem trahit a signo et a vi clavium : a signo, dico, aliquo exteriori, de quo inferius erit sermo [1].

Si autem objiciatur, quod diversorum Sed c diversum est esse, et diffinitio notat essentiam, et virtus et sacramentum sunt diversa secundum esse. Dicendum, quod in hac objectione multa falsa supponuntur. Primum est, quod nihil prohibet idem diversificatum esse de esse diversorum, sicut pœnitere in ratione actus, et in ra-

[1] Cf. Infra, Dist. XXII.

tione actus manifestari in signis. Secundum est, quod illa diffinitio non dicit esse, ut habitum est. Tertium est, quia pœnitentia virtus, et pœnitentia sacramentum non sunt diversa subjecto, sed ratione [solum, et esse quod consequitur rationem illam : quia virtus est, ut est movens liberum arbitrium ad opus : sed sacramentum pœnitentia, prout conjungitur signis quibusdam significantibus et causantibus gratiam interiorem, quæ ordinatur contra actuale peccatum.

Et per hoc patet solutio ad totum.

DIVISIO TEXTUS.

Deinde quæritur de illa parte [1], in qua Magister elidit errores qui sunt circa pœnitentiam : quæ dividitur in duas partes, secundum duos errores qui fuerunt contra pœnitentiam. Primus est eorum qui dixerunt vere pœnitentem non posse cadere : et hic eliditur in residuo hujus distinctionis. Secundus est eorum qui dicunt, quod aliquis manens in uno peccato, potest facere pœnitentiam de alio : et hic eliditur in sequenti distinctione XV, quæ incipit ibi, A, « *Et sicut in prædictis auctoritatibus illorum error convincitur*, etc. »

Prima pars subdividitur in tres partes : in quarum prima Magister ponit quasdam auctoritates ex quibus error primus videtur confirmari et probari. In secunda autem respondet illis auctoritatibus inductis, ibi, C, « *Illud autem quod Ambrosius ait, Reprehenduntur*, etc. » In tertia confirmat solutionem suam per auctoritates, ibi, D, « *Quod vero pœnitentia non tantum semel agatur*, etc. »

Subdivisio autem harum partium cuilibet per se patet in *Littera*.

[1] Vide supra, A, § 2.

ARTICULUS XIII.

An vere pœnitens possit cadere, et de cætero damnabiliter peccare?

Incidit autem quæstio primo de ipso errore : quia licet Magister sufficienter inducat auctoritates quibus probari videtur, tamen rationes etiam induci possunt, et sic :

1. Fundamentum pœnitentiæ est de cætero nolle peccare usque ad mortem : sed si non sit fundamentum, nullum est quod superædificatur ædificium : ergo si non continuet aliquis pœnitentiam usque ad mortem, non fuit pœnitentia : si continuat, non cadit : ergo videtur, quod qui vere pœnitet, de cætero cadere non potest.

2. Item, Non dicitur pœnitentia ad pœnam habere, sed potius ad pœnam tenere : tenere autem dicit perseverantiam in pœna : si ergo non perseverat, pœnitentia non tenet pœnam : et si non tenet pœnam, non pœnitet : ergo a primo si non perseverat, non pœnitet : et hoc est id quod dicit in *Littera*.

3. Item, Infinito peccato debetur pœnitentia infinita : ergo si sit finita, non fuit illius peccati justa pœnitentia : sed ubi cadit, ibi pœnitentia finitur : ergo illius peccati quod mortale fuit, pœnitentiam non habuit : ergo si cadit, non vere pœnituit. Ex hoc videtur per oppositum, quod numquam ille pœnitet nisi qui manet et non cadit. Et hic est error qui dicitur in *Littera*.

4. Item, Ad Hebr. VI, 9 et seq., dicitur, quod *impossibile est eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, et participes facti sunt Spiritus sancti, gustaverunt nihilominus*

bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, et prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam. Ergo non potest fieri pœnitentia iterata : ergo nec secunda : ergo necesse est continuari primam pœnitentiam, vel non erit pœnitentia.

Sed contra. SED IN contrarium multa adducit Magister in *Littera*. Et in contrarium etiam est, quod

1. Pœnitentia, ut prius habitum est, non respicit futurum ut sibi essentiale : ergo est sine illo, et sic etiamsi in futurum peccaverit, vere pœnituit in præterito.

2. Item, Aliud est non peccare, et aliud proponere non peccare : et probatum est supra, quod pœnitentia respectu futuri non habet nisi propositum : et hoc est præsens. Cum igitur proponens non peccare, possit, peccare in futurum, salvo proposito suo in præsenti, constat quod etiam vere pœnitens, salva veritate pœnitentiæ in præsenti, potest peccare.

Solutio SOLUTIO. Dicendum, quod hoc quod dicitur in *Littera*, absque omni ambiguitate hæresis pessima est, et nullo modo tenenda : et Magister Catholicam fidem construit, destruendo hæresim illam.

Ad 1. AD PRIMUM igitur quod objectum est, dicendum quod fundamentum pœnitentiæ non est de cætero non peccare, sed non habere propositum peccandi, ut probat ultima objectio in contrarium facta : et ideo procedit ex falsis.

Ad 2. AD ALIUD dicendum, quod non oportet esse illam tentionem pœnæ, nisi tantum in proposito.

Ad 3. AD ALIUD dicendum, quod pœnitentiam in veritate necesse est esse infinitam, sed durationè non potest esse infinita, quia ad plus in morte finitur : sed debet esse infinita ex parte voluntatis, scilicet quod pro nulla re vellet peccare vel peccasse : et ideo male procedit objectio, quæ videtur supponere, quod infinita esse debeat ratione.

AD ALIUD dicendum, quod aliud est iterum renovari ad pœnitentiam, et aliud iterum pœnitere. Renovari enim ad pœnitentiam est baptizari in remissionem peccatorum ad pœnitentiam : et hoc est impossibile : sed pœnitere iterum, manente primo charactere baptismali, est possibile.

Si autem aliquis objiciat, quod baptismus est sacramentum ordinatum contra originale, et non iteratur eo quod perfectum est : et fit injuria sacramento, si iteretur : ergo et pœnitentia non debet iterari, quæ ordinatur contra actuale, et curat ipsum perfecte. Dicendum, quod nihil simile est tribus de causis : quarum prima est, quod baptismus immediate trahit vim suam a passione Christi, quia Deo Patri completur satisfactio primi peccati in passione Christi tantum : et ideo sicut illa non iteratur,ita nec baptismus : sed pœnitentia supponit aliquid in nostra voluntate, quæ mutabilis et iterabilis est. Secunda est, quia baptismus imprimit characterem semper manentem : et ideo si secundus reciperetur baptismus, essent duo characteres ejusdem speciei, vel unus nullum haberet effectum : quorum utrumque est inconveniens : sed pœnitentia non imprimit aliquem characterem. Tertia est, quia licet Rabanus infra [1] videatur dicere, quod originale redit, tamen sciendum est quod non redit, nec idem in specie, nec idem in numero : et auctoritati Rabani infra suo loco respondebitur : sed morbus contra quem ordinatur pœnitentia, iteratur, et ideo medicinam iterare necesse est.

[1] Cf. Infra, Dist. XXII.

ARTICULUS XIV.

An aliquis lavari possit per pœnitentiam usque ad munditiam?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, A, § 4 : « *Lavamini, et mundi estote*, etc. »

Videtur enim, quod nullus per pœnitentiam lavari possit usque ad munditiam a culpa mortali sic :

1. Infinitæ injuriæ infinita debet esse vindicta : sed Dei injuria, ut dicit Augustinus, est infinita : ergo etiam vindicta debet esse infinita : sed vindictam infinitam sibi homo facere non potest : ergo pœnitendo non potest vindicare peccata mortalia : et non remittitur culpa, nisi fuerit juste peccatum vindicatum : ergo videtur, quod pœnitens numquam emundetur a culpa.

2. Si forte dicas, quod misericordia Dei superexaltat judicium [1], et Dei misericordia tenet justitiam. Contra : Semetipsum negare non potest : ergo non potest facere aliquid contra suam justitiam : ergo exigit pœnam infinitam.

3. Item, Peccatum majus peccato irremediabili, est irremediabile sicut etiam illud : sed peccatum Angeli est irremediabile, et peccatum hominis est majus illo : ergo peccatum hominis est irremediabile, sicut Angeli : ergo numquam lavatur nec mundus est per pœnitentiam. Quod autem peccatum hominis sit majus peccato Angeli, videtur sic : Angelus Deo esse æqualis voluit, et homo similiter : sed homo est per naturam inferior Angelo : ergo minus habens æqualitatis divinæ : ergo magis superbus appetendo eam : ergo hominis peccatum ex majori superbia processit, quam Angeli : ergo est majus, et sic habetur propositum.

Solutio. Solutio. Dicendum, quod per pœnitentiam lavatur peccator, et mundus est, si voluntatem habeat de cætero non peccandi.

Ad 1. Ad hoc autem quod objicitur de infinita injuria, dicendum quod injuria Dei ex parte objecti est infinita, quia contra infinitum bonum : sed ex parte radicis qua radicatur in peccante, non est infinita : quia neque ex infinita libidine, neque ex infinito contemptu processit, neque actus peccati secundum se infinitus fuit. Quando autem ponderatur peccatum, principaliter attenditur ex parte radicis quæ fundatur in peccante. Unde Apostolus, I ad Timoth. I, 13 : *Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci.* Et Augustinus dicit, quod remediabile fuit peccatum Judæorum occidentium Christum, per ignorantiam factum, licet esset contra infinitum bonum quod est vita Christi. Unde bene potest ex illa parte recipere medicinam finitam, licet ex altera parte sit infinitum : et ibi habet remissivum infinitum, quod est misericordia Dei.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod non propter hoc seipsum negat : quia justitia est redditio pro meritis secundum formam et forum judicii statutum ad utilitatem populi : et aliud forum est hic, et aliud in futuro : et ideo hic justitia est pauca exigens propter obedientem voluntatem pœnitentis : in futuro autem exigit æterna propter voluntatem obstinatam.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod peccatum hominis minus est, si attendatur ex parte peccantis, quam Angeli. Si autem attendatur ex parte objecti, tunc est æquale illi. Processit enim peccatum Angeli ex adipe respectu peccati hominis : quia Angeli voluntas elevata est in superbiam ex decore et nobilitate naturalium quam intra se habet : homo autem intra se nihil tale habuit unde tantum superbiret, sed potius ab extrinsecus deceptus audivit : et ideo superbia hominis non est

[1] Jacob. II, 13 : *Supercxaltat misericordia judicium.*

majoris tumoris, sed inferioris, et infirmioris status judicium sumit. Unde patet, quod non valuit illa objectio.

ARTICULUS XV.

An illis qui iterant peccata, prosint priora lamenta ?

Deinde quæritur de hoc quod dicitur, ibi, A, § 4 : « *Nihil prosunt lamenta, si replicantur peccata,* etc. »

Videtur enim hoc esse falsum.

1. Lamenta enim prosunt ad remissionem præteritorum : et hoc est multum prodesse : igitur aliquid prosunt.

2. Item quæritur, Qua ratione dicuntur lamenta præterita non prodesse ? Quia impeditur salus ex peccatis futuris : eadem ratione dicitur baptismus non prodesse, si aliquis post baptismum peccet : sed hoc est falsum : ergo et illud.

Solutio. Ad 1. Solutio. Dicendum, quod intelligitur de his qui voluntate habituali replicant peccata, etsi voluntate actuali plangant et illi non habent fundamentum pœnitentiæ : et ideo pœnitentia eorum nulla est. Vel dicatur, sicut Magister dicit infra, quod nihil prosunt, non simpliciter, sed ad salutem consequendam.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod non est simile de baptismo : quia licet homo fictus accedat ad baptismum, tamen recipit characterem, et sic aliquid prodest baptismus : sed pœnitentia non prodest ficte accipienti. Secundum aliam responsionem quam Magister infra tenet in *Littera*, dicendum quod non est simile de baptismo : quia baptismus est fundamentum sacramentorum, et adhuc cum homo peccat, prodest ad fundamentum habendum : sed non sic est de pœnitentia : et ideo illa non prodesse dicitur, quia nihil de ea relinquitur per sequens peccatum.

ARTICULUS XVI.

An ille qui commissa plangit tamen non deserens, pœnæ graviori se subjiciat ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit Gregorius, ibi, A, § 4 : « *Qui commissa plangit, nec tamen deserit, pœnæ graviori se subjicit.* »

Videtur enim hoc esse falsum : quia

1. Per pœnam primi planctus aliquid delevit de pœna debita pro peccato : ergo subjicit se per planctum minori pœnæ : et sic falsum est quod dicit.

2. Item, Dolor de peccato, non est circumstantia aggravans peccatum : ergo non facit peccatum graviori pœna dignum.

3. Item, Opposita doloris et planctus aggravant peccatum, scilicet impœnitentia et affectus peccandi : ergo dolor et planctus peccata diminuit : et sic iterum falsum videtur quod dicitur in littera. Probatio primæ. Job, xv, 26 : *Cucurrit adversus eum*, scilicet Deum, *extento collo, et pingui cervice armatus est.*

Solutio. Dicendum, quod loquitur de hypocritis qui plangunt quantum ad exteriorem hominem et videantur : ideo gravius peccant, ut dicit Augustinus, quia simulata æquitas non est æquitas, sed duplex iniquitas. Sed melius videtur dicendum, quod loquitur de quibusdam quibus peccatum displicet simpliciter veniente ratione, et tamen dulcedine peccati victi ex parte sensualitatis, voluntatem habent adhuc in peccato : unde in illis aggravatur pœna per accidens eo quod non vitant peccatum, et tamen advertunt ipsum : et quia postea non retrahuntur, non excusantur a subreptione vel ignorantia, sed potius advertendo

peccatum : et cum non deserunt, gravius contemnunt : et de talibus loquitur Gregorius, ut videtur sonare verbum.

ad 1. Ad objecta in contrarium, dicendum quod illa procedunt de eo qui etiam voluntate et actu retrahitur a peccatis : et de tali non loquitur Gregorius.

ad 2. Ad aliud dicendum, quod licet dolor non sit circumstantia aggravans, tamen supponit in peccante circumstantiam aggravantem, in quantum dolor non est vera desitio, eo quod sit malum cum actuali cogitatione pœnæ quæ debetur peccato.

ad 3. Ad aliud dicendum, quod oppositum doloris aggravat : et ex hoc bene sequitur, quod dolor secundum se non aggravat, sed diminuit : sed in quantum motus virtutis motivæ animæ non causatur nisi ex aliquo contemptu comprehenso in anima ex parte potentiæ apprehensivæ, supponit dolor contemptum actualem peccati et pœnæ quæ debetur eidem : et ex illa aggravat peccatum : quia propter pœnam non dimittere peccatum majoris contemptus est, quam si pœna non adverteretur.

ARTICULUS XVII.

An velle non peccare aut cessare a peccato sit vera pœnitentia ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit in principio secundæ partis in solutione sua, ibi, A, § 4 : « *Sed Ambrosius dicit : Hæc vera pœnitentia est, cessare a peccato.* »

Videtur enim hoc esse falsum : quia

1. Cessare a peccato pura est privatio : et pœnitentiam agere est aliquid agere : ergo cessare a peccato non est vera pœnitentia.

2. Si forte dicas, quod cessare a peccato ponit actum interiorem animæ, licet privet actum exteriorem, sicut dicunt Doctores de præceptis negativis. Unde sensus est, cessare a peccato, id est, velle non peccare. Adhuc falsum videtur quod dicunt : quia, sicut supra habitum est, pœnitentia totam essentiam habet respectu præteriti peccati : voluntas autem non peccandi et respectu peccati futuri : ergo voluntas non peccandi non est vera pœnitentia : ergo nec cessare a peccato, ut videtur.

Solutio. Solutio. Dicendum, quod si fiat vis in verbo Ambrosii, optimum est verbum et subtile : quia non cessat a peccato, qui peccat : unde qui omittit, non cessat a peccato. Item, qui transgreditur, non cessat a peccato. Est autem præceptum affirmativum ut pœniteamus, sicut habemus, Marci, I, 4, et Matth. III, 2 [1] : et licet hoc non obliget ad semper, tamen tunc obligat, quando homo peccavit, et de peccato recordatur : ergo si tunc non pœnitet, non cessat a peccato : quia non facit quod debet.

Item, Præceptum negativum est, non peccare, non velle peccare, nec in præterito nec in futuro : et ex hoc obligatur omnis homo semper velle non peccasse, et ad velle non peccare : et si faciat contrarium, tunc non cessat a peccato.

Patet igitur, quod cessare a peccato, importat pœnitere, et velle non peccasse, et velle non peccare : et hæc sunt quæ exiguntur in pœnitentia.

Et per hoc patet solutio ad utrumque objectorum.

[1] Matth. III, 2 : *Pœnitentiam agite*, etc. Cf. Luc. III, 3.

ARTICULUS XVIII.

An peccata deleantur per pœnitentiam secundum quod est virtus, vel sacramentum ? et, An habeat duos actus, scilicet plangere, et odire ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, A, § 4 : « *Pœnitentia est virtus, vel gratia*, etc. »

Et quia omnia quæ de ista de diffinitione erant, dicta sunt, præter duo supra quæsita in alia diffinitione : ideo quæritur hic, Utrum peccata deleantur per pœnitentiam secundum quod est virtus, vel secundum quod est gratia, vel secundum quod est sacramentum ? eo quod Magister dicit hic, quod est virtus, vel gratia : et supponitur, quod sit sacramentum.

Videtur autem, quod secundum quod est gratia : quia

1. Gratia contrariatur culpæ : si igitur deletur culpa ab aliquo, oportet quod deletivum sit gratia : sed a pœnitentia deletur culpa : ergo pœnitentia delet eam secundum quod est gratia.

2. Item, Si virtuti essentiale esset delere culpam : tunc omnis virtus deleret peccatum : sed ego video, quod hoc falsum est : quia habetur virtus politica quæ vere virtus est, et non delet peccatum : ergo non est virtutis, sed gratiæ, ut virtutis.

3. Item, Gratia existente in actu, et virtute in munere tantum, ut in parvulis, fit deletio peccati secundum quod culpa est : ergo videtur, quod essentiatiale sit gratiæ delere culpam : ergo si pœnitentia remittit culpam, hoc fit in quantum est gratia, et non in quantum est virtus, vel sacramentum.

Si forte dicas, quod *virtus* æquivoce dicitur de virtute infusa et politica : et ideo licet virtus politica non deleat, tamen virtus infusa delet peccata. Videtur hoc esse falsum : quia virtus diffinitur per actum proprium : actus autem proprius non est æquivocus in virtute infusa, et acquisita.

4. Item, Cum sic dicitur virtus infusa, et virtus acquisita, non tangitur diversitas nisi causæ efficientis : causa autem efficiens nihil est de essentia rei : ergo penes causam efficientem non accipient rationem æquivocationis virtus infusa et acquisita : ergo si non est essentiale delere peccatum virtuti acquisitæ, non erit etiam naturale gratuitæ.

Sed contra : Sed a

1. Peccatum relinquitur ex actu, et impotentia operantis : ergo id quod removet ipsum, debet esse in pœnitentia secundum quod est ordinata ad opus : hæc autem est virtus, et non gratia secundum quod hujusmodi : ergo videtur, quod delens sit virtus, et non gratia.

2. Item, Peccatum est voluntarium, ut dicit Augustinus : et si non sit voluntarium, non erit peccatum : ergo est in voluntate : ergo respicit potentiam animæ : sed gratia magis respicit essentiam animæ, quam potentiam : et virtus magis potentiam respicit, quam essentiam : ergo peccatum magis tollitur pœnitentia prout est virtus, quam prout est gratia.

Videtur autem, quod peccatum tollatur pœnitentia prout ipsa est sacramentum : quia, sicut supra habitum est,

1. Gratia sacramentalis principaliter ordinatur contra defectum peccati : pœnitentia autem est sacramentum institutum contra morbum peccati actualis : ergo est causa illius : ergo tollit peccatum in quantum est sacramentum.

2. Item, Omne sacramentum novæ legis est signum et causa gratiæ : ergo et istud : ergo in quantum sacramentum causat gratiam remittentem morbum peccati actualis.

Ulterius quæritur de hoc quod dici- Quæ

tur, « *Plangimus, et odimus :* » Unius enim unus est actus proprius et essentialis : sed pœnitentia non est nisi unum quid : ergo habet unum actum : ergo alter superfluit.

Item quæritur, In quo differt plangere, et odisse sive odio habere peccatum ?

Videtur, quod utrumque sit respectu præteritorum : quia præmittitur in *Littera*, « *Qua commissa mala plangimus et odimus :* » ergo videtur, quod alterum superfluit : quia commissa mala præterita sufficit plangere.

Item, Gregorius dicit, quod odium est ira inveterata : et hoc non videtur convenire de novo pœnitenti, quia nondum iratus est de peccatis suis.

Solutio. Solutio. Dicendum sine præjudicio ad primum, quod pœnitentia delet culpam in quantum est gratia. Utrum autem aliqua differentia sit et quæ inter gratiam, et virtutem, in secundo libro hujus voluminis notavimus [1] : et ideo non oportet hic replicare. Sed tamen in peccato tria sunt, scilicet culpa quæ maculat ex privatione boni gratuiti et vitiatione naturalis, et actus qui inficit potentiam, vitium relinquendo in ipsa, et vulnus quod infligit. Et quantum ad primum proprie tollitur gratia, quantum ad secundum virtute, et quantum ad tertium sacramento : et tamen principaliter deletio peccati et culpæ, gratiæ actus est : quia virtus in quantum virtus non habet hoc de se, sed potius secundum quod est gratia informata, et similiter secundum quod sacramentum non habet hoc nisi in quantum est causativum gratiæ.

Ad 1 et 2. Dicatur ergo ad primum et secundum, quod licet gratia essentialiter habeat contrarietatem ad culpam in eo quod hujusmodi, non tamen pertingit ad potentias a quibus etiam expellitur peccatum, nisi in quantum unita est virtutibus : et ideo gratia, et virtutibus, et sacramento remittitur peccatum sufficienter.

Ad aliud dicendum, quod sicut bene objicitur in contrarium, virtus infusa, et acquisita studio nostro, differunt essentialiter et formaliter : et ideo quod convenit uni, non oportet quod conveniat alteri. Ad 3 et 4.

Ad id autem quod objicitur contra hoc, dicendum quod licet causa efficiens sit diversa, tamen plus quam efficiens importatur in his verbis, *virtus infusa*, et virtus per medium humanum acquisita : cum enim dicitur *infusa*, intelligitur illa quæ radicatur in gratia : et cum dicitur *acquisita*, intelligitur illa quæ relicta est ex consuetudine, quasi coessentialis illi : sicut dicit Philosophus, quod quales sunt operationes, tales sunt et habitus : et ideo oportet, quod illæ virtutes differant essentialiter.

Ad hoc quod objicitur, quod virtus purgat peccatum, dicendum quod hoc facit virtus gratia informata, et non alia, sicut dictum est. Ad object.

Et per hoc patet solutio ad totum quod objectum est de prima parte diffinitionis.

Ad id quod ulterius quæritur, scilicet de *plangere*, et *odire*, dicendum quod duo sunt essentialia peccato, et duo quæ coexistunt : et ideo tanguntur quatuor in hac diffinitione. Primum essentiale est detestari peccatum commissum in quantum hujusmodi, sicut prius dictum est, et hoc notatur per *plangere*. Remansit autem radix illius peccati et reatus, et respectu ejus est odium commissi criminis, et supponit hoc odium iram per zelum. Primum autem quod coexistit est propositum emendationis per confessionem et satisfactionem. Secundum est propositum ultra non committendi. Sic ergo quatuor sunt in pœnitentia. Unum respectu actus commissi, secundum respectu radicis : et tertium coexistit respectu præteriti, et quartum coexistit respectu futuri : quæ duo necessaria sunt, ne sit fictus ipse pœnitens. Ad quæst.

[1] Cf. II Sententiarum, Dist. XXVI, Art. 11, 12 et 13. Tom. XXVII hujusce novæ editionis.

Et per hoc patet solutio ad duo ultima.

ARTICULUS XIX.

An eleemosyna auferat culpam, et peccatorem mundum faciat?

Deinde quæritur de hoc quod dicitur, ibi, A, § 4, circa medium : « *Non ad hoc emendus quodammodo, ut ea semper liceat impune committere.* »

Videtur enim hoc esse falsum.

1. Per hoc quod dicitur, Luc. XI, 41 : *Verumtamen quod superest, date eleemosynam : et ecce omnia munda sunt vobis.* Ergo videtur, quod per eleemosynam habetur munditia generalis.

2. Item, I ad Timoth. IV, 8 : *Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, et futuræ.* Si igitur ad omnia valet pietas, videtur quod valeat ad peccati abolitionem.

3. Si forte dicas, quod hoc intelligitur de pietate quæ est informata gratia gratum faciente. CONTRA : Ambrosius ibidem in Glossa : « Pietas quæ operatur bona, fratribus valet ad promerendum divina : omnis enim summa Christianæ disciplinæ in pietate et misericordia est, quam aliquis sequens, si lubricum carnis patitur, sine dubio vapulabit, non tamen peribit. » Sed lubricum carnis non patitur justus : ergo videtur, quod existens in mortali peccato, emat sibi eleemosynis impunitatem.

4. Item, Hoc videtur per illud quod habetur, Daniel. IV, 24, ubi regi impio dixit Daniel : *Rex, consilium meum placeat tibi : et peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum.*

5. Videtur idem per rationem : Duæ enim sunt partes justitiæ, scilicet declinare a malo, et facere bonum : et declinare a malo, ut communiter dicitur, vitat pœnam : ergo multo magis facere bonum : sed facit bonum etiam qui extra charitatem ex misericordia sustentat pauperes propter Deum : ergo vitat pœnam : sed non potest vitare pœnam, nisi eleemosyna auferat culpam : ergo videtur, quod valeant tales eleemosynæ ad culpæ dimissionem.

6. Item, Ambrosius dicit, quod « præcedit quiddam in peccatoribus quo digni sunt justificatione : » sed quod præcedere potest, præcipuum in eis, est misericordia et pietas in pauperes : quia in illis, ut dicit idem Ambrosius, existit summa vitæ Christianæ : ergo videtur, quod hoc faciat dignum ut culpa remittatur.

7. Item, Augustinus in *Enchiridion* : « Quibus prosunt suffragia mortuorum, vel ad hoc prosunt ut sit plena remissio, vel certe ut tolerabilior sit ipsa damnatio : » ergo multo magis eleemosyna per seipsum facta, valet ad tolerabiliorem damnationem : sed non potest, nisi mortale a Deo solvatur : ergo videtur, quod valet ad quorundam peccatorum dimissionem.

8. Item, Ab omnibus supponitur, quod nullum est bonum irremuneratum. Ponamus ergo, quod aliquis extra charitatem existens, faciat multa de genere bonorum, et eleemosynas, et non remuneretur hic : ergo remunerabitur in futuro : sed non potest remunerari quoad pœnæ dimissionem, existente culpa punienda, quia hoc esset contra Dei justitiam : ergo videtur, quod dimittatur ei culpa : ergo sibi emit impunitatem.

Si forte dicas, quod tales remunerat Deus hic : nihil est contrarium : quia potest non remunerare, etsi remuneret : et falso et non impossibili posito, quod accidit, debet esse falsum et non impossibile : sed accidit, quod non remuneret aliquod bonum : et hoc est impossibile justo Deo.

9. Item, Videtur quod non sufficienter possit Deus hic remunerare : quia non

est remuneratus aliquis, si accipit minus valens pro magis valenti : sed opus pietatis etiam informe, plus valet omni terreno lucro : ergo per nullum terrenum bonum sufficienter remuneratur : sed quidquid datur hic, est terrenum bonum : ergo non potest hic sufficienter remunerari. Quod autem opus informe pietatis plus valeat omnibus terrenis bonis, patet : quia etiam vita civilis ponitur optima in vita, vel ad minus melior omni voluptate, et divitiis, et honoribus : videtur ergo male dicere Augustinus in *Littera*.

Sed contra.

Sed contra :

1. Augustinus dicit, quod existens in peccato mortali, non est dignus pane quo vescitur : ergo videtur, quod nihil quod facit, potest sibi emere aliquid a Deo quantum ad dignum : ergo nec impunitatem.

2. Item, Æqualiter displicet Deo impius et impietas ejus, ut dicitur, Sapient. XIV, 9 [1] : sed displicentis opus non potest Deo esse placens : ergo impius nihil potest facere, ut videtur, nisi prius fiat pius et justus : hoc autem non potest fieri sine gratia gratum faciente : ergo sine gratia non potest facere aliquod opus, per quod aliquid apud Deum mereatur : ergo nec emere impunitatem.

Solutio.

Solutio. Dicendum, quod bona facta extra charitatem, valent ad multa de quibus infra sequenti distinctione quæstio erit [2] : sed hic non est dubium nisi de eleemosyna. Et ideo dicendum, quod eleemosyna valet ad gratiæ approximationem hic, et in futuro ad tolerabiliorem pœnam, ut hic dicitur : sed utroque modo per accidens. Unus modus est : quia per hoc quod consuescit eleemosynis, retrahitur a peccatis, et ita pauciora committit peccata, quam si totus intenderet peccatis, et in peccato continuaret : et quia subtrahitur culpa quæ fieret si eleemosyna non esset, subtrahitur etiam pœna quæ culpam sequeretur. Alius modus est : quia qui pietati consuescit, incipit ei placere bonum, et per consequens libido mali et contemptus Dei remittitur in ipso, et ita non peccat ex tanta libidine ut alias, nec ex tanto contemptu : et ideo suum peccatum est minus quoad radicem peccandi, quam alterius cui opera pietatis non sunt : et ideo sequitur etiam minor pœna, et per consequens tolerabilior damnatio.

Ad 1.

Dico ergo ad primum, quod illud Lucæ, XI, 41 : *Date eleemosynam*, etc., intelligitur accommode, hoc est, supra omnia alia bona fortunæ quæ habetis ad usum vobis concessa, non propter hoc tota vita efficitur munda : sed sensus est, quod ex bonis fortunæ illicite retentis, non generatur eis peccati immunditia.

Ad 2.

Ad aliud dicendum, quod pietas ad omnia valet : sed non pietas informis, sed potius formata, de qua ibi loquitur Apostolus.

Ad 3.

Ad aliud autem quod objicitur per Glossam Ambrosii ibidem, dicendum quod lubricum carnis non significat ibi lubricum mortale, sed veniale quod continue oritur ex concupiscentia : et ille talis non peribit : quia licet veniale sit dispositio ad mortale, tamen continetur talis per opera pietatis in bono ne pereat.

Ad 4.

Ad aliud dicendum, quod Danielis intentio fuit, quod rex primo vitam corrigeret per pœnitentiam, et tunc valerent ei eleemosynæ ad peccati dimissionem ex parte debitæ pœnæ, quam minabatur ei visio quam viderat.

Ad 5.

Ad aliud dicendum, quod *declinare a malo* dicitur dupliciter, scilicet non facere malum secundum quod non dicit nisi negationem operis mali : et sic verum est, quod non evitat nisi pœnam, et non est pars justitiæ proprie loquendo. Secundo modo dicitur *declinare a malo*, velle non facere malum, et sic ponit ac-

[1] Sapient. XIV, 9 : *Similiter odio sunt Deo impius et impietas ejus*, etc.

[2] Cf. Infra, Dist. XV, Art. 14 et seq.

tum interiorem, et meretur palmam, et est pars justitiæ : sed facere bonum informe non est pars justitiæ, sed dispositio ad ipsam, ut supra dictum est[1]. Cum autem dicitur, quod non facere malum vitat pœnam, non intelligitur de ea quam quis meruit per peccatum præcedens, sed potius de ea quam incurreret, si malum faceret, quod non fecit : et hoc modo facere bonum informe vitat pœnam : sed tunc non sequitur, quod propter ipsum aliquod dimittatur peccatum, cui pœna debetur vel pœna quæ debetur peccato perpetrato.

Ad 6. Ad aliud dicendum, quod Ambrosius loquitur de merito et dignitate congrui, non condigni : minus enim incongruum est dare gratiam exercitatis in eleemosynis, quam aliis qui eleemosynis non intendunt.

Ad 7. Ad aliud dicendum, quod sicut multi Doctorum dicunt, Augustinus vocat *damnationem* ibi incendium ignis purgatorii, et non inferni : omnes autem qui sunt ibi, habent charitatem et opera gratia informata. Unde nihil tunc probatur de proposito per verbum Augustini. Si autem dicatur, quod intelligitur de his qui in inferno sunt, tunc dicendum est, quod suffragia non prosunt nisi per accidens, ut dictum est, et ita prosunt opera quæ fiunt extra charitatem.

Ad 8 et 9. Ad aliud dicendum, quod nullum bonum est irremuneratum : sed non oportet, quod remuneretur præmio sibi non respondente, et incomparabiliter magis valente. Unde dicimus, quod talia quæ non valent æternum præmium, in æternitate non remunerantur : sed et præcipua remuneratio est hic : quia per illa gratiæ viciniores efficiuntur : et hoc est spirituale præmium, et melius quam opera eorum.

Hoc autem quod contra objiciendo dicitur, quod quidquid hic datur, est terrenum, falsum est : quia multa spiritualia dantur hic etiam his qui in peccato mortali sunt quandoque et præcipue his qui exercentur in eleemosynis.

Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICULUS XX.

An omnia ante acta bona per pœnitentiam sequentem vivificentur ?

Deinde quæritur de hoc quod dicitur, ibi, A, § 4, post medium : « *Mortificatur enim illa pœnitentia, et alia ante acta bona*, etc. »

Gratia enim hujus videntur esse hic inquirenda quinque, ut perfectius hæc *Littera* intelligatur : quorum primum est, Utrum omnia ante acta bona per pœnitentiam sequentem vivificentur ?

Secundo, Si non omnia, utrum omnia mortificata ?

Tertio, Utrum quoad omnia quæ in ipsis sunt, vivificentur, vel quoad aliqua ?

Quarto, Per quid vivificentur ?

Quinto, Quid ibi vocetur *vita ?*

Videtur autem contra primum, quod omnia ante acta bona per sequentem pœnitentiam vivificentur, sive fuerint mortua, hoc est, in mortali peccato facta, sive fuerint mortificata, hoc est, in charitate facta, et per consequens peccatum mortificata.

Et objicitur sic :

1. Dicit Adamantinus super *Josue* : « Sunt in Ecclesia credentes quidam et acquiescentes præceptis divinis, erga servos Dei religiosi et officiosi, et ad ornatum Ecclesiæ vel ministerium Ecclesiæ satis prompti : sed in conversatione propria obscœnis vitiis involuti, nec omnino deponentes veterem hominem cum actibus suis, nihil adhibent emendationis morum vel innovationis. Istis ergo Chri-

[1] Cf. III Sententiarum, Dist. XXIII et XX. Tom. XXVIII hujusce novæ editionis.

stus Jesus salutem concedit : sed quamdam insaniæ notam non evadent. » Ex his colligitur, quod bona facta in mortali pecato vel per se, vel per vivificationem sequentem factam, valent ad vitam æternam.

2. Item, Adamantinus, ibidem : « Jesus videns angustum in fide propositum, moderationem justissimam servat, ut salutem consequantur qui parum fidei habent : nec tamen summam regni vel libertatis accipiunt : quia fides eorum nullo operum nobilitatur accessu. » Ex his colligitur idem quod prius.

3. Item, Levit. xxv, 25, super illud : *Si attenuatus frater tuus vendiderit possessiunculam suam*, etc., dicit Glossa, quod possessiuncula est hæreditas vitæ æternæ, quæ venditur mortali peccato : et dicit Glossa et textus, quod si redimere voluerit, fructus computabuntur ex die qua vendidit : sed fructus ex die qua vendidit, fuerunt post mortale peccatum : ergo et per consequentem pœnitentiam mortui computantur ad vitam : ergo vivificantur per sequentem pœnitentiam.

4. Item, Per rationem objicitur sic : Si aliqua duo ordinantur ad unum tertium, essentialius participabit illud tertium, quod ex duobus vicinius ordinatur ad ipsum : sed bonum naturæ et moris quod dicitur de genere bonorum, ordinatur ad bonum gratiæ quod dat vitam : ergo essentialius participabit vitam gratiæ, quod vicinius est : sed bonum moris vicinius est : igitur participabit vitam plus quam bonum naturæ : sed bonum naturæ vivificatur : ergo bonum opus quod est de genere bonum.

Quod autem vicinius ordinetur ad gratiam, sic probatur : Dicit Ambrosius quod præcedit quiddam in peccatoribus quo digni sunt justificatione : et hoc non est nisi bonum quod dicitur de genere bonorum, sive bonum virtutis informis : ergo bonum illud dignum facit hominem, et non bonum naturæ ut consequatur vitam : ergo vitæ vicinius est : et hoc est quod intendimus probare.

5. Item, Supponamus modo opinionem eorum qui dicunt, quod naturalia fiunt gratuita, et procedo tunc sic : Quod melius et perfectius est in bonis informibus, magis natum est fieri gratuitum : sed actus virtutis moralis, ut probat Philosophus in primo *Ethicorum*, perfectior et melior est, quam habitus : ergo magis natus est fieri gratuitus, quam habitus : et habitus vivificatur, quia naturalia fiunt gratuita : ergo multo magis actus.

Si dicas, quod hoc non potest esse, quia habitus manet et actus ejus transit : hoc nihil est : quia simpliciter in operibus mortificatis transit actus, et tamen vivificari dicuntur per sequentem pœnitentiam.

6. Item, In naturis est multo majoris potentiæ vivificare mortificatum sicut occisum, quam quod numquam habuit vitam, potuit tamen habere. Exemplum est, quod plus est vivificare interfectum, quam embryonem qui potuit vivere et numquam vixit : sed qui potest quod plus est, potest et quod minus est, ut dicit Boetius : ergo si gratia potest vivificare mortificatum opus, potest et vivificare quod numquam vixit, potuit tamen vivere : sed potest illud, ut dicitur in *Littera* : ergo et istud : sed opus quod numquam vixit, potuit tamen vivere si affuisset gratia, est opus mortuum : ergo opera mortua per gratiam sequentem possunt vivificari.

Sed contra.

Sed contra hoc est quod

1. Dicitur in *Littera*.

2. Item, Peccator non habet opus ordinatum ad vitam nisi per motum gratiæ : sed ipse non est in gratia : ergo nihil de potentia vitæ ab eo transit in opus : sed quod nullam habet potentiam vitæ, non est vivificabile : ergo tale opus vivificari non potest.

3. Item, In naturis a non vivo generatur non vivum, et non habens potentiam ad vitam, sicut patet in mineralibus : ergo et in moralibus similiter erit : sed peccator est non vivens : ergo opus quod generatur ab ipso, nec vivit, nec poten-

tiam habet ad vitam : ergo per sequentem potentiam non potest vivificari.

Solutio. Solutio. Dicendum, quod in veritate sicut omnes confitentur, opera mortua vivificari non possunt, eo quod sicut ultima probavit objectio, nulla potentia ad vitam transit in generatum a generante quod non vivit, nisi per accidens generetur in ipso, sicut vermis a putrefacto.

Ad 1 et 2. Ad id ergo quod objicitur ad Adamantinum, dicendum, quod Adamantinus signum salutis in Ecclesia inter fideles, et in linitionem quorumdam sacramentorum vocat salutem : et talem consequuntur habentes fidem informem, qui per Gabaonitas significantur. Et quod ita sit, per Isidorum probatur, Josue, IX, 1 et seq., qui sic dicit in Glossa ibidem : « Gabaonitæ significant eos qui credunt, et erga servos Dei devotionem, vel Ecclesiæ cultum videntur habere : nihil tamen emendationis habent in moribus : tales tantummodo quidem signum salutis intra Ecclesiam proferunt : inter spirituales autem, id est, inter Sanctos Dei regnum æternum vel libertatem non consequuntur. » Hæc sunt verba Isidori quasi glossantia verba obscura Adamantini.

Per hoc etiam patet solutio ad sequens.

Vel possumus dicere, quod est salus in re, et salus in spe : prima beatorum, secunda autem itinerantium. Et hæc adhuc est duplex, scilicet informans fidem et spem : et hæc est Sanctorum : vel informis, et hæc est eorum qui obscœnis actibus vivunt in Ecclesia, recte tamen credentes et opera de genere bonorum facientes. Et de hac ultima sola loquitur Adamantinus.

Ad 3 et 4. Ad aliud dicendum, quod post peccatum et ante pœnitentiam nullus est vitæ fructus in homine, sed lex : et similiter Glossa intelligitur de his quæ sunt post compunctionem, et ante satisfactionem exteriorem injunctam a sacerdote : illa enim omnia debet attendere sacerdos, et computare in redemptionem hæreditatis æternæ.

Vel aliter potest dici, quod intelligitur de bonis factis in mortali peccato : sed dupliciter aliquid computatur in sortem, scilicet ut est pars sortis, et sic intelligitur in Glossa : quia nihil est pars sortis nisi opus meritorium : vel ut impediens excrescentias usurarum, et sic computantur opera meritoria in partem sortis, quia per illa detinetur homo ne ruat de peccato in peccatum, eo quod usura præcedentis quasi est peccatum sequens : et per illa bona etiam vicinatur gratiæ, ut dictum est in anteriori quæstione.

Ad aliud dicendum, quod illa opinio quæ dicit, quod naturalia fiunt gratuita, non intelligitur secundum fieri, quod essentialiter hæc fiant illa, quia hoc est impossibile, et quasi hæresis : sed dicit hæc fieri illa quia possunt coexistere illis, et cum illis aliquid boni afferre subjecto, sicut facilitatem operandi bene, et hujusmodi : et tunc virtus dicitur fieri gratuita, quia manet : sed actus nullo modo manet, nec habet potentiam ad vitam, sicut ultima objectio probavit, et ideo vivificari non potest.

Ad hoc autem quod dicit, quod actus mortificatus etiam non manet : dicendum, quod sicut infra habetur in hac quæstione, quod actus ille ad minus manet in corpore mystico, sed mortuus actus nullo modo : et ideo non est simile.

Ad aliud dicendum, quod non est simile quod adducitur de naturis : quia interfectum corruptum est non solum in actu vitæ, sed etiam in potentia ad vitam : sed non sic est de mortificato in moralibus : quia solum est privatum vita, et est in potentia ad vitam : et id quod non habet vitam in moribus, et procedit a non habenti vitam, non est simile embryoni qui procedit a vivo a quo accipit potentiam ad vitam.

Et sic patet solutio ad totum.

ARTICULUS XXI.

Utrum omnia mortificata possunt vivificari ?

Secundo quæritur, Utrum omnia mortificata possunt vivificari?

Videtur autem quod non :

1. Est enim vita, ut dicit Philosophus, actus continens spiritus : ergo conservabitur vita in vivo, principiis vitæ conservatis : si autem causa per se conservationis vitæ est conservatio principiorum vitæ in vivo, destructa vita, necessarium est principia vitæ vel aliquod principiorum destructum esse : oportet ergo in hoc opere mortificato destructa esse principia vitæ : sed destructis principiis vitæ, destruitur potentia ad vitam, et destructa potentia, non est illud vivificabile : ergo cum in mortificato destructa sit potentia vitæ, remanet mortuum opus non vivificabile : ergo non vivificatur.

2. Item, Quidquid potentia vivit, per modum illum quo potentia vivit, habet esse : sed opus mortificatum nullo modo habet esse tempore sequenti pœnitentiæ, et etiam tempore mortalis peccati quod est ante pœnitentiam : ergo nullo modo vivificatur. Probatio mediæ. Si opus illud est, non potest esse nisi in actu, vel habitu : sed constat, quod in actu non est : nec etiam in habitu, quia habitus virtutis cujus erat elicere illud opus, destructus est per peccatum mortale : ergo, et cætera.

3. Item, Ezechiel. xviii, 24 : *Si averterit se justus a justitia sua, et fecerit iniquitatem secundum omnes abominationes quas operari solet impius, numquid vivet? Omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur* : ergo non recordabuntur ad justificationem.

4. Item, Actus est accidens : ergo non est nisi quando inest : sed non inest tempore peccati : ergo non est : et quod non est, non vivificatur : ergo actus ille non justificabitur, ut videtur.

Sed contra.

Contra hoc sunt

1. Auctoritates Sanctorum, quæ ponuntur in *Littera*.

2. Item, Hieronymus super epistolam ad Galatas : « Si pœnituerint, redibunt ad vitam. »

3. Item, Augustinus : « Pœnitentia est res optima et perfecta, quæ omnes defectus revocat ad perfectum : » ergo etiam deficiens meritum per sequens peccatum : et non revocat nisi vivificet : ergo vivificat opera mortificata.

4. Item, Non potest esse fortius peccatum quam meritum : sed si omnia interimerentur per peccatum, fortius esset peccatum : ergo non in toto interimitur opus meritorium : ergo aliquid in eo remanet de potentia ad vitam.

5. Item, Meritorio operi æternum præmium debetur : ergo si non debetur ei, injuste agitur cum ipso : sed si occiditur, non habebit suum præmium : ergo in eo manet adhuc potentia ad vitam : sed quod habet potentiam ad vitam, potest vivificari : ergo, etc.

6. Item, Apocal. iii, 11 : *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* Et hæc etiam corona debita est operibus præsentis justitiæ : ergo ista perdita, alius potest eam accipere : ergo remanent opera meritoria, etiam isto perdente : sed eadem ratione qua remanentia possunt dari alii, possunt restitui et isti : ergo possunt vivificari per pœnitentiam sequentem.

Solutio.

Solutio. Dicendum, quod opera mortificata per sequentem pœnitentiam vivificantur. Et ut hoc intelligi possit competentius, est sciendum, quod opus meritorium non accipit vitam ab operante, sed potius ab ipsa gratia : et dicitur vivere effective, quia dat vitam merenti et operanti. Gratia autem consideratur dupliciter, scilicet in quantum subjectum

informat et actum, et sic ipsa est accidens, et non potest dare vitam : et in quantum est similitudo quædam bonitatis divinæ et accepta Deo et omne id in quo est ipsa, et sic dat vitam, et est principaliter in acceptante, hoc est, in Deo, respectu tamen operis et operantis. Et quia acceptio Dei quæ est respectu operis facti in charitate Dei, semper manet, ideo manet opus etiam post mortale peccatum, non simpliciter, sed prout respectu ipsius est acceptio divina. Verumtamen influxus vitæ ab acceptione Dei et opere accepto impeditur propter mortale peccatum quod est in isto : ita scilicet, quod per illud opus acceptio Dei non influit illi vitam : sed reputatur alii quodammodo, sicut dictum est alibi [1], ubi ostensum est de hoc qualiter intelligitur illa auctoritas Apocalypsis, III, 11 : *Tene quod habes*, etc.

Ad 1. PATET igitur solutio ad primum : quia opus non destruitur secundum quod est sub acceptione divina : quia semper illud opus acceptum est, et non est principium vitæ nisi sic consideratum : sed influxus vitæ impeditur per mortale peccatum : et ideo non est verum, quod in mortificato destruatur potentia vitæ : quia non est mortificatum in se, sed potius quoad istum ne influat illi vitam, et remoto obstaculo influit sicut prius. Et quod opera ibi maneant, patet per illud Matthæi, VI, 20 : *Thesaurizate vobis thesauros in cælo*. Thesauri enim illi, sunt thesauri meritorum in scientia et approbatione divina conscripti. Et per illud Apostoli, II ad Timoth. I, 12 : *Scio cui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem*, scilicet justus judex.

Ad 2. AD ALIUD dicendum, quod opus per illum modum est, quo est principium vitæ, ut jam dictum est : quia in acceptione divina numquam destruitur : quia placuit Deo propter formam gratiæ quæ erat respectu illius operis : et ideo objectio illa falsum supponit.

Ad 3. AD ALIUD dicendum, quod intentio Prophetæ est, quod non recordabuntur justitiæ quoad justum : sed tamen manent simpliciter sub recordatione, ut dictum est : et sic patet responsio ad totum.

Ad 4. AD ALIUD dicendum, quod hoc verum est, quod non manet ut est accidens, sed quoad illam rationem, ut jam dictum est.

ARTICULUS XXII.

An opera mortificata quoad omnia quæ sunt in ipsis, vivificantur ?

Tertio quæritur, Utrum opera mortificata vivificentur quoad omnia quæ sunt in ipsis ?

Videtur enim, quod sic : quia

1. Augustinus dicit, quod pœnitentia est res optima et perfecta quæ omnes defectus revocat ad perfectum : ergo quidquid deficit in bonis per peccatum, reducitur ad vitæ fructum per pœnitentiam : ergo omnia vivificantur.

2. Item, Semper potentior est virtus, quam peccatum : sed peccatum exstinguit omnes virtutes quando sequitur eas : ergo etiam pœnitentia vivificat omnes quando subsequitur peccatum.

3. Item, Ad Roman. VI, 1 et seq., Non sicut peccatum, ita et bonum. Et hoc ideo, quia bonum secundum se est : et malum in respectu, et inutile, et pigrum : si ergo malum potuit occidere bonum, multo magis bonum potuit ea vivificare.

Sed contra. CONTRA :

1. Virginitas est quidem de maximis bonis : et non vivificatur, nec redimitur, nec restituitur : quod patet per Hiero-

[1] Cf. I Sententiarum, Dist. XL, Art. 11 et 13, Tom. XXVI hujusce novæ editionis.

nymum in quadam epistola ad Eustochium virginem, qui dicit sic : « Audenter loquar : cum omnia Deus possit, suscitare non potest virginem post ruinam. »

2. Item, Apocal. III, 1 : *Nomen habes quod vivas, et mortuus es. Esto vigilans, et confirma cætera quæ moritura erant.* Ex hoc accipitur, quod aliquis mortuus habuit aliqua opera viva, et viva non vivificantur : ergo non omnia opera mortua vel mortificata indigent vivificatione.

Solutio. Solutio. Dicendum, quod opera mortificata eo modo quo mortua fuerunt, omnia vivificantur per pœnitentiam sequentem, sicut innuitur in *Littera*.

Objection. 1. Ad id quod objicitur de virginitate, sumatur in *Littera* primo auctoritas Hieronymi, quæ totum contrarium dicit super Osee, II, 2 et seq., ubi dicit sic : « Vide quid sit inter Dei convenientiam et hominum : homo enim uxorem accipit, de virgine mulierem facit, id est, non virginem sive corruptam : Deus etiam meretricibus copulatus, eas mutat in virgines. » Hanc contrarietatem attendens Magister Hugo de sancto Victore solvit dictum Hieronymi sic : « *Domus Israel cecidit, et non adjiciet ut resurgat. Virgo Israel projecta est in teram suam,* etc. [1]. Quædam verba ambigua Hieronymus hic posuit dicens sic : Cum Deus omnia possit, de corrupta non potest facere non corruptam : tamen si de corruptione carnis hoc intelligatur, stultum est sic sentire : quia homo carnem suam vitiare posset, Deus autem sanare non posset. Si autem de corruptione cordis intelligatur, hoc similiter stultum est dicere : quia homo peccare posset, Deus autem justificare non posset, et tantum justificare quantum iste peccare. Si autem idcirco illud non posse dicitur Deus, quia factum est : et quod factum est, non factum esse non potest : quia quod verum est, falsum esse non potest : et idcirco non potest, quia contra veritatem non potest : quia si contra veritatem posset, contra seipsum posset qui veritas est : pondus habet hoc dictum majus, quam si diceretur de alio quolibet quod factum est, et jam non factum esse non potest. » Hæc sunt verba Hugonis. Pondus autem quare magis dicitur de illo quam alio præterito, est, quia descendisse mentem voluntarie super actualem et præsentem carnis delectationem, facit corruptionem virginitatis : et hoc præteritum inducit statum ignobilem in mente et corpore, quod non facit aliud peccatum. Patet igitur, quod secundum quod virginitas fuit meritoria, restituitur : quia pœnitentia restituit integritatem puritatis a peccato, sed non integritatem status secundum dignitatem.

Ad aliud dicendum, quod Apocalypsis loquitur de Ecclesia in qua quidam vivebant, et quidam mortui erant, sed morituri exemplo aliorum : et ideo monet vigilare : et ideo nihil valet objectio. Ad object. 2.

ARTICULUS XXIII.

Per quid vivificentur opera mortificata ?

Quarto quæritur, Per quid vivificantur ?

Et videtur, quod

1. Per justitiam generalem.

2. Ejus est justificare cujus est impurum facere purum : hoc est justitiæ generalis : ergo etiam illud.

3. Hoc etiam videtur per illud quod dicitur in Ezechiele, XVIII, 21 et 22 : *Si autem impius... fecerit judicium et justitiam, vita vivet et non morietur :... in justitia sua, quam operatus est, vivet.*

[1] Amos, V, 1 et 2.

4. Videtur, quod hoc sit fidei : quia, ad Roman. 1, 17, et ad Hebr. x, 38, dicitur : *Justus autem ex fide vivit* [1].

5. Videtur autem, quod sit charitatis effectus : dicit enim Augustinus, quod « charitas est vita animæ. »

6. Item, Videtur quod gratia : quia vita dividitur in vitam naturæ, et vitam gratiæ, et vitam gloriæ : ergo vita erit a gratia : sed cujus est justificare, ejus est vita : ergo gratia vivificat opera mortua.

Sed contra. Contra hoc est quod dicitur in *Littera*, quod hoc est pœnitentiæ : et hoc accipitur a verbis Bernardi in *Canticis* [2] sic dicentis : « Sensum ex integro recuperasse te scias, si tuam conscientiam sentis quadruplici compunctione morderi, pudore gemino, et gemino metu : nam vitam ad perficiendum septenarium triplex confessionis species attestatur. » Et loquitur de miraculo Elisei qui pœnitentialiter oscitavit septies [3] : ergo partes confessionis et compunctionis attestantur vitæ et sensui restitutis : ergo de mortuis faciunt vivos.

Solutio. Solutio. Dicendum, quod vita est actus gratiæ proprie et primo, sicut etiam notatum invenies super librum secundum *Sententiarum* : et non convenit virtuti primo, sed potius per posterius : et ideo diverso modo attribuitur diversis virtutibus. Pœnitentiæ autem est sicut removentis causam mortis a parte materiæ sive subjecti : quia ipsa est causa justificationis prior ea ratione, non tempore, ut supra dictum est. Et hoc modo loquitur Magister, quando attribuit ei justificationem operum mortuorum.

Ad 1. Ad primum ergo dicendum, quod justitia dicitur causa vitæ potius in operibus vivis, prout dicitur, quod opera ostendunt vivum : quia ipsa prima est ex parte termini ad quem est motus in justificatione impii. Unde justitia non proprie dicitur causa vitæ, sed potius consequens vitam, et ostendens eam per rectitudinem actus : et sic justus ex justitia dicitur vivere, sed post vivere simpliciter.

Ad illud quod probavit, quod justtia est causa vitæ, dicendum quod justitiæ non dicitur esse justificare, sicut efficientis, sed potius sicut formæ ad quam movetur ille qui justificatur. Sed bene conceditur, quod ejusdem est justificare, cujus est vivificare per modum efficientis.

Ad aliud dicendum, quod dictum Ezechielis intelligitur de vita gloriæ quæ datur bene operanti in operibus justitiæ : nos autem loquimur hic de primo actu vitæ, qui restituitur a non esse in esse spirituale secundum gratiam, secundum quod dicit Philosophus, quod vivere in viventibus est esse.

Ad aliud dicendnm, quod fidei attribuitur vita sicut vitam primo ostendenti, et aliquo modo facienti, non quidem per se, sed potius prout est informata gratia. Et hujus exemplum est in luce : quæ manifestat cætera, et etiam vivificat, in quantum in ea est quædam virtus cœlestis, quæ diffunditur in ipsa super inferiora. Ita etiam fides secundum quod est cognitio quædam, manifestat ea in quibus est vita, et in quantum est gratia quædam, causat et diffundit vitam eamdem.

Ad aliud dicendum, quod charitas Dei est ea quæ continuat vitam : non tamen oportet, quod sit prima causa ejus : quia ad perfecte vivere, post fidem et spem non requiritur nisi charitas, quæ unit per effectum primo fonti vitæ, scilicet Deo.

Ad aliud dicendum, quod in principio primæ solutionis dictum est, qualiter vivere est pœnitentiæ.

Et sic solutum est totum.

[1] Habacuc, II, 4 : *Justus autem in fide sua vivet.*

[2] S. Bernardus, In Canticis, Serm. 16.

[3] IV Reg. IV, 35.

ARTICULUS XXIV.

Quomodo et secundum quem modum dicitur vita, *quando dicitur quod opera mortificata fiunt viva ?*

Quinto quæritur, Secundum quem modum dicitur *vita*, quando dicitur, quod opera mortua fiunt viva ?

Videtur enim, quod dici non debeant.

In nullo enim sic est, quod opera alicujus denominentur et disponantur sicut ipsum operans : ergo opera vivi non dicuntur *viva*, ut videtur, nec etiam formæ vitæ disposita sive informata.

Item, Si album albefiat, albificatio ipsa non proprie *alba* dicitur, cum tamen albificatio sit propria operatio albi : ergo etiam opera vivi non proprie dicuntur *viva*.

Solutio. Solutio. Dicendum, quod *vivere* dicitur multipliciter valde, sed reducitur ad duo, scilicet secundum esse, et secundum bene esse.

Secundum esse dicitur proprie, et metaphorice. *Proprie* autem dupliciter, scilicet ut causa per se effectiva vitæ in vivo, dicatur vita et vivere, sicut anima, et sicut forma adhærens vivo, id est, vitam participanti ex eo quod est causa vitæ. Sic dicimus corpus vivere et vivum formaliter. Et hoc vivere distinguitur in secundo de *Anima* et per suum signum in illa littera, ubi dicit Philosophus : « Multipliciter autem ipso vivere dicto, et si unum horum insit solum, ipsum vivere dicimus, ut intellectus et sensus, motus et status secundum locum, aut motus secundum alimentum et detrimentum et augmentum est. » Et contentum reducit ad quatuor modos, scilicet intelligere, sentire, moveri, et alimento uti. Hæc autem sunt signa vitæ animæ, sicut effectus est signum suæ causæ : effectus, dico, proprius et essentialis, qui convertitur cum causa. Vita autem *metaphorice* dicta est ad similitudinem hujus, et hoc dicitur, scilicet ad similitudinem ejus quod est causa vitæ : et hoc est quod dat esse vivo, et permanentiam, et speciem : et sic sumitur vita a Philosopho in octavo *Physicorum*, ubi de motu cœli dicit, quod est quædam vita existentibus, vel ad similitudinem vivi, quod tunc vivere dicimus, quando attingit perfectam operationem suam secundum suam speciem, quam habet a virtute cœlesti, supra totam speciem influentem : sicut dicimus aquam vivam quæ est in impetu purificandi et infrigidandi, et adamantem vivum cum fortiter attrahit ferrum, et hujusmodi.

Sed vita secundum bene esse distinguitur secundum bene esse in sensu, et secundum bene esse secundum rationem. Et *secundum bene esse in sensu* dicitur vita voluptatis, sicut dicit Aristoteles de Sardanapalo, quod vitam voluptuosam eligens, vitam pecudum elegit. *Secundum* autem *bene esse rationis* dicitur vivere secundum bonum rationis, quod est licitum et gratuitum. Et gratuitum duplex, scilicet gratiæ, et gloriæ.

Dicendum igitur ad propositum, quod opera dicuntur vivificari vita dicta metaphorice : quia scilicet restituitur homini, quod faciant in ipso quod faciunt optima opera : et hoc est dignum facere vita æterna. Quia sicut lapis dicitur vivus, quia facit optime propriam operationem, et mortuus qui non potest sic facere : sic opus vivum dicitur, quando potest perficere hoc quod optimum opus facit, et hoc est opus gratiæ, quod potest valere vitam æternam.

Et per hoc etiam patet solutio ad objecta.

ARTICULUS XXV.

An tertia diffinitio pœnitentiæ sit bene assignata?

« *Pœnitentia est quædam dolentis vindicta*, etc.[1]. »

Hæc est tertia diffinitio de pœnitentia. Et videtur mala : quia,

1. Sicut Tullius dicit, « Vindicatio est species justitiæ naturalis : » sed habitum est supra, quod pœnitentia non est proprie justitia naturalis : ergo videtur male dici vindicatio, etc.

2. Item, Tullius dicit, quod « vindicatio vel vindicta est, per quam vis et injuria et omnino omne quod obfuturum est, defendendo aut ulciscendo propulsatur : » peccata autem quibus indignatur pœnitentia, nec vi nec injuria alicujus sunt facta, sed propria voluntate potius : ergo videtur, quod vindicatio non sit de ipsis.

Quæst. ITEM ulterius quæritur de hoc quod dicit, « *Semper puniens in se*, etc. »

1. Si enim semper punit, semper agit actus pœnitentiæ : sed non potest aliquis secundum unam potentiam simul pluribus motibus moveri : ergo numquam movetur virtute alia. Si dicatur, quod intelligitur semper puniens in habitu, non in actu : videtur falsum esse per id quod dicit, quod ubi dolor finitur, finitur et pœnitentia : ergo videtur, quod semper actualiter teneatur dolere. Si dicas, quod nihil prohibet simul affectu dolere, et alio motu moveri secundum charitatem scilicet, aut aliam virtutem : hoc videtur contra Philosophum in libro de *Somno et vigilia*, ubi dicitur, quod una potentia animæ existente in actu, retrahitur alia : ergo multo magis una et eadem si est in actu uno, retrahitur ab alio.

2. Item, Semper dolet : et ubi dolor finitur, finitur et pœnitentia : ergo si charitate movetur in Deum, et non doleat, videtur quod pœnitentia sit finita : et ubi deficit pœnitentia, ibi deficiat gratia, ut dicitur consequenter in *Littera* : ergo qui movetur charitate, amittit gratiam, quod falsum est : ergo non semper est dolendum.

3. Item, Videtur quod nocivum sit semper dolere : quia dicit Bernardus in *Canticis* : « Sic suadeo vobis amicis meis reflectere interdum pedem a molesta et anxia recordatione viarum vestrarum, evadere in itinera planiora serenioris memoriæ beneficiorum Dei : ut qui in vobis confundimini, ipsius intuitu respiretis[2]. » Ex hoc accipitur, quod non semper dolendum est de peccatis, sed quandoque exsultandum in beneficiis Dei.

Item, Infra parum ibidem : « Est quidem necessarius dolor pro peccatis, sed si non sit continuus. Sane interpoletur lætiori recordatione benignitatis, ne forte præ tristitia induretur cor, et desperatione plus pereat. » Ergo melius est interpolare dolorem, quam semper dolere : ergo qui vindicat in se peccatum, non semper debet pœnitendo in se vindicare quod dolet commisisse.

Solutio. SOLUTIO. Dicimus ad primum, sicut prius tactum est, quod pœnitentia induit quandoque rationem justitiæ, quando justitia est imperans actum pœnitentiæ. Et sic loquitur hic Augustinus de pœnitentia. Unde non propter hoc habetur, quod sit species justitiæ, eo modo quo dicitur species quæ ponitur sub assignato genere.

Et est instantia in verbo Aristotelis in *Topicis*, ubi dicit quod si quis bicubitali

[1] Hæc est diffinitio Augustini quam reperies supra, cap A, § 4, circa finem.

[2] S. BERNARDUS, In Canticis, Serm. 11.

magnitudine posita dixerit, quod positum est quantitatem esse, quid est dicit, et quantitatem significat. Ubi patet, quod licet alia prædicamenta quandoque accipiant aliquam rationem substantiæ, non tamen proprie dicuntur species ejus. Unde illa forma arguendi non valet : ideo est fallacia accidentis, quod tale est argumentum : vindicatio est species justitiæ : et pœnitentia est vindicatio quædam : igitur pœnitentia est species justitiæ.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod licet peccata cum voluntate hominis sint facta, tamen sunt injuriæ et nociva, et sic vindicantur. Unde ab alio habent quod sint voluntaria, et ab alio quod sint injuriæ : quia voluntaria sunt in actu, prout in actu fit conversio ad bonum commutabile : sed injuriæ sunt Dei et hominis, in quantum spoliant gratuitis, et vulnerant in naturalibus : et hoc modo vindicta est in illis.

Ad quæst. Ad aliud concedimus, quod spiritus creatus secundum eamdem potentiam non movetur pluribus motibus simul : et bene concedimus, quod quando movetur alia virtute, non movetur pœnitentia, si pœnitentia et illa virtus sint in eadem potentia animæ. Sed dictum Augustini intelligitur, quod sic semper doleat, quod numquam aliquid contrarium dolori admittat. Moveri autem aliis virtutibus non est contrarium, sed conveniens : quia virtus virtuti consona est, et non contraria. Alii autem aliter dicunt : sed quia non intelligo, ideo non curo dicta eorum.

Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICULUS XXVI.

An peccator semper debeat dolere, et de dolore gaudere ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, A, § 4, in fine : « *Sed semper doleat, et de dolore gaudeat*, etc. »

Videtur enim non semper esse dolendum : quia

1. Sicut dicit Beda, « Contraria contrariis curantur : et quod sanat oculum, non sanat calcaneum. » Ergo si aliquod peccatum est cum dolore et tristitia, non est sanandum dolore, sed gaudio et delectatione : sed multa sunt talia, ut iracundia, acedia, invidia, rancor, et hujusmodi : ergo illa dolore non sunt sananda : non ergo semper est dolendum.

2. Item, II ad Corinth. II, 7 et 8 : *Consolemini, ne forte abundantiori tristitia absorbeatur qui ejusmodi est. Propter quod obsecro vos ut confirmetis in illum charitatem.*

3. Item, II ad Corinth. VII, 10 : *Sæculi autem tristitia mortem operatur*. Ergo aliqua peccata sunt cum gravi dolore et tristitia : ergo non sunt dolore et tristitia sananda : non ergo semper doleantur.

4. Ulterius videtur impossibile quod dicit, « *De dolore gaudeat.* » Dolor enim per essentiam in aliquo existens, facit ipsum dolere : sed dolor per essentiam existit in dolente : ergo facit ipsum dolere : non igitur gaudere potest, ut videtur, quia dolor et gaudium sunt opposita.

5. Item, Dolor et gaudium sunt affectiones oppositæ : ergo de oppositis oriuntur : ergo non unum est causa alterius : ergo non est gaudere de dolore.

6. Item, Ejusdem est gaudere, cujus est dolere : si ergo aliquis gaudet, simul gaudet et dolet : et ejusdem est gaudere et dolere : ergo secundum idem gaudet et dolet, ut videtur.

Ad hoc quidam dicunt, quod gaudium est dulce et delectabile dolenti. Et hoc probant

1. Per Augustinum in libro primo *Confessionum* dicentem : « Si prohiberer legere Didonem exstinctam, dolerem : quia non legerem quod dolerem. » Item in eodem libro IV de socio suo mortuo : « Poscebam animam meam impatientem portari a me,

et ubi eam ponerem non inveniebam, non in amœnis nemoribus, non in ludis atque in cantibus, non in suave olentibus locis, nec in conviviis apparatis, neque in voluptate cubilis, non denique in libris atque carminibus quiescebam. Horrori erat ipsa lux : et quidquid non erat quod ille erat, improbum et odiosum erat præter gemitum et lacrymas. Nam in eis solum erat aliquantula requies : et ita solus fletus erat dulcis mihi, et successerat animo meo in deliciis amici. » Ex his volunt habere, quod dolor etiam inordinatus potest esse materia et causa gaudii : et ita non valet objectio prius inducta. CONTRA : Dulce et delectabile dilatat cor : ergo excitabit risum et gaudium : non ergo fletum et amaritudinem. Si ergo delectabilis erat fletus ex morte amici, jam non esset fletus et tristitia, quod falsum est : ergo redit idem quod prius.

Si dicas, quod dolet gaudens secundum quid, et dolet simpliciter : et hoc non est inconveniens, scilicet simpliciter inesse unum contrariorum, et aliud secundum quid. CONTRA : Qui pœnitet, simpliciter gaudet, quia aliter non sufficeret gaudium suum : ergo videtur, quod gaudium suum non insit ei secundum quid.

2. Item, Differentia est inter dolorem voluntarium, et involuntarium : sed in omni voluntario dolore potest esse gaudium secundum quid, sicut in dolore de morte amici : ergo gaudet et delectatur in fletu : ergo cum voluntario dolore videtur esse gaudium simpliciter : sed in pœnitentia est dolor simpliciter voluntarius : ergo et gaudium simpliciter, ut videtur.

3. Item, Gaudium simpliciter adeptum est ex adeptione simpliciter desiderati : sed pœnitens simpliciter adeptus est desideratum, quando adipiscitur dolorem de peccatis : ergo et gaudium simpliciter generatur in ipso.

4. Item, Nihil differt ad generationem gaudii sui, quod quis simpliciter adipiscatur bonum, sive bonum sibi : sed pœnitens adeptus est bonum sibi : ergo simpliciter gaudet.

5. Item, Virtutis (ut dicit Boetius) jucunda est possessio : sed pœnitentia virtus quædam est : ergo possessio ejus est jucunda : sed maxime ab homine in actu possidetur, quando actu dolet : ergo tunc simpliciter jucundatur pœnitens, et gaudet.

6. Item, Ad Galat. v, 22, super illud : *Fructus autem spiritus est charitas*, etc., dicit Ambrosius : « Hæ virtutes fructus dicuntur : quia sincera et sancta delectatione suos delectant possessores. »

SOLUTIO. Dicendum, quod ut dicit Augustinus, « *Gaudium* est diffusio animi ex conceptione præsentis boni : » sicut econtra *tristitia* est constrictio animi ex conceptione præsentis mali, et *timor* motus secundum sistolen sive constrictionem in fugam futuri et exspectati mali. *Spes* autem protensio sive dilatatio animi in exspectatione boni futuri, sive hoc bonum sit simpliciter, sive ut nunc bonum, dummodo illud bonum sit ut bonum per se, et non ut desideratum propter aliud : quia tunc posset in se esse desideratum, non sicut uri et secari desideratur propter salutem, cum tamen in se nullus sit qui velit uri vel secari : unde etiam talia non simpliciter desiderantur, sed potius sustinentur propter aliquid quod desideratur simpliciter : et ideo propter hoc non contrariantur in talibus velle malum sustinere, et gaudere de hoc quod inducit malum quod sustinetur, sicut de sanitate. Eodem modo dico, quod nullus vult vel desiderat dolorem in quantum dolor est, sed vult eum potius in quantum est purgativus et inductivus veniæ : et si gaudet de dolore, non gaudet in quantum dolor est, sed potius in quantum inductivus est justificationis et liberationis a peccato. Patet igitur, quod hoc modo non est contrarium *gaudere* et *dolere* : quia non referuntur ad idem.

Solutio

ad 1. Dicendum ergo ad primum, quod dolor dupliciter consideratur, scilicet ex parte dolentis, et ex parte ejusdem de quo est dolor, ut movente, et materia circa quam est, et fine : quia omnia ista in talibus incidunt in idem. Si primo modo : tunc consideratur tantum in genere : quia speciem non accipit aliquis nisi ex parte objecti moventis. Si autem secundo modo : tunc accipit speciem objecti moventis circa quod est dolor : et ex illa parte nihil prohibet dolorem esse contrarium dolori qui est specierum contrarium. Et sic dico, quod dolor qui est in pœnitentia invidiæ, contrariatur dolori vel tristitiæ quæ est in ipsa invidia. Dolere enim de prosperitate aliorum invidiæ est : et dolere de hoc quod sic dolet, contrarius dolor est repugnans illi, et expellens eum. Et sic patet esse verum, quod « contraria contrariis curantur. » Hanc autem solutionem puto veriorem inter omnes. Tamen communis opinio est, quod talia peccata non sunt sine delectatione aliqua, et respectu illius contrariatur eis dolor pœnitentiæ : qui enim tristatur de bono proximi, gaudet de bono proprio. Sed hæc solutio, meo judicio, parum valet : quia licet invidia radicem habeat in bono proprio, tamen speciem et substantiam accipit a tristitia boni proximi : et ideo in illa parte debet ei quæri contrarium medicamentum.

Ad 2. Per hoc patet solutio ad secundum et tertium.

Ad 3. Ad id quod ulterius quæritur, dicendum quod illo modo quo prædictum est, non est contrarium habere gaudium et dolorem simul : quia non sunt de eodem, nec in eodem secundum idem. Quod non sunt de eodem, patet : quia dolor est de peccatis commissis, gaudium autem de dolore, ut dicitur in *Littera*. Et quod non sunt in eodem secundum idem, patet : quia dolor est in affectu cum contactu sensus, aliquo modo præsentis peccati : sed gaudium est in affectu ex aliquo sensu effectus doloris, et non doloris ut dolor est ex sensu, sed in quantum inductivus est puritatis quæ redditur per dolorem.

Si autem objicitur, sicut supra notatum est sæpius, quod nos huic opinioni assentimus, quod anima simul non movetur pluribus motibus, motus autem plures et passiones plures sunt doloris et gaudii, et nos concedimus quod ista simul stant in affectu, et ideo contrariamur nobis. Dicendum, quod nos non ponimus illa ex æquo esse in affectu, nec ut duos motus, sed ut unum compositum. Et ut melius intelligatur notandum est, quod quædam est potentia intellectus simpliciter, quam Commentator super primum librum de *Anima* vocat *informationem* quæ est de incomplexo. Et quædam potentia est intellectus compositus sive ratio, quam vocat ibidem Commentator *fidem*. Accipiendo igitur unum modum compositionis, qui est per modum compositionis vel ratiocinationis, eo quod dicit Isaac, quod ratio facit currere causam in causatum : dicimus, quod sicut est in conceptu, ita sequitur passio vel motus in affectu. Est autem in conceptu apprehensus dolor voluntarius inductivus veniæ : ergo sequitur motus in affectu compositus, qui est gaudium de dolore, sic expurgante animam et emundante. Et ita patet, quod non sunt duo motus, sed unus.

Plura autem dicta sunt de hoc in notulis super librum tertium *Sententiarum*, ubi agitur de *passione Christi* [1].

Ad aliud quod objicitur de Augustino, quod simpliciter tristabile dulce sit : dicendum quod falsum est : nec hoc intendit, sed voluntas manendi in luctu, est voluntas secundum quid, et hoc dupliciter, scilicet quia vincit contristans et excludit delectamenta, sicut fit in morte amicorum : et tunc non est requies in luctu nisi per accidens, scilicet quia alia

[1] Cf. III Sententiarum, Dist. XVI. Tom. XXVIII hujusce novæ editionis.

requies non invenitur, eo quod excluduntur consolatoria, vincente tristabili : vel quia ad hoc delectabile habet adjumentum, sicut habent historiæ et fabulæ, quæ licet sint tristium simpliciter, tamen quia mira quædam prætendunt, et homines ex cupiditate audiendi mira, intendunt eis, licet sint tristia : et ideo talia sunt tristia simpliciter, et delectabilia secundum quid.

Ad hoc quod objicitur contra dictum illud, dicendum quod ego de plano concedo.

Ad id quod objicitur contra solutionem, quod unum insit per se, alterum secundum quid, dicendum quod in veritate pœnitens dolet et gaudet, ut dictum est : et utrumque potest concedi in esse simpliciter modo prædicto : quia dolor inest sensualitati, gaudium vero inest rationi, nec de eodem, nec secundum idem. Nec est ibi aliquod inconveniens.

B. *Determinatio intelligentiæ dictorum.*

De pœnitentia perfectorum, vel ad salutem sufficienti intelligendum est quod supra dixi, scilicet, « Pœnitentia est vindicta semper puniens quod commisit : » et alia hujusmodi. Illud vero, « Si pœnitentia finitur, nihil de venia relinquitur : » dupliciter accipi potest. Si enim juxta quorumdam intelligentiam peccata dimissa redeunt, facile est intelligere nihil de venia relinqui : quia peccata dimissa iterum replicantur. Sicut enim ille qui ex servitute in libertatem manumittitur, interim vere liber est, et tamen propter offensam in servitutem postea revocatur : sic et pœnitenti [1] peccata vere dimittuntur, et tamen propter offensam quæ replicatur, iterum redeunt. Si vero non redire dicantur, sane potest dici etiam sic nihil de venia relinqui : non quod dimissa peccata iterum imputentur, sed quia propter ingratitudinem ita reus et immundus constituitur, ac si illa redirent.

ARTICULUS XXVII.

Qui dicuntur perfecti ? et, Quæ est pœnitentia perfectorum ?

Deinde objicitur de hoc quod dicit, ibi, B, « *De pœnitentia perfectorum*, etc. »

Perfecti enim sunt qui ex voto se ad perfectionem obligaverunt : et non tantum his convenit semper in se pœnitere, sed etiam aliis : quia omnes debent habere propositum perseverandi in pœnitentia.

Solutio. Dicendum, quod *perfecti* vocantur hic illi qui secundum statum pœnitentiæ hic sunt perfecti, et illi sunt qui continuant pœnitentiam usque ad

[1] Edit. J. Alleaume, *pœnitentia.*

mortem. Est enim perfectio pœnitentiæ secundum esse, et secundum bene esse in consecutione finis. Secundum esse quatuor exiguntur ad perfectionem pœnitentiæ, scilicet revocatio a malo, dolor de commisso, propositum non committendi, et diligentia satisfaciendi. Secundum bene esse quæ in consecutione finis est, quando actu continuatur usque ad salutem post mortem : unde Ambrosius : « Sicut charitas alia est incipiens, alia proficiens, alia perfecta : sic pœnitentia aliqua incipientium est, aliqua proficientium, aliqua perfectorum. »

Et per hoc patet solutio ad objetcum : quia non loquitur hic de tali perfectione quæ est per votum, vel in signo habitus religionis.

C. *De solemni et unica pœnitentia.*

Illud autem quod Ambrosius [1] ait, « Reprehenduntur, etc. » Et, « Sicut unum baptisma, ita et una pœnitentia : » non secundum generalem, sed secundum specialem morem Ecclesiæ de solemni pœnitentia dictum intelligitur, quæ apud quosdam semel celebrata non iteratur. Item illud aliud Ambrosii : Pœnitentia semel usurpata nec celebrata, et fructum prioris aufert, et usum sequentis amittit : de solemni intelligitur. Solemnis ergo pœnitentia, ut Ambrosius in eodem ait, est quæ fit extra Ecclesiam in manifesto, in cinere, et cilicio : quæ pro gravioribus horrendisque ac manifestis delictis tantum imponitur : et illa non est iteranda pro reverentia sacramenti, ut ne vilescat et contemptibilis fiat hominibus. Unde Augustinus : Quamvis caute et salubriter provisum sit, ut locus illius humillimæ pœnitentiæ semel in Ecclesia concedatur, ne medicina vilis vel minus utilis esset ægrotis : quæ tanto magis salubris est, quanto minus contemptibilis fuerit. Quis tamen audeat Deo dicere : Quare huic homini qui post pœnitentiam primam rursus se laqueis iniquitatis obstringit, adhuc iterum parcis [2] ? Origenes quoque de hac solemni pœnitentia, quæ pro gravioribus criminibus injungitur, ait : Si nos aliqua culpa mortalis invenerit, quæ non in crimine mortali, vel in blasphemia fidei, sed in sermonis vel in morum vitio consistat : hæc culpa semper reparari potest : nec interdicitur aliquando de hujusmodi pœnitentiam agere, sed non ita de gravioribus criminibus. In gravioribus enim criminibus semel tantum pœnitentiæ conceditur locus. Communia quæ frequenter incurrimus, semper pœnitentiam reci-

[1] Cf. de Pœnitent. Dist. III, cap. *Reprehenduntur* (Nota edit. Lugd.)
[2] S. Augustinus, Ad Macedonium, epist. 54.

piunt, et semper redimuntur [1]. Communia dicit venialia peccata, et forte mortalia quædam aliis minus gravia : quæ sicut sæpe committuntur, ita frequenter per pœnitentiam redimuntur. Sed de gravioribus criminibus semel tantum agitur pœnitentia, scilicet solemnis. Nam et de illis, si iterentur, iteratur pœnitentia, sed non solemnis : quod tamen in quibusdam Ecclesiis non servatur.

ARTICULUS XXVIII.

Quot sint modi pœnitentiæ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, C, circa initium : « *Solemnis ergo pœnitentia, ut Ambrosius*, etc. »

Notandum ergo, quod tres sunt modi pœnitentiæ, scilicet solemnis, privata, et publica.

Solemnis est quæ inchoatur in principio quadragesimæ, quando pœnitens ponitur extra Ecclesiam. Hanc autem ejectionem pœnitentis debet facere Episcopus cum Presbyteris, qui modum culpæ noverunt : et non est imponenda nisi pro crimine quod totam commovet urbem, ut dicitur in canone : *Presbyter inconsulto Episcopo*. Hæc autem pœnitentia non est iteranda : quia est repræsentatio ejectionis Adæ de paradiso : introductio autem non est in paradisum nisi post mortem Christi ad minus, quod repræsentatur in Pascha. Unde de prima dicitur, quod cum crebris suspiriis denuntiet eis Episcopus, quod sicut Adam pro peccatis suis ejectus est a paradiso, ita ipsi pro peccatis suis ab Ecclesia projiciuntur : post jubeat ministris, quod expellant eos, clero dicente : « In sudore vultus tui vesceris pane tuo : » ut videntes sanctam Ecclesiam pro suis facinoribus commotam, pœnitentiam non parvipendant : tamen debent mitti in Ecclesiam in Cœna Domini : sed tunc cum aliis non communicabunt in Eucharistia, aut in osculo : et sic manebunt usque ad octavas Paschæ, et tunc iterum exibunt. Si autem pœnitent, bene poterunt habere introitum Ecclesiæ, secundum quod Episcopo videbitur expedire : quandoque autem usque ad finem vitæ permanebunt. Si autem datur solemnis reconciliatio, tantum fiat ab Episcopo vel Abbate vel sacerdote de mandato Episcopi, si non potest commode fieri ab Episcopo, præcipue vero in articulo necessitatis : quia tunc a simplici sacerdote potest fieri [2].

Item, Hæc solemnis pœnitentia non est imponenda sacerdotibus, nec diaconibus, ut dicitur infra, *Considerandum est nec etiam clerico, nisi prius deposito.*

Item, Qui suscipit talem pœnitentiam, interim dum agit eam, non debet contrahere matrimonium : si tamen contraxerit, contractum est et tenet.

Publica autem pœnitentia est quam aliquis publice facit in signis publicationis pœnitentiæ, licet non ita solemnibus : et hæc etiam, ut dicunt quidam, non est injungenda sacerdotibus, ut habetur XXVIII, distinct. *Presbyter* : ubi dicitur, quod sacerdos non debet publice pœnitere inter laicos. Tamen contrarium videtur dici XXVIII, distinct. *Presbyter*. Et solvitur : quia si est crimen occultum, non debet publice pœnitere. Si autem publicum, tanta potest esse enormitas delicti, quod potest publice pœnitere, et debet.

[1] ORIGENES, Super Levit. XXV, Homil. 15.

[2] Vide XXVI, quæst. 6, cap. ultim. et penult.

Alio modo dicitur *publica* pœnitentia, scilicet quælibet, quæ fit in facie Ecclesiæ : sicut cum injungitur peregrinatio per mundum cum baculo cubitali. Hanc autem, ut dicunt, potest quilibet sacerdos injungere suo parochiano : quia non invenitur contrarium, nisi forte aliter sit de consuetudine illius Ecclesiæ.

Privata autem pœnitentia dicitur, quam quisque facit cum suo sacerdote, cui peccata sua confitetur, et recipit ab eo dignum modum satisfaciendi.

Expositio Textus.

Deinde quæritur de hoc quod dicitur, ibi, C, post medium : « *Aliqua culpa mortalis* etc. »

Quædam enim est culpa mortalis, quædam non mortalis, ut veniale peccatum. Quædam mortalis, contra gratiam, ut fornicatio : quædam mortalis et contra gratiam et contra rationem, ut perjurium : quædam autem mortalis et contra gratiam et contra rationem et contra naturam, ut sodomia : quædam autem digna est accusatione in judicio : quædam blasphemiæ, quæ est impositio falsi criminis in Deum, vel quando attribuitur ei quod non convenit, vel quando negatur Deo quod ei convenit, vel communicatur alii quod ei solum convenit.

D. *Auctoritatibus probat, quod non semel tantum, sed frequenter peccata dimittantur per pœnitentiam.*

Quod vero pœnitentia non semel tantum agatur, sed frequenter iteretur, et per eam frequenter iterum venia præstetur, pluribus Sanctorum testimoniis probatur. Ait enim Augustinus [1] scribens contra quosdam hæreticos qui peccantibus post baptismum semel tantum dicebant utilem esse pœnitentiam, ita : Adhuc instant perfidi, qui sapiunt plusquam oportet [2] : non sobrii, sed excedentes mensuram, dicunt : Etsi semel peccantibus post baptismum valeat pœnitentia, non tamen sæpe peccantibus proderit iterata : alioquin remissio ad peccandum esset incitatio. Dicunt enim, Quis non semper peccaret, si semper per pœnitentiam redire posset ? Dicunt enim Dominum incitatorem mali, si semper peccantibus subvenit : et ei peccata placere, quibus semper præsto est gratia. Errant autem. Constat enim multum ei peccata displicere, qui semper præsto est ea destruere :

[1] S. Augustinus, Lib. de vera et falsa pœnitentia, cap. 5.

[2] Ad Roman. xii, 3 : *Dico... omnibus qui sunt inter vos, non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.*

sed si ea amaret, non semper ea destrueret. Idem ad Macedonium [1] : In tantum hominum iniquitas aliquando progreditur, ut, etiam post peractam pœnitentiam, et post altaris reconciliationem, vel similia vel graviora committant : et tamen Deus facit etiam super tales oriri solem suum [2], nec minus tribuit quam ante tribuerat, largissima munera vitæ et salutis : et quamvis eis in Ecclesia locus ille pœnitentiæ non concedatur, Deus tamen super eos suæ patientiæ non obliviscitur. Ex quorum numero si quis vobis dicat, dicite mihi utrum aliquid prosit ad vitam futuram, si in ista vita illecebrosissimæ voluptatis blandimenta contempsero, si me pœnitendo vehementius quam prius excruciavero, si uberius flevero, si melius vixero, si pauperes largius sustentavero, si charitate ardentius flagravero ? quis vestrum ita desipit, ut huic homini dicat : Nihil tibi ista in posterum proderunt. Vade, saltem hujus vitæ suavitate fruere. Avertat Deus tam inanem [3] sacrilegamque dementiam. Item, Joannes Chrysostomus de *Reparatione lapsi :* Talis (mihi crede) talis est erga homines pietas Dei : numquam spernit pœnitentiam, si ei sincere et simpliciter offeratur, etiamsi ad summum quis perveniat malorum, et inde tamen velit reverti ad virtutis viam : suscipit libenter et amplectitur, et facit omnia quatenus ad priorem revocet statum. Quodque est adhuc præstantius et eminentius, etiamsi non potuerit quis explere omnem satisfaciendi ordinem, quantulamcumque tamen et quantumlibet brevi tempore gestam non respuit pœnitentiam : suscipit etiam ipsam, nec patitur quamvis exiguæ conversionis perdere mercedem.

Exemplis etiam hoc idem adstrui potest. David enim per pœnitentiam, adulterii simul et homicidii veniam impetravit [4] : et graviter tamen postea deliquit in populi enumeratione, quod populi multitudo prostrata ostendit. Illud autem mirabile est, quod Angelo ferienti plebem se obtulit dicens : Grex iste quid fecit ? fiat manus tua in me, et in domum patris mei [5]. Quo facto statim sacrificio dignus judicatur, qui absolutione æstimabatur indignus. Nec mirum si tali sua oblatione pro populo, peccati sui adeptus est veniam : cum Moyses offerendo se pro plebis errore, peccata diluerit [6]. His aliisque testimoniis pluribus evidenter ostenditur, per pœnitentiam non

[1] S. Augustinus, Ad Macedonium, epist. 54.

[2] Matth. v, 45.

[3] Edit. J. Alleaume, *immanem.*

[4] II Reg. xii, 1 et seq. Cf. S. Ambrosium, In apologia David, cap. 7.

[5] I Paralip. xxi, 17 : *Dixitque David ad Deum : Nonne ego sum qui jussi ut numeraretur populus? Ego, qui peccavi : ego, qui malum feci : iste grex quid commeruit? Domine Deus meus, versatur, obsecro, manus tua in me, et in domum patris mei : populus autem tuus non percutiatur.*

[6] Exod. xxxii, 10 et seq.

semel tantum, sed sæpius nos a peccatis surgere, et veram pœnitentiam sæpius agi. Voluntarie enim peccantibus nobis (ut ait Apostolus [1]) pro peccatis non relinquitur hostia secunda, scilicet quia semel tantum Christum oportuit pati : nec relinquitur secundus baptismus. Relinquitur vero secunda pœnitentia, et tertia, et deinceps, ut Joannes Chrysostomus super hunc locum ait : Sciendum, inquit, quod hic quidam exsurgunt, horum verborum occasione pœnitentiam auferentes : quasi per pœnitentiam non valeat peccator post lapsum resurgere secundo, et tertio, et deinceps [2]. Verum etiam in hoc pœnitentiam non excludit, nec propitiationem, quæ sæpe fit per pœnitentiam, sed secundum baptismum et hostiam.

ARTICULUS XXIX.

An sæpius iterata pœnitentia, semper de criminibus datur venia toties quoties?

Deinde videnda est tertia pars illius partis quæ incipit ibi, D, « *Quod vero pœnitentia non semel tantum agatur,* etc.

Inducit hic Magister plurimas auctoritates, quod sæpius iteratur pœnitentia, et semper de criminibus datur venia.

Videtur autem falsum dicere : quia Amos, I, 3, super illud : *Super tribus sceleribus Damasci*, etc., dicit Glossa Hieronymi : « Ter indulgentiam Dominum posse dare signat, qui quarto eadem peccata admittentibus nec pœnitentiam nec indulgentiam daturum se denuntiat. »

Sed contra.

Contra videtur,

1. Matth. XVIII, 22 : *Non dico tibi*, Petre, *usque septies, sed usque septuagies septies.*

2. Item, Augustinus super illud Joan. XIII, 14 : *Et vos debetis alter alterius lavare pedes*, etc. « Cur Dominus pedes Petri lavisset, et hoc ipsum facere etiam docuisset, nisi quoniam sicut quotidiana est offensio, ita oportet quod quotidiana sit remissio. »

3. Item, Bernardus super *Cantica* : « *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear* [3], absit. Major est pietas quam quævis iniquitas. Sed impietas tanta est, quod iteratur sæpius : ergo major pietas semper præsto est ad destruendum [4]. »

4. Item, Infinita est Dei misericordia : ergo non finitur numero aliquo iterationis peccatorum : ergo quantumcumque iterantur peccata, semper conceditur pœnitentia, si quæratur.

Et hoc concedendum est.

Solutio.

Ad primum dicendum, quod secundum Hieronymum, primum peccatum est cogitare. Secundum, consentire cogitationi. Tertium, cogitata operari. Quartum autem, finaliter non pœnitere. Et hoc planum est, quod non remittitur : quia vita in peccatis finitur. Et, sicut dicit Damascenus, « quod hominibus est mors, hoc est malis Angelis casus : » quia sicut hominibus post mortem non datur locus pœnitentiæ, ita nec Angelis post casum. Et sic patet, quod per illud non probatur non posse iterari pœnitentiam.

[1] Cf. ad Roman. VI, 1 et seq., et, ad Hebr. X, 1-18.

[2] S. Joannes Chrysostomus, Homil. 20 super cap. X epist. ad Hebræos.

[3] Genes. IV, 13.

[4] S. Bernardus, Super Cantica, Serm. 6.

ARTICULUS XXX.

An resurgens per pœnitentiam a peccato, resurgat in majori charitate quam prius habuit ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi D, § 1, sub medium : « *Nec minus tribuit quam ante tribuerat*, etc. »

Ex hoc videtur, quod quicumque resurgit per pœnitentiam, quod resurgat in æquali vel majori, quam prius habuerit, charitate.

Sed contra hoc videtur,

1. Numer. xi, 34 : *Egressi de Sepulcris concupiscentiæ, venerunt in Haseroth*, dicit Glossa Hieronymi : « Prudens lector, attende, quod post consummatam in duodenario virtutem, quia superbivit Israel in Sepulcris concupiscentiæ, carnes Ægyptias desideravit, et rursum fundamentum jacit, et atria, id est, vestibula virtutum ingreditur, ostendens nobis eos qui stant posse cadere, et qui ceciderunt posse resurgere. » Haseroth enim *atria* interpretatur : sed vestibula virtutis dicuntur virtutis initia. Cum ergo prius habuerint consummatam virtutem, quæ per duodenarium numerum in Haseroth significatur, per casum in Sepulcris concupiscentiæ reducti sunt ad initia. Ergo in minori virtute resurrexit : non igitur in æquali, vel majori, ut videtur.

2. Item, Ezechiel. xliv, 10 et 11 : *Sed et Levitæ qui longe recesserunt a me in errore filiorum Israel, et erraverunt a me post idola sua, et portaverunt iniquitatem suam, erunt in sanctuario meo æditui, et janitores*, etc. Ergo casus dejecit eos in inferiora officia : et magis virtuosis debetur majus officium : ergo resurgent in minori virtute, ut videtur.

3. Item, Charitas minima potest resurgere post priorem lapsum : ergo non est necessarium, quod resurgat in majori, vel æquali, quia prius potuit habere majorem, minorem, vel æqualem.

4. Item, Dicitur, Matth. xxv, 15, quod dedit *unicuique secundum propriam virtutem* : sed virtus in resurgentibus non est vis boni naturalis, et potestas naturalis debilitatur per peccatum : ergo videtur, quod post lapsum minus datur ei quam ante : ergo resurget in minori ; non ergo in majori.

5. Item, Si resurgit in majori, vel æquali : ergo quantumcumque enormia peccata commisit, non impediunt eum a tali resurrectione. Ponamus ergo unum cecidisse per unam fornicationem, et alium per multo majora peccata : ergo illi resurgunt in æquali charitate et virtutibus, ut videtur. Ponatur ergo, quod æqualiter præparent se ad suscipiendum gratiam, et in omnibus sint æquales præter hæc duo solum, quod plus offendens habuit ante majorem gratiam, et quod turpius cecidit : ergo videtur, quod nihil adjuvat istum ad habendum majorem gratiam, nisi quod plus peccavit. Si dicas, Imo quia prius magis meruit ex majori gratia. Contra : Ex hoc quod ex majori gratia cecidit, fuit magis ingratus : et ex hoc quod fuit magis ingratus, magis peccavit : et ex hoc quod magis peccavit, minus consequi debuit : ergo a primo, quanto majorem gratiam habuit, minus postea de virtutibus et gratia consequi debuit : ergo non resurgit in æquali vel majori.

6. Item, Ponamus duos cadentes a gratia, unum a majori, alterum a minori : et illum qui cecidit a majori, se multo minus præparasse ad suscipiendam gratiam, quam alium. Inde sic : Deus dat unicuique gratiam secundum propriam virtutem : et glossatur communiter, id est, conatum quo se præparat : sed ille qui cecidit a minori gratia, magis se præparavit quam ille qui cecidit a majori : ergo majorem gratiam recipit : ergo per consequens alius recipit minorem : non

ergo surgit in æquali charitate et virtute.

7. Item, Amos, v, 3 : *Urbs de qua egrediebantur mille*, etc., dicit Glossa : « Unitas habet sacramentum unius Dei : et esse in hoc uno est summa beatitudo quæ unus et verus Deus est. Secunda in secundo, scilicet in decade. Tertia in tertio, scilicet in centenario. Sicut enim denarius ex decem unitatibus completur : sic centenarius decem decadibus, et millenarius decem centenariis, per quem quarta, id est, summa beatitudo significatur : de qua amissa si quis egerit pœnitentiam, de quarto, scilicet millenario vix redit ad tertium, scilicet centenarium : et si est in centenario, vix redit ad secundum, scilicet denarium : » ergo patet, quod Glossa vult, quod resurgat in minori : non ergo semper in æquali vel in majori.

8. Item, Quid est in causa, quod in æquali vel in minori resurgat ? In sanitate enim corporis amissa, videmus restitutionem sanitatis frequenter in minori robore corporis: ergo similiter et proportioanliter erit in amissa sanitate mentis: ergo resurgit in minori frequenter, ut videtur.

Ad contra. CONTRA :

1. Ad Roman. VIII, 28 : *Scimus enim quoniam diligentibus Deum*, etc., Glossa : « Si qui etiam horum deviant et exorbitant, et hoc ipsum facit eis Deus proficere in bonum. » Qui autem proficit, acquirit majus quam prius habuit. Ergo per casum proficiendo resurgit in majoribus virtutibus quam prius.

2. Item, Ad Roman. v, 20 : *Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia.* Sed non potest superabundare gratia nisi detur major a Domino quam prius. Ergo post casum major gratia datur, quam prius habebatur. Ergo cadens resurget in majori charitate quam habuit, quando cecidit.

3. Item, Joel, II, 25 : *Reddam vobis annos quos comedit locusta*, etc. Ubi dicit Glossa : « Non patiar perire ubertatem quam ante pro tribulationibus perdidistis : » ergo restituit Dominus virtutem æqualem post lapsum virtuti quæ fuit ante lapsum, quia aliter aliquid deperisset.

4. Item, Lucæ, VII, 43 et 44 : *Plus diligit... cui plus donavit.* Sed cadenti cum resurgit plus donatur quam si numquam cecidisset. Ergo plus diligit. Ergo in majori charitate resurgit : quia major charitas est quæ plus diligit, ut videtur.

5. Item, Matth. VIII, 15 : *Dimisit eam febris : et surrexit, et ministrabat eis.* Glossa : « Sanitas enim Domini imperio data, tota simul datur. » Ergo multo fortius in sanitate spirituali : ergo sanitatem spiritualem totam simul dat : ergo totam restituit priorem : ergo ad minus resurget in æquali.

6. Item, Hugo de sancto Victore : « Ad hoc cadere permissi sunt ut ex ipso suo casu emendarentur, et meliores efficerentur. » Sed non sunt meliores nisi sit in eis charitas major quam prius. Ergo, etc.

Si forte dicas, quod meliores resurgant quoad prudentiam, sed non quoad charitatem. CONTRA : Virtutes æquales sunt, et intensa una, intenduntur omnes. Si ergo resurgunt magis prudentes : in qualibet ergo virtute prævia resurgunt meliores.

7. Item, Per sequentem pœnitentiam reviviscunt merita priora : ergo omnia, aut quædam. Constat, quod omnia per disputationem prius habitam : et post additur aliquid propter conversionem posteriorem : ergo semper posterius habet totum prius, et aliquid plus : ergo posterior charitas semper est major : ergo resurgunt in majori charitate.

8. Item, Levit. VII, 1 et seq., ubi immolatur hostia pro delicto, dicit Glossa : « Æque placet Deo virtus justorum, et digna pœnitentia peccatorum, quæ restituit in statum pristinum, delendo peccatum : » sed non restitueret in gradum pristinum, nisi esset æqualis primæ : ergo, etc.

9. Item, Ezechiel. XVIII, 21 et 22 : *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus*

peccatis suis, quæ operatus est,... omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor. Sed si nocerent iniquitates ad diminutionem gratiæ prius habitæ, Deus recordaretur iniquitatum : quia sensus est : Non recordabor ad puniendum pœna damni vel pœna sensus : ergo videtur, quod æqualis virtus cadentis surgenti restituitur : ergo resurget in æquali charitate ad minus.

10. Item, Luc. xv, 7 : *Dico vobis, quod ita gaudium erit*, etc. Augustinus : « Videtur magis esse justificare impios, quam justos creare et conservare. » Causa autem hujus ab omnibus Doctoribus assignatur et ab Augustino, quia in creatione nihil resistit operationi Dei : sed in justificatione impii resistunt peccata : ergo etiam resurgenti peccatori peccata resistunt : ergo indiget majori virtute ad resurgendum, quam si justus permansisset. Constat autem, quod ei datur totum quo indiget ad resurgendum : ergo datur ei major virtus, quam habuit antequam cecidit : ergo resurget in majori virtute, quam prius.

11. Item, Deus sapiens et bonus optime disposuit de prædestinatis : sed optima dispositio est, et tunc vocatur de hac vita, quando fuit in optimo statu vitæ : constat autem, quod multi prædestinati cadunt a justitia, et iterum resurgunt, et tunc vocantur de hac vita : ergo vocantur in meliori statu in quo umquam fuerunt ante casum : sed non potest status esse melior nisi resurgant in meliori charitate : ergo, etc.

Et eadem est ratio de aliis cadentibus : ergo, etc.

Solutio. Solutio. Hanc quæstionem determinat Magister Hugo de sancto Victore, sic dicens : « Certum est, qui cadit resurgere potest : et non solum resurgere potest, sed etiam melior resurgere, quam fuit quando cecidit. Multi ceciderunt, et meliores etiam resurrexerunt, quam fuissent si non cecidissent [1]. » Non tamen vult Magister Hugo, quod hoc ita sit in omnibus. Unde dicendum mihi videtur, quod potest resurgere melior et pejor, et æque bonus. Et horum signum facile est videre in resurgentibus, qui quandoque tepidiores et debiliores inveniuntur post quam ante. Secundum hæc dicta debet responderi ad objecta secundo loco inducta.

Ad primum sic, quod casus cooperatur in bonum per accidens, et non per se : et hoc bonum non semper major est virtus, sed major cautela standi, et major devotio in obsequio Dei : et ita possunt convenire etiam minori virtuti : sicut minor charitas quandoque magis fervet, quam major, sicut videmus in novitiis et perfectis viris. Ad 1um

Ad aliud dicendum, quod non notatur superabundare gratiam super præcedentem statum aliquem, sed potius supra posse peccati : et hoc nullus est : sicut enim omnia sub peccato conclusa erant, ita multo magis gratia liberans aperuit. Contingit tamen aliquando, quod abundat gratia, et in magnis peccatoribus plusquam in aliis. Sed hoc semper fieri non est necessarium. Ad 2um

Ad aliúd dicendum, quod hoc non intelligitur nisi quoad vivificationem præcedentium meritorum per pœnitentiam : non autem oportet, quod virtutes in eadem quantitate restituantur : et hoc ideo est, quia virtutes præhabitæ non manent post casum, licet opera remaneant in reputatione Dei, ut supra diximus : et cum virtutes essentiales maneant in beatitudine, non potest quantitas beatitudinis esse secundum virtutes præcedentes, sed potius secundum sequentes : sed opera prius facta ad meritum computantur : et hoc non auget nisi præmium accidentale, non substantiale quod attenditur secundum quantitatem virtutum et charitatis in subjecto animæ, quæ omnes accipiunt quantitatem charitatis, et sic Ad 3um

[1] Hugo de Sancto Victore, Lib. de Sacramentis.

essentialiter in ipsam beatitudinem transibunt.

Ad objject. 4. Ad aliud dicendum, quod plus diligere dicitur in majus signum dilectionis, vel in majus debitum : sed non sequitur necessario, quod ille talis etiam habeat majorem charitatem.

Ad objject. 5. Ad aliud dicendum, quod Dominus totam sanitatem mentis simul restituit quoad habitum omnium virtutum, quia hoc debetur justificationi : sed non quoad quantitatem virtutum, quia hoc non debetur justificationi, sed potius sequenti merito. Et ideo dicit Augustinus, quod « charitas data meretur augeri, et aucta perfici, perfecta autem dicit : Cupio dissolvi et esse cum Christo [1]. »

Ad objject. 6. Ad aliud dicendum, quod non oportet, quod meliores efficiantur nisi in modo custodiæ : et hoc ipsum non est necessarium : sed verum est, quod hæc est intentio permittentis casum, quod dicit Magister Hugo, et loquitur de signo intentionis, et non beneplaciti, quia frequenter aliter accidit.

Ad eamdem. Ad aliud dicendum, quod non sequitur si sunt prudentiores, quod habeant majorem prudentiam : quia nihil prohibet diversis de causis minorem de essentia virtutem, esse magis in actu, quam majorem, scilicet propter majorem attentionem circa illam, vel majorem consuetudinem operis, vel complexionem magis ad actum ejus inclinantem, vel aliquid hujusmodi. Et ideo argumentatio illa non valet.

Ad objject. 7. Ad aliud dicendum, quod merita operum prius facta, per sequentem pœnitentiam reviviscunt secundum esse in reputatione meriti : sed non oportet, quod secundum eamdem vim merendi, vel quantitatem præmii quam ante habebant.

Ad objject. 8. Ad aliud dicendum, quod aliud est pœnitentia quæ requiritur a nobis a Deo, et aliud digna pœnitentia : quia digna pœnitentia est quam peccator habet ex consideratione sui casus : et ille plus debet quam justus, et plus facit : et, sicut consuevit vulgariter dici, recuperat in syllabis quod amisit in temporibus. Vel dicatur, quod æque placet ad justificationem, sed non quantum ad quantitatem charitatis et virtutum. Tamen prior solutio est secundum intentionem Glossæ.

Ad objject. 9. Ad aliud dicendum, quod Deus non recordatur impietatis pristinæ quoad illud cujus causa meritoria est impietas, hoc est, inflictio pœnæ : sed quod non habet resurgens tantas virtutes, quantas prius, hoc est ex modo resurgendi, scilicet quia tepidus ad gratiæ susceptionem se præparavit, et non ex reservatione vel recordatione peccatorum. Si enim hoc esset ex peccatis, omnis homo in minori charitate resurgeret : et hoc non est verum.

Ad objject. 10. Ad aliud dicendum, quod charitas minima sufficit ad surgere : sed verum est, quod quando surgit, oportet quod sit in majori quodam fervore : et hunc sufficit elicere minima charitas : et non ostendit surreptio majorem habitum, sed potius magis posse in opere.

Ad objject. 11. Ad ultimum dicendum, quod non puto hoc esse verum, quod omnis salvandus moriatur in optimo statu in quo fuit tempore vitæ suæ : licet hoc a magno jam audierim Doctore, qui volebat hoc probare per illud Proverbiorum, IV, 18 : *Justorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectam diem.* Sed hoc non sic intelligitur : quod sic patet : quia in eo quod cadit non crescit, sed potius intercipitur lux justitiæ præsentis. Unde quantum est de se crescit : quia charitas aut proficit aut deficit : sed incrementum est impedimentum secundum eum qui justus est.

Et quod dicitur, quod Deus optime disponit de salvandis, dicendum quod hoc est verum quoad cautelam et occasionem intensioris fervoris : et ut di-

[1] Ad Philip. I, 23.

ctum est, quod non resurgit in majori charitate, est præter intentionem Dei ex tepiditate resurgentis.

Ad primo inducta.

Ad ea vero quæ primo inducta sunt, quæ videntur probare, quod resurgat in minori charitate, dicendum quod omnes illæ auctoritates inductæ intelliguntur de minoritate dignitatis, et non de minoritate virtutis.

Et alia solvere planum est.

Hujus autem exemplum est, quod Episcopus degradatus propter hæresim, conversus redit quandoque ad majorem virtutem, sed non ad gradum pristinæ dignitatis. Nec hoc est verum, quod ei qui habet majorem virtutem, det Deus majorem dignitatem : quia hoc impediunt notata in *Littera*, scilicet irregularitas, et ut crimen pristinum magis timeatur, et ut aliis cavendi detur exemplum, et alia hujusmodi.

ARTICULUS XXXI.

An sit aliquod summum malum ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, D, § 1, sub finem : « *Etiamsi ad summum quis perveniat malorum*, etc. »

Videtur, quod non sit aliquod summum malum :

1. Cum enim malum sit privatio boni, non potest esse aliquid summum malum nisi quod universaliter est bono privatum : bonum autem cum non sit in genere, ut dicit Philosophus, convertitur cum ente : ergo etiam est ente privatum : sed privatum ente non est : ergo summum malum non est.

2. Item, In his quæ per accessum et per recessum ab uno et ad unum recipiunt intensionem, non est devenire ad hoc summum : sed malum intenditur per recessum a bono : ergo non est in ipso devenire ad aliquod summum : ergo non est aliquid summum malum. Probatio primæ : In quibus non ponitur terminus ad quem sed tantum a quo, infinitus est motus, eo quod motus non finitur nisi quando est in moto esse, et hoc est in termino ad quem : sed in comparationibus quæ sunt secundum recessum ab uno, et non secundum accessum ad aliquid, non ponitur terminus ad quem : ergo infinita est recessio secundum potestatem : sed omne summum ponit terminum : ergo in talibus nullum, est summum.

3. Item, Si aliquid esset summum malum illud esset contrarium summo bono : ergo tantum posset in malo, quantum summum bonum in bono : sed summum bonum potest constituere omne ens : ergo summum malum destrueret omne ens : sed hoc est falsum : patet ergo quod nihil est summum mnlum.

Solutio I

Solutio. Dicendum, quod nihil est summe malum absolute : sed secundum actum est aliquid ita malum, quod nihil in actu pejus : et hoc notat Magister hic et Joannes Chrysostomus.

Summum autem malum est duplex, scilicet simpliciter, et secundum statum. Simpliciter, ut dæmon quo non est aliquid pejus. Secundum statum autem adhuc dupliciter scilicet comparando statum ad statum : et sic summe mali sunt damnati. Vel comparando statum unius personæ ad statum alterius personæ in statu vitæ, et sic dicimus obstinatos et impœnitentes summe malos. Et de talibus loquitur hic Chrysostomus.

ARTICULUS XXXII.

An mali possunt reverti ad virtutis viam per pœnitentiam ?

Deinde quæritur de hoc quod dicitur, ibi, D, § 1, sub finem : « *Et inde tamen velit reverti ad virtutis viam,* etc. »

Videtur hoc esse falsum in damnatis dæmonibus et animabus. Quod enim velint redire ad virtutis viam, videtur

1. Per hoc quod dicit Dionysius in libro de *Divinis nominibus :* « Dæmones bonum et optimum concupiscunt, in quantum esse, vivere, et intelligere concupiscunt. » Inde arguo sic : Cuicumque convenit bonum et optimum concupiscere, illi convenit concupiscere per se bonum : per se autem bonum virtus est et virtutis via : ergo concupiscunt illam : ergo Deus deberet eos suscipere ad pœnitentiam secundum ea quæ hic dicuntur.

2. Item, Omne concupiscens esse et vivere cum sapientia et deliberatione, concupiscit illud optimo modo sibi possibili, quia aliter esset vanum desiderium, quod Philosophus reputat inconveniens in primo *Ethicorum* : sed dæmones (ut dicit Dionysius) concupiscunt esse, vivere, et intelligere : ergo concupiscunt illud optimo modo qui potest esse secundum naturam : hoc autem est secundum gratiam et gloriam : ergo concupiscunt illud illis modis : sed secundum gratiam concupiscere non est sine virtutis via : ergo concupiscentia virtutis via est : ergo debent recipi ad pœnitentiam.

Sed contra. Sed contra. Si dicatur, quod non possunt fugere malum, et ita non possunt redire ad virtutes sive pœnitentiæ viam. Contra :

1. Si non possunt fugere malum : aut causa hujus impœnitentiæ erit extra eos : aut in eis. Si extra eos : tunc erit omnino violentia : ergo nullo modo culpabilis secundum Damascenum, Gregorium Nazianzenum, et Philosophum : ergo non est eis imputabilis, sed potius violentiam inferenti : sed extrinsecus violentiam inferens, non potest esse nisi Deus : ergo Deus erit culpandus pro eo quod non possunt ad bonum converti. Si autem est causa intrinseca illius obstinationis, non videtur posse nisi duplex : una scilicet quod non habent vim perceptivam mali quod eis nocivum est, sicut videmus plantas non fugere læsionem, quia nocivum non percipiunt : aut quia cum percipiunt, fugere nolunt. Si primo modo dicas accidere. Contra : Omni ei cui natura dat vim perceptivam nocumenti, dat etiam illi potestatem aliquam fugiendi illud. Hoc etiam patet in his quæ non moventur processive, quæ tamen (ut dicit Philosophus) præsente læsivo constringuntur, et præsente convenienti dilatantur. Si ergo Angeli mali et animæ damnatæ habent vim perceptivam læsivi : ergo vel est insufficiens, vel dedit eis potestatem fugiendi.

Item, Melior est natura rationalis quam irrationalis : sed natura irrationalis sensibilis numquam destituitur aliqua potentia fugiendi malum : ergo nec natura rationalis : ergo hæc causa esse non potest.

Videtur autem, quod nec secunda esse possit, scilicet quod sentiat, et non velit fugere. Omne enim quod voluntatem habet quam retrahere potest a malo hoc vel illo, potest removere voluntatem universaliter a malo : sed damnatus quantumcumque malum facit vel velit, potest non facere illud : ergo potest voluntatem universaliter removere a malo : et sic facit quantum in se est ad virtutem : ergo redit quantum in se est, ad virtutis viam.

Item, Libertas a coactione (ut dicunt Sancti) naturalis est, et a nulla creatura rationali separatur : et hoc dignoscitur ex hoc quod nullum actum facit liberum arbitrium quod non possit dimit-

tere eumdem, et converti ad suum oppositum : ergo dæmones qui habent liberum arbitrium a coactione, nullum actum faciunt quem non possunt dimittere, et facere suum oppositum : ergo si velint, possunt dimittere malum, et converti ad bonum quantum in se est : ergo possunt suscipere pœnitentiam.

Si forte dicas, quod Deus non dat eis gratiam, nec vult dare : hoc omnino falsum est, cum dicat Anselmus, quod ideo non habent, quia non accipiunt : non quia Deus non vult dare.

Solutio. Solutio. Dicendum, quod hic multi multa opinantur quibus in nullo præjudicans, non recedo a mea opinione quæ notata est in tertio et in secundo libro *Sententiarum :* et est hæc, quod causa obstinationis damnatorum in malo dupliciter potest assignari, scilicet una per congruentiam, vera autem per modum illum quod Legislatores in civilibus pœnas infligunt : ideo secundam ego causam ex talibus quæro, scilicet justo judicio Dei, quod colligitur ex tribus, scilicet natura damnati, determinatione status, et voluntate perpetua peccandi.

Natura autem damnati, aut est dæmonis, aut hominis. Si dæmonis : tunc est malum suum contra deiformem intellectum esse, cujus non est perfici per speculum et ænigma, scilicet per ea quæ sunt creata in creatorem progredi, ut dicit Augustinus, et Bernardus in quinto de *Consideratione* his verbis : « Sane scala cives non egent, sed exsules. Quod vidit ipse hujus sententiæ auctor, qui cum diceret invisibilia per visibilia conspici, signanter posuit *a creatura mundi* [1]. Et vere quid opus scalis tenenti jam solium ? Creatura cœli illa est, præsto habens per quod potius ista intueatur. Videt Verbum, et in Verbo facta per Verbum. Nec opus habet ex his quæ facta sunt, factoris notitiam mendicare. Neque enim ut vel ipsa moverit, ad ipsa descendit, quæ ibi illa videt, ubi longe melius sunt quam in seipsis. Unde nec medium requirit ad ea corporis sensum : sensus ipsa sibi, seipsam sentiens. Optimum videndi genus, si nullius egueris, ad omne quod nosse libuerit, te contentus. » Hucusque Bernardus. Dico igitur, quod talis intellectus statim est accipere finem, vel deflecti ab ipso voluntarie : et quia post finem nihil est, ideo talis intellectus habet aptitudinem standi in fine statim, vel recedendi ab ipso : qui recessus est casus voluntarius a summa nobilitate intellectus. Quam aptitudinem naturalem deiformis intellectus sequitur confirmatio in bono, vel obstinatio in malo, ex justitia cum aliis circumstantiis concurrentibus ad idem. Unde Augustinus in libro de *Mirabilibus* : « Irremediabili vindicta summus Angelus percussus est, cum peccans et mandatum sui conditoris homo transgrediens venialiter ad pœnitentiam postmodum rovocetur. » Angelus ergo in summo honoris culmine constitutus, immutationem ad excellentiorem statum non habuit, nisi per contemplationem sui Creatoris confirmatus in eo statu permaneret, ubi conditus fuit : et idcirco prolapsus minime revocari potuit, qui de sublimissimo sui ordinis statu proruit. Ex his patet, quod justitia obstinationis aptitudinem sequiquitur naturæ ipsius peccantis.

Si autem damnatus est homo, tunc habet per multa media ire ad Creatorem : et ideo cadens in medio, venialiter cadit, rediens ad viam : sed cadens in termino viæ, ubi non sunt plura media, irremediabiliter cadit, quia suum malum est tunc contra rationem, ut dicit Dionysius, quia cadit de uno in alium : et habet non scientiam intuitivam de Creatore, sed potius discursivam, ut dicit Dionysius. Unde Augustinus in eodem libro : « Homo ad hoc in terris positus,

[1] Ad Roman. I, 20 : *Invisibilia ipsius*, scilicet Dei, *a creaturâ mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*, etc.

generandi officio destinatus, ciborum usui deputatus, immutationem ciborum in sublimiorem et meliorem et spiritualiorem vitam sine morte reciperet, si perstitisset : et ideo cum cecidit, non a summo cecidit gradu sui ordinis. »

Secundum est determinatio status. Justum enim est quod omni quod natum est suscipere perfectionem aliquam, determinetur status et tempus et locus acquirendi illam, vel carendi illa, si corruerit : et quia intellectus deiformis discursu non indiget, ideo Angelo status ille qui momento vel hora conversionis vel aversionis est deputatus : sed homini per totum tempus quo utitur sensibus et haurit ea quæ sunt via ad Creatorem : et ideo confirmatus Angelus, vel obstinatus efficitur post conversionem, et homo post mortem. Unde, Apocal. XII, 9, dicitur, quod *locus eorum amplius non est inventus in cælo*. Et, Psal. LXXIV, 3 : *Cum accepero tempus, ego justitias judicabo*.

Tertium est in malitia confirmatio et voluntas non redeundi : sed hoc sequitur ex primis duobus. Unde, Isidorus in libro I de *Summo bono* : « Uno superbiæ lapsu, cum Deo per tumorem se committunt, et homo cecidit et diabolus : sed homo reversus ad pœnitentiam, Deum superiorem se esse cognovit : diabolus vero non solum in hoc non contentus, quia Deo æqualem se æstimans cecidit : insuper etiam superiorem Deo se tunc dicit, secundum Apostoli dictum, qui ait : *Adversatur et extollitur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur* [1]. Diabolus igitur jam non petit veniam, quia non compungitur ad pœnitentiam. » Et hoc accipitur quod dictum est ante, quod justitia condemnationis sequitur talem statum Angeli et hominis. Augustinus dicit in libro de *Fide ad Petrum* sic : « Pars Angelorum quæ a suo creatore Deo, quo solo bono beata fuit, voluntaria prorsus aversione discessit, æquitatis summæ initium ac judicii suæ damnationis in ipsa aversione voluntatis invenit : ut non esset aliud in opere jam puniri, quam illius beneficii dilectione destitui : quam Deus in æterno sic creato præcepit permanere supplicio, ut etiam ei ignem æternum præpararet, in quo illi prævaricatores Angeli, nec mala possunt voluntate carere, nec pœna : sed permanente in eis injustæ aversionis malo, permaneat etiam justæ retributionis damnatio æterna. » Ex his videtur sequi ulterius, quod mala voluntas quæ est in damnatis, non est in eis peccatum. Tamen quia est eis in supplicium, et magis supplicium quam peccatum. Et ideo videtur quibusdam, quod non aggravet pœnam damnationis eorum, nisi indirecte quoad vermem conscientiæ.

Sunt autem et aliæ congruentiæ a Sanctis positæ, et a Magistris collectæ septem, quare Angelus irremediabiliter statim cecidit.

Prima est desperatio, quæ est Alcuini super *Genesim* sic dicentis : « Cur diabolus tam infestus est hominum saluti? Respondeo, Propter odium in Creatorem et invidiam in hominem ex desperatione suæ salutis. »

Alia est, quia per se peccavit, non alterius suasu. Unde Gregorius in *Moralibus* : « Apostata Angelus nulla spe umquam veniæ, nulla conversionis emendatione revocatur : nec umquam lumen pristini status recipit, quoniam hoc non suasu amisit. Sic illum quippe perpetratæ cæcitas superbiæ gravat, ut numquam ulterius ad lucem pœnitentiæ per divini respectus memoriam resurgat. »

Tertia est, quia cum non sit assumptibilis, non congruit ei habere reparatorem. Unde Anselmus in fine libri *Cur Deus homo* : « Diaboli reconciliationem impossibilem tunc etiam intelliges, si diligenter humanam consideres naturam : sicut enim homo non potuit re-

[1] II ad Thessal. II, 4.

conciliari nisi per hominem Deum qui mori posset, per cujus justitiam Deo restitueretur, quod peccatum hominis perdidit : ita Angeli damnati non possunt salvari, nisi per Angelum Deum qui mori posset, et qui per suam justitiam repararet, quod aliena peccata abstulerunt : et sicut homo per alium hominem qui non esset ejusdem generis, quamvis esset ejusdem naturæ, non debuit relevari, ita nullus Anglus per alium salvari potuit, quamvis omnes sint ejusdem naturæ : quoniam non sunt ejusdem generis, sicut homines : non enim sic sunt omnes Angeli de uno Angelo, quemadmodum omnes homines de uno homine. »

Quarta est, quia in eo nulla est infirmitas, nec gravans, nec deprimens. Unde Isidorus in libro de *Summo bono* : « Apostatæ Angeli ideo veniam non habent, quia carnalis infirmitatis nulla infirmitate gravati sunt ut peccent. Homines post peccatum idcirco revertuntur ad veniam, propter quod ex lutea materia pondus traxerunt infirmitatis. Ideo propter infirmæ carnis conditionem reditus patet homini ad salutem : sicut etiam dicit Psalmus CII, 14 : *Ipse cognovit figmentum nostrum : recordatus est quoniam pulvis sumus.* Et iterum, Psal. LXXXVIII, 48 : *Memorare quæ mea substantia.* »

Quinta est perspicuitas intelligentiæ : sed hæc prius aliqualiter tacta est. Unde Dionysius : « Malum Angeli est contra deiformem intellectum esse, malum animæ contra rationem, et malum corporis contra naturam. »

Sexta est particularitas lapsus : quia non tota lapsa est angelica natura : humana autem tota lapsa est. Unde Augustinus in *Enchiridion* : « Placuit universitatis creatori et moderatori, ut quoniam non tota multitudo Angelorum Deum deserendo perierat, ea quæ perierat in propria perditione permaneret. At vero quia creatura rationalis quæ in hominibus erat, quoniam peccatis atque suppliciis tota perierat, ex parte reparari poterat. »

Septima et ultima est impugnatio Dei, qui deberet influere gratiam conversionis : et ideo non recipit influentiam. Unde Augustinus super *Genesim ad litteram* : « Quod putatur numquam diabolus in veritate stetisse, sed ab ipso suæ conditionis initio cecidisse, non sic accipiendum est, ut malus a bono Deo putetur creatus : alioquin non ab initio cecidisse putaretur : nec enim cecidit, si talis est factus : sed factus continuo se a luce veritatis avertit, superbia tumidus, et propriæ potestatis delectatione corruptus. »

Omnibus causis his consideratis, dicendum quod prima quæ est quædam congruentia naturæ, causa est quodammodo secundæ, et secunda est quodammodo causa sive dispositio tertiæ : ex quibus conficitur justitia confirmans eum in tali statu ut redire non possit, ut peccatum suum sit supplicium, quod fuit facienti peccatum, sicut diximus.

Ad primum objectum dicendum, quod bonum et optimum dupliciter possunt considerari sive accipi, scilicet in genere, vel extra genus. Extra genus bonum est absolute bonum, et optimum est absolute optimum quod est unum solum : et hoc non concupiscunt concupiscentia perfecta : licet habeant instinctum naturalem imperfectum ad hoc. Si autem accipitur bonum et optimum in genere, bonum scilicet naturale : tunc hoc adhuc dupliciter consideratur, scilicet absolute : et sic esse, vivere, intelligere sunt bona concupita a damnatis : aut respective, scilicet per comparationem ad pœnam : et sic meo judicio nihil prohibet ea non appeti, prout videlicet talia bona sunt sub pœnis. Et ideo dicit Dionysius : « In quantum sunt, bonum et optimum concupiscunt, non in quantum puniti sunt : » et ideo patet, quod illa ratio nihil valet : quia Dionysius non loquitur de bono in genere boni vel virtutis, ut diximus : et si extendetur ad hoc, est

Ad

aliqua concupiscentia boni imperfecta : quæ non est in eis nisi in quantum sunt, et non simpliciter : quia simpliciter non habent voluntatem nisi quæ competit eis prout sunt sub pœnis et malitia.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod ego nescio bene videre, quæ sit causa necessaria immobilitatis mali damnatorum, vel impotentia fugæ : sed tamen videtur mihi, quod causa sit partim intus, et partim extra. Intus sicut dispositio est aptitudo naturæ a qua cadunt, et determinatio status in cujus termino cadunt. Extra autem justitia divina confirmans in eo quod finaliter elegit damnatus voluntatem. Et quantum ad hoc ultimum non est dubium obstinationem voluntatis magis habere rationem supplicii, quam peccati.

bject. 1. Ad id quod objicitur, quod si extra est, quod est violentia : dicendum, quod hoc esset verum, si tantum esset extra : sed dispositive meritorie est intra.

d eam- Ad id quod objicitur, quod si percipit pœnas, et non fugit, etc., dicendum, quod damnati percipiunt pœnas : et pœna percepta dupliciter consideratur, scilicet in quantum contraria est naturæ bonæ quam punit : et si ita tantum considerarentur ab eis, fugerunt eam : quia, sicut prius dictum est, bonum concupiscunt, in quantum esse et vivere et intelligere concupiscunt. Et illi bono pœna est contraria, dicente Augustino, quod pœna non est malum, nisi quia contrariatur naturæ bonæ : sed quia appetitus et talis consideratio non est perfecta in ipsis, sed quasi in potentia, scilicet in radice naturæ tantum, ideo pœnam non considerant, nisi in quantum est justa sequela culpæ. Et quia immobiliter volunt culpam, ideo non fugiunt pœnam : et ideo per accidens se habent ad non fugere pœnam, scilicet in quantum est culpæ colligata, quam non fugiunt, sed potius prosequuntur et appetunt.

biect. 2. Ad hoc quod objicitur, quod deterioris conditionis sunt quam pecora : dicendum, quod in pecoribus non est nisi instinctus naturæ, sed in dæmonibus instinctus malitiæ confirmatæ : et ideo non est comparatio : sed si secundum naturam hoc esset, quod non fugerent pœnam, tunc valeret objectio.

Ad obiect. 3. Ad aliud dicendum, quod malum semper vult dæmon : sed hoc malum vel illud non oportet eum velle : unde in hoc notatur obstinatio, quod ex deliberatione semper vult malum : et non proprie cogitur, quia causa obstinationis non est extra tantum, ut dictum est. Sed si posset universaliter averti a malo, tunc sequeretur argumentum.

Ad obiect. 4. Ad ultimum dicendum, quod in veritate libertatem habet a coactione : quia non est coactus ad malum : quia tunc esset causa tantum extrinseca, sed est intrinseca, ut dictum est : et ideo numquam sequitur ista partem, scilicet bonum : quia libertas infirmata est ad bonum et corrupta per habitum deliberatum ad malum trahentem.

ARTICULUS XXXIII.

An ad primum statum sit reditus per pœnitentiam ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, D, § 1, sub finem : « *Facit omnia quatenus ad priorem revocet statum*, etc. »

Hoc non videtur verum : quia

1. Prior status est innocentiæ : et ad illum non est regressus per pœnitentiam.

Si dicatur, quod revocat ad priorem statum quantum ad immunitatem culpæ, sed non quantum ad dignitatem. Contra : Videmus, quod cum pœnitens resurgit, adhuc remanet in illo difficultas bene agendi : et hoc est ex reliquiis peccati, quas ante non habuit : ergo per pœnitentiam, priorem statum non omnino recipit.

2. Item, Prior status est, quod sit expeditus ab bene operandum secundum omne opus virtutis : et hoc non potest esse nisi ex habitu perfecto cujuslibet virtutis : ergo hoc non est solius pœnitentiæ, ut videtur Magister supponere in *Littera*.

Solutio. Solutio. Dicendum ad hoc, quod pœnitentia in partibus suis habet restituere in pristinum statum, scilicet in contritione, confessione, et satisfactione : et præcipue quoad illam partem, quæ est satisfactio : quia illa supponit exercitium operis secundum quamlibet virtutem imperatam a pœnitentia : et sic cessat totum quod objectum est.

ARTICULUS XXXIV.

An David debuit puniri propter numerationem ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, D, § 2 : *Graviter postea deliquit in populo*, etc. »

Videtur, quod non debuit puniri David ipsa enumeratione : quia

1. Plures fuerunt numerationes, et non sunt punitæ : ut Moyses [1], et Saul [2], et alii reges Israel et Juda.

2. Item, Cum David numerando peccaverit, et non populus, videtur injustum, quod punitus est populus.

Solutio. Solutio. Alii ex præcepto Domini numeraverunt, ut Moyses : alii autem propter expeditionem ad pugnam, ut Saul ; sed David numeravit propter superbiam, et ideo peccavit.

Ad aliud dicendum, quod ipse est punitus ad ostendendum habitudinem populi ad principem, sicut totus populus punitus est propter unius peccatum, scilicet Achan [3]. Unde Augustinus : « Ostenditur in ipsa pœna Achan, quantum sit bonum in populo ipsa unitas, ut non in seipsis singula, sed in toto partes æstimentur. » Vel dicatur et melius, quod in populo superbuit : et ideo in ipso sicut in possessione punitus est ; et sic pœna ipsa redundat in regem.

[1] Cf. Numer. I et seq., passim.
[2] I Regum, XI, 8.
[3] Cf. Josue, VII, 1 et seq.

DISTINCTIO XV.

Error secundus circa sacramentum pœnitentiæ.

A. *Quod pluribus irretitus peccatis non potest pœnitere de uno vere, nisi de omnibus pœniteat.*

Et sicut prædictis auctoritatibus illorum error convincitur, qui pœnitentiam sæpius agendam non putant, et per eam a lapsu peccantes frequenter surgere diffitentur : ita eisdem illorum opinio [1] eliditur, qui pluribus irretitum peccatis asserunt de uno vere pœnitere, ejusdemque veniam a Domino consequi posse sine alterius pœnitentia. Quod etiam auctoritatibus adstruere conantur. Ait enim Propheta : Non judicabit Deus bis in idipsum. Vel, ut alii transtulerunt : *Non consurget duplex tribulatio* [2]. Si ergo, inquiunt illi, aliquis sacerdoti fuerit confessus unum de duobus vel pluribus peccatis, et de illo injunctam sibi pœnitentiam a sacerdote satisfactionem expleverit cæteris tacitis, non pro illo peccato amplius judicandus est, de quo satisfecit ad arbitrium sacerdotis, qui vicem Christi in Ecclesia gerit. Ideoque si de eo iterum judicetur, bis in idipsum judicat Deus, et consurget duplex tribulatio.

Sed de his oportet illud tantum intelligi, qui [3] præsentibus suppliciis commutantur in bonum, et sic perseverant : super quos non consurget duplex tribulatio. Qui vero inter flagella duriores et deteriores sunt, ut Pharao, præsentibus æterna connectunt : ut temporale supplicium sit eis æternæ pœnæ initium. Unde Augustinus [4] : *Ignis succensus est*, etc. [5], id

[1] Edit. J. Alleaume, *oppositio*.
[2] Nahum, I, 9.
[3] Edit. J. Alleaume, *quæ*.
[4] S. Augustinus, Comment. ad eum locum cap. I Nahum Prophetæ, ℣. 9 : *Quid cogitatis contra Dominum ? Consummationem ipse faciet : non consurget duplex tribulatio.*
[5] Deuter. XXXII, 22 : *Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima.*

est, vindicta Dei hic incipiet, et ardebit usque ad extremam damnationem. Hoc contra illos notandum est, qui dicunt illud, scilicet, *Non judicabit Deus bis in idipsum*, ad omnia pertinere flagella : quia quidam hic flagellis emendantur, alii hic et in æternum puniuntur. Quinque enim modis flagella contingunt : vel ut justis per patientiam merita augeantur, ut Job [1] : vel ad custodiam virtutum, ne superbia tentet, ut Paulo [2] : vel ad corrigenda peccata, ut Mariæ lepra [3] : vel ad gloriam Dei, ut de cæco nato [4] : vel ad judicium pœnæ, ut Herodi [5], quatenus hic videatur quid in inferno sequatur, secundum illud : *Duplici contritione contere eos*, Domine [6]. Illa ergo auctoritas Nahum non cogit nos sentire, omnia quæ temporaliter puniuntur, non ulterius a Deo punienda : nam et si super eumdem locum Hieronymus dicat Ægyptios et Israelitas a Deo temporaliter punitos, ne in æternum punirentur, non est tamen de omnibus generaliter intelligendum. Ait enim sic : Quod genus humanum diluvio [7], Sodomitas igne [8], Ægyptios mari [10], et Israelitas in eremo [9] perdidit, scitote ideo temporaliter pro peccatis punisse, ne in æternum puniret : quia non judicabit Deus bis in idipsum. Qui ergo puniti sunt, postea non punientur : alioquin mentitur Scriptura : quod nefas est dicere.

DIVISIO TEXTUS.

« *Et sicut prædictis auctoritatibus*, etc. »

Hic incipit pars illa in qua elidit errorem secundum, hunc scilicet quod de uno peccato possit pœnitentia agi, alio peccato in delectatione retento.

Et dividitur hæc pars in duas partes. In prima objicit ex canone, et solvit. In secunda objicit ex dictis Patrum, et solvit.

Prima pars subdividitur in duas, scilicet in objectionem, et solutionem.

Secunda incipit, ibi, A, § 2 : « *Sed de his oportet tantum illud intelligi*, etc. »

In capitulo isto tria facit. Primo errorem recitat : deinde, pro errore illo auctoritatem primo inducit : tertio, format objectionem ex sententia auctoritatis. Et hæc patent in *Littera*.

ARTICULUS 1.

An de uno peccato potest agi pœnitentia, alio peccato in delectatione retento ?

Incidit autem hic quæstio, An verum sit quod dicunt illi ?

[1] Cf. Job, I, passim.
[2] II ad Corinth. XII, 7 et seq.
[3] Numer. XII, 10.
[4] Joan. IX, 3.
[5] Act. XII, 23.
[6] Jerem. XVII, 18.
[7] Genes. VII, 10 et seq.
[8] Genes. XIX, 1 et seq.
[9] Exod. XIV, 15 et seq.
[10] Numer. XI, 1 et seq.

Videtur, quod sic :

1. Debita enim divisim contracta, juste divisim solvi possunt : peccata sunt debita divisim contracta : ergo, etc.

Quod autem peccata sunt debita, patet per illud Lucæ, VII, 41 : *Duo debitores erant cuidam fœneratori.* Et, Matth. XVIII, 27 : *Debitum dimisit ei.* Item, Matth. VI, 12 : *Dimitte nobis debita nostra.*

2. Item, In V *Ethicorum* vult Aristoteles, quod justitia uno modo, licet non generaliter, idem sit quod contrapassio, et justum idem quod contrapassum, sicut dicit Plato. Ponamus ergo, quod aliquis offenderit in decem, et in duobus contrapassus sit per sustinentiam pœnæ : aut ergo Deus cui debet, illam satisfactionem exquirit, aut non. Si sic : ergo injuste videtur procedere : quia a lege non præcipitur, nisi qui forefecit, contrapatiatur. Si non : tunc habetur propositum.

3. Si forte dicas, quod justitia Dei exigit adhuc satisfactionem, sed non justitia humana : hoc nihil est : quia infinita est justitia divina, et semper misericordia superexaltat judicium [1] : cum igitur in tali casu nihil exigit justitia humana, videtur multo minus, quod justitia divina aliquid exigat ulterius ab illo.

4. Item, Supra habitum est ex verbis Augustini in libro de *Pœnitentia*, quod constat ei multum peccata displicere, qui semper præsto est ea destruere : ergo et multo magis constabit hoc, si omnino destruat quo destrui possunt : sed hoc erit sigillatim destruendo : ergo videtur, quod sigillatim pœnitens destruat peccata.

5. Item, Si aliquis laborat duobus vel tribus morbis, qui diversas habet causas et oppositas : medicus expellit periculosiorem morbum, alio dimisso, vel etiam confirmato in subjecto. Cum igitur similiter sit in morbis animæ, sicut in morbis corporis, ut dicunt Sancti, videtur posse agi pœnitentia de uno peccato, alio in delectatione existente.

6. Item, Nullus rex vel imperator iterum emendam exigeret ab aliquo, cui pro parte læsionis a vicario suo, qui loco ejus est, condigna pœnitentia imposita fuisset : sed constat, quod sacerdos est vicarius Dei in confessione, et secundum auditum veram imponit pœnitentiam de duobus, vel tribus, aliis tacitis : ergo imperator summus ulterius de his non requiret pœnitentiam.

6. Si dicatur, quod peccator non potest satisfacere nisi in charitate satisfaciat : et quia non habet charitatem qui de uno pœnitet, et de alio non : ideo non potest satisfacere. CONTRA : Eccle. IX, 1 : *Nescit homo utrum amore an odio dignus sit.* Ergo nullus scit utrum satisfaciat, vel non. Ergo tota die quilibet debet iterare pœnitentiam suam, et desperare, quod satisfacere non possit : eo quod hoc sit penitus ignoratum, quod exigitur ad satisfactionem : hoc autem falsum est : ergo et hoc quod oportet aliquem satisfacere in charitate.

8. Item, Daniel. IV, 24 : *Peccata tua eleemosynis redime.* Constat autem, quod Daniel quando dedit hoc consilium, scivit regem esse iniquum : ergo iniquus in peccato uno, potest facere pœnitentiam de alio.

9. Item, Luc. XVI, 9 : *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* Glossa : « Divitiæ *iniquitates* dicuntur, quia de iniquitatibus sunt collectæ. » Constat autem, quod de talibus non possit fieri eleemosyna quæ faciat recipi in æterna tabernacula, nisi retenta parte iniqui, de alia parte posset fieri eleemoyna et satisfactio : ergo manens in uno peccato potest satisfacere de alio.

10. Item, Peccata non habent hujusmodi colligationem, qualem habent virtutes, sed unumquodque est divisum ab alio : sed quæcumque sunt divisa ab invicem, horum unum potest destrui, alio

[1] Jacob. II, 13.

non destructo : ergo unum peccatum potest destrui, alio retento : sed peccatum destruitur tantum per satisfactionem : ergo de uno potest fieri satisfactio, alio retento in voluntate.

11. Item, De virtute politica non est sic, quod una habita, omnia vitia excludantur : ergo videtur, quod hoc etiam non debeat esse virtutis theologicæ, cum Deus salutem nostram desiderans, juvat omnibus modis quibus homo juvari potest.

Si dicas, quod de virtute politica est hoc, quod qui habet unam, habet omnes, sicut dicit Isidorus, sicut notatum est super tertio *Sententiarum*, quod hæc fuit sententia Stoicorum, et Aristotelis in quarto *Ethicorum*, cum dicit de magnanimitate et magnanimo : « Magnanimus nihil prave agit secundum aliquod vitium. » Si, inquam, sic dicas : nihil est hoc, et contra intentionem Philosophorum : quia non attribuunt hoc virtuti secundum suum esse quo perficit suum actum proprium et essentialem sibi, sed potius secundum maximum suum posse quod habet in subjecto. Et ideo virtus secundum suum esse potest inesse subjecto, salvato in eodem subjecto aliquo vitio quod non contrariatur illi virtuti : et sic habetur propositum, ut videtur.

Sed contra. Sed quod error sit pessimus et anathematizatus, sic videtur :

1. II ad Corinth. VI, 15, dicit Apostolus : *Quæ conventio Christi ad Belial ?* ergo nullam communicationem habet Christus ad cor in quo habitat diabolus : sed qui est in uno peccato mortali, est inhabitatio diaboli : ergo nullam communicationem habet cum eo Christus : sed nullam satisfactionem Christus accipit, nisi cum quo in gratia participat : ergo talem satisfactionem non accipit Christus, ut videtur.

2. Item, Apud homines durantibus inimicitiis non accipitur satisfactio lædentis : sed qui est in peccato, adhuc agit inimicitias contra Deum : ergo non recipitur ejus satisfactio.

3. Item, Matth. V, 23 : *Si offers munus tuum ad altare*, etc. Sed constat, quod non est minor cura Deo, ut homo reconcilietur sibi, quam homini : ergo oportet prius in omnibus reconciliari Deo, et postea accipietur ejus oblatio ; sed oblationis genus quoddam est satisfactio digna : ergo oportet prius habere gratiam de omnibus peccatis, antequam satisfactio sit accepta : sed nullus voluntate permanens in uno, habet gratiam de omnibus : ergo voluntate permanens in uno, non potest satisfacere de alio.

4. Item, Qui est in peccato uno, ut dicit Augustinus, non est dignus nisi pœna æterna : ergo non est dignus ut satisfactionis ejus opus accipiatur : et non satisfacit nisi opere Deo accepto : ergo qui est in uno peccato, non potest satisfacere de alio.

5. Item, Sine gratia non fit satisfactio : sed gratia complectitur omnes virtutes : ergo sine omnibus virtutibus simul non est satisfactio : sed opposita non sunt simul : ergo cum virtutibus non possunt esse vitia opposita : ergo qui habet gratiam, non habet aliquod peccatum : et nullus satisfacit nisi qui habet gratiam : ergo qui satisfacit, non habet aliquod peccatum : ergo a destructione consequentis, qui habet aliquod peccatum, non satisfacit.

6. Item, Non satisfacit qui non restituit Deo quod suum est : sed qui non restituit Deo animam quam abstulit, non restituit Deo quod suum est : ergo non satisfacit, qui animam restituit : sed non restituitur anima, quamdiu manet voluntas peccati alicujus : ergo quamdiu aliquod peccatum est in voluntate, non potest fieri satisfactio.

7. Item, Sit ita, quod aliquis satisfaciat de uno peccato, alio in voluntate retento : aut iste diligit Creatorem sicut debet, aut non. Si non : tunc non satisfacit. Probatio. Luc. VII, 48 : *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Si sic : ergo omne quod diligit, circa Deum diligit : sed citra Deum di-

ligendo omne quod diligit, nihil mortali peccato diligit : ergo ille nihil mortaliter diligit : ergo nullum peccatum mortale manet in ejus voluntate : et hoc est contra positum : ergo impossibile est de uno satisfacere, alio in delectatione retento.

solutio. SOLUTIO. Dicendum, quod hoc est concedendum, quod hoc quod in principio capituli pro opinione ponitur, licet falsa, tamquam fidei contrarium est condemnandum. Et reducitur in contrarium illius articuli : « Credo in Spiritum sanctum, scilicet sanctam Ecclesiam Catholicam. » Vel contra illum : « Remissionem peccatorum. »

Ad 1. AD PRIMUM autem dicendum, quod licet debita peccatorum sint divisim contracta quantum ad conversionem ad bonum commutabile, et quantum ad actum, tamen conveniunt in aversione ab uno bono increato : et quoad hoc habent rationem offensæ et culpæ : et ideo cum aversio illa maneat, alio quocumque peccato manente, non potest homo satisfacere de uno, alio retento. Et simile hujus est in offensis hominum : quia læsor non potest satisfacere de læsione illa, perdurans in lædendo. Licet enim peccator Deum lædere non possit, tamen quantum est de se lædit.

AD HOC quod probatur, quod peccata debita sunt, dicendum quod debita humana sunt duplicia. Quædam enim sunt quæ voluntarie creduntur debitori : et talibus nulla est adjuncta offensa : et hoc modo non dicuntur *debita* peccata. Quædam sunt debita, quæ oriuntur ex læsione alicujus injusta, vel in persona, vel in bonis, vel in honore : et talibus est adjuncta offensa læsi : et ideo non potest sibi satisfieri, nisi offensa cesset : hæc autem non cessat perdurante illo in aliquo modo læsionis : et talibus debitis assimilantur peccata. Et ideo patet, quod ratio illa non valet.

Ad 2. AD ALIUD dicendum, quod licet secundum Platonem justum sit idem quod contrapassum, et hoc in quibusdam sit verum, sicut in directione injuriæ illatæ, ubi inferens injuriam contrapatitur tantum, quantum intulit : tamen hoc justum supponit cessationem a læsione generaliter : et a læsione spirituali non cessatur, quamdiu durat voluntas peccati alicujus.

Ad 3. AD ALIUD dicendum, quod justitia hominum etiam bene exigit cessationem a læsione, ut jam patuit : sed alia debita quibus offensa ejus cujus debitores sumus non est adjuncta, divisim solvi possunt. Et illis debitis in spiritualibus non sunt similia peccata, sed potius dona quæ donantur a Deo, ut lucremur in eis, sicut dicitur, Matth. XXV, 14 et seq.

Ad 4. AD ALIUD dicendum, quod peccatum actuale non destruitur in nobis sine nobis : quia, sicut dicit Augustinus, « Qui creavit te sine te, non justificabit te sine te. » Non autem potest destrui nisi per gratiam, cui repugnat voluntas aversa a bono incommutabili : et cum illa maneat aversa etiam in uno solo peccato in delectatione retento, non potest deleri aliud peccatum : cum tamen Deus in se semper paratus sit destruere, quotiescumque non est impedimentum ex parte nostra.

Ad 5. AD ALIUD concedimus, quod non est simile de morbis corporalibus, et spiritualibus : quia morbi corporales non habent unam causam : sed spirituales habent unicam, quæ est voluntas, vel liberum arbitrium, quod quamdiu manet aversum non est susceptibile medicinæ : et ideo nullus morbus spiritualis curatur in ipso.

Ad 6. AD ALIUD dicendum, quod sacerdos talem ad pœnitentiam non suscipit nisi deceptus : sed quod exhibetur a ministro decepto, bene revocatur justitia regis : ideo objectio adducit non simile pro simili, vel falsum supponitur in illo, scilicet quod satisfactio vera sit, quam suscipit vicario decepto.

Ad 7 AD ALIUD dicendum, quod licet homo non possit scire se habere charitatem

scientia infaillbili, potest tamen scire, scilicet scientia per signa probabilia accepta : et hoc sufficit, sicut sæpius in hoc opere notatum est.

Ad 8. Ad aliud dicendum, quod Daniel non intendit ut rex aliquis in aliquo peccato perduret, sed potius ut vitam mutet in melius, et tunc eleemosynis redimet pœnam peccatorum quam præviderat sibi deberi propter peccatum.

Ad 9. Ad aliud dicendum, quod illius verbi sententia non est, quod pecunia in parte retineatur, quæ ex iniquo est acquisita : sed potius supponit id quod est juris positivi et communis, quod primo restituatur ablatum : deinde de residuo quod *iniquum* dicitur, quia inique, id est, avare contra pauperes retentum est, pauperes ad amicos emantur, ut recipiant benefactores suos in æterna tabernacula[1] : sicut infra in eadem distinctione habebitur in quæstione de *eleemosyna*.

Ad 10. Ad aliud dicendum, quod peccata non habent colligationem in aliquo ente positivo, quod sit sicut habitus, vel radix, vel aliquid hujusmodi : sed tamen habent convenientiam in privatione conversionis ad bonum incommutabile : ex qua parte habent omnia rationem peccati et mali et culpæ offensionis. Et cum talis privatio permaneat in eo qui perdurat in peccato, manet ira Dei super eum : et ideo non est perceptibilis gratiæ.

Ad 11. Ad aliud dicendum, quod de hoc diversi diversa sentiunt. Et quantum ad me pertinet, ego bene puto, quod una politicarum habetur sine alia : licet non quoad omne posse quod potest habere in subjecto : et tunc dicendum, quod non est simile de politicis et infusis : quia infusæ intelliguntur virtutes formatæ, quæ sunt quasi quædam virtuales partes gratiæ gratum facientis : et ideo habent colligantiam in gratia, ita quod una non habetur sine alia. Et ideo etiam nulla ibi est, quamdiu contrarium alicujus virtutis est in subjecto. Sed non est sic de politicis : quia illæ per consuetudinem et experimentum generationem sumunt, et consuetudines actuum diversæ sunt : et ideo una generatur in anima, alia non generata. Et per hoc patet solutio ad duo sequentia.

ARTICULUS II.

An pro uno peccato potest consurgere duplex tribulatio ?

Deinde quæritur de illo quod dicitur, ibi, A, sub initio : « *Non consurget duplex tribulatio*, etc. »

Videtur contrarium

1. In Psalmo cviii, 29, ubi dicitur : *Operiantur sicut diploide confusione sua.*

2. Item, Eccli. xi, 16 : *Error et tenebræ peccatoribus concreata sunt.*

3. Item, In Psalmo cxlviii, 8 : *Ignis, grando, nix*, etc.

Solutio. Dicendum, quod duplex tribulatio non consurget pro peccato quod simpliciter est unum : sed quod est unum subjecto, et plura deformitate : vel pro pluribus peccatis bene consurget duplex tribulatio : sicut cum peccati actus est unus, est tamen ibi libido, et contemptus, et hujusmodi, quibus aliquid respondet in pœnis. Solutio

Unde dicendum ad primum, quod hoc non intelligitur ratione diversarum pœnarum debitarum uni peccato, sed ratione duarum partium ipsius peccantis, quæ sunt corpus et anima : et sicut peccavit in corpore et anima, ita etiam punitur in utroque. Ad 1.

Ad aliud dicendum, quod hoc intelligitur ratione privationis habitus dirigentis in bonis moribus. Error enim Ad 2.

[1] Cf. Luc. xvi, 9.

est in eligendo, et tenebræ in providendo quid agendum sit.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod illæ pœnæ non respondent uni peccato simpliciter, sed pluribus, vel peccato quod unum est subjecto, et multa deformitate.

ARTICULUS III.

An pœnæ quæ commutant in bonum, et injunguntur in satisfactione, sint justæ, an non ?

Deinde quæritur, de hoc quod dicitur, ibi, A, § 2 : « *Qui præsentibus supplíciis commutantur in bonum*, etc. »

Hic potest quæri, Utrum pœnæ illæ expiativæ quæ commutant in bonum, et injunguntur in satisfactione, sint justæ, aut non ?

Videtur, quod justæ : quia

1. Dominus punit peccantes his pœnis : et nullum punit Deus nisi juste : ergo istæ pœnæ sunt justæ.

2. Item, Justum est quod judex reddit pro meritis : sed meritum culpæ nec potest esse nisi pœna : ergo cum illa infligitur peccatori, juste fit ei : ergo talis pœna est justa.

In contra. Sed contra :

1. Mortali peccato debetur pœna æterna : ergo injuste punitur, quando punitur pœna temporali.

2. Item, Si juste punitur peccator pœna taxata, videtur injustum, si taxata convertatur in majorem : sed hoc non est injustum : ergo ista taxata non erat justa. Probatio mediæ. Si non perficit pœnitens pœnitentiam injunctam, punitur in purgatorio, quæ gravior est pœna.

Solutio. Solutio. Dicendum, quod illa pœna si discrete est taxata, justa est : quia tunc æstimantur circumstantiæ peccatoris, scilicet devotio, voluntas, et hujusmodi, et circumstantiæ fori Ecclesiæ militantis, quæ juvat, et alia. Unde concedendæ sunt conclusiones primo inductæ.

Ad object. 1. Ad id quod contra objicitur, dicendum quod mortali secundum se debetur pœna æterna : sed mortali quod ex eventu sequentis compunctionis et confessionis factum est veniale, non debetur pœna æterna, sed temporalis.

Ad object. 2. Ad aliud dicendum, quod per accidens efficitur pœna major : scilicet propter hoc quod mutantur circumstantiæ pœnitentis, et circumstantiæ fori in quo pœnitet. Voluntaria enim pœna hic, efficitur necessaria ibi : et ideo minoris virtutis in purgando : et ideo oportet quod intendatur, et aliæ circumstantiæ mutentur.

ARTICULUS IV.

An quinque modi quibus flagella contingunt, sunt bene assignati et distincti ?

Deinde enim quæritur de hoc quod dicitur, ibi, A, § 2, sub medio : « *Quinque enim modis flagella contingunt*, etc. »

Videtur, quod primus modus nullus sit : quia

1. Ille non supponit peccatum in flagellato, cum dicat Hieronymus : « Quidquid patimur, peccata nostra meruerunt. »

2. Item, Ad Roman. VIII, 28, super illud : *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, dicit Glossa : « Mors et omnia mala ex merito originalis peccati procedunt : » ergo sine peccato non est aliquis modus flagelli justi, ut videtur.

3. Item, Job, VI, 2 : *Utinam appenderentur peccata mea*, etc. Ergo quidquid mali sustinemus, pro peccatis nostris accidere manifestum est.

4. Item, Gregorius : « Nulla nocebit adversitas, si nulla dominetur iniquitas. »

5. Item, Augustinus : « Injustum est creaturam rationalem sine peccato puniri : » sed Deus nihil facit injuste : ergo nullum punit nisi pro peccato.

Sed contra. CONTRA :

1. Job, XVI, 18 : *Hæc passus sum absque iniquitate manus meæ, cum haberem mundas ad Deum preces.*

2. Item, Job, XIX, 6 : *Intelligite quia Deus non æquo judicio afflixerit me, et flagellis suis me cinxerit.*

3. Item, Gregorius in Glossa : « Justus conditor tot verberibus in beato Job non vitia illius curavit exstinguere, sed merita augere. »

4. Item, Joan. IX, 3 : *Neque hic peccavit, neque parentes ejus : sed ut manifestentur opera Dei in illo.*

ULTERIUS objicitur de secundo modo qui videtur, quod ille nullus sit : quia

1. Incitatio ad vitium non est custodia virtutis : provocatio autem ad iram sine causa, est incitatio ad vitium : ergo non est bona custodia virtutum : sed provocatur ad iram, qui sine merito flagellatur : ergo est mala custodia virtutum.

2. Si dicas, quod hoc est ne superbia tentet. CONTRA : Augustinus dicit, quod superbia post omnes virtutes sævit. Ergo etiam post pœnitentiam in tribulatione : ergo non magis cavetur superbia per tribulationem, quam per alium modum.

ULTERIUS quæritur de tertio modo. Videtur enim non esse correctio peccati.

1. Peccatum enim non corrigitur nisi gratia quæ sibi contraria est, vel virtute : sed pœna non est contraria peccato : ergo non corrigitur peccatum per pœnam.

2. Item, Pœna quæ corrigit peccatum : aut habet hoc in quantum est pœna, aut in quantum est voluntaria, aut in quantum est inflicta, aut quantum ad duo illorum, aut quantum ad omnia tria. Si primo modo : tunc in omnibus corrigit peccatum : et sic intelligitur etiam modus quintus. Si secundo modo : ergo ubi est major voluntas, ibi erit major correctio peccati : sed ad suavia opera virtutum, et orationum, et hujusmodi, major et suavior est voluntas : ergo magis per illa corrigetur peccatum, ut videtur : ergo illud purgativum peccati male videtur præordinari a summa sapientia. Si quoad tertium, hoc iterum non potest stare : quia in dæmonibus et damnatis pœna est inflicta, et tamen non corrigit peccatum. Si dicas, quod quoad duo : aut hoc erit quia pœna voluntaria, aut quia pœna inflicta. Si primo modo : cum hoc non causetur ab eo quod est pœna, sed ab eo quod est voluntaria : videtur quod ea in quibus voluntas devotior est, magis sit correctiva peccati : et illa sunt actus virtutum, et alia devotionis opera, ut communiter dicitur ab omnibus.

ULTERIUS quæritur de quarto modo quem tangit : quia omnino videtur esse sine ratione :

1. Gloria enim Dei multis aliis modis sine hominum nocumento potest manifestari : ergo videtur, quod inutilis sit iste.

2. Item, Videtur esse quædam conformitas ad miracula dæmonis : quia, sicut dicitur in vita beati Bartholomæi, dæmones prius lædebant, et postea cessantes videbantur : et ita videtur hic esse : ergo iste modus nullus videtur.

SIMILITER quæritur de quinto : quia

1. Dicit Augustinus in libro de *Pœnitentia :* « Quidquid permisit Deus pati, scias esse flagellum correctionis : » sed Herodes patiebatur : ergo sua passio fuit flagellum correctionis, ut videtur.

2. Item, Quamdiu datur locus correctionis et pœnitentiæ, tamdiu debet differri condemnationis initium : sed per

totam hanc vitam datur hic locus pœnitentiæ : ergo non debet hic inchoari condemnatio : ergo nullus punitur ante initium vel gustum suæ condemnationis : et sic quintus modus nullus videtur esse.

Sed contra. CONTRA hoc est quod dicitur, II Machab. IX, 13, de Antiocho punito cum per pœnas humiliaretur, et oraret : *Orabat autem hic scelestus Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus.* Ergo pœna non valuit ei ad emendam delicti.

PRÆTEREA videtur, quod tota illa divisio sit insufficiens : quia alia datur quæ continetur his verbis :

Erudit, vertit, probat, et lætum facat, arctat,
Confortat, satiat, consummat, deinde coronat.

Erudit, Jerem. XXXI, 18 : *Castigasti me, et eruditus sum.*

Vertit, id est, convertit, Psal. XV, 9 : *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt.*

Probat, Eccli. XXVI, 7 : *Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis.*

Lætum facit, Jacob. I, 2 : *Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in varias tentationes incideritis.*

Arctat, Isa. XXVIII, 19 : *Sola vexatio intellectum dabit auditui.*

Confortat, Job, VI, 9 et 10 : *Solvat manum suam, et succidat me. Et hæc sit mihi consolatio, ut affligens me dolore, non parcat.*

Satiat, id est, fœcundat, Exod. I, 12 : *Quanto* magis Ægyptii *opprimebant eos*, scilicet filios Israel, *tanto magis multiplicabantur, et crescebant.*

Consummat, Matth. V, 10 : *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam*, etc.

Coronat, II ad Corinth. IV, 17 : *Id enim quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.*

Solutio. SOLUTIO. Dicendum ad primum, quod peccatum est duplex, ut dicit Augustinus, scilicet naturæ, et personæ. Et sine peccato naturæ nullus patitur, nec etiam Christus, sicut notatum est in tertio *Sententiarum*, quæstione de *passione Christi* [1], sed sine peccato personæ multi puniti sunt, ut Christus, et Job, et alii quidam : et sic intelliguntur auctoritates primo inductæ.

AD ID quod de secundo modo quæritur, dicendum quod omnis tribulatio in quantum humiliat, valet ad custodiam virtutum : et licet hoc verum sit universaliter, tamen est quædam species tribulationis quæ ostendit infirmitates hominis et utilitates corporis, quæ specialem habet efficaciam humiliationis, sicut fuit tribulatio beati Pauli, scilicet stimulus carnis.

AD HOC quod contra objicitur, dicendum quod tribulatio non est provocatio nisi animi male dispositi, scilicet irati : sed hic loquitur Beda de animo tranquillo, et animo sapientis : de quo probaverunt Philosophi, quod non cadit perturbatio in sapientem : et ideo virtus quæ supponitur in tribulato, cavet perturbationem : sed modus flagelli per se humiliativus est.

AD ALIUD dicendum, quod licet superbia post omnes virtutes sæviat, tamen post illam sævit minus quæ reducit hominem in actualem sui status cognitionem : et ideo concludit falsum quantum est de se.

AD ID quod objicitur de tertio, dicendum quod in peccato duo sunt, scilicet substantia peccati, et reatus consequens peccatum : et peccatum quoad substantiam sui non purgatur nisi per gratiam :

[1] Cf. III Sententiarum, Dist. XV, Art. 9 et 10. Tom. XXVIII hujusce novæ editionis.

sed reatus qui est debitum pœnæ, purgatur per pœnæ solutionem.

Ad aliud dicendum, quod pœna purgat peccatum in quantum voluntarie suscipitur pro peccato.

Ad id quod contra objicitur, dicendum quod opera devotionis plus quidem valent ad meritum vitæ æternæ : quia incendunt charitatem et fervorem : sed pœna voluntarie percepta, plus valet ad meritum diminutionis pœnæ. Et hoc ideo, quia reatus pœnæ est per modum debitum justitiæ : quæ a Philosopho dicitur directiva damni. Et hujusmodi justitia exigit, ut tantum solvat, quantum deliquit : solvit autem cum luit pœnam : et ideo magis valet ad pœnæ solutionem sustinere voluntarie pœnam. Ratio autem inducta procedit, ac si idem sit meritum vitæ æternæ et diminutionis pœnæ, quod non est verum.

Ad id quod quarto quæritur, dicendum quod ille modus rationem habet : quia per hoc quod punit et satiat se conditorem naturæ esse Dominus ostendit, sicut ipse dicit, Jerem. xviii, 6 : *Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea, domus Israel.* Aliis autem modis non se ita ostenderet artificem luti naturæ nostræ.

Ad aliud dicendum, quod dæmones conferebant sanitatem aliquam : et læsio eorum fuit violenta : sed Dominus movendo naturam per dispensationem infirmat quandoque : sed veram confert sanitatem, reductis humoribus ad æqualitatem, vel reintegratis membris compositionis corporis. Unde non est simile quod pro simili est inductum.

Ad id quod quinto quæritur, dicendum, quod bene puto, quod quantum est de intentione flagelli et flagellantis, non flagellatur aliquis hic nisi ut corrigatur : sed quod non corrigitur, præscitur a flagellante, et ideo dicitur pœnæ æternæ initium. Quod enim gustus sit pœnarum, hoc ipsum deberet facere ipsum resilire a peccato quantum est de natura pœnæ : unde quod non revertitur, hoc est de obstinatione flagellati : et tunc per accidens est quasi initium pœnæ æternæ.

Et per hoc patet solutio eorum quæ objecta sunt : quia Augustinus loquitur secundum intentionem flagellantis et non flagellati. Et in eodem sensu procedit ratio. Beda autem loquitur in *Littera* de flagello ex parte flagellati, quod in illo facit obstinationem, quæ est initium pœnæ æternæ.

Ad id quod objicitur de divisione, dicendum quod multæ causæ particulares assignari possunt flagelli : sed tamen sub his quinque universalibus incidunt : sicut patet in octo membris secundæ divisionis. Eruditio enim reducitur ad custodiam virtutum : conversio autem ad correctionem : probatio vero et lætificatio, confortatio et sanatio et coronatio omnes incidunt sub prima causa hic posita. Et duæ causæ hic positæ non tanguntur in secunda divisione : quia generaliores habet partes, quam secunda.

Et potest accipi numerus causarum hic positarum sic : Flagellum fit aut ad promotionem boni, aut ad amotionem mali. Si primo modo : aut in Ecclesia, aut in persona. Si in Ecclesia, sic est ad gloriam Dei manifestandam, ut in cæco nato [1]. Si in persona : aut est ad bonum quod non inest, sed debet induci per flagellum : aut ad bonum quod inest, et potest meliorari per flagellum : quia sicut dicit Poeta :

Non nocet admisso subdere calcar equo.

Si respectu ejus quod non inest : sic est ad vitii correctionem, ut virtus introducatur : quia dicit Boetius, quod prius exstirpanda sunt vitia, ut inserantur vir-

[1] Joan. ix, 1 et seq.

tutes. Si autem est respectu boni quod inest, sed potest emendari in melius : tunc vel est ex parte subjecti : et tunc est radicatio majoris boni et conservatio, et sic est virtutum custodia. Aut ex parte ipsius boni quod inest : et hoc non accipit meliorationem nisi secundum quantitatem : et tunc illa est causa quam vocat Augustinus *merita*. Si autem est respectu mali : aut hoc erit respectu mali amovendi : et sic est iterum ad correctionem vitiorum : quia nihil prohibet idem esse duorum vel amborum finium : unius, tamquam ejus quod est finis : alterius autem, tamquam ejus quod est ad finem : et per flagellum primo est inserenda virtus : sed ut hoc fieri possit, necesse est ut exstirpentur vitia. Aut est ad malum indicandum, quod exstirpari propter obstinationem flagellati non potest : et sic est ad initium pœnæ æternæ.

Sunt autem versus de istis causis :

Job probat, inclinat Paulum, purgatque Mariam,
In cæco sese manifestat, punit Herodem.

Vel sic :

Cur homo torquetur ? ne fastus dominetur.
Cur homo torquetur ? ut ei meritum cumuletur.
Cur homo torquetur ? ut pœnis culpa pietur.
Cur homo torquetur ? ut Christus glorificetur.
Cur homo torquetur ? ut dupliciter puniatur.

B. *Quæ sit intelligentia præmissorum ?*

Attende, lector, his verbis, et cave ne de omnibus generaliter intelligas : sed de his tantum qui inter ipsa flagella pœnitentiam egerunt, credentes in Deum Hebræorum : quam, etsi brevem et momentaneam, tamen non respuit Deus. Quod autem qui temporali [1] flagello non corriguntur, post æternaliter puniantur, ibidem ostendit, agens de fideli deprehenso in adulterio qui decollatur. Ubi ostendit levia peccata brevi et temporali supplicio purgari, magna vero diuturnis æternisque suppliciis reservari, ita inquiens [1] : Quærat hic aliquis, si fidelis deprehensus in adulterio decolletur, quid de eo postea fiat ? Aut enim punietur, et falsum est quod dicitur, Non judicabit Deus bis in idipsum : aut non punietur, et optandum est adulteris ut hic brevi pœna puniantur, ut frustrentur in cruciatus æternos. Ad quod respondemus, Deum ut omnium rerum, ita suppliciorum quoque scire mensuras, et non præveniri sententia judicis, nec illi in peccatorem exercendæ dehinc pœnæ auferre potestatem : et magnum peccatum magnis diuturnisque lui cruciatibus. Si quis vero punitus sit temporaliter, ut ille

[1] Edit. J. Alleaume, *per temporale.*
[2] S. Hieronymus, Comment. ad cap. I Nahum.

qui Israelitæ maledixerat [1], et qui in sabbato ligna collegerat [2], tales postea non puniri : quia culpa levis præsenti supplicio compensata sit : levis enim culpa levi supplicio compensatur. His satis innuit Hieronymus gravia peccata et hic puniri gravi supplicio, et in futuro punienda æternaliter, de quibus pœnitentia non agitur inter flagella. Levia vero quæ hic puniuntur, levi pœna compensationem recipere : quod in bonis fieri non ambigimus, et in malis forte etiam fit ita. Satis jam apparet quod illi de Prophetia induxerunt, non facere pro eis qui dicunt, ei qui crimen sibi reservat, de alio veniam præstari per pœnitentiam.

Alias quoque auctoritates inducunt. Ait enim Gregorius : Pluit Dominus super unam civitatem, et super alteram non pluit : et eamdem civitatem ex parte compluit, et ex parte aridam reliquit. Cum ille qui proximum odit, ab aliis vitiis se corrigit, una eademque civitas ex parte compluitur, et ex parte arida manet [3] : quia sunt quidam qui cum quædam vitia resecent, in aliis graviter perdurant [4]. Item, Ambrosius : Prima consolatio est, quia non obliviscitur misereri Deus. Secunda, per punitionem : ubi etsi fides desit, pœna satisfacit et relevat [5]. Ratione quoque utuntur dicentes : Si is qui unum peccatum confitetur altero tacito, et satisfactionem a sacerdote injunctam expleverit : numquid etsi peccatum tacitum conversus fuerit confessus, pro utroque ei pœnitentia imponetur ? Longe hoc videtur a ratione, et Ecclesiæ consuetudine : quæ pro eodem peccato, nisi reiteretur, nulli bis pœnitentiam imponit. Fuit ergo illa peccati condigna satisfactio, unde et peccatum deletum videtur.

ARTICULUS V.

An Deus puniendo peccata servet mensuram debitam ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, B, post initium : « *Deum ut omnium rerum, ita suppliciorum quoque scire mensuras*, etc. »

Videtur enim, quod ipsemet Deus non servet mensuras delictorum pœnæ :

1. Patet enim, quod delictum est temporale : sed pœna est æterna : ergo videtur, quod mensura non servetur.

2. Item, Infra [6] dicitur, quod pœna etiam purgatorii excedit omne genus passionis, quod potest homo pati in hac vita : ergo multo magis pœna inferni : sed delectatio peccati non excedit omne genus delectationis hujus vitæ : ergo acerbitas pœnæ secundum intensionem excedit in quantitate delectationem pec-

[1] Levit. XXIV, 10 et seq.
[2] Numer. XV, 32 et seq.
[3] Edit. J. Alleaume, *remanet*.
[4] S. GREGORIUS, Super cap. I Ezechielis, Homil. 10 ; et habetur de Pœnitent. dist. III, cap. *Pluit*. (Nota edit. Lugd.)
[5] S. AMBROSIUS, Super Psal. CXVIII, in principio, Serm. 18 ; et habetur de Pœnitent. dist. III, cap. *Prima consolatio* (Nota edit. Lugd.)
[6] Cf. Infra, Dist. XX.

cati: ergo non sunt mensurata contra se pœna et culpa, ut videtur.

Solutio. Solutio. Dicendum, quod mensura pœnæ non proportionatur quantitati temporis, vel delectationis, sed potius quantitati radicis et contemptus et imperii voluntatis, ut dicunt Sancti. Verbi gratia, radix peccati contemptus est : et quantitas hujus attenditur penes quantitatem æterni boni increati, quod contemnit : et hoc est bonum quoddam infinitum. Et ideo si finita pœna punitur, hoc erit ex Dei misericordia. Similiter actus peccati est temporalis : sed tamen cum homo voluntarie subdit se peccato, cum scientia ejus quod est non posse resurgere per se, quantum est de se, eligit in peccato esse æternaliter : et per consequens et huic æternitati respondet pœna æterna. Et hoc est quod dicit Gregorius, quod « quia homo peccavit in suo æterno, ideo punitur in Dei æterno. »

Et per hoc patet solutio utriusque objecti.

ARTICULUS VI.

An per sententiam sacerdotis præveniatur sententia judicis ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, B, post initium : « *Et non præveniri sententiam judicis*, etc. »

Videmus enim, quod tota die prævenitur per pœnitentiam temporalem.

Item, Joan. xx, 23 : *Quorum remiseritis peccata*, etc. Et, Matth. xvi, 19 : *Quodcumque solveris*, etc.

Constat autem, quod hoc totum intelligitur quoad pœnam : quia Deus per se absolvit a culpa : ergo sententia judicis prævenitur.

Solutio. Solutio. Dicendum, quod per sententiam sacerdotis non prævenitur sententia judicis : quia eadem est sententia judicis et sacerdotis, si ordine clavium sacerdos pœnitentiam injungit. Si autem ordinem clavium non servat, tunc est sententia hominis, non Dei : et tunc iterum non prævenit eam, quia non recedit propter hoc sententia Dei a peccatore, qui volens decipitur a sacerdote.

Unde primæ auctoritates, et prima ratio loquuntur de sententia judicis, ministerio sacerdotis inflicta. Et per hoc patet solutio.

ARTICULUS VII.

An pro levi culpa, ut in sabbato colligere ligna, debuit infligi mors ?

Deinde quæritur de hoc quod dicitur, ibi, B, sub medio : « *Et qui in sabbato ligna collegerat*, etc. »

1. Videtur enim velle, quod culpa hujus Israelitæ levis fuerit : cum tamen lapidatus fuerit, et pro culpa levi mors non fuisset inflicta.

2. Item, Legitur, Levit. xxiv, 14 : *Educ blasphemum extra castra.* Ergo blasphemavit : et blasphemia est peccatum in Spiritum sanctum : et hoc est peccatum quod non remittitur nec in hoc sæculo, nec in futuro : cum tamen *Littera* innuat, quod ille postea non fuerit punitus.

Solutio. Solutio. Dicendum, quod levitas culpæ istius significata est ex specie peccati duplicis, scilicet collectionis lignorum in sabbato, et maledictionis qua maledixit non Deo, sed viro Israelitæ : et de his tantum duobus peccatis loquitur.

Ad 1. Ad primum autem dicendum, quod graviter tunc peccata puniebantur propter legis recentiam et rigorem, ut alii terrerentur, et non propter gravitatem peccati.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod sicut dicit Richardus de sancto Victore, aliud est spiritus blasphemiæ, et aliud blasphemia : quia spiritus blasphemiæ est, quando blasphemans non ignorantiam, sed malitiam spirat in blasphemando, sicut patet, Matth. xii, 24, et Luc. xi, 15, ubi videbant signa indicantia spiritum Dei, et in Beelzebub dicebant ea fieri. Blasphemia autem fit quandoque ex ignorantia, vel provocatione : et tunc non est peccatum in Spiritum sanctum : et tale fuit illius Israelitæ, qui forte pœnituit inter ictus lapidum : et tunc merito patientiæ remissum est ei peccatum.

DIVISIO TEXTUS.

« *Alias quoque auctoritates*, etc. »

Hæc est secunda pars, et dividitur in duas partes : in quarum prima ponit objectiones, et in secunda solutionem, ibi, C, « *His responderi potest*, etc. »

ARTICULUS VIII.

An sine fide aliqua pœna sit satisfactoria ?

Dubium autem incidit de hoc quod dicit in prima parte, ibi, B, § 2, in textu Ambrosii : « *Secunda, per punitionem : ubi etsi fides desit*, etc. »

Contra enim est illud Apostoli, ad Roman. xiv, 23 : *Omne quod non est ex fide, peccatum est*. Et, ad Hebr. xi, 6 : *Sine fide impossibile est* quemquam *placere Deo*. Fortassis et displicere necesse est : ergo videtur, quod sine fide pœna non sit satisfactoria.

Solutio. Solutio. Æquivocatio est in fide : quia fides est virtus qua creduntur invisibilia propter primam veritatem : et de hac non loquitur hic. Fides iterum est credulitas quædam rationis de aliquo apprehenso, secundum quod dicit Philosophus in III de *Anima*, quod opinio juvata rationibus fit fides : et sic consuevit dici, quod fides est alicujus opinati vel sciti : et sic loquitur hic Ambrosius. Unde sensus est : Si fides, id est, conscientia delicti desit, quia delicta nemo intelligit : pœna satisfacit, quia talia Deus aut pie patientia pœnarum indulget, aut revelat ad confitendum.

Ad primum ergo dicendum, quod sensus auctoritatis Apostoli est : *Omne quod non est ex fide*, id est, contra fidem, *peccatum est* : quia qui facit contra conscientiam, ædificat ad gehennam.

Ad alia duo dicendum, quod loquitur de fide virtute.

ARTICULUS IX.

An satisfaciens in peccato mortali satisfecerit ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, B, § 2, in fine : « *Longe videtur hoc a ratione, et Ecclesiæ consuetudine : quæ pro eodem peccato, nisi reiteretur, nulli bis pœnitentiam imponit.* »

Videtur enim, quod Ecclesia ei non injungit aliam pœnitentiam sicut et isti dicunt.

1. Ponamus enim, quod sacerdos injunxerit alicui, quod iret ultra mare, vel quod daret centum marcas argenti : et perficiat iter, vel det argentum in mortali peccato, Ecclesia ei non injungit ut iterum hoc faciat : ergo ipse est absolutus : ergo explevit pœnitentiam : ergo non tenebatur hoc facere in charitate.

2. Item, Præcepta Dei non includunt gratiam, ut multi dicunt : quia non præ-

cipitur nisi actus: ergo sacerdos non intendit, quod perficiat pœnitentiam existens in charitate: si ergo non existens in charitate hoc impleat, videbitur esse absolutus.

Solutio. Credimus, quod si aliquis in peccato existens, solvat quod injunctum est, non oportet, quod postquam pœnituerit, iterum solvat: sed tamen oportet quod conteratur, et confiteatur, et satisfaciat de eo quod non fecit injunctum eo modo quo debuit. Non ergo proprie satisfecit, ut videtur: quia contritio et satisfactio respiciunt peccati dimissionem quantum ad essentiam, pro qua dimissione debet homo fieri gratus Deo: et ideo non possunt fieri sine charitate: sed differunt, quia contritio non solum fit in charitate, sed ex charitate, cum per eam deleatur culpa, ad cujus deletionem exigitur motus liberi arbitrii informatus gratia. Sed licet necesse sit quod satisfactio sit in charitate, non tamen necesse est quod semper fiat ex charitate. Sed confessio non respicit dimissionem peccati per se, sed solum dispositionem ad dimissionem culpæ, quia fit ministro Ecclesiæ, ut cognoscat quanta et quæ sit culpa, ut sic injungat pœnam debitam. Ideo in peccato existens potest solvere debitum, sed non satisfacere: quia solutio tantum respicit quantitatem debiti, sed satisfactio hanc respicit, et adhuc dicit ut fiat secundum voluntatem beneplaciti ejus cui fit.

C. *Quomodo accipienda sunt præmissa?*

His responderi potest sic, Illud Gregorii: « Pluit Dominus, etc., » non ad criminis veniam, sed ad operis pravi desertionem referendum est: ut ideo pars civitatis dicatur complui, quia ab actu et delectatione peccati cui ante serviebat, modo cessat: non quod ejus veniam habeat. Vocaturque pluvia illa talis continentia qua ab opere peccati revocatur: quia ex fonte gratiæ Dei id cordi instillatur, ut vel sic paulatim ad pœnitentiam veniat: vel eo minus a Deo puniatur qui diuturniori delectatione et actu peccati majus sibi accumulasset tormentum. Si vero ad indulgentiam reatus pluvia referatur, Evangelicæ sententiæ contraire videbitur [2]. Si enim propter misericordiam qua quis proximo suo non miseretur, etiam quæ dimissa sunt, replicantur ad pœnam: multo magis quæ nondum sunt dimissa propter odium fraternum ad pœnam reservari probantur. Et si ille qui arbiter suæ voluntatis constitutus est, non potest inchoare novam vitam, ut ait Augustinus, nisi pœniteat eum veteris vitæ: quomodo ad novitatem indulgentiæ perveniet, qui odii vetustatem non deposuit?

[1] Edit. Joannis Alleaume, *quæ*.
[2] Matth. xviii, 23 et seq., de condonatione injuriarum, proposita parabola servi debitoris.

Illud etiam quod Ambrosius ait : « Et si fides desit, pœna satisfacit, etc., » non de fide intelligitur, qua creditur in Deum, sed de conscientia delicti. Deest enim fides, cum conscientia peccati non subest. Nam cum delicta omnia nemo intelligat, est aliquando in homine peccatum cujus non habet conscientiam. Unde Apostolus : *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum* [1]. Cum ergo quis flagellatur pro peccato cujus non est conscius, si patienter fert pœnam et humiliter amplectitur, cogitans se forte peccatum habere quod non intelligit, et pro eo puniri a Deo, pœna illa satisfacit et relevat gravatum. Ad hoc autem quod objicitur de satisfactione illa : si satisfactio non fuit, iterum imponenda est. Si vero iterum imponenda non est, satisfactio fuit : et si satisfactio fuit, veniam impetravit. Responderi potest satisfactionem ideo non fuisse, quia ille dignos fructus pœnitentiæ non fecit. Est enim satisfactio pœnitentiæ, ut ait Augustinus, peccatorum causas excidere, nec suggestionibus eorum aditum indulgere [2]. Item, Sane qui scelerate vivunt, nec curant talem vitam moresque corrigere, et inter ipsa facinora sua eleemosynas frequentare non cessant : frustra ideo sibi blandiuntur, quia Dominus ait : *Date eleemosynam : et ecce omnia munda sunt vobis* [3]. Hoc enim quam late pateat non intelligunt. Multa enim sunt genera eleemosynarum : quæ cum facimus, adjuvamur. Non solum qui dat esurienti cibum, sitienti potum, et hujusmodi : sed etiam qui dat veniam petenti, eleemosynam dat : et qui emendat verbere in quem potestas datur vel coercet aliqua disciplina, vel orat ut ei peccatum dimittatur, eleemosynam dat : quia misericordiam præstat. Multa enim bene [4] præstantur invitis, quando eorum consulitur utilitati et non voluntati : sed ea major est qua ex corde dimittimus quod in nobis quisque peccavit [5]. Minus enim magnum est erga eum esse benevolum qui tibi nihil mali fecit. Illud multo grandius ut tuum etiam inimicum diligas, et ei qui tibi malum vult, et si potest facit, semper bonum velis faciasque quod possis. Quod ergo Dominus ait : *Date eleemosynam : et omnia munda sunt vobis :* itane intellecturi sumus, ut non credentibus in Christum munda sint omnia, si eleemosynas istas dederint ? Qui enim vult ordinate eleemosynam dare, a se debet primum [6] incipere, et eam primum sibi dare. Est enim eleemosyna opus misericordiæ : verissimeque dictum est,

[1] I ad Corinth. IV, 4.
[2] S. AUGUSTINUS, In Enchiridion, cap. 73.
[3] Luc. XI, 41.
[4] Edit. J. Alleaume, *bona*.
[5] S. AUGUSTINUS, In Enchiridion, cap. 73.
[6] In edit. J. Alleaume deest *primum*.

Miserere animæ tuæ placens Deo [1]. Non ergo se fallant, qui per eleemosynas largissimas fructuum suorum vel pecuniæ impunitatem se emere æstimant, in peccatis permanentes : quæ ita diligunt, ut in eis optent versari. *Qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam* [2] : et qui odit animam suam, non est misericors ei, sed crudelis. Diligendo quippe eam secundum sæculum, odit eam secundum Deum. Si ergo vult ei dare eleemosynam per quam fit munda, odiat eam secundum sæculum, et diligat eam secundum Deum. Hac eleemosyna, quam sibi homo primitus debet, mundantur interiora. Ad quod hortans Christus ait : Mundate quæ intus sunt [3]. Immundis enim nihil est mundum : sed polluta sunt eorum mens et conscientia, ut ait Apostolus [4]. Immundi vero sunt omnes, quos non mundat fides, qua creditur in Christum : de qua scriptum est, Mundans fide corda eorum [5]. Sed ne istas eleemosynas quæ fiunt de fructibus terræ, respuere Christus videretur : *Hæc*, inquit, *oportuit facere*, scilicet judicium, et charitatem Dei : *et illa non omittere* [6], id est, eleemosynas fructuum terrenorum.

Ex his datur intelligi, quod in peccato mortali permanentes, etsi eleemosynas largas faciant, non tamen per eas satisfaciunt : quia inordinate agunt, dum a se non incipiunt. Nec proprie dicitur eleemosyna tale opus, dum sibiipsis crudeles existunt, non placentes Deo. Non ergo dicenda est illa peccati satisfactio, quam quis agit pro uno peccato, dum perdurat in altero. Quia nihil prodest jejunare, et orare, et alia bona agere, nisi mens revocetur a peccato : et si aliquando conversus tacitum peccatum sacerdoti fuerit confessus, de utroque imponenda est ei satisfactio : quia de primo condigne non satisfecit.

DIVISIO TEXTUS.

« *His responderi potest*, etc. »

Hic incipit solvere. Et dividitur in tres partes : in quarum prima solvit secundum suam opinionem : in secunda autem secundum opinionem aliorum, in quibus tamen videtur fuisse. Tertio, confirmat solutionem per auctoritates, ibi, F, « *Satis arbitror*, etc. »

Et subdivisio harum partium per se patet.

Sed incidunt hic quæstiones utiles et multæ.

[1] Eccli. xxx, 24.

[2] Psal. x, 6.

[3] Matth. xxiii, 26 : *Pharisæe cæce, munda prius quod intus est calicis*, etc.

[4] Ad Titum, i, 15 : *Omnia munda mundis : coinquinatis autem et infidelibus nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorum et mens et conscientia.*

[5] Act. xv, 9 : *Fide purificans corda eorum.*

[6] Matth. xxiii, 23.

ACTICULUS X.

An satisfaciens indigeat gratia gratum faciente ut satisfaciat ?

Prima quæstio est de hoc quod dicit, ibi, C, § 1, post initium : « *Quia ex fonte gratiæ Dei id cordi instillatur*, etc. »

1. Videtur enim ex hoc quod gratia vel stilla gratiæ est in peccatore, adhuc in peccato existenti : et cum habens gratiam possit satisfacere, videtur, quod satisfaciens non indiget gratia gratum faciente ad hoc ut satisfaciat.

2. Item, Hoc videtur a simili, quod etiam sine gratia hoc possit : quia si quis satisfacere debet homini de læsione, et injungatur ei exsilium, vel jejunium, vel aliquid tale : non requiritur utrum in statu gratiæ persolvat pœnam, vel non, dummodo solvat eam : ergo videtur, quod similiter est satisfaciendum Deo.

3. Item, Restitutio est pars satisfactionis, et ipsa potest fieri etiam in statu peccati mortalis : ergo et satisfactio.

Quod autem restitutio possit fieri in statu mortalis peccati, probatur, Luc. xix, 8, de Zachæo qui dicit : *Si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum* : ergo videtur habere propositum.

4. Item, Levit. xxv, 25 : *Si attenuatus frater tuus vendiderit possessiunculam suam*, etc. Et sequitur, ℣℣. 26 et 27 : *Sin autem non habuerit proximum, et ipse pretium ad redimendum potuerit invenire, computabuntur fructus ex eo tempore quo vendidit.* Sed secundum Interlineares ibidem, possessiuncula est conversatio, quæ venditur diabolo cum homo mortaliter peccat : et computabuntur fructus satisfactionis ab eo tempore quo vendidit, id est, ab eo tempore quo mortaliter peccavit : ergo satisfactio n mortali peccato, vel cum gratia gratis data tantum facta, valere videtur ad deletionem peccati.

Sed contra : Sed cont.

1. Supra habitum est, quod opera mortua Deo non placent : et non contingit satisfacere nisi per opera Deo placentia : ergo non contingit satisfacere per opera mortua : sed extra gratiam non fiunt nisi opera mortua : ergo extra gratiam nulla fiunt opera satisfactoria : ergo nulla satisfactio : ergo, etc.

2. Item, Satisfacere plus est quam mereri : quia mereri non dicit nisi opus dignum vita æterna, et satisfacere dicit hoc et solutionem debiti pœnæ : sed non contingit mereri, quod minus est, sine gratia : ergo etiam non contingit satisfacere, quod majus est, sine gratia.

Solutio. Hæc quæstio fere determinata est, ubi quæsitum est de operibus extra charitatem factis, utrum possint esse opera pœnitentiæ : et ideo hic supponitur quod ibi dictum est, scilicet quod opera pœnitentiæ, sicut et cætera opera in quibus quæritur placatio Dei, sint facta secundum voluntatem et acceptionem divinam : acceptio autem Dei non est in nobis ex nobis, nec in opere nostro ex nobis, vel ex opere nostro, sed potius ex eo quod accepimus ab ipso : et hoc est gratum faciens : et ideo oportet talia opera esse facta in gratia gratum faciente. Solut.

Dicendum ergo ad primum, quod cessatio ab actu peccati, ex timore servili provenit qui est donum Spiritus sancti, et ideo dicitur *instillatio a fonte gratiæ* : et tamen timor servilis non est gratia gratum faciens, sed dispositio quædam ad ipsam. Ad 1.

Ad aliud dicendum, quod sine gratia non contingit satisfacere, et non est simile : quia dicitur, I Reg. xvi, 7 : *Homo videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor* : et ideo homini contingit satisfacere secundum faciem, sed non Deo, nisi cor satisfacientis sit reconciliatum Deo. Ad 2.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod restitutio non est pars essentialis satisfactionis, sed præexigitur per modum fundamenti. Unde cum restitutio est de his quæ fiunt homini, qui judicat secundum faciem, non semper oportet quod fiat in charitate. Aliter etiam potest dici, et est alia causa ejusdem, quod restitutio non fit nisi in ablatione rerum corporalium, et cum actus simpliciter corporalis sit, non spiritualis, non oportet talem actum fieri in charitate.

Ad 4. Ad ultimum dicendum, quod non intelligitur, quod fructus computetur ex tempore quo peccavit, sed potius sic a die quo vendidit, id est, quo ultimo in venditione fuit. Fuit autem ultimo in vendendo quando ultimo fuit in peccato, post quod tempus non fuit in peccato : quia tunc incipiebat converti : ita scilicet, quod præpositio, cum dicitur *a die*, notet terminum extra, non intra. Et tunc patet, quod non sequitur, quod possit satisfacere manens in mortali peccato.

ARTICULUS XI.

An oporteat quemlibet satisfacere qui deliquit ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, C, § 2 : « *Est enim satisfactio pœnitentiæ, ut ait Augustinus, peccatorum causas excidere*, etc. »

Et quæruntur hic tria, scilicet an conveniat satisfacere ?

Secundo, De diffinitione satisfactionis hic posita.

Tertio, Qualiter opus satisfactionis differt ab aliis partibus pœnitentiæ, scilicet ab opere confessionis, et cumpunctionis ?

Ad primum sic proceditur :

1. Satisfacere mensuratur ad aliud ad quod terminatur satisfactio : quod patet : quia hic qui satisfacit læso, mensurat hoc quod facit ad quantitatem læsionis quam intulit, et similiter ille qui satisfacit damnificato. Et eodem modo qui satisfacit Creatori. Ergo satisfacere non est, nisi æquale impendatur damno vel læsioni : sed nullus potest æquale impendere læsioni, et ingratitudini Dei quam infert peccando : ergo nullus potest satisfacere.

2. Item, Magis tenetur satisfacere qui lædit majestatem regis vel principis, quam qui lædit æqualem sibi : ergo in infinitum magis tenetur qui offendit infinite altiorem majestatem, quam sit regis vel principis : sed quilibet peccans mortaliter, offendit infinite altiorem majestatem, quam sit regis vel principis : ergo in infinitum tenetur : sed constat, quod non potest solvere infinitum : ergo non potest satisfacere.

3. Item, Isa. lxiv, 6 : *Quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ.* Ergo non sunt satisfactoriæ : et non possumus aliter satisfacere nisi operibus justitiæ : ergo cum illa non habeamus, videtur quod satisfacere non possumus.

4. Item, Si aliquis duas habet rationes debiti, scilicet quod sit servus qui nihil potest possidere nisi nomine et jure domini, et ita contraxerit mutuum ab eodem, vel alio : si totum quod habet debet solvere pro una debiti ratione, non potest aliud solvere debitum : sed sic est de quolibet homine : quia ipse ex conditione naturæ debet Deo quidquid est, et quidquid potest : ergo pro peccatis non habet quod reddat : sed omnis satisfaciens aliquid reddere debet : ergo nullum hominem contingit satisfacere pro peccatis.

Sed contra. Sed contra :

1. Osee, xiv, 3 : *Omnem aufer iniquitatem, accipe bonum : et reddemus vitulos labiorum nostrorum.* Ergo contingit reddi : ergo satisfacere.

2. Item, Matth. xviii, 26 : *Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi.*

Solutio. Solutio. Dicendum, quod duplex est

satisfactio, scilicet secundum æquale juris, et secundum arbitrium ejus cui facta est injuria. De prima satisfactione non contingit satisfacere Deo ab aliqua creatura pura : sed de secunda contingit, quia contingit Deo solvere pro peccato quod exigit a nobis. Unde, Michææ, VI, 6 : *Quid dignum offeram Domino*, etc. ? Et sequitur, ℣. 8 : *Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid*, etc.

Ad 1 et 2. Et per hoc patet solutio ad duas rationes primo inductas, quæ procedunt ac si satisfactio pro peccatis sit secundum æquale juris quod mensurat inter damnum illatum, sive inter injuriam patientis et agentis.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod justitiæ nostræ dupliciter considerantur, scilicet in comparatione ad nos, et in comparatione ad gratiam informantem quam habemus a Deo. Et primo modo humiliando dicit Isaias, LXIV, 6, quod universæ justitiæ nostræ sunt sicut pannus menstruatæ, quia multi sunt defectus nostri. Secundo autem modo considerata opera nostra sunt Deo accepta.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod licet totum debeamus quod sumus et possumus ratione conditionis, non tamen totum hoc exigit Deus a nobis quod debemus jure stricto : et ideo secundum suum arbitrium possumus satisfacere etiam de peccatis.

ARTICULUS XII.

An diffinitio satisfactionis sit bona ?

Secundo, Quæritur de diffinitione hic posita [1].

Et quæritur primo, quid dicatur hic *peccatorum causas excidere ?*

1. Dicit enim Augustinus, quod peccatum non habet causam, et cujus non est causa, illius non contingit excidere causam : ergo nihil videtur esse quod dicitur in *Littera*.

2. Item, Dionysius : « Peccatum est incausabile et involuntarium et infœcundum et pigrum. » Et ex hoc sequitur idem quod prius.

3. Præterea, Si non fiat vis in hoc : sed dicatur, quod voluntas deficiens est causa peccati : videtur, quod adhuc nihil sit quod dicit : quia satisfacere est actus et opus satisfacientis : excisio autem voluntatis deficientis, non est opus satisfactionis, sed solius Dei, cujus est convertere voluntatem : ergo satisfacere non est causas peccatorum excidere.

4. Item, Causa peccati est quæ tenet peccatum in anima : ergo fortius est adhærens, quam peccatum ipsum : sed peccatum non solvitur nisi a Deo : ergo nec causa peccati : ergo hoc non est opus satisfacientis.

5. Item, Hæc causa quæ exciditur, est causa peccati : sed dicit Boetius, quod causa est ad cujus esse sequitur aliud : ergo existente causa peccati in anima, existit peccatum in eadem : sed non contingit satisfacere eum qui est in peccato, ut prius habitum est : ergo non contingit satisfacere eum qui est in causa peccati : ergo satisfacientem non contingit excidere causas peccatorum.

6. Item, Causa ista peccatorum excidenda de qua loquitur diffinitio : aut est conjuncta, aut remota. Si conjuncta sit : tunc existente causa, inest peccatum in anima, ut jam probatum est. Si remota : sed hoc est voluntas naturalis hominis, vel liberum arbitrium flexibile in malum : ergo contingit naturalem voluntatem excidere per opus satisfactionis, quod est omnino absurdum.

7. Præterea, Alia via disputandi videtur, quod male sit diffinitio tradita : quia

[1] En ista diffinitio ex Augustino : « Est enim satisfactio pœnitentiæ peccatorum causas excidere, nec suggestionibus eorum aditum indulgere. (Cf. C, § 2, post initium).

satisfactio respicit læsionem, vel injuriam alteri illatam : ergo debet diffiniri per comparationem ad injuriam illam restituendam per rigorem juris vel arbitrium voluntatis ejus cui illata est injuria : sed hoc non fit hic, sed potius diffinitur secundum id quod facit pœnitens in satisfactione : ergo male diffinitur.

8. Præterea, Causa peccati in homine fomes est : et ille non exstinguitur in hac vita : ergo non contingit causas peccatorum excidere : sed contingit satisfacere, ut prius habitum est : ergo satisfacere non est causas peccatorum excidere.

Ulterius quæritur de altera parte diffinitionis quam ponit, cum dicit : « *Nec suggestionibus eorum aditum indulgere.* »

1. Cum enim satisfactio sit pro peccato præterito : suggestionis autem aditus exspectetur in futurum, videtur quod hoc secundum non sit de essentia satisfactionis : ergo male ponitur in diffinitione ejus.

2. Item, Suggestio videtur esse idem quod causa peccati : ergo idem bis ponitur in diffinitione eadem.

3. Item, Ex hac ultima parte sequi videtur error qui condemnatus est in diffinitione præcedenti, scilicet quod ille qui suggestioni peccati dat aditum, non satisfacit : sed ille qui post pœnitentiam, incidit in peccatum, suggestioni peccati dat aditum : ergo non satisfacit : ergo non pœnitet : quia satisfactio est pars pœnitentiæ.

1. Ulterius quæritur, quia Anselmus videtur dare aliam diffinitionem satisfactionis in libro *Cur Deus homo*, sic dicens : « Satisfacere Deo est debitum honorem impendere : » ergo videtur, quod hic male diffiniatur.

2. Item, De diffinitione Anselmi objicitur, quia non est convertibilis : constat enim, quod innocens servans mandata Dei, debitum honorem Deo impendat : et tamen non satisfacit : ergo non est bona diffinitio Anselmi.

3. Præterea, In IV *Ethicorum* dicitur, quod magnanimitatis est honorem sibi et aliis impendere : ergo hoc non est satisfactionis.

4. Item, Primo *Ethicorum* dicitur, quod honor quæritur propter virtutem, et præcipue ab his qui noscunt virtutem ejus quem honorant : ergo et impeditur in testimonium virtutis : sed satisfactio est recompensatio peccati : ergo videtur, quod male diffiniatur per impensionem honoris.

Solutio. Dicendum, quod satisfactio tripliciter potest diffiniri, scilicet secundum substantiam, ut satisfactio sit damni vel injuriæ illatæ recompensatio secundum judicium et juris ordinem, vel arbitrium ejus cui injuria est illata. Solutio.

Diffinitur etiam quandoque secundum quod est pars sacramenti pœnitentiæ, quod est medicina peccati actualis : et sic diffinitur per medicamentum vulneris quod facit in satisfaciente, et hæc est propria diffinitio ipsius in tractatu isto : et ideo sic diffinitur in *Littera*. Sanatur enim vulnus per illud quod causæ peccatorum exciduntur, et non indulgetur ulterius aditus suggestioni : et ideo sic inducitur hic illa diffinitio.

Tertio diffinitur in comparatione ad finem : cum enim Deum nec lædere nec damnificare possumus, peccando ei honorem debitum subtrahimus : et hoc fine satisfacimus, ut debitus ei honor, et prius subtractus restituatur : et sic ab Anselmo diffinitur : et ex illa diffinitione extrahitur quasi veritas totius hujus quæstionis.

Ad primum ergo dicendum, quod causa peccati dicitur collecta ex tribus, scilicet libidine incensa per peccati actum et consuetudinem, et reliquiis peccati præteriti, et occasionibus peccandi, ut sunt locus, societas, tempus, et hujusmodi. Voluntas enim affecta his tribus peccat, licet non necessario : quia cogi non potest, ut statim patebit infra in hac eadem solu- Ad 1 et 2.

tione. Quod autem dicit Augustinus, quod peccatum non habet causam, intelligendum est, *efficientem*, quæ univoce vel æquivoce agendo det ei essentiam in eo quod malum est, sicut videmus calidum cum calefacit, univoca actione dare suam essentiam secundum speciem eamdem calefacto : et calidum cum arefacit, extrahendo humidum, æquivoca actione inducit ariditatem, quæ est essentia quædam. Sed privationes non habent essentias. Unde nihil est causa efficiens cæcitatis : quia cæcitas cum non sit essentia aliqua, a nullo recipit essentiam : et ita est de malo in eo quod malum, et de peccato in eo quod peccatum. Sed tamen actus peccati sub deformitate habet causam partim efficientem, et partim deficientem, sicut notatur supra secundum librum *Sententiarum*. Hæc autem causa conjuncta cum tribus dictis inclinatur ad bonum commutabile, et per consequens avertitur a Deo, et sic efficitur causa peccatorum.

Per hoc patet solutio ad secundum.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod solus Deus per aversionem a culpa, convertit voluntatem : sed tamen adhuc manet ligata prænominatis tribus : et hæc solvuntur satisfactione per consuetudinem boni.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod duplex est causa, scilicet quæ est per modum privationis formæ : quia peccatum formalem causam non habet in quantum peccatum est : et hæc est aversio voluntatis ab incommutabili bono : et hanc excidit Deus. Sed causæ prædictæ quæ sunt per modum inclinantium, et quasi quædam infirmitates ex peccato relictæ, sunt pœnæ potius, et non causæ : et ideo illas potest homo excidere.

Ad 5. Ad aliud dicendum, quod dictum Boetii intelligitur de vera causa : sed peccatum non habet vere causam : sed sunt quædam inclinantia ad ipsum, et illa large dicuntur hic *causa*.

Et per hoc patet solutio ad sequens.

Ad 6. Ad aliud dicendum, quod non intelligitur de causa conjuncta et propria, sed potius de remota : et hæc est duplex, scilicet remotissima, et hæc est sola voluntas : et propinquior, et hæc est voluntas affecta et inclinata tribus quæ dicta sunt. Et ideo illa per contrariam consuetudinem boni, satisfactione sunt excidenda.

Ad aliud dicendum, quod diffinitur hic satisfactio prout est pars medicinalis sacramenti pœnitentiæ : et ratio hujus supra dicta est : sed modo quo procedit objectio, diffinienda est a legibus, vel ethico, vel politico : hoc autem signum est, quod opus satisfactionis injungitur per contrarium ejus, per quod magis in peccatore fuit occasio peccati, ut lascivo jejunium, superbo oratio, et avaro eleemosyna : quia, sicut dicit Beda, non sanat oculum quod sanat calcaneum, nec e contra.

Ad aliud dicendum, quod licet fomes non posset excidi in toto in hac vita, debilitari tamen potest et sopiri : et hoc sufficit excisioni.

Ad id quod ulterius quæritur de secunda parte diffinitionis, dicendum, quod licet peccatum sit futurum de quo est suggestio, tamen causa trahens ad ipsum est præsens in subjecto, et hoc respicit satisfactionem, ut dictum est.

Vel dicatur melius, quod non indulgere aditum suggestioni refertur ad fundamentum satisfactionis : et hoc secundum propositum, ut scilicet non proponat ulterius consentire diabolo : et secundum hoc ponitur in diffinitione satisfactionis : quia, ut dicit Gregorius, « sicut omnia medicamenta nihil valent ad sanandum vulnus, quamdiu ferrum infixum fuerit, nisi extrahatur : ita omnia beneficia nihil proderunt, nisi ipsum peccatum relinquatur. » Unde ita cadit in diffinitione satisfactionis sicut pœnitentiæ : quia sine ipso non potest esse satisfactio, licet non sit de substantia ipsius.

Ad aliud dicendum, quod suggestio refertur ad dæmonem, sed causa peccati ad hominem, secundum tria trahentia quæ supra dicta sunt. Sicut enim dicit

Augustinus in libro XII de *Trinitate* : « Peccatum quandoque est a carne, et quandoque ab homine : » et sic patet, quod non est idem peccatum, et suggestio, et causa peccati.

Ad quæst. 2. Ad 1. Ad id quod objicitur de Anselmo patet solutio, qualiter accipiatur differentia diffinitionum.

Ad 2. Ad id autem quod objicitur contra diffinitionem Anselmi, dicendum quod debitum multiplex est, sed hic distinguimus triplex. Debitum scilicet *ex commisso* : sicut debet accipiens dona Dei ut lucretur in eis et reportet lucrum ex eis. Est etiam debitum *ex dimisso*, sicut debitor est, cui multum dimissum est : sicut dicitur, Luc. VII, 47 : *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Tertium est debitum *ex peccato* : et hoc quasi ex damno illato : et hoc est debitum quo tenetur pœnitens in satisfactione : et in tali significatione accipitur in diffinitione Anselmi : et ideo non omnis servans mandata, debitum in hac ratione impendit Deo.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod magnanimitas hoc modo quo est simpliciter, magis quo virtus est digna, attendit honorem : sed restitutio justa attendit honorem, quatenus restituit honoris perditionem per peccatum.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod honor ab honorante debetur virtuti et virtuoso : et ideo a nobis debetur Deo : nihilominus tamen habet etiam rationem satisfactionis ista honoris exhibitio, in quantum imperatur a justitia, quæ est directiva damni sive injuriæ illatæ, de qua loquitur Philosopuhs in V *Ethicorum*.

Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICULUS XIII.

Quomodo differt opus satisfactionis ab aliis operibus pœnitentiæ ?

Tertio quæritur, Qualiter differt opus satisfactionis ab aliis operibus pœnitentiæ, scilicet confessionis, et compunctionis ?

Videtur enim, quod in nullo.

1. Unumquodque enim istorum trium satisfacit pro peccato : ergo unumquodque horum trium est opus satisfactionis.

2. Item, Augustinus, et habetur infra in *Littera* : « Multum satisfactionis obtulit qui erubescentiæ dominans, eorum quæ fecit, nihil nuntio Dei negavit. » Ergo confessio non distinguitur a satisfactione, ut videtur.

Solutio. Ad 1. Solutio. Dicendum, quod satisfactio non dicitur hic omne illud quod solvit culpam aliquo modo, vel pœnam debitam culpæ : sed illud tantum quod injunctum est et taxatum vi clavium, et per arbitrium sacerdotis : illa enim pœna voluntaria est simpliciter, et ordinata secundum quantitatem delicti. Sed in contritione, et confessione, sunt pœnæ, scilicet dolor in contritione, et pudor in confessione, quæ sunt pœnæ ex natura corrupta inflictæ pro peccato, nec taxantur, nec limitantur secundum tempus certum, sed quanto majores sunt, tanto est melius : dummodo discretum et rationabile sit obsequium. Ideo licet per eas expietur peccatum, tamen non proprie satisfactoriæ sunt secundum judicium et arbitrium fori confessionis. Et ideo hæc pars quæ est satisfactio, distinguitur ab aliis.

Præterea, Dolor in contrito, et pudor in confitente, non dicunt nisi pœnam intus : sed in satisfactione est extra in con-

spectu Ecclesiæ : et ideo totus homo tunc punitur, quia pœna interior manifestat se in exteriori. Et quia totus homo tunc habet pœnam, propter hoc (ut quidam dicunt) magis dicitur *satisfactio*. Sed prima solutio melior est : quia, sicut habitum est, satisfactio respicit judicium arbitrii voluntatis divinæ.

Per hoc patet responsio ad primum.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod beatus Augustinus large sumit satisfactionem pro omni pœna quæ portatur pro peccatis, sive sit injuncta, sive non : sed satisfactio proprie sumpta, non pro tali pœna accipitur.

Expositio textus.

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, C, § 2, in medio : « *Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis*, etc. »

In hac enim parte est magna quæstio de eleemosyna, quam dividemus in partes propter *Litteram*.

Et hic quæremus sex articulos, scilicet in quo genere sit eleemosyna, quid sit, et utrum sit in præcepto vel in consilio? Ubi etiam determinabitur ad quod præceptum reducatur, et qualiter distinguitur ab aliis partibus satisfactionis : et utrum magis consistat in voluntate interiori, vel in dato exteriori, sive in quantitate dati exterioris? Et sexto, utrum eleemosyna possit esse sine compassione, vel compassio sit ei essentialis? Hæc enim sex quæruntur de eleemosyna secundum se.

Postea autem procedendo in *Littera* quæremus de eleemosyna secundum tres alias considerationes, scilicet ex parte dantis, et dati, et ejus cui danda est.

ARTICULUS XIV.

An eleemosyna sit in genere virtutis?

Quæritur ergo primo de genere eleemosynæ, Utrum sit in genere virtutis?

Videtur enim quod sic :

1. Dicit enim Commentator super IV *Ethicorum*, quod proprium virtutis est, quod actus ejus est laude dignus : et hoc trahitur de primo *Ethicorum* ex textu: sed actus eleemosynæ laudabilis est : ergo est actus virtutis : ergo eleemosyna est alicujus actus virtutis.

2. Item, Consuevit dici ab omnibus, quod actus virtutis est super quem cadit præceptum divinum. Et hoc ab auctoritate habetur in V *Ethicorum* ex textu, et in commento, ubi distinguitur inter justum legale, et justum virtutis justitiæ specialis. Constat autem, quod præceptum est de danda eleemosyna : ergo est actus alicujus virtutis.

3. Item, Fere ab omnibus supponitur, quod illud quod est meritorium, est actus alicujus virtutis : sed constat, quod actus eleemosynæ est meritorius : ergo eleemosyna est actus alicujus virtutis.

4. Item, Id quod operatur ad vitii expulsionem, habet contrarietatem ad vitium : hoc autem facit eleemosyna, ut dicitur, Luc. xi, 41 [1] : ergo eleemosyna habet contrarietatem ad vitium, vel vitii actum : sed nihil habet contrarietatem hujusmodi, nisi virtus vel actus virtutis : ergo eleemosyna est actus alicujus virtutis.

Sed contra. Sed contra hoc objicitur sic :

1. Omne gratuitum bonum et virtutis, exemplarem habet in Deo virtutem : sed eleemosyna non habet : ergo eleemosy-

[1] Luc. xi, 41 : *Verumtamen quod superest, date eleemosynam : et ecce omnia munda sunt vobis.*

na non est opus alicujus virtutis. PROBATUR autem prima ex hoc quod virtus perfectissimum bonum est : et hoc non est tollendum perfectissimo et summo bono. SECUNDA autem probatur ex hoc quod in quo non est passio, in eo non est compassio : et eleemosyna est cum compassione, sicut ostendit suum nomen : et hoc supponitur, et probatur supra. In Deo autem nec est passio, nec compassio.

2. Item, Tria sunt in anima, scilicet passiones, potentiæ, et habitus, ut dicit Philosophus. Virtus autem in genere habitus est, et non passionis : ergo quod est in genere passionis, non est virtus : sed compassio ex qua procedit actus per quem notatur eleemosyna, in genere est passionis, sicut ostendit suum nomen : ergo eleemosyna est actus istius passionis : ergo non est actus alicujus virtutis.-

Hinc st. SED TUNC ulterius quæritur de eleemosyna in specie, cujus dicitur esse virtutis ?

Et videtur, quod sit justitiæ : quia

1. Matth. VI, 2, super illud : *Cum facis eleemosynam*, etc., dicit Glossa interlinearis : « Eleemosyna est pars justitiæ. »

2. Item, Omne satisfactorium reducitur ad virtutem cujus est satisfacere : sed eleemosyna est satisfactoria, ut in *Littera* dicitur : ergo reducitur ad virtutem cujus est satisfacere : hæc autem est justitia : ergo eleemosyna est actus justitiæ.

SED CONTRA videtur, quod sit actus misericordiæ, quod elicitur ex suo nomine : quia

1. Dicitur ab ἔλεος, quod est *misericordia*, sive *miseria :* quia miseriam alienam facit suam. Hoc autem est misericordiæ : ergo eleemosyna est actus misericordiæ.

2. Item, Super illud Psalmi XXXVI, 26 : *Tota die miseretur*, dicit Glossa : « Eleemosyna a misericordia incipit, et postea manum aperit : » ergo movens ad actum eleemosynæ est misericordia : non ergo est actus justitiæ.

Si dicas, quod est actus utriusque : quia misericordia est pars justitiæ : hoc non videtur : quia, Matth. v, 7 et 6, beatitudo justitiæ sequestratur a beatitudine misericordiæ. Dicit enim postea, *Beati misericordes :* et prius dicitur, *Beati qui esuriunt et sitiunt*, etc. Ergo sunt virtutes diversæ : ergo quod est actus unius, non est actus alterius.

VIDETUR autem alicui, quod sit actus pietatis : quia, I ad Timoth. IV, 8, dicitur, quod *pietas ad omnia utilis est.* Et exponitur de eleemosyna. Cum igitur pietas nec sit misericordia, nec justitia, videtur quod eleemosyna nec sit misericordiæ, nec justitiæ actus.

Solutio. SOLUTIO. Dicendum, quod eleemosyna est actus virtutis, quæ est misericordia, ut puto : licet quidam aliter dicant, quorum non possum intelligere rationem.

AD PRIMAM ergo partem quæstionis respondendum videtur, quod primæ rationes verum concludunt : licet quædam quoad vim inferendi habeant calumniam : quia non est universaliter verum, quod id quod habet laudem, sit opus virtutis : sed de hoc alius erit sermo.

Ad object. 1. AD ID autem quod contra objicitur, dicendum quod virtutes diversimode habent exemplar in Deo : est enim in virtute quoddam perfectum, et quoddam imperfectum, quod est virtutis in quantum est in natura imperfecta, et evacuabile est ab ipsa, quando natura imperfecta transit ad statum perfectionis : sicut patet in fide, in qua ipsa visio perfecta est, et modus visionis imperfectus, et secundum visionem habet exemplar, et non secundum speculum et ænigma. Ita dico hic, quod eleemosyna et misericordia ratione subventionis miseriæ, habent perfectionem : sed compassionem habent ex parte deficientis naturæ et passibilis quam perficiunt. Et ideo secundum subventionis rationem habent exemplar, quia Deus præcipue miseris subvenit,

sed non ratione compassionis quæ perfectissimæ naturæ non convenit. Et hoc est quod dixerunt antiqui Doctores nostri, quod misericordia in Deo sonat effectum, non affectum.

Ad object. 2. Ad aliud dicendum, quod licet virtus non sit passio, sed habitus, est tamen virtus mortalis circa passiones vel operationes, ut dicit Philosophus. Et ideo nihil prohibet actum virtutis esse in passione, licet primum motivum sit habitus. Et ita dicendum hic videtur, quod habitus quidam est qui movet ad bene compatiendum : et ulterius ad dandum ei cui compatimur, quæ datio est cum aliqua passione, licet non sit ex ipsa sicut ex primo movente ad actum.

Ad quæst. Ad secundam partem quæstionis dicendum est, quod est opus misericordiæ : sed sicut nos ante in præcendenti distinctione notavimus, actus qui est unius virtutis per se et proprie, quem vocant antiqui Magistri *elicitum*, potest esse alterius ut imperantis : et sic potest esse justitiæ vel pietatis. Justitiæ quidem erit, sicut dans dat de superfluo, considerando quod superflui potius est dispensator pauperum, quam dominus. Et considerando ex parte pauperis, quod licet sit pauper rebus, tamen habet vicem Christi in accipiendo, qui universorum est Dominus : tunc enim dat ut dispensator pauperi, qui habet rationem patroni, in eo quod accipit vice Christi : sicut dicitur, Matth. xxv, 40 : *Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Pietatis autem induit rationem, quando aliquis dat motus ex hoc quod pauper est in eadem natura nobiscum, vel imagine divina, sicut et nos : quia politica pietas est benevolentia in eos qui natura conjuncti sunt, ut dicit Tullius. Pietas autem gratuita, est benevolentia in eos qui eadem imagine divina nobiscum insigniti sunt.

Et per hoc patet solutio ad omnia quæsita.

ARTICULUS XV.

An eleemosyna sit bene diffinita ?

Secundo quæritur, Quid sit eleemosyna ?

Consuevit autem diffiniri eleemosyna a Magistris sic : « Eleemosyna est opus in quo datur indigenti ex compassione propter Deum. »

Sed contra diffinitionem sic objicitur : Nemo dat sibi ipsi : sed eleemosynam impendit aliquis sibiipsi : ergo eleemosyna non est opus in quo datur indigenti. Probatur autem prima ex ratione dandi. Secunda vero scribitur, Eccli. xxx, 24 : *Miserere animæ tuæ placens Deo.* Et a Gregorio : « Qui misereri vult proximo suo, a se trahat originem miserendi. »

Item, Videtur quod non semper eleemosyna sit *opus*. Quandoque enim non habet aliquis dare, et dat compassionem : ergo videtur, quod tunc nullum est ibi opus operatum : et hoc vocatur hic *opus* : ergo eleemosyna non est semper opus, ut videtur. Quod autem opus operatum intelligatur esse eleemosyna, patet ex communi usu loquentium, qui rem acceptam propter Deum et ex indigentia vocant *eleemosynam.*

Ulterius videtur, quod non semper procedat *ex compassione.*

1. Dicitur enim, II ad Corinth. ix, 7 : *Hilarem datorem diligit Deus.* Et loquitur de dantibus eleemosynas : ergo magis procedit ex hilaritate, quam ex compassione : ergo etiam magis per hilaritatem est diffinienda.

2. Item, Ponatur, quod aliquis det quidem libenter sicut liberalis vel magnificus, et tamen non habeat compassionem. Constat, quod ille dat indigenti propter Deum : ergo eleemosynam dat :

et tamen non procedit ex compassione : ergo compassio non est substantia eleemosynæ : ergo non est per ipsam diffinienda.

ITEM, Objicitur de hoc quod dicit, *Indigenti* : non enim semper datur indigentibus, sed etiam aliis : sicut patet in clericis, qui nihil indigentes, tamen eleemosynas accipere non cessant, et contendunt, quod illæ dationes eleemosynæ sunt : ergo videtur, quod eleemosyna non semper est datio quæ fit indigenti.

ULTERIUS, Objicitur de hoc quod dicit, *Propter Deum*.

1. Finis enim non est essentialis causa rei : sed *propter Deum* dicit finem : ergo non dicit causam essentialem : ergo non debet poni in diffinitione.

2. Item, Sit quod aliquis det ex compassione naturali, probatur quod datio illa sit eleemosyna : quia eleemosyna dicitur ab ἔλεος quod est *misericordia* vel *miseria*, quæ passionem vel compassionem significat ex parte accipientis, et ex parte dantis : totum autem quod est ex nomine isto, est in diffinitione ista : Eleemosyna est datio quæ fit indigenti ex compassione : ergo superfluit quod apponitur *propter Deum*.

SOLUTIO. SOLUTIO. Dicendum, quod eleemosyna bene diffinita est modo prædicto, secundum quod proprie accipitur. Et est diffinitio quæ invenitur in scriptis doctorum Magistrorum, qui præcesserunt nos in scientia ista.

Dicitur enim eleemosyna communiter et proprie. *Communiter* vocatur quælibet subventio miseri eleemosyna : et sic homo quando subvenit sibi, facit eleemosynam, et quando etiam subvenit alii quocumque modo. Sed *proprie* vocatur eleemosyna datio boni alicujus temporalis, vel spiritualis, quod impenditur proximo indigenti propter Deum, in quam proprie tendit compassio : quia compassio est quasi cum alio passio, sicut dicitur, Eccli. XVIII, 12 : *Miseratio hominis circa proximum suum*.

DICENDUM ergo ad primum, quod proprie homo non dat sibi, nec eleemosynam impendit sibi.

Ad id autem quod inducitur ad probandum de Ecclesiastico, dicendum quod in illa auctoritate, et littera beati Gregorii, tangitur ordo effectuum misericordiæ : quia sicut charitas in effectu et affectu habet ordinem, ita etiam habet misericordia, ut scilicet non alii sic intendat ut se negligat : nihilominus tamen quia eleemosyna datio quædam est, quæ sibi proprie non fit, ideo eleemosyna proprie circa proximum fit, et non circa seipsum, licet in dando observandus sit ordo, quod homo præponere se debet proximo indigenti.

AD ALIUD dicendum, quod eleemosyna proprie *opus* est operatum, et non operans. Hoc patet ex quodam verbo quod scribitur a Philosopho in principio *Ethicorum*, ubi distinguit artes, eo quod in quibusdam finis est opus, et in quibusdam operatio, sicut in musicis : in eleemosyna autem non laudatur datio propter dantem, sed potius datum : non enim præcipitur propter opus operans, sed potius propter opus operatum.

AD OBJECTUM autem contra hoc, dicendum quod ille qui vult dare, et non dat, non facit eleemosynam proprie : sed tamen habet meritum dantis eleemosynam propter completam ejus voluntatem : sicut dicitur, II ad Corinth. VIII, 12 : *Si enim voluntas prompta est, secundum id quod habet accepta est, non secundum id quod non habet.*

AD HOC autem quod ulterius objicitur contra id quod dicitur *ex compassione*, dicendum quod eleemosyna semper est ex compassione miseriæ quæ movet ad dandum : sed est compassio sensibilis multum, et compassio voluntatis, scilicet velle non esse miserum, sive dissensus miseriæ quam patitur pauper.

AD ID autem quod contra objicitur, dicendum quod hilaritas hæc intelligitur quæ non aufert tristitiam danti per avaritiam dati : sunt enim avari in quibus

tristitia alienandi datum, aufert compassionem : et sunt in quibus pugnat tristitia alienandi cum compassione, sed tamen vincit compassio : et sunt in quibus non sentitur tristitia propter compassionem : et isti sunt laudabilissimi, qui etiam gaudent dando : et de his loquitur Apostolus. Unde hilaritas est bona conditio dantis : non tamen est de substantia eleemosynæ proprie.

Ad aliud dicendum, quod opus liberalis vel magnifici non proprie est eleemosyna, licet discernant cui dandum, et quando, et quantum, ut dicitur in IV *Ethicorum* : quia non attendunt nec mensurant datum secundum exigentiam et propter Deum : unde bene concedo, quod sic dans, non facit eleemosynam nisi materialiter loquendo.

Ad aliud dicendum, quod eleemosyna clericis datur ut ministris pauperum, et dispensatoribus eleemosynarum : et ideo quod datur eis, per eos pauperibus mittitur : ipsi autem videant, quod fideliter dispensent.

Ad aliud dicendum, quod aliter est in moralibus actibus, et aliter in aliis : in aliis enim finis quandoque non est de essentia, sed in moralibus præcipue denominatio est a fine, et ideo est de essentia.

Ad aliud dicendum, quod qui non dat *propter Deum*, non meretur, et ideo non dat eleemosynam proprie : quia eleemosyna est opus meritorium vitæ æternæ, si fit in charitate : aut vicinitatis ad gratiam, si fit in mortali peccato, sicut in hac eadem distinctione erit quæstio, quando agetur, ad quid valent opera facta in mortali. Est tamen opus laudabile dare etiam ex compassione naturali, et significat naturam de facili inclinabilem in bonum.

ARTICULUS XVI.

An eleemosyna sit de præcepto, vel consilio ? et, si de præcepto, sub quo ?

Tertio quæritur, Utrum sit in præcepto, vel in consilio ?

Et hic tria simul quæremus, scilicet utrum sit in præcepto, et in quo præcepto, et obliget ?

Videtur autem, quod sit in præcepto.

1. Luc. xi, 41 : *Quod superest, date eleemosynam : et ecce omnia munda sunt vobis.* Ibi Glossa : « Quod necessario victui et vestimento superest, date pauperibus, vel do consilium, etc. » Ergo vult, quod superfluum dare sit præceptum.

2. Item, Matth. vi, 3 : *Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua,* dicit Glossa : « Conscientiæ facienti eleemsoynam pro præcepto adimplendo miscet se laudis appetitio. » Ex hoc iterum accipitur, quod sit præceptum.

3. Item, Luc. iii, 11 : *Qui habet duas tunicas, det non habenti.* Glossa : « De duabus tunicis dividendis datur præceptum. »

4. Item, Ambrosius : « Pasce fame morientem : si non paveris, occidisti. » Ergo est in præcepto.

5. Item, Omne hoc est in præcepto, sine quo non est salus : sed sine donatione eleemosynarum ei qui potest dare, non est salus : ergo dare ei qui potest dare, est in præcepto. Probatio mediæ. Gregorius : « Minus proximum amare convincitur, qui cum eo in necessitate ea etiam quæ sunt necessaria, non partitur. »

6. Item, I Joan. iii, 17 : *Qui habuerit substantiam hujus mundi,* etc.

7. Item, Hoc accipitur ex Matthæo, xxv, 41 et seq., ubi Dominus pro ratione

justæ condemnationis iniquorum allegat, quod eleemosynas non dederunt : consilium autem non impletum, non damnat : ergo si eleemosyna esset in consilio tantum, non propter retentionem eleemosynarum Dominus impios condemnaret, ut videtur.

8. Item, Isa. LVIII, 7, requirit Dominus hoc a populo, dicens : *Frange esurienti panem tuum*, etc. Et subjungit, ℣. 9 : *Tunc invocabis, et Dominus exaudiet*, et hujusmodi. Constat autem, quod si esset consilium tantum, non impediret exauditionem.

9. Item, Tob. IV, 7 et seq., injungit hoc Tobias filio suo tamquam necessarium ad salutem.

10. Item, Daniel. IV, 24, hoc dicit Daniel necessarium ad regis pœnitentiam. Ergo est de necessariis ad salutem : ergo est in præcepto.

Sed contra. SED CONTRA videtur, quod sit tantum in consilio.

1. Luc. III, 10 : *Et interrogabant eum turbæ*, etc , ubi dicit Glossa interlinearis : « Ex verbis Joannis terrore concussi, consilium quærunt : sed Joannes respondit, quod eleemosynis intenderent : » ergo respondit consulendo : ergo eleemosyna est consilium, ut videtur.

2. Item, Proprium juste possidetur : ergo si retineatur, nulli fit injuria : ergo nec pauperi : ergo nec tenetur aliquis dare pauperi ex præcepto : ergo, etc.

Quæst. 1. ULTERIUS quæritur, Si est in præcepto, sub quo præcepto incidat?

Videtur autem quod sub negativo.

1. Propter dictum Ambrosii supra inductum : « Pasce fame morientem, etc. : » ergo reducitur ad præceptum quod est, *Non occides* [1] : ergo negativum.

2. Item. Omnis illicita acceptio et retentio reducitur ad hoc præceptum, *Non furtum facies* [2] : sed non dare eleemosynam est illicita retentio : ergo reducitur ad illud : sed hoc est negativum : ergo, etc.

SED CONTRA hoc est quod Sed contra.

1. Cum dicitur, *Honora patrem tuum et matrem tuam* [3], dicit Augustinus, quod nomine *parentum* intelligitur hic generaliter proximus : et per *honorem* intelliguntur tria, scilicet reverentia, et subventio corporalis, et subventio spiritualis. Sed eleemosyna est subventio proximi corporalis, vel spiritualis : ergo reducitur ad illud præceptum : et hoc est affirmativum : ergo reducitur ad præceptum affirmativum.

2. Item, Ab omnibus fere dicitur, quod præcepta negativa obligant semper et ad semper : sed dare eleemosynam non obligat semper et ad semper, sed pro loco et tempore : ergo non reducitur ad præceptum negativum.

SED TUNC quæritur, Qualiter obligat hoc præceptum? Quæst. 2.

Aut enim obligat tunc quando apparent signa, quod aliquis deveniet ad necessitatem extremam nisi subveniatur ei : aut tunc primo quando apparent signa extremæ necessitatis. Si primo modo : contra hoc videtur esse, quod in omnibus pauperibus apparent signa, quod non sufficiant sibi : sed hæc sunt deveniendi in extremam necessitatem : ergo omnibus pauperibus a quolibet aliquid habente ultra hoc quod sibi sufficit, est subveniendum : et si non fecerit, est omissio mortalis, quod grave est dicere. Si autem secundo modo : contra hoc est, quod homo non est in extrema necessitates, nisi quando non habet aliud quid faciat, si ille non subvenit ; et hoc numquam apparet alicui, quia semper est talis status probabilis, quod si ego non subvenio, tamen alius subveniet : ergo videtur, quod numquam erit tempus illud in quo teneatur aliquis subvenire : et hoc est irrisorium dicere.

[1] Exod. xx, 13.
[2] Exod. xx, 15.
[3] Exod. xx, 12.

Solutio. Solutio. Dicendum, quod dare eleemosynam dupliciter consideratur, scilicet ex parte dantis, et accipientis. *Ex parte dantis* dupliciter, scilicet ratione superfluorum, et ratione necessariorum. Si ex parte dantis ratione superfluorum consideratur, tunc est præceptum : si autem ex parte dantis ratione necessariorum, tunc est consilium.

Quæ autem sunt superflua, et quæ necessaria, hic breviter dicimus : quia infra erit in quæstione, scilicet quod *superflua* sunt, quibus ablatis adhuc potest conservari domus et familia et exerceri negotium et officium licitum ipsius personæ : et hoc secundum æstimationem sapientis et boni viri. *Necessarium* autem est, quo ablato hæc commode fieri non possunt.

Similiter *ex parte accipientis* consideratur dupliciter. Aut enim apparent signa deveniendi in extremum defectum, nisi aliquid det, aut non. Si apparent, tunc præceptum est dare etiam de necessario. Dico autem *necessarium*, ut prius, non sine quo non est vita, sed sine quo commode non potest manuteneri domus et exerceri officium congruum personæ. Si autem non apparent talia signa, tunc est consilium dare.

Ad object. 1. Dicendum ergo ad primum in contrarium, quod illa auctoritas interlinearis de Luca, non probat, quod sit consilium, nisi in casu, et quædam eleemosyna, ut dictum est.

Ad quæst. 1. Ad id autem quod ulterius quæritur, Ad quod præceptum reducatur? utrum ad affirmativum, vel ad negativum ?

Dicendum, quod in affirmativum, et secundum quod fit de superfluo, reducitur ad hoc præceptum, *Non furtum facies*. Et secundum quod accipitur ex parte indigentis in quo apparent signa indigentiæ, reducitur ad hoc præceptum, *Honora patrem tuum et matrem tuam:* quia nihil prohibet idem secundum diversa reduci ad præcepta diversa.

Ad 2. Ad id autem quod objicitur, quod si reducitur ad præceptum negativum, quod tunc est negativum : dicendum, quod hoc non sequitur : sicut hoc non valet, hoc reducitur ad genus substantiæ : ergo est in genere substantiæ : vel hoc reducitur ad genus quantitatis : ergo est quantitas. Nullum enim præceptum est adeo negativum, quod non habeat in se affirmativum actum, et quasdam affirmationes consequentes, sicut *non furtum facies*, habet in se velle non furari tamquam actum affirmativum, et velle possidere et accipere quodlibet quod suum est tamquam affirmationem consequentem : et quoad hanc consequentem affirmationem hoc præceptum de eleemosyna, reducitur ad non furandum : quia superfluum non est nostrum, et debemus velle quod pauper accipiat quod suum est.

Ad id autem quod objicitur de Ambrosio, Dicendum quod ipse loquitur interpretative, non proprie. Et est sensus : « Si non paveris, occidisti, » id est, per occasionem reputabitur tibi in culpam, licet non tantam, quanta esset si manu occideret : et hoc ideo, quia cum posset dando vitam prolongare, non fecit. Ad 1.

Ad id autem quod ulterius quæritur de modo obligationis : Dicendum, quod obligat, cum apparent signa deveniendi in extremam necessitatem. Sed signa sunt duplicia, sicut dicitur in alia facultate : quædam enim sunt propria, quæ convertuntur cum causa et immediata, ex quibus quandoque etiam arguit demonstrator : et illa non sunt exspectanda, quia talia apparere non possunt de futura paupertate alicujus. Quædam autem signa sunt communia, quæ probabiliter arguunt talem paupertatem futuram, si non dedero aliquid : sicut quod video eum egere, et alios pigros esse ad dandum. Hæc enim sufficere debent præcipue ad dandum de superfluo. Tamen omnia quæ circa hæc signa essent dicenda, non puto scire quemquam, nisi quem unctio docet de omnibus. Scio enim, quod quidam excusari volunt Ad quæst.

pauperes, videntes quod trutanni sunt, majori quam patiuntur fingentes paupertatem : et illi audiant Joannem Chrysostomum dicentem sic *super Joannem*, in Homilia LXXVI, in parte morali ipsius homiliæ : « Qualiter non inconveniens nosmetipsos quidem ridentes ad mensam sedere et voluptates : alios autem per bivia transeuntes, audientes ululantes, neque advertentes ad ululatum, sed ægre ferre, et deceptorem vocare. Quid dicis, ô homo, propter panem unum quis decipit ? Quidni inquis ? Propter hoc ergo hæc tollenda est necessitas. Si vero non vis dare, neque convicieris. Si non vis solvere naufragium, non impellas in barathrum. »

ARTICULUS XVII.

An eleemosyna sit pars satisfactionis ?

Quarto quæritur, Qualiter distinguitur ab aliis partibus satisfactionis ?

Et ratione istius quæruntur hic duo, quæ simul sunt determinanda, scilicet utrum sit pars satisfactionis ? et si est, qualiter distinguitur ab aliis ?

Videtur autem, quod non : quia

1. Satisfactio respicit præcedens peccatum, nec tenetur satisfacere nisi qui peccavit : sed homo tenetur ad eleemosynam, etiam quando non peccavit : ergo eleemosyna non est essentialis pars satisfactionis. Prima probatur ex ratione et diffinitione satisfactionis, supra positis in *Littera*. Secunda vero probatur ex prius habitis : quia eleemosyna fit de superfluo, et est in præcepto etiam ei qui non peccavit, et satisfacere non tenetur.

2. Item, Matth. xvii, 20, super illud : *Hoc genus dæmoniorum*, etc., dicit Glossa Hieronymi : « Per jejunium sanatur pestis corporis, per orationem pestis mentis. » Sed non sunt pestes sanandæ nisi mentis et corporis. Ergo videtur, quod eleemosyna non sanat aliquam pestem : sed quælibet pars satisfactionis debet sanare pestem aliquam : ergo eleemosyna non est pars satisfactionis.

3. Item, Illud non est pars essentialis alicujus, sine quo potest res esse secundum substantiam et effectum : sed contingit fieri satisfactionem de peccato, et satisfactionem esse sine eleemosyna : ergo eleemosyna non est substantialis pars satisfactionis. Prima patet per se. Secunda probatur in illis quibus in sola cordis contritione dimittitur peccatum et pœna, sicut Mariæ Magdalenæ.

4. Item, Non est generalis pars, quæ in omni satisfactione esse non potest : sed eleemosyna in satisfactione pauperis esse non potest, quia nihil habet quod det : ergo non est pars satisfactionis.

Sed contra. Sed contra hoc est quod dicitur, Tob. xii, 8 : *Bona est oratio cum jejunio et eleemosyna* : ubi dicit Glossa, quod oratio habet alas, jejunium, et eleemosynam : ergo sicut avis elevatur suis alis, ita oratio jejunio et eleemosyna : ergo sine eleemosyna non valet.

Solutio. Solutio. Dicendum videtur mihi in hac quæstione cum distinctione, scilicet quod eleemosyna est *de superfluo*, et hæc non est essentialiter pars satisfactionis : sed præexigitur ad ipsam sicut fundamentum, et habet actum satisfactionis in alio, quia pauper quem respicit, orat pro eo, et satisfacit, et quandoque primam gratiam impetrat danti, si pauper cui datur, est in charitate. Est etiam eleemosyna, quæ est *de necessario* : et hæc est satisfactionis essentialis pars : et voco *necessarium*, non sine quo homo vivere non potest, quia hoc nullus debet subiipsi subtrahere, sed potius id quod æstimatione sapientum conceditur ei habere ad domus dispensationem, et potest reparari per industriam negotiantis vel reditus quotidianos.

Ad 1. Ad hoc autem quod primo objicitur,

dicendum quod qui sine peccato est, tenetur ad primum genus eleemosynæ, et non ad secundum.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod est sanativum conjunctum, quod cum morbo conjungitur in subjecto : et hæc sanativa tangit Glossa illa : quia oratio humiliat spiritum, et jejunium attenuat corpus : unde illa duo sanant pestes ex parte peccantis. Sed oportet insuper habere sanativa ex parte occasionum peccandi : et hæc sunt principalia bona infirmitati concessa : et hæc communicando sanat eleemosyna pestes mentis et corporis : quia ambæ occasionantur ex illis.

Ad 3 et 4. Ad aliud dicendum, quod in eleemosyna sunt duo, sicut infra patebit. Unum est voluntas communicandi se et sua pauperibus indigentibus Ecclesiæ : et ex parte illa omnino habet vim meriti, quando illa voluntas est per gratiam gratum facientem. Et aliud est datum ipsum : et hoc quandoque non habetur. Et dicendum, quod primum facit eleemosynam esse partem, quando perfectum est : et sine illa parte non est satisfactio.

Et per hoc patet etiam solutio ad sequens : quia hanc eleemosynam omnis homo dare potest : et vocatur ab Apostolo, ad Roman. xii, 13, necessitatibus Sanctorum communicatio [1].

ARTICULUS XVIII.

Qualiter eleemosyna distinguatur ab aliis partibus satisfactionis ?

Deinde quæritur secundo juxta illud, qualiter eleemosyna distinguatur ab aliis partibus satisfactionis ?

Videtur autem, quod in nullo quantum ad satisfactionem : quia

1. Partes satisfactionis satisfaciunt per hoc quod sunt pœnales : ergo videtur, quod omnes tres in ratione pœnæ conveniant, et non distinguantur nisi materialiter.

2. Item, Super illud Luc. iii, 8 : *Facite fructus dignos pœnitentiæ*, dicit Glossa : « Dare eleemosynam pars est pœnitentiæ. » Et constat, quod non contritionis vel confessionis : ergo satisfactionis.

Et iterum non sunt partes pœnitentiæ nisi ratione pœnæ : ergo videtur, quod istæ tres partes conveniunt in eo quod sunt pœnæ quædam.

Sed contra hoc est, quod Sed cont.

1. Si non differrent nisi secundum rationem pœnæ, tunc non esset ratio quare hæc tria ponerentur partes satisfactionis, potius quam alia in quibus naturaliter est pœna : et hoc non est verum.

2. Item, Si unum multiplicaretur, pœna quæ est in ipso, multiplicaretur : ergo unum solum posset sufficere ad satisfactionem, si multoties fieri præciperetur.

Ad hoc dicunt quidam, quod in toto homogenio omnes partes denominantur nomine totius : et quia satisfactio quasi totum homogenium est ad partes, ideo quælibet earum satisfacit in ratione qua satisfactio est pars pœnitentiæ : et hoc est quædam pœna.

Sed contra primo est, quod ista solutio nullo modo respondet rationibus inductis : unde ista solutione data, adhuc remanet quæstio.

Item, quia ista solutio videtur falsum supponere : quia in toto homogenio partes non sunt nisi unius nominis, quælibet enim pars ignis est ignis, et vocatur ignis : hic autem una pars diversum nomen habet ab alia : ergo videtur, quod non sunt partes totius homogenii.

Solutio. Dicendum videtur ad hoc, Sol quod illæ tres partes satisfactionis distinctæ sunt : licet conveniant in hoc communi, quod est esse pœnale : aliam enim rationem pœnæ habet pœna damni, et

[1] Ad Roman. xii, 13 : *Necessitatibus sanctorum communicantes.*

aliam pœna sensus : et sic eleemosyna in specie pœnæ differt ab aliis partibus satisfactionis.

Item, Habet unam rationem afflictionis puniens spiritum superbientem, et aliam id quod affligit corpus : et sic differt ab oratione jejunium, etiam formaliter in specie afflictionis, licet in genere conveniant.

Et per hoc patet solutio ad totum.

Si autem objicitur, quod unum illorum sine alio potest satisfacere : quod non esset verum, si essent partes integrales : si autem sunt partes subjectivæ, tunc omnes convenire debent in ratione et specie.

Dicendum, quod multa sunt genera partium : unde dicendum, quod istæ partes sunt per modum totius potentialis : et licet una sola satisfacere possit, tamen aliæ sunt in proposito et virtute : et est ibi quod meritorium est de ipsis hoc modo quo in præcedenti articulo dictum est.

ARTICULUS XIX.

An eleemosyna magis consistat in voluntate interiori, vel in dato exteriori ?

Quinto quæritur, Utrum magis consistat in voluntate interiori, vel in dato exteriori ?

Et videtur, quod in voluntate interiori.

1. Exteriora enim radicantur in interioribus, et ex illis habent laudem vel vituperium : cum igitur compassio sit interior, et datum exterius, datum laudatur secundum devotionem et compassionem interiorem, et non per se : ergo illud est melius quod est interius, quam illud quod est exterius.

2. Item, Matth. XII, 35 : *Bonus homo de bono thesauro*, scilicet cordis sui, *profert bona :* ergo boni prolati thesaurus et causa est in corde : sed causa semper melior est et dignior, quam effectus : ergo devotio et compassio dantis, sive voluntas, melior est quam sit ipsum datum.

3. Item, II ad Corinth. VIII, 10, super illud : *Hoc enim vobis utile est*, etc., dicit Glossa : « Do vobis consilium, ut pauperibus eleemosynas detis : hoc enim utile est vobis non solum facere, sed etiam velle, quod plus est, quam facere. »

4. Item, Voluntas pro facto computatur, etiamsi sit sine opere propter impotentiam : sed factum sine voluntate numquam est meritorium : ergo voluntas melior est quam factum : ergo etiam circa eleemosynam magis attenditur voluntas, quam datum.

5. Item, II ad Corinth. VIII, 15 : *Qui modicum, non minoravit*, etc., Glossa : « Qui multum dat ut dives, et qui modicum ut pauper, si æqua voluntas, æqualem mercedem habebunt. » Ergo videtur, quod nihil vel quasi nihil faciat ad rationem meriti datum ipsum.

6. Item, Luc. XXI, 1 et seq., ubi legitur de vidua paupercula, quæ misit duo minuta in gazophylacium, et Dominus laudavit eam, quod plus omnibus posuisset : quia alii de superfluo, et ista de necessario, quod majorem ostendit devotionem in voluntate.

7. Item, Super illud : *Qui seminant in lacrymis* [1], dicit Glossa : « Magna voluntas multum dedit, multum seminavit. In hac etiam voluntate illa vidua quæ duo minuta misit, non parum seminavit. » Et ex hoc accipitur idem quod prius.

8. Item, Dicitur communiter, et est verbum Augustini, quod Deus non attendit quantum, sed ex quanto detur. Ergo cum ex quanto sit idem quod ex quanta voluntate, videtur quod attenditur voluntas simpliciter, sed ad datum secundum quid tantum, scilicet secundum quod procedit ex voluntate.

[1] Psal. CXXV, 5.

9. Item, Paupertas laudatur in sacra Scriptura, et divitiæ vituperantur : ergo videtur, quod in nullo melior debeat esse conditio divitis, quam pauperis : sed si substantia meriti eleemosynæ magis attenderetur in dato, quam in voluntate, magis esset meritum in facultate divitis, quam pauperis : ergo substantia meriti majoris eleemosynæ magis est in voluntate, quam in dato.

Sed contra.

SED CONTRA :

1. In suffragiis mortuorum citius liberatur pro quo plura fiunt, sicut dicitur ab omnibus, et infra probabitur : sed qui plura dat, pro illo plura fiunt, quam pro illo qui vult plura dare, et non habet : ergo videtur, quod citius dives liberatur quam pauper, etiamsi in aliis sint pares : et non liberatur nisi propter abundantius meritum : ergo videtur, quod in dato abundantius meritum sit, quam in voluntate.

2. Item, Injuncta pœnitentia fit secundum proportionem peccati. Sint ergo duo æqualis voluntatis in pœnitentia, sed inæqualis peccati, sacerdos discretus plus peccanti plus injungit eleemosynæ ad dandum, et minus peccanti minus injungit : ergo dans majus, expiat magis peccatum cum æquali voluntate, quam dans minus : ergo est virtutis in merendo : ergo penes datum attenditur meritum.

Solutio.

SOLUTIO. Dicendum ad hoc sicut prius, quod est meritum per se, et meritum per accidens. *Meritum per se* est quod est ad acquirendum bonum gratiæ et gloriæ. Dico autem *bonum gratiæ*, sicut est gratiæ augmentum, et gratiæ perfectio : et non sicut est gratia prima, quia illa non datur pro merito, sed ex dono. *Meritum* autem *per accidens* est sicut diminutionis pœnæ, et meritum quod acquiritur alterius intercessione, ad hoc quasi empti precibus vel donis eleemosynarum.

Dicendum igitur, quod meritum per se attenditur penes devotionem voluntatis, si perfecta est. Non est autem perfecta nisi sibi attestetur datum, et quantitas dati, si potest dare tantum. Meritum autem per accidens attenditur circa datum : quod tamen aliquo modo procedit a voluntate informante ipsum. Hoc autem attestari videtur Gregorius qui dicit :« Charitas magna operatur, si est : si vero operari desinit, non est charitas. »

Ex hac autem distinctione patet solutio ad omnia ea quæ primo inducuntur præter ultimum.

Ad 9

ET AD hoc dicendum, quod nihil prohibet meliorem esse conditionem divitis quam pauperis in his quæ faciunt ad meritum per accidens, sicut divitiæ, et hujusmodi. Et similiter est in felicitate et actu felicitatis ad quem quædam virtutes faciunt per se. Quædam autem bona, ut dicit Commentator super I *Ethicorum*, operantur ad ipsum organice, ut divitiæ, et potentiæ sæculares, et nobilitates, et robur corporis, et hujusmodi : et eodem modo operatur meritum in dato : et non est inconveniens in tali casu meliorem esse conditionem divitis, quam pauperis.

Ad ea quæ

AD EA autem quæ objiciuntur in contrarium, patet solutio : quia in eo sensu procedunt, quo attenditur meritum per accidens, et meritum quod fit per alium per eleemosynam ad hoc inductum.

ARTICULUS XX.

An eleemosyna potest esse sine compassione, vel compassio sit ei substantialis ?

Sexto quæritur, Utrum eleemosyna possit esse sine compassione, vel compassio sit ei substantialis ?

Videtur autem, quod ei sit substantialis : quia miseratio non est nisi opus misericordiæ : sed opus miserationis est eleemosyna, ut patet in nominis interpre-

tatione et distinctione supra posita : ergo eleemosyna non est sine misericordia : sed misericordiæ substantialis, et compassio, ut ex ipsa diffinitione patet : ergo eleemosynæ substantialis est compassio.

Sed contra.

Sed contra :

Multi sunt qui non compatiuntur misero, et tamen dant propter Deum : ergo non semper eleemosyna est ex compassione : ergo non est ei substantialis.

Solutio.

Solutio. Dicendum, quod sicut de dolore pœnitentiæ dictum est supra, quod duplex est, scilicet sensibilis, et rationalis : ita etiam videtur dicendum de compassione : voluntas enim compatiendi, compassio spiritualis est, eo quod ex complexione aliquis passionem sensibilem vix sentire potest intuendo miserias proximi : et ex tali compassione semper procedit eleemosyna.

Et per hoc patet solutio : quia argumentum factum in contrarium procedit de compassione sensibili.

ARTICULUS XXI.

An sepultura sit eleemosyna, vel species eleemosynæ ?

Deinde quæritur de hoc quod dicitur, ibi, C, § 2, in medio : « *Non solum qui dat esurienti cibum, et sitienti,* etc. »

Hic est tractanda quæstio de speciebus eleemosynæ, circa quam quæremus tria, scilicet de sufficientia eleemosynarum corporalium.

Secundo, de eleemosynis spiritualibus.

Tertio, de comparatione spiritualium ad corporales.

Quæritur ergo, Utrum sepultura sit eleemosyna ?

Videtur, quod sic : quia

1. Tob. I et II, Tobias laudatur, quod ex compassione procedit opus illud : ergo est eleemosyna.

2. Item, Hoc ab omnibus dicitur, quod eleemosynæ corporales sunt septem, quarum una assignatur sepultura.

Item, Eleemosyna sublevat defectum : defectus autem ad quem omnes ordinantur, est mors : ergo debet maxime sublevari : sublevamem autem est sepultura : ergo videtur, quod sit eleemosyna.

3. Item, Corpori quod resurget, aliquid debetur, quod non debetur corpori non resurgenti : sed corpus hominis resurget, et brutorum corpora non resurgent : ergo cum bruta inhumata abjiciantur, istud debet sepeliri ex compassione, ut videtur.

4. Item, Fidei signum reputatur, quod aliquis moriens eligat sepulturam in loco congregationis bonorum, et in locis sacris : ergo sepultura talis est laudabilis, et exhibetur deficienti : ergo est opus misericordiæ, ut videtur.

5. Item, Tituli leguntur positi in sepulcris patrum, ut Simon ædificavit sepulcrum patris sui et fratrum, et laudatur [1] : ergo videtur, quod mors non obstat quin ex compassione possint fieri bona circa mortuos : sed sepultura est præcipuum quod mortuo exhibetur : ergo est opus eleemosynæ, ut videtur.

Sed contra.

Sed contra :

1. Eleemosyna relevat indigentiam pauperis, vel deficientis, circa quæ fit : sed sepultura non prodest mortuo circa quem fit : ergo non est eleemosyna. Probatio mediæ. Augustinus dicit, et infra habetur in *Littera :* « Pompa funeris, agmina exsequiarum, et sumptuosa diligentia sepulturæ, vivorum sunt qualiacumque solatia, non adjutoria mortuorum. »

2. Item, Aristoteles dicit, quod bo-

[1] Cf. I Machab. XIII, 25-30.

num et malum non amplius transmutant mortuum : ergo nec juvant : sed eleemosyna semper juvat eum cui fit.

Quæst. Quæritur etiam de aliis, scilicet de cibatione ?

1. Videtur enim, quod cibus aliquis non requiritur propter defectum, sed propter delectationem : ergo qui dat illos, non videtur facere eleemosynam.

2. Objicitur secundo de vestimentis, quæ quandoque quæruntur propter ornatum, ut videtur.

3. Præterea, Sunt multi alii defectus corporales, circa quos ordinantur humana obsequia : ergo videtur, quod sint plura genera eleemosynarum. Verbi gratia, medicari, errantem ad viam reducere, cadentem sublevare, et hujusmodi multa quæ sunt circa homines : ergo opera eleemosynæ videntur insufficienter enumerari a Sanctis.

Solutio. Solutio. Dicendum, quod eleemosyna (sicut supra habitum est) dicitur a misericordia facientis eam, et non necessario a miseria accipientis eam : quia sufficit, quod in accipiente sit opinata vel præsumpta miseria, quæ cor hominis sufficienter movere debet ad subveniendum.

Quod ergo objicitur de sepultura, bene concedo, quod eleemosyna est quæ impenditur homini gratia corporis quod resurget, ut condatur honestius quam alia corpora non resurgentia, et removeatur ab horrore hominum.

Ad objject 1. Ad id autem quod contra objicitur, dicendum quod relevat defectum quem incurrit homo gratia corporis.

Ad dictum Augustini dicendum, quod ipse intendit, quod non prodest nisi his qui se in vita dignos fecerunt, ut eis prodesse possent : unde sicut suffragia relata ad præcedens meritum prosunt vel obsunt, ita etiam sepultura. Unde Gregorius narrat, quod quidam iniqui in locis sacris sepulti, ejecti sunt a dæmonibus.

Ad object. 2. Ad aliud dicendum, quod Aristoteles loquitur de bonis civilibus, et ad civilem felicitatem ordinatis : et verum est, quod illa non transmutant mortuum, sicut fortunæ pronepotum, et hujusmodi : sed sic non loquitur Ecclesia quæ credit, quod suffragia in eleemosynis prosint mortuis qui Deo vivunt.

Ad id quod ulterius quæritur de cibo, Ad qu
dicendum quod natura deficit quandoque in appetendo necessaria propter aliquam infirmitatem : et tunc oportet subvenire per delicata moventia appetitum : et illa hoc modo secundum statum talem ordinantur contra miseriam.

Ad aliud dicendum, quod vestis delicata dupliciter misericordia dari potest : Ad
uno quidem modo, quando debilitata complexio requirit mollem vestitum, impotens ad sustinendum necessarium : alio modo, quando licet pauper sit, tamen statum tenuit honorificum : et verecundum est ei ut communibus : sicut legitur de beato Nicolao, quod dedit aurum virginibus et patri, quæ mendicare erubescentes prostibulo disponebantur.

Ad aliud dicendum, quod multi sunt Ad
defectus secundarii : sed isti sunt principales, sicut medicina quæ reducitur ad visitationem infirmorum : et quia infirmus generaliter accipitur, et visitatio ejus generaliter est omne adjutorium, potest dici etiam cadens infirmus, et visitatio sublevatio ejusdem.

Si autem quæritur, Penes quid sumuntur hujusmodi defectus ? Quæst.

Dicendum, quod sublevamem quod Solut
fit misero, aut fit ad defectum amovendum in se, aut non quidem ad amovendum, sed ad mitigandum, ne aliis generet horrorem. Si hoc ultimo modo fiat, est sepultura. Si primo modo : aut est contra defectum naturalem, aut accidentalem. Si contra naturalem : aut in defectu calidi et sicci, et tunc est cibare : aut frigidi et humidi, et tunc est potare : hæc enim naturaliter appetimus : quia, sicut dicit Philosophus, ex eisdem generamur, et nutrimur : et quia constamus

per generationem ex illis quatuor, propter hoc etiam appetimus ea ad conservationem individui. Si autem est in accidentibus : aut secundum defectum interiorum, aut exteriorum. Si primo modo : tunc est infirmitas quæ provenit ex corruptione complexionantium interiorum. Si secundo modo : aut est in his quæ impediunt in amovendis, aut in expedientibus conferendis. Si primo modo : tunc est incarcerati subventio et redemptio. Si secundo modo : tunc est de conservantibus ab his quæ circumstando corpus per contrarias qualitates dissolvunt, et sic est vestis : aut de his quæ recreant per quietem post laborem, et sic est hospitium, in quo quiescit pauper qui transivit.

Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICULUS XXII.

De eleemosynis spiritualibus.

Secundo, Quæritur de spiritualibus eleemosynis.

Videtur enim, quod docere non sit eleemosyna :

1. Non enim ordinantur eleemosynæ contra naturam : sed natura omnes producit ignorantes : ergo videtur, quod contra ignorantiam nulla ordinetur eleemosyna.

2. Item, Si docere eleemosyna est, ut videtur dicere Magister in *Littera*, videtur quod sapiens sive instructus obligetur ad illam : ergo pro tempore et loco tenetur subvenire : sed hoc est tempus ignorantiæ, scilicet quando ille ignorat et est præsens : ergo videtur, quod omnem talem tenetur docere instructus : ergo si non docet, peccat mortaliter, sicut si non dat cibum esurienti in tempore necessitatis : et hoc est grave dicere.

3. Item, Objicitur de hoc quod dicit : « Dimittimus quod in nobis quisque peccavit. » Hoc enim præceptum esse videtur in præcepto dilectionis inimicorum : ergo hic est actus charitatis : ergo misericordiæ : ergo non eleemosynæ : quia in *Littera* innuit, quod eleemosynam dat qui misericordiam præstat : et sine misericordia non est eleemosyna.

4. Item, Consilium quod datur alicui, videtur quod reducatur ad doctrinam ignorantis, quia omnis consilium quærens ignorat : ergo videtur, quod superflue ponitur inter opera eleemosynarum.

5. Item, Ista opera non videntur esse misericordiæ, sed potius charitatis in proximum per effectum tendentis : sicut enim dicitur, I ad Corinth. XIII, 5 : *Charitas non quærit quæ sua sunt.*

6. Item, Inter opera misericordiæ corporalia quædam sunt quæ juvant post mortem : et cum anima maneat nobilius post mortem, quam corpus, videtur quod ad hoc debet esse opus spirituale quod fiat homini post mortem : ergo insufficienter enumerantur, ut videtur.

7. Item, Justitiæ opus videtur remittere, sicut patet, Matth. VI, 15, ubi dicit : *Si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra* [1].

Solutio.

Solutio. Dicendum, quod in veritate sunt eleemosynæ spirituales septem, sicut dicitur communiter, contra defectum spiritus ordinatæ. Aut enim ille defectus est culpæ, aut pœnæ. Si culpæ : aut in se solo, aut in te peccatur per illationem injuriæ. Si in te peccatur, contra hoc ordinatur sustinere patienter et remittere : quia duo sunt in injuria illata, scilicet culpa, et hæc exigit remissionem : et pœna illata, et hæc exigit sustinentiam, ne per seipsum judicet. Si autem est in se solo : aut est cum spe emendationis, aut sine spe tali. Si primo modo, tunc habet locum castigatio : si

[1] Cf. Matth. XVIII, 35.

secundo modo, tunc habet locum oratio ad Deum, ut ipse suppleat quod deficit in auxilio humano. Si autem est defectus pœnæ : aut est secundum intellectum, aut secundum affectum. Si est secundum affectum, sic est tristitia, vel metus qui ad idem ordinatur : et tunc indiget consolatione. Si autem secundum intellectum : aut secundum quod ipse est speculativus, et tunc est ignorans, et indiget doctrina : aut secundum quod est practicus, et tunc deficit in scientia agendorum : cujus subventio erit per consilium. Et sic patet, quod septem sunt eleemosynæ spirituales.

Ad 1. Ad id ergo quod primo objicitur, dicendum quod ignorantia non est natura hominis instituti, sed damnati : et ideo defectus est in homine.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod licet generaliter ignorantia sit quidam defectus, est tamen ignorantia quædam, sicut eorum sine quibus non est salus, periculosa : et in talibus puto, quod instructus tenetur docere alios non doctos : et propter hoc ponuntur plebi sacerdotes, qui in talibus instruant : et ideo sapiens instructus præsumit probabiliter alios esse qui succurrant ex debito, etiamsi ipse non doceat : et ideo non peccat mortaliter, quia non instat tempus necessitatis.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod nihil prohibet unum opus esse plurium virtutum, secundum quod diversi fines movent in eo : unde bene concedo, quod remittere potest esse opus justitiæ, et charitatis, et misericordiæ : sed misericordiæ erit proprie sicut elicientis, et aliarum ut imperantium : et hoc ideo fit quia ordinatur ad sublevationem miseriæ quæ est culpa in proximum : et tale opus elicit misericordia ex compassione proximi procedens.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod differunt doctrina et consilium : quia doctrina est de quolibet ignorato : præcipue tamen debet esse de his quæ ad salutem pertinent : ut quædam sacræ Scripturæ, et fidei articuli : sed consilium quæritur in dubiis agibilibus per nos, ut probatur in III *Ethicorum*.

Ad aliud patet responsio per antedicta.

Ad aliud dicendum, quod anima manet viva post mortem : et ideo quædam de his quæ juvant eam dum est in corpore, sufficiunt eam juvare post mortem : non autem ita est de corpore : et ideo non oportet ad hoc opus spirituale esse quo specialiter juvetur anima post mortem.

Ad aliud dicendum, ut prius habitum est.

ARTICULUS XXIII.

An eleemosynæ spirituales corporalibus sunt meliores ?

Tertio, Quæritur de comparatione corporalium eleemosynarum ad spirituales.

Videtur autem, quod spiritules sint meliores, per id quod infra parum ponitur in *Littera*.

1. Sed ea major est qua ex corde dimittimus quod in nobis quisque peccavit.

2. Item, Nobilior est spiritus, quam corpus : ergo melior est subventio spiritus, quam corporis : sed eleemosyna spiritualis subvenit spiritui, corporis autem corpori : ergo melior est spiritualis corporali.

3. Item, Operationes differunt in suis essentiis : constat autem, quod spirituales meliores sint quam corporales, sicut melior est spiritus quam corpus : sed eleemosynæ sunt operationes spirituales, corporales vero eleemosynæ sunt operationes corporales : ergo spirituales sunt meliores.

4. Item, Corpus non habet vitam, nec vitium, nec virtutem nisi per spiritum :

ergo omnia illa per prius conveniunt spiritui : ergo et in operationibus non erit laus nisi per spiritum : sed unumquodque magis est efficax in propriis, quam in alienis : ergo et spiritus magis erit efficax in spiritualibus, quam in corporalibus : ergo spirituales eleemosynæ sunt magis efficaces : ergo etiam magis bonæ.

5. Item, Eleemosynæ corporales differentiam habent bonitatis penes materias : meliorem enim eleemosynam facit dans aurum, quam argentum, si æque sunt abundantes in dandi facultate : cum igitur munera spiritualia meliora sint omnibus corporalibus, meliores esse videntur spirituales eleemosynæ, quam corporales.

Sed contra.

SED CONTRA :

1. Eleemosynæ sunt ad subventionem indigentiæ : sed magis indiget homo in corpore, quam in anima : ergo meliores sunt illæ eleemosynæ. PROBATIO mediæ. Indigentia animæ per inquisitionem amoveri potest, et multis aliis modis, et non redit remota semel, vel non naturaliter redit : sed corporis indigentia continue affligit, et evitari non potest, et redit remota, ut fames.

2. Item, Quanto minus recompensatur danti eleemosynam in præsenti, tanto melior et fructuosior est eleemosyna : sed minus recompensatur in corporalibus, quam in spiritualibus : ergo fructuosior est eleemosyna in corporalibus, quam in spiritualibus. PROBATIO primæ est, Matth. VI, 3 et 16, ubi dicit de quærentibus mercedem laudis, quod *receperunt mercedem suam*. Et docet invitare pauperes qui reddere non possunt. PROBATIO secundæ est, quod bona spiritualia communicata alii, crescunt in possidente.

3. Item, Corporales indigentiæ magis sentiuntur, quam spirituales : ergo magis desideratur supplementum defectus : et melior est eleemosyna, quæ magis est juxta desiderium pauperis, quia magis consolatur : ergo melior est eleemosyna corporalis, quam spiritualis.

Solutio.

SOLUTIO. Dicendum, quod eleemosyna corporalis plus habet de supplemento indigentiæ, sed spiritualis plus habet utilitatis et honestatis : simpliciter tamen eleemosyna in spiritualibus melior est, quam in corporalibus, sicut dicitur in *Littera*.

Et primæ rationes non concludunt nisi secundum quid, scilicet quod sit nobilior illa eleemosyna : sed non concludunt, quod magis requiratur : quia magis sentiuntur defectus corporales, quam spirituales.

Ad object. 1.

AD EA autem quæ objiciuntur in contrarium, dicendum quod hoc non facit eleemosynam magis meritoriam quod est majoris indigentiæ, sed potius quod ex majori affectu datur. Vel dicendum, quod non concluditur nisi secundum quid esse melior : si enim bene deberet fieri comparatio, deberet supponi in omnibus paritas, præterquam in hoc quod una est spiritualis, et alia corporalis : et tunc plane patet, quod spiritualis esset melior.

Ad object. 2.

AD ALIUD dicendum, quod licet hoc sit verum in docendo et consulendo, tamen non est in aliis verum : et si sit quodammodo etiam verum in aliis : quia quanto aliquis sæpius condonat injuriam, tanto facilius potest hoc facere : non tamen propter hoc diminuitur meritum eleemosynæ : quia quod Dominus dicit de receptione mercedis, non intelligitur de mercede spirituali, sed corporali et transitoria, et non de augmento gratiæ, quod sæpe fit merito eleemosynæ.

Ad object. 3.

AD ULTIMUM dicendum, quod sensus non facit magis meritorium, sed magis necessarium, secundum illud tempus in quo defectus sentitur.

Nota autem, quod hæc genera eleemosynarum duobus versibus sunt comprehensa, quorum primus est hic :

Visito, poto, cibo, redimo, tego, collido, condo.

Secundus est, iste :

Instrue, castiga, solare, remitte, fer, ora.

Et hi versus per omnia patent, nisi in hoc solo quod *instruo* in duplici significatione accipi debet, scilicet pro instructione docentis ignorantem, et pro instructione informantis ad consilium.

ARTICULUS XXIV.

Ex quo potest vel debet fieri eleemosyna?

Deinde quæritur de hoc quod dicitur, ibi, C, § 2, post medium : « *Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis*, etc. »

Est autem hic quæstio, Ex quo possit vel debeat fieri eleemosyna?

Videtur autem, quod de omni eo quod habetur, et ex compassione impendi potest misero : quia

1. Ad dare non exigitur nisi facultas ex parte dantis : sed habens quocumque modo, habet facultatem ad dandum : ergo quocumque modo habens potest facere eleemosynam.

2. Item, Id quod superest, ex justitia non potest retineri : et tamen inde potest fieri eleemosyna [1] : ergo eleemosyna erit de illo quod habetur, licet juste retineri non possit : et ex hoc sequitur, quod de usuris et aliis illicite acquisitis possit fieri eleemosyna : quod multi negant.

3. Item, De duobus malis minus malum eligendum est : sed magis malum est illicite acquirere, et immisericorditer retinere, quam illicite acquirere et misericorditer erogare : ergo secundum est suadendum, scilicet quod de illicite acquisitis fiat eleemosyna.

4. Item, De eo cujus aliquis dominus est, potest facere quod vult : sed usuræ secundum multos dominus est : ergo potest facere quod sibi placet : ergo et eleemosynam potest facere inde. Quod autem sit dominus usuræ, patet ex hoc quod multi dicunt in usura transire dominium.

Sed contra :

Sed co

1. Gregorius in decreto, cau. I, quæst. 1 : « Non est putanda eleemosyna, si pauperibus dispensetur quod ex illicitis rebus acquiritur. » Ergo de illicite acquisitis non potest fieri eleemosyna.

2. Item, Gregorius, ibidem : « Quidquid enim in Dei sacrificio ex scelere offertur, omnipotentis Dei non placat iracundiam, sed irritat. »

3. Item, Ibidem tractans illud Salomonis, Eccli. XXXIV, 24 : *Qui offert sacrificium ex substantia pauperum*, etc., sic dicit : « Quantus autem dolor sit dolor patris perpendamus, si in ejus conspectu filius victimetur : et hinc facile cognoscitur quantus apud Deum dolor exasperetur, quando ei sacrificium ex rapina tribuitur. »

4. Item, In decret. XIV, quæst. 5, Augustinus in homiliis : « Forte aliquis cogitat, et dicit : Multi sunt Christiani avari, cupidi, non habebo peccatum si suum illis abstulero, et pauperibus dedero : unde enim illi nil boni agunt, mercedem habere potero : sed hujusmodi cogitatio ex diabolica calliditate suggeritur : nam si totum tribuat pauperibus quod abstulerat, addit potius peccatum, quam minuat. »

Aliæ etiam auctoritates multæ sunt ad hoc.

5. Sed rationi insistamus : Quod illicite accipit, reddere tenetur : ergo nihil est ei faciendum, unde efficiatur impotens ad solvendum : sed per dare alteri, sive pauperi, sive diviti, efficitur impotens : ergo tenetur non dare alteri : ergo tenetur de hoc non facere eleemosynas.

6. Item, Sicut dicit Apostolus, Non sunt facienda mala ut inde veniant bona [2].

[1] Luc. XI, 41 : *Verumtamen quod superest, date eleemosynam*, etc.

[2] Ad Roman. III, 8 : *Et non (sicut blasphemamur, et sicut aiunt quidam nos dicere) faciamus mala ut veniant bona.*

Ergo nullus debet facere mala ut eveniant bona : sed illicite acquirere, est facere malum : et eleemosynam dare, est evenire bona : ergo eleemosyna non potest nec debet fieri de illicite acquisitis, etc.

7. Item, Fornicari cum aliqua Judæa vel pagana ut convertatur, est illicitum et peccatum mortale, et fieri non debet, eo quod in se peccatum est : ergo cum injusta acquisitio non sit minus peccatum, quam fornicatio, non debet fieri illicita acquisitio ut eleemosyna ex hac detur.

Quæst. 1. SED TUNC quæritur de casibus qui sunt circa hanc quæstionem.

Ponamus ergo, quod aliquis habeat illicite acquisita per usuram vel rapinam : et videat aliquem in extrema necessitate positum, et non habeat aliud unde solvat ei a quo illicite tulit. Et quæritur, Utrum tenetur dare pauperi, aut non ?

Videtur, quod sic : quia

1. In tali necessitate omnia sunt communia : ergo si dat isti, videtur quod absolvitur ab alio.

2. Item, In tali casu posset violenter rapere ab alio, et dare isti : ergo et acquisitum illicite potest ei dare, ita quod non teneatur amplius solvere.

Sed contra. SED CONTRA :

1. Non remittitur peccatum nisi restituatur ablatum : ille autem non restituit ablatum per hoc quod dat alii : ergo peccatum sibi non remittitur.

2. Item, Alii competit actio in istum, quamdiu retinet suum : ergo cum tamdiu retinere dicatur, quamdiu non solvit, adhuc post talem dationem competit ei actio : ergo adhuc reddere tenetur : non ergo absolvitur a tali datione.

Quæst. 2. ULTERIUS quæritur in eodem casu, si ille sit præsens cui debet, et neget licentiam dandi ei qui est in extrema necessitate, utrum adhuc dare tenetur ?

Videtur, quod non : quia

1. Dat alienum invito domino : et hoc est illicitum.

2. Item, De alieno (ut prius patuit) non potest fieri eleemosyna : sed hoc quod habet, est alienum : ergo numquam potest dare illud, ipso cui debet invito.

Sed contra. SED CONTRA :

Dicit Ambrosius : « Pasce fame morientem, etc : » sed iste potest pascere, et non facit : ergo occidit : ergo videtur, quod dare debeat tali egeno.

Quæst. 3. ITEM quæritur hic de aliis casibus, utrum de aleato et pretio meretricii possit fieri eleemosyna ?

Videtur quod sic : quia in talibus non meretur ille recipere qui perdidit : ergo per dationem non efficitur impotens ad solvendum : ergo dari potest pauperibus.

Sed contra. CONTRA :

1. *Non offeres mercedem prostibuli* [1] : sed sacrificium quoddam est eleemosyna : ergo non debet fieri de illis.

Item, In Epistola Hieronymi, increpantur sacerdotes Babylonis, qui dona meretricum accipiunt : ergo faciendum non est de hoc eleemosyna.

2. Item, Illicito commercio nihil licite acquiritur : sed meretricium est illicitum commercium : ergo illo nihil licite acquiritur : ergo nec pretium : sed de illicite acquisito non potest fieri eleemosyna, ut patuit ex verbis Gregorii supra inductis : ergo nec de meretricio, nec de aleato.

Solutio. SOLUTIO. Sicut dicunt illi qui probabiliter jura docuerunt, videtur mihi esse distinguendum in illicite acquisito : aut enim transfertur dominium, aut non transfertur. Transfertur ut in usura secundum quosdam : et de hoc supra in fine tertii *Sententiarum* notatum invenies [2]. Non transfertur, ut in rapina. Si transfertur : aut competit illi a quo accipit repetitio ex canone : aut non : competit, ut in usura : non competit, ut in meretricio

[1] Deuter. XXIII, 18.

[2] Cf. III Sententiarum, Dist. XXXVI, Art. 14.

et aleato, quia meretricator et aleator meretur amittere.

Dico ergo, quod si est illicitum in quo transfertur dominium, et non competit repetitio, potest de eo fieri eleemosyna. Si autem est illicitum in quo non transfertur dominium, ut in furto, rapina, deposito : aut si transfertur, tamen competit illi repetitio, non potest fieri eleemosyna.

Ad 1. ET SECUNDUM. hanc distinctionem respondeo ad primum dicens, quod est facultas ex abundantia rei quæ potest dari, et est facultas ex jure dandi. Prima non sufficit ad eleemosynam, sed secunda : et hanc non habet qui illicite acquirit, quod restituere tenetur.

Ad 2. AD ALIUD dicendum, quod non est simile : quia illud quod superest, licet retineri non debeat, tamen suum est, et nulli tenetur illud : et ideo hoc dare potest : sed de illicite acquisito quod restituere tenetur, non est hoc modo.

Ad 3. AD ALIUD dicendum, quod licet in necessitate posito, qui aliter evadere non potest, minus malum sit eligendum : tamen jus neutrum determinat esse licitum, nec minus malum, nec majus, sed minus illicitum unum, quam alterum : et ideo utrumque est peccatum, licet duo sint majus malum, quam unum.

Ad 4. AD ALIUD dicendum, quod si ita est dominus, quod alius non potest agere contra eum : nec ex eo quod sit translatum dominium, nec ex canone : tunc vere probat objectio, et tunc conceditur. Sed si non est dominus ex quieto jure canonis : tunc non valet : et sic est in usura : quia licet secundum quosdam dominium transferatur, tamen ex canone restituere tenetur.

Ad object. 1, 2, 3 et 4. AD EA vero quæ objiciuntur in contrarium, dicendum quod omnia illa decreta loquuntur de illo illicite acquisito, quod aliquis restituere tenetur.

Ad object. 5. AD HOC quod objicitur per rationem, dicendum ad primum, quod bene procedit de illicito, quod reddere aliquis tenetur.

AD ALIUD dicendum, quod ad hoc ut habeatur unde detur eleemosyna, non est de turpi acquirendum, sicut dicit decretum, cau. I quæst. 1, et c. XIV, quæst. 7 : sed si turpiter acquisitum est, nihil prohibet quandoque in eleemosynas posse erogari, sicut jam dictum est.

AD ALIUD dicendum eodem modo, quod sic non est acquirendum : sed acquisitum sic, nihil prohibet bene dispensare : et in illa objectione, decreto et nobis videtur esse contrarius Eustacius super V *Ethicorum*, qui dicit, quod licet lex præcipiat uxorem alterius non esse cognoscendam, tamen bonum est uxorem tyranni cognoscere, ut per eam mitigetur tyrannus ad cives. Errat autem Eustacius in loco illo, vel ipse loquitur ethnicorum leges referendo.

AD ALIUD dicendum, quod mihi videtur in tali casu, quod qui habet alienum, debet significare illi cui debet, si potest : et si non potest, dare debet egenti nomine illius, et absolvitur a debito : sicut etiam quidam antiqui Doctores ante nos dixerunt. Si autem significet, sive det licentiam, sive non, ipse tamen tenetur dare egenti, et absolvitur, ut puto, a debito simpliciter : ita quod numquam plus solvere tenetur, nisi ille cui debet in simili sit indigentia.

AD EA quæ objiciuntur, dicendum quod iste solvit : quia in tali casu ille alius, si haberet, et nollet dare, peccaret mortaliter : et ideo cum iste nomine illius dat, iste absolvitur : sicut si ego deberem tibi centum, sed tu deberes alii centum, et ego pro te solverem illi cui tu deberes, non teneor iterum solvere tibi.

AD ALIUD dicendum, quod alii in tali casu dummodo constiterit ei, quod ille in tati necessitate dederit, et nihil aliud ad dandum præter necessaria sua habuerit, non competit actio in istum : sed potius a debito simpliciter absolutus est per jus naturæ : quia ea quæ erant creditoris, facit esse debita pauperi in tali necessitate.

quæst. 2. ad 1. Ad aliud dicendum, quod negata licentia, adhuc debet dare propter necessitatem : quia multa bona (ut dicit Augustinus) præstantur invitis : et ita etiam hoc invito bene fit, quando de bonis ejus sustentatur natura in proximo deficiens.

ad 2. Ad aliud dicendum, quod iste facit eleemosynam non de alieno, sed pauperi reddit quod suum est : et eleemosyna fit nomine illius cui debebatur restitutio.

quæst. 3. Ad hoc quod ulterius quæritur de meretricio et aleato, dicendum quod eleemosyna de talibus fieri potest, et præcipue de meretricio, sed non oblatio ad altare propter scandalum : et auctoritates inductæ loquuntur de sacrificio, non de eleemosyna.

object. 2. Ad id quod objicitur per rationem, dicendum quod in veritate illicito commercio acquiritur. Sed tamen illicite acquisitum dicitur dupliciter : uno modo communiter, scilicet quando actus est illicitus quo acquiritur : et hoc non semper prohibet quin de taliter acquisito possit fieri eleemosyna. Dicitur etiam illicite acquisitum quando acquiritur cum injusto damno proximi in rebus, quod proprium est avaritiæ, quæ secundum Aristotelem proprie dicitur injustitia specialis : et tunc non potest mihi fieri eleemosyna : quia debetur alteri, aut ex eo quod non transfertur dominium, aut ex eo quod competit ei actio a quo aufertur, auctoritate et jure canonis.

ARTICULUS XXV.

An uxor de bonis mariti, aut econtra, an monachus, aut filiusfamilias, aut famulus possint dare eleemosynam ?

Sed adhuc ulterius quæritur de casibus quibusdam, scilicet qui non supponunt illicite acquisitum, sed quasi in potestate alterius ens, ut utrum uxor de bonis mariti facere possit eleemosynam ?

Videtur, quod sic : quia

1. Dicit Augustinus, quod ideo sumpta est de latere, ut sciat eam marito sociam non ancillam : ergo ipsa potestatem habet in bonis sicut vir : ergo dare ita potest sicut ille.

2. Item, Aristoteles in V *Ethicorum*, ubi distinguit justitiam œconomicam a proprie dicta, dicit quod magis est justitia cum uxore, quam cum filio, vel servo : constat autem, quod hoc dicit propter æqualitatem aliquam quæ est inter virum et uxorem : ergo ipsa cum sit æqualis, potest dare sicut vir.

3. Item, Charius bonum quod habet vir, scilicet corpus proprium, est in potestate et dominio mulieris : ergo magis alia : si igitur in illis est domina, ipsa potest distribuere pauperibus, ut videtur.

4. Item, Legitur in vita beatæ Luciæ, quod ipsa occulte, sponso suo ignorante, patrimonium suum distraxit et vendidit et dedit pauperibus : et tamen laudatur : ergo videtur, quod hoc etiam laudabile sit in aliis.

Sed contra. Sed contra :

1. Si duo sunt socii in mercationibus, neuter potest dare, altero non consentiente : cum igitur bona sint communia inter virum et uxorem, videtur quod ipsa nihil dare possit sine consensu mariti.

2. Item, De suo corpore nihil potest facere sine consensu viri, quod tamen magis videtur : ergo multo minus de rebus.

3. Item, Res dantur marito a patre uxoris, ut dos, et alia, propter onera matrimonii : ergo sine consensu suo non sunt illæ res alienandæ : ergo multo minus aliæ res, quæ sunt suæ, vel acquisitæ ab ipso.

4. Item, I ad Corinth. xi, 3 : *Volo vos scire quod omnis viri caput Christus est : caput autem mulieris, vir.* Sed sine

consensu capitis nihil potest agere membrum. Ergo nec sine consensu viri aliquid potest dare mulier, ut videtur.

Quæst. 1. ULTERIUS quæritur, Utrum filiusfamilias vel filia possit dare aliquid?

Videtur quod non: quia

1. Nihil habet in potestate: ergo nihil potest dare.

2. Item, Ad Galat. IV, 1: *Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt a servo,* etc. Ergo nihil potest dare.

Sed contra. SED CONTRA:

Ad eum pertinet hæreditas: ergo videtur, quod tamquam de suo aliquid possit dare.

Quæst 2. ULTERIUS quæritur hic, Utrum monachus vel monacha possit dare aliquid?

Videtur, quod non: quia

1. Dicitur, quod monachus habens obolum, non valet obolum: sed qui nihil habet, nihil potest dare: ergo nihil potest dare monachus.

2. Item, Abrenuntiatio proprietatis, est de omni regula religiosorum: sed qui nihil habet proprium, nihil dare potest: ergo monachus non potest aliquid dare: ergo nec eleemosynam facere.

Sed contra. SED CONTRA:

1. Sit, quod videat aliquem in necessitate constitutum: aut dat, aut non dat. Si dat, habeo propositum. Si non dat, cum possit dare ex rebus monasterii, ipse occidit, ut videtur dicere Ambrosius.

2. Item, Unum bonum non præjudicat alteri: sed religio bona est, et dare eleemosynam est bonum: ergo religio non præjudicat dationi eleemosynarum: ergo videtur, quod ex religione magis teneatur dare, quam si non esset religiosus.

Quæst. 3. ULTERIUS quæritur de famulis et ancillis qui dant panem, et hujusmodi dominorum suorum, utrum hoc possint facere?

Videtur, quod non: quia nihil est suum: ergo nihil de hoc dare possunt.

SED CONTRA:

Sed cont. Dispensatio eorum relinquitur quibusdam de domo: sed dispensator potest facere eleemosynam sub spe ratihabitionis: ergo et servus, et ancilla.

SOLUTIO. Dicendum cum distinctione multiplici. Solut.

Primo sic: Aut mulier habet res parafernales, aut non.

Item, Aut mulier est lucrosa sicut maritus, aut plus etiam quam maritus, aut non.

Item, Aut ex datione mulieris depauperatur maritus, aut non.

Item, Aut maritus expresse prohibet ei dare cum signo quod ita intendat in corde, aut non.

Si mulier habet res parafernales, et est lucrosa, marito etiam prohibente, potest et debet dare eleemosynas, quæ non depauperant virum: et si prohibet, non tamen signo quod ita intendat, sed quia prohibendo, a superfluitate dandi eam vult retrahere, adhuc dico quod debet dare cum conscientia illa quod placeat marito in corde, etiam quidquid dicat ore. Si autem non habet res parafernales, et est lucrosa: idem dico quod prius. Si autem habet res parafernales, et est non lucrosa: adhuc idem dicendum videtur. Si autem nec res habet parafernales, nec lucrosa est laboribus suis: tunc dicendum videtur, quod dare non debet sine consensu viri, nisi forte panem et vinum et cætera quæ in quotidiano usus domus sunt: et hoc moderate ne matrimonium [nimis onerosum faciat marito sua datione.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod licet de latere sit sumpta, tamen regi debet a viro: et non est ei æqualis, nisi tantum in actu conjugali et debito: sicut infra, cum agetur de matrimonio, ostendetur. Ad 1.

AD ALIUD dicendum, quod Aristoteles non intendit, quod justitia proprie dicta sit inter virum et mulierem, sed minus improprie quam inter dominum et servum: quia magis accedit ad æqualitatem, licet non omnino sit æqualis. Ad 2.

ad 3. Ad aliud dicendum, quod corpus viri tantum datum est mulieri : quia hoc est pertinens ad individuam vitæ consuetudinem sacramenti, secundum quod est ad bonum prolis, et in remedium concupiscentiæ : et ideo domina est illius. Sed non sic est de aliis bonis : et ideo illa remanent in dominio mariti, nisi per modum prædeterminatum in distinctione.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod beata Lucia fuit tantum sponsa : nec fuit adhuc ratum vel consummatum matrimonium : et ideo licuit ei tutiorem partem castitatis eligere, et bona distrahere, quæ non ante cesserant in dominium sponsi.

Ad object. Ad ea autem quæ in contrarium objiciuntur, patet solutio per distinctionem.

Ad quæst. 1. Ad id quod quæritur de filiofamilias dicendum, quod nihil potest dare sine consensu parentum, nisi forte panem, et hujusmodi, quæ non inferunt sensibile damnum.

Ad object. Ad id quod in contrarium objicitur, dicendum quod licet hæres sit, tamen nondum dominus est : et ideo dare non potest.

Ad quæst. 2. Ad id autem quod quæritur de monacho, distingui convenit. Aut sibi commissa est dispensatio aliqua, aut non. Si sic : tunc de illo debet et potest facere eleemosynam, sicut Abbas ipse nomine capituli. Si autem non habet dispensationem, aut ipse est in cœnobio, aut non. Si est in cœnobio : tunc non debet dare nisi de licentia, nisi videret aliquem in extrema necessitate positum, quia tunc etiam de altari recipere posset, et dare illi : nisi forte det sub spe ratihabitionis, Abbate quocumque non præsente. Si autem est extra, ut in studio de licentia Abbatis : tunc potest facere eleemosynam : quia cum dantur ei expensæ, committitur ei dispensatio de his quæ dantur sibi.

Ad 1 et 2. Ad hoc autem quod contra objicitur, dicendum quod licet nihil habeat in possessione, tamen ut dispensator aliquid habere potest in usu.

Per hoc etiam patet solutio ad sequens : quia nulla religio abrenuntiat usui : quia sine usu bonorum fortunæ non potest esse vita.

Ad aliud dicendum, quod propositio illa falsa est : quia religio per hoc quod abrenuntiat proprio, facit id quod in se est bonum, malum illi. Ad object. 2.

Ad id quod quæritur de servo et ancilla, dico per se, quod nihil dare possunt de rebus dominorum suorum sine consensu eorum, nisi de pretio suo. Ad quæst. 3.

Ad id quod contra objici videtur, dicendum quod non sunt dispensatores tamquam potestatem aliquam in re habentes, sed tamquam tractantes ea ad utilitatem dominorum suorum. Ad object.

ARTICULUS XXVI.

An daturus eleemosynam, debet ordinate incipere ?

Deinde quæritur de hoc quod dicitur, ibi, C, § 2, post medium : « *Qui vult ordinate dare eleemosynam, a se debet primum incipere*, etc. »

Videtur enim ex hoc quod ordo sit in eleemosyna, sicut in charitate.

Sed contra :

1. Non est datum præceptum de diligendo se, quia natura ad hoc sufficit : cum igitur natura unumquemque ordinet ad sibi subveniendum quantum potest, non oportet ad hoc induci admonitionem.

2. Item, Nulla miseria tantum movet in alio, quantum in seipso : cum igitur eleemosyna detur ex misericordia, quæ est compassio miseriæ, videtur quod sensus propriæ miseriæ sufficit ad hoc sine doctrina exteriori.

3. Præterea, Videtur esse impossibile, quod homo det sibi eleemosynam :

quia datur alicui qui non habet : ergo si homo dat sibi, ipse simul habet, et non habet, quod est impossibile.

Quæst. PRÆTEREA quæritur ulterius, Quare potius dicit hoc de eleemosyna spirituali, quam corporali ? Dicit enim : *Miserere animæ tuæ*, etc. [1], non corpori.

Videtur enim quod de corpore simile deberet dicere quia sicut crudeles in animam, ita inveniuntur crudeles in corpus : sicut qui irrationabiliter se affligunt, et quandoque etiam se interficiunt.

Solutio. SOLUTIO. Dicendum, quod in veritate in largitione eleemosynarum attenditur ordo, secundum quod ipsa informata est charitate : charitatis enim ordo circa omnia ponitur, quæ informata sunt charitate : et de hoc plura dicta sunt super tertium *Sententiarum*, in tractatu de *charitate* [2].

Ad 1. AD PRIMUM autem dicendum, quod non habemus præceptum de eleemosyna corporali, quia in corporali miseria satis compatimur nobis : sed de spirituali : et hoc intelligitur in præcepto de danda eleemosyna proximo : sicut etiam præceptum de diligendo seipsum intelligitur in præcepto dilectionis proximi, sicut dicit Augustinus.

Ad 2 et 3. AD ALIUD et tertium dicendum, quod miseria proximior est in nobis quam in alio, si sentitur ut miseria : et hoc modo non est nisi de miseria corporali. Spiritualis autem miseria, quæ verius miseria est, quam corporalis, non sentitur ut miseria, sed ut bonum nunc propter peccati dulcedinem : et ideo spiritualis eleemosyna quæ supplet defectum peccati præcipue, indiget ampliori admonitione, quam exterior.

Ad quæst. AD ULTIMUM dicendum, quod spiritualia quodammodo sibiipsi potest dare : quia in veritate spiritualia non habet, et sic proprie potest aliquis accipere : et potest aliquis facere unde sibi dentur, licet proprie dare non possit : et sic dicitur *dare* hoc modo quo dicitur *dare* qui facit ut detur.

ARTICULUS XXVII.

An verum est illud, Qui diligit iniquitatem, odit animam suam ?

Deinde quæritur de hoc quod dicitur, ibi, C, § 2, post medium : « *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam*, etc. » Videtur enim hoc esse falsum : quia

1. Ad Ephes. v, 29 : *Nemo unquam carnem suam odio habuit :* ergo multo minus animam quæ est melior pars hominis.

2. Præterea, Videtur hoc esse bonum, quod odit eam : quia dicitur, Joan. XII, 25 : *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Ergo non videtur crudelis in animam qui odit eam : ergo falsum videtur quod dicitur in *Littera*.

Solutio. SOLUTIO. Dicendum, quod peccatum est æquivocationis in *diligere*, et *odire :* quia est dilectio affectus, et effectus : affectus dilectione nemo odit animam : et de illa loquitur Apostolus ad Ephesios. Effectus autem dilectione non diligit animam, qui diligit iniquitatem : quia agit contra animam suam : et de hac loquitur Psalmus [3]. Ad 1.

AD SECUNDUM dicendum, quod æquivocatio est in verbo *anima :* quia Christus in Joanne vocat *animam*, animalem vitam : quam odit, qui delicias fugit, et crucem amplectitur : et ille custodit eam, non in eo quod animal, sed secun-

[1] Eccli, XXX, 24.

[2] Cf. III Sententiarum, Dist. XXXIX. Tom. XXVIII hujusce novæ editionis.

[3] Psal. X, 6.

dum quod beatificabilis exuta animalitate in vitam æternam : hic autem loquitur de anima secundum quod est spiritualis et principalis pars hominis in merendo vel demerendo.

ARTICULUS XXVIII.

An immundis nihil sit mundum ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, C, § 2, ante finem : « *Immundis nihil est mundum*, etc. »

Hoc enim videtur falsum : quia

1. Peccatores corpus Christi sumunt : et tamen illud mundum est : et multis aliis sacramentis communicant.

2. Item, Creatura per hoc non efficitur immunda, quod ad usum eam habent peccatores : ergo videtur falsum dicere.

Quæst. ITEM quæritur, Utrum sequatur, immundis nihil est mundum : ergo *immundum quod sumunt ?*

Et videtur quod sic : quia sicut patet, Levit. XIII, passim, inter mundum et immundum nihil est medium : si ergo non est mundum, videtur quod sit immundum.

Solutio. SOLUTIO. Dicendum cum Apostolo, quod *immundis nihil est mundum* [1]. Et intelligitur composite, non divise, hoc est, immundis in quantum immundis nihil est mundum : quia munditiæ effectus a nullo fit in eis.

Ad 1. AD PRIMUM dicendum, quod corpus Christi non est in eis mundum, quia non facit in eis munditiæ effectum : tamen in se mundum est : sicut enim dicitur de sapientia divina, Sapient. VII, 23, quod propter suam munditiam *nihil inquinatum in eam incurrit :* ita e converso de istis dici potest, quod propter suam immunditiam, nihil mundum per effectum incurrit in eos.

AD ALIUD patet solutio per dicta. Ad 2.

AD ALIUD dicendum, quod non sequitur, si eis non sit mundum, quod sit immundum : est enim duplex immunditia, scilicet in se, et quoad nos. Et illa quæ est rei in se, non habet medium : sed illa quæ est quoad nos, habet medium quoad nos. Sicut e contrario omnis homo mundus est in se, vel immundus : et tamen alicui rei non omnis homo mundus est mundus, sicut in panibus propositionis non omnis mundus in se, mundus fuit. Ad quæst.

ARTICULUS XXIX.

An verum sit, quod nihil prodest orare, jejunare, et alia benefacere, nisi mens revocetur a peccato ?

Deinde quæritur de hoc quod dicitur, ibi, C, § 2, sub finem : « *Nihil prodest jejunare, et orare, et alia bona agere, nisi mens revocetur a peccato*, etc. »

1. Videtur enim si nihil prosunt, quod non sunt ista peccatoribus suadenda, quod impium esset dicere : igitur falsum videtur quod dicitur in *Littera*.

2. Item, Ad Nabuchodonosor impium regem dixit Daniel : *Peccata tua eleemosynis redime* [2] *:* ergo prosunt.

Solutio. SOLUTIO. Supra dictum est quo modo prosunt, scilicet ad vicinius gratiam consequendam : sed non prosunt ad vitam æternam : et quia hæc supra disputata sunt, hic dimittam.

[1] Ad Titum, I, 15.

[2] Daniel. IV, 24.

ARTICULUS XXX.

An satisfactio extra charitatem, sit iteranda redeunte charitate?

Deinde quæritur de hoc quod dicitur, ibi, C, § 2, in fine : « *De utroque imponenda est satisfactio : quia de primo condigne non satisfecit.* »

Videtur enim hoc esse durum. Ponamus enim, quod ipse primo accipiat a sacerdote, quod det centum, et persolvat in mortali peccato : ergo postea iterum debet dare centum.

Eadem objectio est de eundo ultra mare, et aliis quæ sine gravibus expensis et laboribus iterari non possunt.

Solutio. Dicendum, quod sicut patet ex præhabitis, in pœnitentia sunt duo, scilicet dolor cordis, et opus exterius. Interiora autem quia non fuit contritus, nihil valent. In exterioribus autem distinguendum est : quædam enim sunt exteriora, quæ per damnum et afflictionem manent in agente postquam facta sunt, sicut datio, et peregrinatio, et hujusmodi : quædam autem in toto transeunt, sicut oratio, et alia talia. Dico ergo, quod opera quæ aliquo modo manent, postea per gratiam reviviscunt : et illa non oportet iterari : sed alia iterari debent : et hoc supra notatum est in quæstione de *operibus mortuis et mortificatis*.

D. *Secundum quosdam fuit satisfactio.*

Quibusdam tamen videtur fuisse satisfactio, sed infructuosa, dum in peccato altero persistit : percipietur tamen fructus ejus, incipietque proficere, cum peccati alterius pœnituerit. Tunc enim utrumque dimittitur peccatum, et satisfactio præcedens vivificatur, quæ fuerat mortua : sicut baptismus illi qui ficte accedit, tunc primitus valet, cum fictio a mente recedit per pœnitentiam [1]. Et in hujus opinionis munimentum auctoritates inducunt. Ait enim Augustinus : Pium est credere, et nostra fides expostulat, ut cum gratia Christi in homine destruxerit mala priora, etiam remuneret bona : et cum destruxerit quod suum non invenit, diligit bonum quod in peccante plantavit [2]. Item Hieronymus : Si quando videris inter multa peccata quemquam facere aliqua justa opera, non est tam injustus Deus, ut propter multa mala obliviscatur paucorum bonorum, sed faciet ea metere et in horrea congregare, quæ bona in terra seminavit [3]. Sed hæc dicta in-

[1] Cf. Supra, Dist. IV, B, Art. 2 et seq.
[2] S. Augustinus, Lib. de Vera et falsa pœnitentia, cap. 14.
[3] S. Hieronymus, Comment. ad illud Aggæi, I, 6 : *Seminastis multum*, etc.

telligimus de illo, qui in charitate quodam tempore bona facit et bonus est, alio vero tempore malus est et multa peccata facit. Non ergo intelligendum est eum inter multa peccata, justa opera fecisse, quasi simul eodemque tempore peccata fecerit et justa opera : sed diversis temporibus utraque fecisse. Nisi enim bonus foret quando bona fecit, non seminasse diceretur in terra bona. Destructis ergo malis post opera bona commissis, priora bona in charitate scilicet facta, quæ sequentia mala mortificaverant, pœnitentia de illis malis habita, vivificantur et remunerantur. Unde Apostolus : *Non rursum jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis* [1], opera mortua nominans priora bona significat, quæ per sequens peccatum erant mortua : quia hi peccando priora bona irrita fecerunt. Hæc sicut peccando irrita fiunt, ita per pœnitentiam reviviscunt, et ad meritum æternitatis prodesse incipiunt. Similiter et illud bonum amat Deus quod plantavit in peccante, in illo scilicet qui post illud bonum peccavit, non simul peccans et bonum operans exstitit : quia talis hominis opus non diligeret Deus ad remunerationem. Potest etiam accipi de operibus bonis quæ ab aliquo fiunt dum malus est, et in peccato mortali persistit vel ad tempus, vel usque in finem : quæ dicuntur a Deo remunerari et non dari oblivioni, non quia proficiant ad vitam æternam obtinendam, sed ad tolerabilius extremi judicii supplicium sentiendum : sicut de fide et cæteris quæ sine charitate habentur, Augustinus ait [2] : Si quis non habens charitatem quæ pertinet ad unitatem spiritus et vinculum pacis quo Ecclesia connectitur, in aliquo schismate constitutus, ne Christum neget patitur tribulationes, famem, persecutionem, vel flammas, vel bestias, vel ipsam crucem, timore gehennæ : nullo modo ista culpanda sunt, imo et hæc laudanda est patientia. Non enim dicere poterimus melius ei fuisse, ut Christum negando nihil horum pateretur, quæ passus est confitendo : sed æstimandum est fortasse tolerabilius ei esse futurum judicium, quam si Christum negando nihil horum pateretur : ut illud quod ait Apostolus, *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest* [3] : nihil enim prodesse intelligitur ad regnum obtinendum, nisi ad extremi judicii tolerabilius subeundum supplicium. Et infra, Hæc propter charitatem dicta sunt, sine qua in nobis non potest esse vera pœnitentia : quoniam in bonis charitas Dei est quæ tolerat omnia [4].

[1] Ad Hebr. VI, 1.
[2] S. AUGUSTINUS, Lib. de Patientia, cap. 26.
[3] I ad Corinth. XIII, 3.
[4] Ibidem, XIII, 4 et 7 : *Charitas patiens est,... omnia suffert,... omnia sustinet.*

E. *Perstringit dictorum summam, ut alia addat.*

Ex his ostenditur bona quæ sine charitate fiunt, prodesse quidem ad tolerabiliorem pœnan sentiendam, sed non ad vitam obtinendam. Illa enim quæ in charitate quis facit, si postea prolapsus fuerit nec exsurrexerit, non esse in memoria Dei, Ezechiel dicit : *Si averterit se justus a justitia sua, et fecerit iniquitatem, numquid vivet ? Omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur : in peccato suo morietur, et non erunt in memoria justitiæ quas fecit* [1]. In cujus loci expositione Gregorius ait : Hoc nobis maxime considerandum est, quia cum mala committimus, sine causa ad memoriam transacta bona revocamus, quoniam in perpetratione malorum nulla debet esse fiducia bonorum præteritorum [2]. Intelligendum est hoc, ad vitam percipiendam bona præterita non dare fiduciam, etsi ad mitiorem pœnam, alioquin præmissæ auctoritati Augustini obviaret. Et bona ergo sine charitate facta, et bona in charitate facta, quæ concomitatur mortalis culpa, quam non delet sequens pœnitentia, ad sensum mitioris pœnæ proficiunt, non ad vitæ fructum.

ARTICULUS XXXI.

DIVISIO TEXTUS.

« *Quibusdam tamen videtur*, etc. »

Hic tangit opinionem quorumdam, et solvit dupliciter, et recolligit ex solutione habita.

Et dividitur in tria : et patet per se inceptio cujuslibet partis.

An bonum mortuum factum extra charitatem, potest umquam reviviscere ?

Objicitur autem de ipso errore prius.

Videtur enim, quod verum dicunt isti : quia

1. Bonum potentius est in agendo, quam malum in destruendo : sed malum destruit bonum ante habitum, non conjunctum malo tantum, sed etiam bonum gratiæ per se habitum : ergo multo magis bonum sequens revivificat bonum ha-

[1] Ezechiel. XVIII, 24 et 26.

[2] S. Gregorius, Homil. XI super Ezechielem.

bitum, quod non fuit conjunctum bono, sed extra charitatem fuit factum.

2. Item, Baptismus sublata fictione operatur salutem : ergo videtur, quod pœnitentia similiter debeat facere.

utio. Solutio. Hæc omnia supra in præcedenti distinctione satis late disputata colligi possunt.

Dicendum ergo, quod isti errant, quia bonum mortuum non potest vivificari : eo quod nihil vivificatur eorum quæ moriuntur, nisi possibilitatem ad vitam contrahat ex conjunctione ad aliquid quod perpetuo vivit : sicut per charitatem conjunguntur bona vitæ æternæ, et corpus cum resurget conjungitur animæ : sed bonum extra charitatem factum, nulli talium conjungitur, et ideo numquam potest reviviscere.

1. Ad primum autem objectum dicendum, quod non est ex defectu boni sequentis, quod non vivificatur, sed potius ex defectu præcedentis, quod non est vivificabile : quia impossibile est ad vitam, ut dictum est.

2. Ad aliud dicendum, quod non est simile quod pro simili inducitur : quia baptismus imprimit characterem, ratione cujus manet in hominibus : sed pœnitentia nihil talium imprimit.

Præterea, Baptizatus immediate virtutem operandi accipit a passione Christi : sed opera pœnitentiæ partim sunt a nobis, et præcipue illa quæ sunt in attritione ante contritionem : de quibus Magister hic loquitur.

ARTICULUS XXXII.

An bona opera facta extra charitatem diminuant incendium inferni ?

Deinde quæritur de hoc quod dicitur, ibi, D, ante finem : « *Sed æstimandum est fortasse tolerabilius ei futurum judicium*, etc. »

Videtur hoc esse falsum :

1. In igne enim inferni tantum quisque ardet quantum se combustibilem fecit per peccatum, ut dicit Gregorius : sed illa bona peccatum non diminuunt : ergo tantum comburitur cum illis bonis, quantum sine illis.

Si dicas, quod illa peccata diminuunt. Contra : Quidquid est natum aliquid diminuere, habet contrarietatem ad illud : hæc bona sic diminuunt peccatum : ergo habent contrarietatem ad peccatum, quod falsum est, cum secum salvetur in eodem subjecto.

2. Item, Quidquid diminuit aliquid, intensum destruet illud, si ipsum est finitum : ergo si hæc bona diminuunt peccatum, multiplicata destruent ipsum, quod falsum est et hæreticum : ergo et hoc falsum, quod diminuunt incendium inferni.

Solutio. Dicendum, quod non diminuunt directe, sed indirecte : sicut dicitur diminuere ignem, qui prohibet ligna imponi : bona enim de genere bonorum assuefaciunt ad bonum, et per consequens elongant a mali consuetudine et appetitu, et ita diminuunt peccatum, quod non fieret si illa bona non essent : et ita diminuendo causam incendii, diminuunt incendium. Solutio.

Ad ea autem quæ objecta sunt, patet solutio : quia procedunt ac si directe diminuerent : et hoc non dicimus.

Deinde quæritur de hoc quod dicitur, ibi, E, circa medium : « *Cum mala committimus, sine causa ad memoriam transacta bona revocamus*, etc. »

Ex omnibus enim præhabitis disputationibus videtur hoc esse falsum : quia sive sint extra charitatem facta, sive in charitate, ostensum est, quod multum valent : ergo non sine causa ad memoriam revocantur.

Solutio. Solutio. Dicendum, quod non intendit simpliciter dicere sine causa, sed quoad hoc quod ex eis speretur vita æterna, si continuat in peccatis.

F. *Auctoritates alias inducit contra eos qui dicunt de uno peccato pœnitentiam agi, altero tacito.*

Satis arbitror illis esse responsum, qui asserunt de uno crimine pœnitentiam agi, et veniam præstari, alio in delectatione retento, vel per confessionem non exposito, qui non modo præmissis auctoritatibus confutantur, sed etiam subditis. Ait enim Augustinus [1] : Sunt plures quos pœnitet peccasse, sed tamen omnino reservantes sibi quædam in quibus delectentur, non animadvertentes Dominum simul mutum et surdum a dæmonio liberasse [2] : per hoc docet nos numquam nisi de omnibus sanari. Si enim vellet peccata ex parte reservari, habentem septem dæmonia perficere potuit, sex expulsis : expulit autem septem [3], ut omnia crimina simul ejicienda doceret. Legionem vero dæmonum ab alio ejiciens [4], nullum reliquit de omnibus, qui liberatum possideret : ostendens quod etsi peccata sint mille, oportet de his omnibus pœnitere. Numquam enim aliquem sanavit Dominus, quem non omnino liberavit. Totum enim hominem sanavit in sabbato [5] : quia et corpus ab omni infirmitate, et animam ab omni contagione liberavit : indicans pœnitentem oportere simul dolere de omni crimine. Scio enim Dominum inimicum omni criminoso. Quomodo ergo qui crimen reservat, de alio recipiet veniam ? Sine amore Dei consequeretur veniam, sine quo nemo umquam invenit gratiam. Hostis enim Dei est dum offendit perseveranter. Quædam enim impietas infidelitatis est, ab illo qui justus et justitia est, dimidiam sperare veniam. Jam enim sine vera pœnitentia inveniret gratiam. Pœnitentia enim vera ad baptismi puritatem conatur ducere. Recte enim pœnitens quidquid sordis post purificationem baptismi contraxit, oportet ut absolvat [6] saltem lacrymis mentis : sed satis durus est, cujus mentis dolorem oculi non declarant.

[1] S. Augustinus, Lib. de Vera et falsa pœnitentia, cap. 9.
[2] Marc. VII, 31 et seq.
[3] Joan. XVI, 9.
[4] Luc. VIII, 27 et seq. ; Marc. V, 2 et seq.
[5] Luc. XIV, 3 et seq.
[6] Edit. J. Alleaume, *abluat*, et videtur melius.

Sed sciat se culpabiliter durum, qui deflet damna temporis, vel mortem amici, et dolorem peccati non ostendit in lacrymis. Quem ergo pœnitet, omnino pœniteat. Idem [1], Pœnitentes, si vere estis pœnitentes, et non estis irridentes, mutate vitam, reconciliamini Deo. Pœnitentiam agis, genua figis, et rides : subsannas Dei patientiam. Si pœnitentiam agis, pœnitet te : si non pœnitet te, non es pœnitens. Si ergo pœnitet, cur facis quæ male fecisti ? Si fecisse pœnitet, noli facere : si adhuc facis, certe non es pœnitens. Item, Innocentius secundus : Admonemus fratres nostros, ne falsis pœnitentiis laicorum animas decipi, et in infernum pertrahi patiantur. Falsam autem pœnitentiam esse constat, cum spretis pluribus, de uno solo pœnitentia agitur : vel cum sic agitur de uno, ut non discedatur ab alio.

DIVISIO TEXTUS.

« *Satis arbitror*, etc. »

Hic incipit pars illa in qua solutionem confirmat per accidens. Et duo facit hic : inducit scilicet auctoritates suas expressas, et repetit quæ sit vera pœnitentia, ibi, G, « *Ex præmissis perspicua*, etc. »

ARTICULUS XXXIII.

An Deus potest sanare de uno peccato et non de alio ?

Incidit autem quæstio de hoc quod dicit, ibi, F, post initium : « *Per hoc docet nos numquam nisi de omnibus sanari*, etc. »

Quæritur enim, An Deus possit sanare de uno, et non de alio ?

Videtur autem, quod sic : quia

1. Deo nihil est impossibile : ergo nec illud.

Item, Medicus corporalis potest sanare de uno morbo, altero relicto : ergo multo magis Deus, qui potentior est medico corporali.

2. Item, Sanatio corporalis signum est sanationis spiritualis in miraculis Domini, ut patet in *Littera* : sed in Marco legitur, quod cæcus quidam secundum quid visum recepit, qui scilicet vidit homines velut arbores ambulantes [2] : ergo pro parte tempore illo secundum quid etiam et non simpliciter sanatus fuit in mente : ergo non tantum hoc Deus potest facere in corpore, sed etiam in mente.

3. Item, Sicut in opere creationis secundum opinionem plurimorum, scilicet Gregorii, Joannis Chrysostomi, et aliorum, Deus primo produxit materiam secundum suam substantiam, et postea distinxit eam et ornavit : ergo videtur, quod similiter possit facere in operibus recreationis, ut scilicet secundum aliquid faciat, et secundum aliquid infectum relinquat.

SED CONTRA : Sed contra.

1. Quidquid Deus secundum suam bonitatem potest facere, potest ab eo aliquis sperare : sed dimidiam veniam nemo ab eo sperare debet, ut dicitur in *Littera* :

[1] S. AUGUSTINUS, Lib de Vera et falsa pœnitentia, cap. 10.

[2] Marc. VIII, 24.

ergo dimidiam veniam, non videtur posse facere.

2. Item, Detur quod possit : inde sic, Si curat, per aliquod bonum curat, quod conjungit vitæ, et fugat mortem : sed cum omnibus talibus bonis datur Spiritus sanctus : ergo cum tali bono datur Spiritus sanctus : sed omnes tales inhabitat Spiritus sanctus, quibus talia bona impartitur : ergo Spiritus sanctus inhabitat talem : sed iterum propter peccatum est inhabitatio dæmonum : ergo idem homo est inhabitatio dæmonum, et Spiritus sancti per gratiam, quod est absurdum, et contra Apostolum dicentem : *Quæ conventio Christi ad Belial?* Et, *Quis consensus templo Dei cum idolis* [1] ?

Solutio. SOLUTIO. Dicendum, quod Deus hoc non potest : quia impotentia esset, et non potentia : sicut medicina quæ curat morbum dimidium, impotentia est.

Ad 1. AD PRIMUM ergo dicendum, quod nihil eorum quæ sunt potentiæ et nobilitatis, est Deo impossibile : sed non potest infirma, sicut currere, comedere, mentiri, imperfectus esse, et cætera hujusmodi.

Ad 2. AD ALIUD dicendum, quod ille totus sanatus fuit intus et extra : sed habitus visus non coadunatus, significabat fidem interius nondum confirmatam ex radicatione in subjecto et determinatione articulorum.

Ad 3. AD ALIUD dicendum, quod secus est in operibus creationis : quia in illis imperfectum non est imperfectum ex malitia sibi contraria : sed in recreatione nihil imperfectum est nisi ex malitia Deo contraria, et bono gratiæ suæ.

[1] II ad Corinth. VI, 1 et 16.

ARTICULUS XXXIV.

An omnes quos Christus sanavit in corpore, sanavit etiam et in anima?

Deinde quæritur de hoc quod dicitur, ibi, F, circa medium : « *Numquam aliquem sanavit Dominus, quem non omnino liberavit.* »

1. Glossa super Joan. IX, 1 et seq. Quæritur, Quomodo sine fide istum illuminavit Christus? Ergo videtur, quod cæcum illum natum non in toto curavit, quia non nisi extra.

2. Item, Alia Glossa ibidem super illud : *Quis es, Domine, ut credam,* etc. Jam Dominus lavat faciem inuncti, jam cordis oculos illuminat : ergo videtur, quod ante non fuit illuminatus : ergo non tunc fuit illuminatus in corde, quando fuit illuminatus in corpore.

SOLUTIO. Puto, quod universaliter verum est quod dicitur hic in *Littera,* quod scilicet Dominus omnes quos sanavit in corpore, et anima sanos reddidit. Tamen Glossa super Joannem aliter solvit dicens, quod intelligitur de his qui propter peccatum infirmabantur : quia in illis oportebat prius excludere causam, quam sanaretur morbus : et ideo remota causa, sanati sunt in anima : et remoto effectu, sanati sunt in corpore. Sed puto, quod illa Glossa marginalis est, aut Victorini cujusdam, cujus dicta non sunt magnæ auctoritatis. Sol.

AD ID ergo quod primo objicitur, dicendum quod ille cæcus illuminatus fuit intra, et extra : sed recepit primo fidem indistinctam et implicitam, quæ postea, cognito Domino, distincta fuit. Ad 1.

AD ALIUD dicendum, quod illa Glossa Ad 2.

sic intelligitur, *inunctum illuminat*, id est, lumen fidei suæ determinat, et distinctum facit, ut distincte cognoscat, et credat ipsum in persona esse Filium Dei.

ARTICULUS XXXV.

Utrum a Deo possit dimidia sperari venia?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, F, in medio : « *Quædam enim impietas infidelitatis est, ab illo qui justus et justitia est, dimidiam sperare veniam*, etc. »

Videtur enim hoc esse falsum :

1. Non enim repugnat justitiæ humanæ secundum partem recipere satisfactionem : cum igitur justitia humana exemplata sit a divina, videtur quod nec divinæ debeat repugnare.

2. Item, Videtur quod potius obviaret hoc misericordiæ, quam justitiæ : quia misericordiæ est relaxare peccata et in toto et in parte : ergo male dicere videtur cum dicit, *qui justus et justitia est.*

Quæst. PRÆTEREA, Quare dicit, *justus et justitia?* sufficeret enim dicere, *justus.*

Solutio. SOLUTIO. Dicendum, quod justitiæ humanæ repugnat recipere emendam, cum adhuc ille intendat multiplicare culpam : sed si non amplius offendit, tunc potest per partes satisfacere. Similiter autem est in justitia divina : qui enim de uno satisfacit, et in voluntate alterius perdurat, ita culpam multiplicat : et ideo de nullo emenda suscipitur.

Vel dicatur, ut supra in principio distinctionis notatum est, quod aliter est in justitia humana, et aliter in divina. Et hoc ideo quia *homo videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor* [1] : et ideo nisi cor habeat, non recipit satisfactionem : homo autem respicit ad opera exteriora, quæ divisa sunt, et ideo de eis divisam recipit satisfactionem.

Ad 1. AD ARGUMENTUM autem dicendum, quod licet humana justitia exemplata sit a divina, nihilominus tamen aliquid accidit ei in quantum est humana, quod non convenit divinæ : et hoc est quantum ad exteriorem hominem, et non ad interiorem.

Ad 2. AD ALIUD dicendum, quod misericordiæ est relaxare peccata gratis : sed remittere cum postulatione emendæ, justitiæ est : et de tali venia loquitur hic.

Ad quæst. AD ALIUD dicendum, quod dicit justum et justitiam ratione simplicis essentiæ, et effectus in nobis : quia scilicet facit in nobis justitiam generalem, quæ delet peccata cum emendationis proposito : sicut dicit Aristoteles, quod dicitur sapientia et justitia in quantum nos replet sapientia et justitia.

ARTICULUS XXXVI.

An et quæ sint lacrymæ mentis? et, An culpabiliter durus sit, qui lacrymis non ostendit dolorem peccati?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, F, post medium : « *Oportet abluat saltem lacrymis mentis*, etc. »

Videtur enim, quod nullæ sint lacrymæ mentis : quia

1. Nihil est difficile menti secundum se, quia ipsa spiritualis est naturæ : ergo passioni non subjicitur : nullæ autem lacrymæ sunt sine passione : ergo nullæ sunt lacrymæ mentis. Quod autem pure

[1] I Reg. XVI, 7. Cf. Psal. VII, 10; Jerem. XI, 20, XVII, 10, XX, 12; Apocal. II, 23.

spiritualis natura non sit subjecta passionibus, dicit Aristoteles in libro VI *Ethicorum*, quod tristitiæ et delectationes sunt generationes in sensibilem animam.

2. Si dicas, quod lacrymæ mentis sunt lacrymæ voluntatis, quæ sunt in mente, id est, velle habere lacrymas, et velle plorare. CONTRA : Voluntas non veniens ad actum, imperfecta est : hæc autem non reputatur pro facto : ergo illa talis voluntas non sufficit : ergo nec lacrymæ mentis, ut videtur.

3. Item, Velle plorare pro peccatis convenit multis qui adhuc in peccato perdurant : ergo habent lacrymas mentis : ergo lavant sordes quas contraxerunt, quod falsum est : ergo quod et hic dicitur de lacrymis mentis.

4. Item, Supra habitum est, quod pœnitens de dolore gaudere debet : constat autem, quod debet gaudere secundum mentem, et non secundum sensum et carnem : ergo debet secundum idem habere lacrymas et gaudium : et hoc quia dicitur, quod debet habere lacrymas mentis : ergo præcipitur ei, quod habeat contraria simul, scilicet dolorem et gaudium, et secundum idem, quod est impossibile : ergo præcipitur ei impossibile : quod est contra Hieronymum dicentem, « Anathema sit qui dicit Deum impossibile præcepisse. »

Quæst. 1. ULTERIUS quæritur de hoc quod dicit, ibi, F, ante finem : « *Sciat se culpabiliter durum, qui deflet damna temporis, vel mortem amici, et dolorem peccati non ostendit in lacrymis.* »

Videtur enim hoc esse falsum : quia

1. Signum majoris doloris non est fletus. Unde constantissimos homines in maximis doloribus non videmus flere, sed potius mulieres flere videmus.

2. Item, Ponamus, quod ille qui plorat in morte amici, non possit flere pro peccatis, et tamen vellet posse : tunc ergo secundum istam *Litteram* culpabiliter est durus.

CONTRA :

Facit quod in se est : ergo Deus apponit ei gratiam : ergo non habet culpam : ergo non est durus culpabiliter, ut videtur. Sed contra

ULTERIUS quæritur, Quæst.

1. Cum multa alia signa doloris sunt, ut exilitas vocis, suspirium, et hujusmodi alia, quare de his non facit mentionem?

2. Præterea, Exilitas vocis infallibilius signum est doloris, quam fletus, ut dicunt sapientes in naturis : ergo magis de isto quam de illo debuit facere mentionem.

Item, Id quod est signum doloris temperati, non significat dolorem summum in eo quod hujusmodi : fletus est signum doloris temperati : non ergo significat dolorem in summo. MEDIA probatur ex hoc quod ut dicunt sapientes in naturis : « Dolor magnus magis est exsiccativus humidi, quam resolutionis per lacrymas : ergo male posuit Magister hoc signum.

3. Item, Nos videmus sæpe aliquos multum flere in confessionibus, et tamen non promptos esse ad opera satisfactionis : quosdam autem omnino nihil flere, et ad omnia esse paratos injuncta pro peccatis : ergo patet, quod fletus est fallibile signum doloris : ergo si non flet, non propter hoc est culpabiliter durus.

Item, Mulieres videmus generaliter flere magis quam viros, et tamen viros frequenter duriora sustinere pro peccatis : ergo, etc.

SI HOC concedatur : erit prius quidem contra *Litteram*. Sed contra

Secundo autem contra id quod dicitur, Luc. VII, 38, de Maria Magdalena, quod *lacrymis cœpit rigare pedes*, etc.

Item, Contra hoc quod dicitur, Matth. XXVI, 75 quod *egressus foras* Petrus, *flevit amare :* et lavit crimina per fletum, ut dicit Ambrosius.

Item, Gregorius : « Inter epulas lacrymas obtulit, et lacrymis maculas criminis lavit. »

Item, Gregorius : « Quæris, Quanam

arte Magdalena curari potuit ? flevit amare, et de intimis suspiria trahens, salutaribus succensa singultibus, felleos humores evomuit. »

Item, Hoc videtur esse contra exemplum Domini, qui pro nobis flevit. Ad Hebr. v, 7 : *Qui in diebus carnis suæ, preces supplicationesque ad eum qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia.* Item, Luc. xix, 41, flevit super civitatem Jerusalem. Et, Joan. xi, 35, super Lazarum.

Et, Psal. xciv, 6 : *Ploremus ante Dominum qui fecit nos.*

Item, Isa. xxxviii, 5 : *Audivi orationem tuam, et vidi lacrymas tuas.*

Ergo videtur, quod lacrymæ exigantur in pœnitentia.

Solutio. Solutio. Dicendum sine præjudicio, quod lacrymæ mentis sunt completa voluntas ad flendum, si per accidens lacrymæ non impedirentur. Hoc autem accidens dico esse duplex, scilicet complexionis siccitatem, quia calor excitatus a dolore pœnitentiæ, tunc magis exsiccat cerebrum, quam resolvat in lacrymas.

Item, Nimium dolorem excitantem calorem consumentem humidum cerebri : sicut videmus in mundo exteriori, quod siccus aer non pluit : et quando est humidus temperate, fortis calor solis humidum consumit, et iterum non pluit : et his duobus modis potest non flens magis dolere, quam ille qui multum plorat : et in talibus habentur lacrymæ mentis.

Est etiam adhuc unus modus non in natura fundatus, sed in constantia animi, scilicet quando homo continet se ne ploret, ut magis sit occultus coram Deo, et tunc iterum sufficiunt lacrymæ mentis coram sacerdote : sed ille quando solus est, dimittit habenas lacrymis, sicut fecit beatus Augustinus in sua conversione : quia quando est solus, non habet testem nisi Deum, coram quo verecundatur de peccato. In aliis autem exiguntur lacrymæ corporales.

Ad id ergo quod primo objicitur, dicendum, quod mens dupliciter consideratur, scilicet ut mens quæ est absoluta a corpore, nullius corporis existens actus, et ut natura movens et regens passibilem naturam ex parte sensus, ubi est conjunctio ad corpus. Et primo quidem modo passio non pertinet ad ipsam, sed potius secundo, per redundantiam tamen ab inferiori natura sensibilis partis quæ passionibus per se subjicitur. Ad 1.

Ad aliud dicendum, quod completa voluntas flendi reputatur pro ipsis lacrymis mentis : et quod hæc non habet effectum, per accidens impeditur, ut dictum est. Ad 2.

Ad id quod contra objicitur, dicendum quod est imperfecta voluntas ex imperfectione desiderii : et de hac verum est, quod non reputatur pro facto. Est etiam incompleta voluntas, non in quantum est voluntas, sed in quantum deest facultas implendi quod desiderat : et hæc pro facto reputatur.

Ad aliud dicendum, quod in talibus est imperfecta voluntas ex imperfectione desiderii et appetitus, quia non sufficienter desiderant : et ideo illis non reputatur pro facto. Ad 3.

Ad aliud dicendum, quod non est impossibile de dolore gaudere : quia dolor ibi est ut materia gaudii, et tunc non habet contrarietatem ad ipsum, sicut etiam supra notatum invenies : sed gaudere et tristari simul de eodem et secundum idem, non potest contingere : et ideo nullum impossibile præcipitur pœnitenti. Ad 4.

Ad aliud dicendum, quod *Littera* ibi loquitur de eo in quo lacrymæ non impediuntur per accidens complexionis, vel constantiæ, sed tantum ex imperfectione desiderii veniæ de peccatis : et de illo dicit verum. Ad quæst. 1.

Et ad argumentum patet solutio per ante dicta. Ad aliud dicendum, quod mulieres absque dubio plus plorant, et de talibus loquitur *Littera* illa. Ad 1.

Ad aliud dicendum, quod le qui plo- Ad 2.

rat in morte amici, dupliciter potest esse dispositus in pœnitendo : si enim sit major dolor de peccatis, quam de morte temporali, tunc major dolor exsiccat in eo humidum cerebri, quod non potest flere : et tunc ipse est majoris laudis, quam si fleret. Si autem sit minoris doloris : tunc signum est, quod minus doleat de re spirituali et de damno animæ, quam de re temporali et damno corporis : quia calor de re temporali suscitatus sufficiebat resolvere humidum cerebri in fletum : calor autem parvus de damno spirituali suscitatus, non sufficit movere ipsum : sicut nos videmus, quod frigore existente in mundo majori, etiamsi sit aer temperate humidus, non pluit, frigore constringente et impediente resolutionem : et hoc modo loquitur in *Littera*.

Ad quæst. 2. Ad 1. Ad id quod quæritur de aliis signis, quæ poni possent, dicendum quod illa signa non indicant unum, sed dubie indicant duo vel plura : sicut exilitas vocis magis est signum infirmitatis spiritualium partium, quam doloris voluntarii qui est in pœnitentia : gemitus autem potest esse signum infirmitatis, vel tristitiæ, vel melancholiæ, quia melancholici multum gemunt : et ideo signa illa minus communia sunt : sed dolor ut frequenter indicatur lacrymis, nisi per accidens impediatur, ut dictum est : et ideo alia signa non ponit sicut lacrymas.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod magnus dolor magnis lacrymis indicatur, nisi repugnet complexio, ut dictum est.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod lacrymæ indicant dolorem : sed tamen confessor debet experiri, utrum sit ille dolor contriti vel attriti : et signum quod de hoc melius habere potest, est quod experiatur utrum pœnitens libenter suscipiat pœnitentiam injunctam : si enim libenter suscipiat, signum est contritionis : si non, attritionis non sufficientis judicabitur signum fuisse : nec est hoc inconveniens, quod plura signa requirantur ad idem.

ARTICULUS XXXVII.

An hoc dictum valeat, Si ergo pœnitet, cur facis quæ male fecisti ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, F, sub finem : « *Si ergo pœnitet, cur facis quæ male fecisti ?* »

Videtur enim hoc non valere : quia sæpe pœnitentia est de præterito, et non de futuro ratione dulcedinis adjunctæ futuro : ergo videtur, quod non sit verum quod dicit.

Item, De eo de quo nullus est fructus, sed erubescentia, pœnitentia est, quando transivit : et tale est peccatum : ergo pœnitentia est de præterito, et non oportet quod etiam sit de futuro : sicut enim dicit Philosophus, « In talibus magis volumus agere, quam egisse : quia melius est delectari, quam quievisse delectari. »

Solutio. Solutio. Dicendum, quod Augustinus loquitur de his qui pœnitent de peccato in quantum est offensa Dei : et non in quantum est in eo delectatio verecunda quam volumus cum transivit : et ideo trahimur ad ipsam in præsenti et in futuro : et tunc planum est id quod dicit : quia qui pœnitet de peccato in quantum est offensa Dei, cavet futurum, quod etiam est offensa Dei.

Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICULUS XXXVIII.

An duo modi falsæ pœnitentiæ a Magistro sint bene assignati ?

Deinde quæritur de hoc quod dicitur, ibi, F, in fine : « *Admonemus fratres no-*

stros, ne falsis pœnitentiis laicorum animas decipi, et in infernum protrahi patiantur, etc. »

Duos enim ponit modos falsæ pœnitentiæ in *Littera*, scilicet « *cum spretis pluribus, de uno solo pœnitentia agitur, vel cum sic agitur de uno, ut non discedatur ab alio.* »

Videtur autem, quod hi duo modi sint unus modus : quia

1. Ille qui non discedit ab alio, spernit illud : et idem est spernere plura quod non discedere ab eis per affectum et propositum ulterius non committendi : ergo videtur, quod hi modi sint unus modus solus.

2. Item, Cum multi sint alii modi falsæ pœnitentiæ, scilicet cum non injunguntur respondentia peccato, sed graviora, vel leviora, quare non tangit modos illos ?

Item quæritur : constat enim, quod hic vocat *pœnitentias* id quod injungitur exterius a sacerdote in emendam delicti. Videtur autem, quod nullo tali decipiantur, et in infernum pertrahantur : quia ante injunctam pœnitentiam operata est contritio peccati remissionem culpæ : et cui remissa est culpa, non pertrahitur in infernum : ergo falsum esse videtur quod dicit.

3. Item, Hoc est de jure communi quod homo recognoscat quantitatem suæ offensæ in genere : ergo ignorantia illius nullum excusat : ergo cum teneantur illud scire omnes, videtur quod circa hoc non possint decipi.

4. Item, Ex simili possunt intelligere, quod tales pœnitentiæ falsæ sint : quia non satisfaciunt homini, qui ita placant in uno, quod provocant ad iram in altero : ergo possunt per se scire, quod nec Deo satisfaciunt, qui sic pœnitent de uno, quod peccent in altero : ergo circa hoc non decipiuntur, ut videtur.

Ad hoc dicendum, quod falsam pœnitentiam vocat hic falsum modum pœnitendi, qui est de uno ita quod non de alio. Solut

Ad primum autem dicendum, quod differunt illi duo modi : quia primus est cum agitur pœnitentia de uno, et non de alio, quod tamen in actu non iteratur. Secundus autem est cum agitur de uno, et iteratur aliud : et ille est falsior, quam primus. Et quod dicit, *spretis pluribus*, intelligitur spernere pro parvipendere peccatum, ut de eo pœnitentiam agat, quia non reputat tantum. Ad 1.

Ad aliud dicendum, quod illa non semper est falsa pœnitentia, quando parum injungitur vel plus : quia hoc diversis de causis potest et debet fieri : et ipse non agit hic nisi de pœnitentiis quæ semper falsæ sunt et damnabiles. Ad 2.

Ad aliud dicendum, quod de jure communi est, quod homo cognoscat peccatum : et hoc quidem facit omnis sacerdoti se offerens : sed non est de communi jure, ut sic vel sic pœniteat, sed potius de speciali, circa quod diversa sentiunt etiam sapientes : et ideo non tenetur illud scire, nisi alio docente addiscat : et ideo decipi potest circa hæc. Ad 3.

Ad aliud dicendum, quod bene potest esse, quod conscientia dictet talem modum pœnitentiæ esse falsum : tamen propter peccati dulcedinem efficitur ignorans, non in intellectu speculativo, sed practico : et ideo tunc decipi potest : quia vult quasi decipi, sicut dicit Dominus, Jerem. xxiii, 13 : *Decipiebant populum meum*, etc. [1], et Jerem. v, 31 : *Prophetæ prophetabant mendacium, et sacerdotes applaudebant manibus suis.* Propter quod præcipit, Isa. lviii, 1 : *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum, et domui Jacob peccata eorum.* Ad 4.

[1] Cf. Ezechiel. xiii, 10.

G. *Repetit de vera pœnitentia, ut addat.*

Ex præmissis perspicua fit notitia veræ pœnitentiæ vel satisfactionis. Illa enim vera est pœnitentia, quæ peccatum abolet : quod illa sola facit quæ scelus corrigit. Illa vero scelus corrigit, quæ odium commissi criminis et committendi cum desiderio satisfaciendi affert. Judas enim pœnituisse legitur [1] sine assecutione veniæ, quia tali pœnitentia non correxit crimen. Unde Hieronymus : Nihil Judæ profuit egisse pœnitentiam [4], per quam scelus corrigere non potuit. Sic quando frater peccat in fratrem, ut emendare non valeat quod peccavit, potest ei dimitti : sin autem permanent opera, frustra voce assumitur pœnitentia : hoc est quod de eo infelicissimo dicitur : *Et oratio ejus fiat in peccatum* [3] : ut non solum emendare nequiverit proditionis nefas, sed proprii homicidii scelus addiderit [3]. Cave qualiter intelligas illud, « Ut emendare non valeat quod peccavit, etc. » Non enim emendatio hic intelligenda est rei demptæ compensatio, sed delicti exprobratio et abominatio cum satisfactionis desiderio. Demit enim injuste quis alicui, quod restituere non valet, ut oculum, vel vitam, et hujusmodi : et tamen si pœnituerit peccati, cum amore condignæ satisfactionis veniam habet. Nec ideo quisquam putet, qui rem alienam injuste abstulerit quam reddere potest, de illo peccato pœnitere ac veniam consequi, nisi restituat ablatum. Quamdiu enim res propter quam peccatum est, non redditur si reddi potest, non agitur pœnitentia, sed fingitur.

ARTICULUS XXXIX.

An et quæ sit vera pœnitentia ?

Deinde quæritur, de hoc quod dicitur, ibi, G, post prima verba : « *Illa enim vera est pœnitentia, quæ peccatum abolet,* etc. »

Quæritur enim, quæ sit differentia inter *veram* pœnitentiam, et *dignam* pœnitentiam ?

Videtur autem, quod nulla : quia

1. Idem habent oppositum : indigna enim pœnitentia est insufficiens : ergo scelus non corrigit, nec peccatum abolet : ergo non est vera : cum ergo unum ha-

[1] Matth. XVII, 5.

[2] Edit. Joan. eaume habet : *Nihil Judæ profuit ser* *l* , etc.

[3] Psal. CVIII, 7.

[4] S. HIERONYMUS, Comment. ad illud Matthæi, XXVII, 4 : *Quid ad nos ?*

beant oppositum, videtur, quod ipsæ sint unum.

2. Item, Cum *verum* dicatur multipliciter, quæritur, secundum quem modum sumatur hic *verum*, cum dicitur, *vera pœnitentia*. Si enim verum dicatur indivisio esse, et quod est : cum tale verum sit a forma, videtur omnis pœnitentia esse vera : quia omnis pœnitentia est pœnitentia a forma pœnitentiæ, quæ quid erat esse significat : et hoc non videtur velle circumstantia litteræ, quia videtur verum restringere pœnitentiam : ergo aliqua pœnitentia erit non vera, ut videtur.

Solutio. Solutio. Ad primum dicendum, quod *digna* et *vera* differunt : quia *vera* dicit pœnitentiam impermixtam contrariis pœnitentiæ : sicut dicitur vere album, quod est aliis coloribus mediis et contrariis impermixtum : et verum aurum, alii metallo viliori impermixtum. *Dignam* autem dicit debitam pœnitentiæ quantitatem, ut scilicet sit secundum quantitatem delicti ad arbitrium sine dolo facta.

Ad 1. Ad id autem quod contra objicitur, dicendum quod argumentum non valet, Habent unum oppositum : ergo sunt unum et idem : et est fallacia consequentis. Et est instantia : quia involuntarium per ignorantiam, et involuntarium per violentiam, habent unum oppositum quod est voluntarium : nec tamen propter hoc sunt idem. Et quod dicit Philosophus, quod si unum oppositorum est multiplex, et reliquum, in pluribus est intelligenda propositio : et hæc solutio sumpta est in libro V *Ethicorum*, in textu et in commento.

Vel potest melius dici, quod oppositum non dicitur uno modo, prout opponitur illis duobus : indigna enim potest dici ratione quantitatis, vel ratione essentiæ : et primo modo opponitur *dignæ* : secundo modo opponitur *veræ*.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod *verum* dicit hic impermixtum alieno viliori, ut dictum est : sicut dicimus verum aurum et verum argentum : et non sumitur ibi veritas in communi prout est indivisio esse, et quod est, nisi sumatur esse purum et impermixtum.

Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICULUS XL.

An perfecta pœnitentia cogit peccatorem omnia libenter sustinere ?

Deinde potest quæri, An perfecta pœnitentia cogit peccatorem omnia libenter sustinere ?

Hoc enim falsum videtur : quia non est necessarium, quod omnia libenter sustineat, nec omnia faciat, sed potius necessaria ad salutem solum.

Si dixeris, quod accommoda est distributio, et distribuit pro necessariis ad salutem tantum.

Videtur adhuc esse falsum quod dicit, quia

1. In ore est confessio, in corde contritio, in opere tota humilitas ; quia sola contritio frequenter operatur salutem : ergo videtur, quod cætera non exigantur.

2. Item, Scelus semper corrigebatur per pœnitentiam : nec tamen semper fuit oris confessio, et satisfactio injuncta : ergo illa, ut videtur non exiguntur.

Sed de hoc erit quæstio in sequenti distinctione : et ideo hic transeamus.

Dicendum ad primum, quod distributio est accommoda : et intelligitur de necessariis pœnitenti in tali vel tali crimine ad salutem. Solutio. Ad 1.

Ad aliud dicendum, quod sicut supra diximus in tractatu de *baptismo*, dupliciter aliquid operatur in alio, vel cum alio, scilicet virtute, et essentia. Et verum quidem est, quod essentialiter ista tria non semper requiruntur ad deletio- Ad 2.

nem cujuslibet peccati etiam singulariter accepti : unde contritio non in virtute sui sola delet peccatum, sed prout est cum voto confitendi et satisfaciendi : et tunc confessio et satisfactio sunt in virtute, et non essentia : et hoc sufficit quando sacramentum non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit.

ARTICULUS XLI.

An possit dici, quod aliquis nequiverit emendare peccatum ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, G, in medio : « *Ut non solum emendare nequiverit*, etc. »

Videtur enim hoc esse falsum : si enim emendare nequiverit, tunc non est ei imputandum : sed ei imputatur : ergo potuit emendare.

Solutio. Solutio. Dicendum, quod secundum communem modum loquendi dicitur *non posse* qui non potest in tali statu manens, licet simpliciter id possit : sicut dicimus, non possunt emendare delicta perdurantes in voluntate delinquendi. Et iste modus Judæ attribuitur : quia pœnitentia ductus de proditione, in voluntate delinquendi perduravit, scilicet se suspendendi.

ARTICULUS XLII.

Quid sit restitutio ?

Deinde quæritur de hoc quod dicitur, ibi, G, sub finem : « *Nec ideo quisquam putet, qui rem alienam injuste abstulit*, etc. »

Quæruntur hic de restitutione quatuor, scilicet quid sit restitutio ?

Secundo, Quid debeat restitui ?

Tertio, Cui debeatur restitutio fieri ?

Et quarto, Qualiter se habeat restitutio ad opera pœnitentiæ ?

Ad primum sic dicunt Jurisperiti, quod restitutio est ablatæ rei redditio vel recompensatio.

Videtur autem, quod non conveniat : quia

1. Multa restituuntur non ablata, sicut deposita, locata, et mutuata : ergo videtur, quod illa descriptio non valet.

2. Item, Contingit aliquid auferri quod non potest recompensari, sicut fama, quæ melior est omni temporali bono alio : ergo per illud non recompensatur : ergo non fit restitutio per illud.

3. Item, Virginitas violenter aufertur alicui puellæ : et illa non potest recompensari : et tamen contingit satisfacere de peccato : ergo videtur, quod non sit recompensatio rei ablatæ.

4. Item, Multi tenentur ad restitutionem qui non auferunt, sed jubent auferri, vel consilium dant de auferendo, vel aliquid hujusmodi faciunt : ergo videtur, quod non sit generaliter verum, quod restitutio sit ablatæ rei, etc.

Gratia hujus quæritur ulterius, Qui sunt qui restituere tenentur ? Et dantur versus de hoc : Quæst.

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Videtur autem de primo, quod non semper *jussio* faciat teneri ad restitutionem : quia

1. Est jussio non habentis jurisdictionem super eum cui jubet : et tunc non fit propter suam jussionem : ergo non tenetur restituere.

2. Item, Non exigitur plus in restitutione, quam illatum est in damno : sed

damnum non intulit nisi unus, scilicet rapiens : ergo ille solus tenetur restituere, et non jubens.

Objicitur etiam de secundo quod est *consilium* : consulens enim factum, non directe operatur ad hoc quod fiat : ergo videtur, quod non directe facit : ergo etiam non directe tenetur ad restitutionem.

Objicitur autem de tertio quod est *consensus* : omnes enim consentiunt, quod fiat aliquid quod volunt fieri, et gaudent de facto : si ergo consensus facit teneri ad restitutionem, videtur quod omnes qui volunt damnum alicujus, et gaudent de illato damno, tenentur ad restitutionem : quod grave esset dicere, quia

1. Non omnes tales possunt induci ad restitutionem.

2. Item, Philosophus in quinto *Ethicorum*, ubi loquitur de justitia, videtur velle, quod non teneatur restituere, nisi qui habet plus quam debet : sed nec consulens nec consentiens propter hoc quod consentit vel consulit, habet plus quam debet : ergo videtur injustum esse, quod cogatur ad restitutionem.

Objicitur ulterius de *palpone*. Palpo enim est adulator : videtur autem, quod ille nihil operatur ad damnum inferendum : ergo videtur, quod damnum restituere non tenetur.

Præterea, Si palpo tenetur, quid erit de clericis et religiosis qui suadent principi terræ tales acceptiones quæ injustæ sunt, vel non faciunt eum restituere, vel tacent ? Si enim palpo tenetur, etiam isti tenentur : et hoc illi non concedunt.

Ulterius quæritur de hoc quod dicitur *recursus*. Intelligitur enim de eo ad quem habent recursum illicite rapientes, sicut ad defensorem, vel conservatorem, etc. : et cum ille nihil recipiat de alieno, ut hic supponitur, sed pro affectu vel consanguinitate recurrentes ad se conservat, videtur quod non tenetur restituere.

De *participatione* autem quæritur, utrum ipsi in solidum teneantur ? Et videtur, quod non, cum tantum partem recipiant.

Objicitur etiam de *muto* : Mutus enim est, qui non reprehendit, nec reclamat : sed multi sunt tales, maxime in rapina principum, etiam religiosi : ergo omnes illi tales ad restitutionem tenentur, quod difficile est dicere.

Ulterius objicitur de *non obstante*. Quia non omnes de facili restituerent, qui possent prohibere, et non prohibent.

Item, Non tenentur prohibere : ergo videtur, quod non peccant si non prohibent.

Ultimum præcipue non verum videtur, scilicet *non manifestans*. Quandoque enim cum periculo corporis auferens manifestaretur : et tunc videtur, quod etiam teneatur non manifestare.

Item, Fures sæpe sciuntur a sanctis viris : et non manifestantur : ergo videtur, quod hoc non faciat teneri ad restitutionem.

Solutio. Dicendum, quod restitutio satis bene diffinita est per illum modum, scilicet quod sit rei ablatæ redditio vel recompensatio. Quia ablatum aut restituitur idem numero, et tunc redditur : aut in æqualitate, et tunc recompensatur. Solutio.

Ad id autem quod primo objicitur, dicendum quod restitutio non est nisi ablati : et illud etiam respicit redditio : quia non redditur quod habetur, sed quod aliquo modo erat amissum : et ideo aliis nihil est quod objicitur de locatis, et aliis hujusmodi. Ad 1.

Ad aliud dicendum, quod hæc et talia solvuntur in *Littera*, scilicet quod intelligitur de rebus fortunæ quæ restitui possunt : quia si inanis est actio quam inopia debitoris excludit, multo magis inanis est actio quam excludit impossibilitas restitutionis. Ad 2, 3 et 4.

Vel potest dici, quod contingit restituere dupliciter, scilicet secundum rei ablatæ valorem, vel secundum acceptionem ejus cui ablatum est aliquid. Et li-

cet primo modo quædam restitui non possunt, contingit tamen ea secundo modo restitui : et hæc est restitutio ad arbitrium bonorum : et hoc fit quotiescumque facit debitor quidquid potest ad satisfaciendum læso : sive enim tunc læsus remittat, sive non, nihilominus est excusatus coram Deo ille qui abstulit.

Ad quæst. Ad id quod ulterius quæritur de numero eorum quæ operantur ad ablationem, et faciunt teneri ad restitutionem : dixerunt quidam, quod non omnia illa faciunt teneri, sed quinque de iliis faciunt teneri simpliciter, et alia non nisi in quibusdam casibus. Et videtur mihi, quod illi dicant verum. Quinque autem quæ simpliciter teneri faciunt ad restitutionem, illa sunt, jussio, consensus, recursus, participans, non obstans cum obstare tenetur.

Ad 1. 1. *Jussio* autem facit teneri : quia principaliter agit, qui præcipit fieri : et in usum ejus vel suorum cedit res ablata : aliter enim domini qui manibus propriis non auferunt, sed præcipiunt auferri, non tenerentur ad restitutionem.

Et per hoc patet solutio ad primum quod de hoc objicitur.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod hæc est falsa, quod damnum non intulit nisi unus : imo multi et diversi inferunt damnum, et ideo tenentur ad restitutionem : præcipue tamen cum res ablata cedit in usus præcipientis : sed tamen etiamsi non cederet, si propter suum imperium perditur res, ipse tenetur restituere.

Ad id quod objicitur de secundo, scilicet de *consilio*, dicendum, quod non omnis consulens meo judicio tenetur, sed ille solum qui efficax dat consilium, ita quod probabiliter suum consilium facit rem perdi.

Ad id quod de *consilio* et de *consensu* objicitur, dicendum quod ipse consulens vel consentiens operatur directe suo modo : quia multa concurrunt ad unum actum, sine quorum nullo fieret : sicut sunt consiliarii similes Achitophel, qui malos extorquendi modos et auferendi, volentes placere latronibus et tyrannis, inveniunt : et emissarii qui exsequuntur quod illorum consilio dictatum est : et de illis intelligitur, quod tenentur restituere.

Ad aliud dicendum, quod Aristoteles valde large accipit *habere plus*. Plus enim dicitur habere qui quocumque modo extorsit rem alterius, non quod habeat in usu, sed quia injuria perdidit alter : et hoc modo directum justum facit eum recompensare damnum quod intulit.

Ad id quod dicitur de *palpone*, dicendum quod non omnis palpo tenetur : sed qui laudando in actu auferendi incitat ad auferendum : dicens quod hoc sit signum strenuitatis, vel quod aliter non possit dominari, vel quod hoc jure communi sibi debeatur tamquam terræ domino, vel aliud hujusmodi.

Ad aliud dicendum, quod, ut mihi videtur, sive clerici, sive religiosi, in hoc palpantes, tenentur ad restitutionem.

Ad id quod objicitur de *recursu*, dicendum quod intelligitur de illo ad quem habetur recursus, sicut ad defensorem et conservatorem latronum et latrocinii : sicut sunt quidam hospites furum, et alii qui faciunt se defensores et advocatos talium. Si autem propinquitate sanguinis quandoque tenetur, non credo quod propter hoc ille teneatur ad restitutionem : vel si etiam teneatur, cum quæritur ad judicium, ratione compassionis naturæ et spe pœnitentiæ, credo quod in tali casu meretur ille ad quem recurrit.

Ad id quod objicitur ulterius de *muto*, dicendum quod solus ille mutus judicatur, qui ex officio tenetur reclamare, et non reclamat : et etiam ille non credo quod teneatur universaliter ad restitutionem, sed potius tunc quando tacet consentiens et promovens ad hoc quod fiat. Sed verum est, quod si ex officio tenetur reclamare, et non reclamat : si vult pœnitentiam agere, tenetur clamando cooperari læso ut satisfiat ei.

Et per hoc patet solutio ad id quod contra hoc objectum est.

Ad id quod objicitur de *non obstante*, videtur dicendum, quod intelligitur de illo qui ex officio obstare tenetur : sicut baro, vel princeps, qui tributa terræ cum recipit ut pacificet terram, si non obstet illicite auferentibus, ipse restituere tenetur.

De ultimo, scilicet de *non manifestante*, dicendum quod non intelligitur de omni non manifestante, sed solum de illo qui celando particeps est lucri et criminis.

Et ideo objecta contra hoc non tenent.

ARTICULUS XLIII.

Quid debeat restitui? et, Qualiter est restituendum?

Quæst. 1. Secundo, Quæritur quid debeat restitui?

Et hæc est quæstio difficilis. Cum enim restitui debeat res ablata, contingit auferri famam, quandoque veritate, et quandoque mendacio : sicut si ponamus, quod aliquis diffamavit crimen alicujus, verum quidem, sed tamen occultum : si debeat restituere, videtur quod peccet : quia si dicat, Hoc dixi falsum ut infamarem ipsum : ipse mentitur, quia verum dixit. Cum igitur omnis homo debeat vitare mendacium, videtur quod ille debeat vitare restitutionem. Si autem dicat sic : Ego quidem verum dixi, tamen intentione mala diffamandi, amplius infamabit : quia amplius credetur, quam prius : ergo magis lædet secundo, quam primo.

Si dicas, quod non debet restitui fama. Contra :

1. Id quod charius possidetur, invitissime amittitur : fama autem charius possidetur, quam aurum, et argentum : ergo invitissime amittitur : ergo videtur, quod maxime debet restitui.

2. Item, Hieronymus : « Crudelis est qui famam negligit : » sed ille qui non exigit famæ restitutionem, famam negligit : ergo est crudelis : ergo videtur, quod etiam hæc injuria non debet remitti sine recompensatione : ergo quilibet tenetur exigere talis rei restitutionem : ergo aliquis tenetur solvere : constat autem, quod non nisi qui abstulit : ergo ille restituere tenetur.

Quæst. 2. Eodem modo gravis casus est de eo qui impedit aliquem ut non consequatur hoc quod habiturus esset, nisi ille impediret, sicut præbendam, vel dignitatem, vel quascumque res spirituales, vel sæculares, quia quoad hunc casum non differunt, utrum teneatur ad restitutionem si potest ?

Si dicas, quod sic. Contra :

1. Isti nihil est ablatum : quia non auferetur nisi quod habetur, iste autem adhuc non habuit : ergo videtur, quod non tenetur.

2. Item, Quomodo restituet si tenetur : si enim habet præbendam vel Ecclesiam, et impedivit illum ne consequeretur, videtur quod tenetur recedere de sua, et illum investiri facere : et hoc grave est dicere, quia pauci vel nulli hoc facerent.

Si autem dicas, quod non tenetur. Contra : Occasionem damni dat : ergo damnum fecisse interpretandus est : ergo tenetur ad restitutionem.

Item, Si quærerem a te, utrum ille qui sic impedivit proximum : peccavit, vel non ? Et si diceres, quod peccavit. Quæratur ergo ulterius, utrum in Deum tantum, vel in Deum et in proximum ? Tu dices, quod in Deum et in proximum. Si autem iterum quæratur, quo genere peccati peccavit in proximum ? dices, quod damnificando proximum. Cum ergo omnis damnificans teneatur ad restitutionem, iste tenebitur.

Quæst. 3. ITEM, Quæritur de eo qui arando subvertit semina, qualiter tenetur ad restitutionem ?

Si enim dicas, quod tenetur solvere fructus futuros. CONTRA : Fructus multis de causis poterant impediri : ergo nondum certi habebantur : ergo ille non abstulit fructus : ergo non tenetur reddere.

Si autem dicas, quod tantum semina. CONTRA : Tantum valet res, quantum vendi potest : sed ille pro agro seminato plus vendendo acciperet, quam semina : ergo ille plus reddere tenetur.

Quæst. 4. ITEM quæritur, Utrum illæ leges Domini, quæ de restitutione tanguntur, Exod. XXII, 1, scilicet, quod ovis reddatur in quadruplum, et bos in quintuplum adhuc tenent vel non ?

Videtur, quod sic : quia de moribus sunt et necessariis ad salutem : ergo adhuc tenent. PROBATIO primæ est : quia restitutio est de necessariis ad salutem, et de moribus hominum.

Sed contra. CONTRA :

1. Hic in *Littera* non dicitur plus, nisi quod restituatur ablatum : ergo videtur, quod ad plus non tenetur.

2. Item, Nos videmus quod in judicio non condemnatur ad plus, quam intulit in damno : ergo ad plus non tenetur.

3. Item, Aristoteles dicit, quod justum est æquale, ut tantum reddat quantum intulit in damno : constat autem, quod si plus reddat, erit inæqualitas : cum igitur inæqualitas sit idem quod injustitia, injustum est si cogatur ad plus dandum, ut videtur.

Solutio. SOLUTIO. Dicendum videtur, quod ad omne illud ablatum quod cum dolore amittitur, et cum delectatione et utilitate vel honestate possidetur, sequitur tentio ad restitutionem ex parte auferentis illud quocumque modo auferat : sicut multi modi habiti sunt in præcedenti articulo hujus quæstionis.

Ad quæst. 1. AD ID autem quod primo quæritur dico quod detractor tenetur ad restitutionem : sed duplex est fama, scilicet in re pertinente ad veram laudem, cujus oppositum est vere vituperium : et hæc est virtus et vita secundum virtutem, vel saltem sine vitio, quia nihil vere laude dignum est nisi virtutis actus. Est etiam fama in scientia, vel militia, et hujusmodi : in quibus non est laus nisi vana. Et primam tenetur restituere qui injuste abstulit. Non autem injuste aufert qui dicit ubi prodesse debet, scilicet Prælato, vel pluribus corripientibus : et si hoc non valet, denuntiat Ecclesiæ, ut confusione peccator resipiscat : ille enim talem famam non aufert, sed velamen malitiæ manifestat. Si autem intentione infamandi evomat mala, dico quod restituere tenetur, si tamen criminosa evomuerit.

AD HOC autem quod objicitur, dico quod etsi verum sit quod dixit, ipse potest ire ad illos quibus dixit, et dicere quod intentione infamandi dixerit. Si autem quæratur, utrum verum dixerit, vel non ? Ad hoc non tenetur respondere, sed caute evadere sine mendacio, ut docet Augustinus in libro de *Mendacio*. Ad 1a

Et per hoc patet solutio ad secundum, et ad omnia quæ quæruntur circa illud.

AD ALIUD dicendum, quod ille qui impedit alium : aut juste impedit, scilicet quia scit eum indignum tali honore vel tali re, et tunc non tenetur : aut injuste, et tunc dico, quod tenetur satisfacere, sed non tamen reddere, quia ille rem illam adhuc adeptus non erat : hæc autem satisfactio debet fieri secundum possibilitatem satisfacientis, et arbitrium bonorum virorum. Ad

Ad hoc autem quod contra objicitur, dicendum quod non dat occasionem damni rei quæ habetur, sed quam probabile fuit haberi, poterat tamen aliquo casu non haberi, quia sæpe contingunt infortunia non prævisa. Ad

AD ALIUD dicendum, quod iste peccavit in proximum damnificando eum : sed non tantum, quantum si ipsa res quiete Ad

jam fuisset possessa : et ideo non ad tantum tenetur, sed juxta arbitrium bonorum.

Quæst. 3. Ad id quod ulterius quæritur de tertio casu, dicendum quod solvere non est difficile : sed tenetur tantum, quantum ager seminatus pro tempore illo vendi consuevit : et hoc est plus et minus, secundum quod propinquius exspectantur fructus, vel remotius a messe.

Quæst. 4. Ad hoc quod quæritur de legibus, Exod. xxii, 1, dicendum, quod hodie non tenent nisi ex nova constitutione sanciantur. Hujusmodi enim leges judiciales erant habentes aliquid significationis de futuro : et quoad hoc quod erant judiciales pro tempore et loco aggravabant plus vel minus in terrorem vitii illius quod in populo vigebat, ut scilicet populum a tali vitio citius averterent. Secundum autem quod aliquid habebant significationis de futuro, cum aliis cæremoniis in Novo Testamento sunt impletæ et evacuatæ.

Object. Ad hoc autem quod objicitur, quod sunt de moribus, dicendum quod de moribus quidem sunt : non tamen sunt morales proprie, prout moralia dividuntur contra judicialia : quia hoc modo moralia non sunt nisi illa præcepta quæ præcipiunt actus alicujus virtutis moralis : hoc autem non fit in illis, sed ad terrorem erat aggravantium damnum, eo quod per avaritiam libenter rapiebant aliena, præcipue animalia, quæ in illo populo tunc temporis abundabant.

ARTICULUS XLIV.

Cui debet fieri restitutio ?

Tertio quæritur, Cui debeat fieri restitutio ?

Ponamus enim, quod ille qui rem alienam habet, nesciat cujus fuit : tunc enim cum non scit cui debeat, videtur esse absolutus ab obligatione : quia omne quod aliquis debet, alicui debet. Quæst. 1.

Item, Ponamus, quod aliquis sciat : sed est ita remotus, quod ad eum pervenire non potest sine magna difficultate : et quæratur, quid tunc sit faciendum ? vel si scit eum cui debet, nescit tamen ubi manet, vel non potest inveniri ? Si enim tunc dat pauperibus, potest esse quod ille casu postea inveniatur. Cum ergo non sit illi restitutum, oportet quod secundario restitueret : et hoc esset injustum : ergo servare tenetur donec ille veniat, vel desperetur de ejus adventu. Et tunc quæritur quando illud est ? Potest esse, quod ille in longinquo loco faciat filios : et illis dicat, quod talis homo sibi teneatur, et quando desperatur de vita sua, postea apparebunt filii quibus debet restituere : et hoc modo numquam desperabitur de adventu suo, vel in se, vel in hæredibus suis. Quæst. 2.

Item, Ponamus, quod aliquis injuste acceperit in aliqua expeditione, et nesciat cui fecerit damnum specialiter. Si enim dat pauperibus, quæritur quibus tenetur, et ad cujus arbitrium debet fieri recompensatio ? Quæst. 3

Videtur enim, quod magis tenetur pauperibus illius terræ in qua damnum fecit, quam in alia in qua damnificans habitat : quia forte aliquis pauperum terræ in qua intulit damnum, ad paupertatem est deductus per eum, et ille debet habere recompensationem.

Item, Ponatur, quod aliquis de licentia alicujus Prælati injuste vindicet sibi res Ecclesiæ, quas Prælatus dare non potest, quæritur, cui debeat fieri restitutio ? Quæst. 4.

Si dicas, quod Ecclesiæ. Contra : Prælatus tenet res Ecclesiæ : et ille concessit res isti, vel dedit : ergo non sunt ei ablatæ : non ergo debet ei fieri resti-

tutio. Si autem non debet illi fieri restitutio, cum nullus alius habeat jus, videtur quod nulli : quod absurdum est, cum res Ecclesiæ ab illo teneri non possunt.

Quæst. 5. ITEM, Ponamus, quod aliquis mutuavit pecuniam suam alicui gratis usque ad certum diem nundinarum, et tunc non reddit, et ille impediatur a negotiatione sua licita : constat, quod damnificavit eum : ergo reddere tenetur : et quæritur, in quo, et quantum?

Solutio. SOLUTIO. Hæc et hujusmodi magis considerari habent a Jurisperitis, quam a Theologis : et ideo sine præjudicio dico, quod rationale videtur.

Ad quæst. 1. AD PRIMUM ergo dicendum, quod cum nescitur verus dominus, pauperes sunt hæredes : et ille non absolvitur ab obligatione, nisi det pauperibus.

Ad quæst. 2. AD ALIUD dicendum, quod distinguendum est : aut enim tantum est debitum, quod viam merito subire debeat, aut non. Si sic : tunc mittere vel portare sibi tenetur, nisi speretur reditus illius cui damnum est illatum. Si autem parum est, et non speretur reditus, dico quod dandum est propinquis ejus cum tali protestatione, quod dent vel recompensent illi principali si venerit. Si autem propinquos non habet, ego consulerem, quod daretur alicui cœnobio cum promissione tali per scriptum confirmata, quod si umquam de hæredibus illius apparet, vel ipse, quod illud restitueret cœnobium, vel respondere teneretur.

Ad quæst. 3. AD ALIUD bene concedo, quod ille qui est in expeditione, quod accepit, magis tenetur pauperibus illius terræ reddere in qua damnum fecit, quam in alia ubi habitat. Et etiam ad arbitrium Episcopi loci illius qui damnificatus est, debet fieri restitutio, scilicet ad opus commune villæ, vel pauperibus ejusdem villæ, vel alio modo prout Episcopo rationabiliter videbitur expedire.

AD HOC quod quæritur de illo qui habet res Ecclesiæ, dico quod restituere tenetur Ecclesiæ, ita ut devolvatur ad Prælatum successorem : quia ille qui concessit, non meretur recipere. Ad quæst.

Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICULUS XLV.

Qualiter habent se opera restitutionis ad opera pœnitentiæ?

Ultimo quæritur, Qualiter se habeant opera restitutionis ad opera pœnitentiæ?

Videtur, quod sint de pœnitentia.

1. Ipsa enim pœnitentia est remedium peccati actualis : cum igitur restitutio sit de emendatione cujuslibet talis peccati, videtur esse pars satisfactionis : ergo etiam est pars pœnitentiæ : quia quidquid est pars partis, est pars totius.

2. Item, In pœnitentia secundum quod est sacramentum, reconciliatur homo perfecte Deo et proximo : sed restituere est de recompensatione et reconciliatione ad proximum : igitur est pars pœnitentiæ, ut videtur.

SED CONTRA : Sed contra

1. Pœnitentia dicitur quasi pœnæ tenentia, et dolor ad hoc quod forefecit : sed ad restitutionem non exigitur talis dolor, sed qualitercumque sive dolens sive non dolens restituat, ipse deobligatur ab eo quod tenebatur restituere : ergo non est de pœnitentia sicut pars.

2. Item, Pœnitentia solvit a peccato : redditio autem solvit a debito tentionis proximi tantum, et non a peccato : ergo non est pars pœnitentiæ.

3. Item, Pœnitentiam oportet agere de proprio : sed restitutio semper est de alieno : ergo, etc.

4. Item, Si est pars pœnitentiæ, constat quod non est nisi pars partis, quæ est satisfactio, quæ est vel eleemosyna, vel oratio, vel jejunium, quia satisfactio non habet plures partes in genere : constat autem, quod nulla est illarum : ergo non est pars pœnitentiæ.

Solutio. Solutio. Dicendum secundum antiquos, quod non est pars, sed præsupponitur in pœnitente, ut dispositio pœnitentis ne sit fictus : et hoc vocaverunt antiqui *fundamentum :* unde dixerunt, quod restitutio est fundamentum satisfactionis, et per consequens pœnitentiæ.

Ad 1. Ad id autem quod primo objicitur, dicendum quod ipsa non est remedium cujusdam peccati, vel delens peccatum, sed potius est dispositio præsupposita in eo in quo per pœnitentiam deletur peccatum.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod restituens dupliciter reconciliatur proximo, scilicet in quantum tenetur ei de damno illato : et hoc modo reconciliat restitutio, non pœnitentia proprie : vel in quantum deædificatus est proximus per malum exemplum : et sic satisfactio bonis operibus reconciliat, et pœnitentia per consequens. Et ita intelligitur, quod homo per pœnitentiam reconciliatur Deo et proximo : restitutio enim recipitur etiam a non pœnitente : sicut bene probant ea quæ objecta sunt in contrarium.

DISTINCTIO XVI.

De pœnitentiæ partibus.

A. *De tribus quæ in pœnitentia consideranda sunt.*

In perfectione autem pœnitentiæ tria observanda sunt, scilicet compunctio cordis, confessio oris, satisfactio operis. Unde Joannes os aureum : Perfecta pœnitentia cogit peccatorem omnia libenter ferre : in corde ejus contritio, in ore confessio, in opere tota humilitas. Hæc est fructifera pœnitentia, ut sicut tribus modis Deum offendimus, scilicet corde, ore, et opere : ita tribus modis satisfaciamus. Sunt enim tres peccati differentiæ, ut ait Augustinus [1], et in corde, et in facto, et in consuetudine, vel verbo, tamquam tres mortes. Una quasi in domo, scilicet cum in corde consentitur libidini. Altera quasi prolata jam extra portam, cum in factum procedit libidini assensio. Tertia, cum vi malæ consuetudinis tamquam mole premitur animus, vel noxiæ defensionis clypeo armatur, quasi in sepulcro jam fœtens. Hæc sunt tria genera mortuorum, quæ Deus legitur suscitasse. Huic ergo triplici morti, triplici remedio occurritur : contritione, confessione, satisfactione. Compunctio nobis commendatur ibi : *Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra* [2]. Confessio ibi : Justus in principio sermonis accusator est sui [3]. Vere enim confitetur qui se accusat, qui exsecrando malum sibi imputat. Et ibi, *Effundite coram illo corda vestra* [4]. Et iterum, *Confitemini alterutrum peccata vestra* [5]. Satisfactio a Joanne præcipitur ubi ait : *Facite dignos fructus pœnitentiæ* [6], scilicet ut secundum qualitatem et

[1] S. Augustinus, De sermone habito in monte.
[2] Joel, II, 13.
[3] Vulgata habet, Proverb. XVIII, 17 : *Justus prior est accusator sui.*
[4] Psal. LXI, 9.
[5] Jacob. V, 16.
[6] Luc. III, 80. Cf. Matth. III, 8.

quantitatem culpæ, sit qualitas et quantitas pœnæ. Non enim par debet esse fructus boni operis ejus qui nihil vel minus peccavit, et ejus qui gravius cecidit [1]. Ideo discretio pœnitenti valde necessaria est, ut illa gerat quæ tradit Augustinus [2], dicens : Consideret qualitatem criminis, in loco, in tempore, in perseverantia, in varietate personæ : et quali hoc fecerit tentatione, et in ipsius vitii multiplici exsecutione. Oportet enim pœnitere fornicantem secundum excellentiam sui status, vel officii, vel secundum modum meretricis, et in modum operis sui : et qualiter turpitudinem egerit, si in loco sacrato, si in tempore orationi constituto, ut sunt festivitates et tempora jejunii. Consideret quantum perseveraverit, et defleat quod perseveranter peccaverit, et quanta victus fuerit impugnatione. Sunt enim qui non solum non vincuntur, sed ultro se peccato offerunt : nec exspectant tentationem, sed prævenium voluptatem. Et pertractet secum, quam multiplici actione vitii delectabiliter peccavit. Omnis ista varietas confitenda est et deflenda, ut cum cognoverit quod peccatum est, cito inveniat Deum sibi propitium. In cognoscendo augmentum peccati, inveniat cujus ætatis fuerit, cujus sapientiæ et ordinis. Immoretur in singulis istis, et sentiat modum criminis, purgans lacrymis omnem qualitatem vitii : defleat virtutem qua interim caruit. Dolendum est enim non solum quod peccavit, sed quia se virtute privavit. Defleat etiam quoniam offendens in uno, factus est omnium reus [3]. Ingratus enim exstitit, qui plenus virtutibus Deum omnino non timuit. In hoc enim quisque peccator fit culpabilior, quo est Deo acceptior. Ideo enim Adam plus peccavit, quia omni bono abundavit [4]. Alio etiam modo offendens in uno, factus est omnium reus : quia omnis virtus patitur detrimentum ab uno vitio. Ponat se omnino in judicio et potestate sacerdotis, nihil sui reservans sibi : ut omnia eo jubente paratus sit facere pro recipienda vita animæ, quæ faceret pro evitanda corporis morte : et hoc cum desiderio, quia vitam recuperat infinitam. Cum gaudio enim facere debet immortalis futurus, quæ faceret pro differenda morte moriturus : semper deprecetur Deum, offerat Deo mentem et cordis contritionem : deinde et quod potest det de possessione : et tunc si quid offerat, securus offerat. *Respexit Dominus ad Abel, et ad munera ejus* [5]. Prius dicit *Abel*, quam *ad munera ejus*. In judicio ergo cordis conferenda est eleemosyna

[1] Venerabilis Beda.
[2] S. Augustinus, Lib. de vēra et falsa pœnitentia, cap. 14.
[3] Jacob. II, 10 : *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.*
[4] Genes. III, passim.
[5] Genes. IV, 4.

tribuentis. Nec considerandum est quantum, sed qua mente, qua affectione dat quod potest. Qui ergo sua peccata redimere vult temporalium oblatione, prius offerat mentem.

Caveat etiam ne ductus verecundia, dividat apud se confessionem, ut diversa diversis velit sacerdotibus manifestare. Quidam enim uni celant, quod alteri manifestandum conservant : quod est se laudare, et ad hypocrisim tendere, et semper venia carere : ad quam per frusta putat pervenire. Caveat etiam ne prius ad Dominicum corpus accedat, quam confortetur bona conscientia, et doleat quod nondum audeat sumere, quem multum desiderat cibum salutarem. Cohibeat etiam se a ludis, a spectaculis sæculi, qui perfectam vult consequi remissionis gratiam. Isti sunt digni fructus pœnitentiæ, animam captivam elaqueantes et in libertate servantes.[1] Et infra : Quærat anima dignos fructus, etsi non dignos pœnitentiæ. Sunt enim digni fructus virtutum, qui non sufficiunt pœnitentibus. Pœnitentia enim graviores postulat, ut dolore et gemitibus mortuus impetret vitam.

Ex his ostenditur qui sint digni fructus pœnitentiæ, quibus vera satisfactio expletur : et quod non omnes digni fructus sunt digni fructus pœnitentiæ : quod de illa pœnitentia intelligitur, quæ majorum est criminum. Non enim sufficiunt graviter delinquentibus, quæ sufficiunt minus vel parum peccantibus.

DIVISIO TEXTUS.

« *In perfectione autem pœnitentiæ tria*, etc. »

Hic incipit pars illa, quæ est de partibus pœnitentiæ.

Et dividitur in duas partes, in quarum prima traditur differentia ipsarum partium. In secunda autem quæritur, Utrum una sine alia peccati destructionem possit operari ? et hæc incipit in sequenti distinctione.

Adhuc prima subdividitur in duas. In prima enim agit de partibus pœnitentiæ, quæ sint, et quot. In secunda autem agit de modis juxta partes acceptis, ibi, C, « *Prædictis vero adjiciendum est*, etc. »

Ante *Litteram* tria quæruntur : quorum primum est, Utrum hoc sacramentum sit unum, et qua unitate sit unum et simplex ?

Secundo, An habeat partes, vel non, et cujusmodi sint illæ partes ?

Tertio, Utrum illæ partes ex æquo recipiant sigillatim pœnitentiæ rationem, aut pœnitentia prædicetur de omnibus in summa acceptis, et non sigillatim ?

[1] Cf. S. AUGUSTINUM, Lib. de vera et falsa pœnitentia, cap. 15.

ARTICULUS I.

An sacramentum pœnitentiæ sit unum ?

Ad primum sic objicitur :

1. Sacramenta Ecclesiæ non sunt nisi septem : hoc autem non contingeret, si pœnitentia esset plura sacramenta : ergo pœnitentia non est nisi unum sacramentum.

2. Item, Causa per se cujus effectus est unus, ipsa est una secundum causalitatis illius rationem : sed effectus hujus sacramenti est unus, scilicet deletio peccati actualis : ergo pœnitentia quæ est causa deletionis sacramentalis, est una. Minor per se patet : sed major patet ex hoc quod in una ratione causalitatis, non est nisi una causa unius effectus, ut probatum est secundo *Physicorum*, et quinto *metaphysicæ* Aristotelis.

Item, Actus est unus, scilicet flere commissa cum emendationis proposito : ergo et pœnitentia est una, ut videtur,

In contra. Sed contra :

1. Nihil est unum ad cujus perfectionem tria exiguntur : ad perfectionem autem pœnitentiæ exiguntur tria : ergo ipsa non est una. Probatio primæ est in quinto *primæ Philosophiæ*, ubi sic dicit Philosophus : « Substantia cujuslibet est secundum semel, ut sex non bis tres sunt, sed semel, sex enim sunt semel sex. » Minor autem scribitur in *Littera* in principio hujus distinctionis.

2. Item, Impossibile est habitum unum agentem, nisi natura agat, esse principium actuum diversorum specie separatorum : sed si pœnitentia est una, erit habitus hujusmodi, sicut ex supra dictis constat[1] : ergo non potest esse principium diversorum actuum specie separatorum : sed talium actuum est principium : ergo non est una. Probatio quod talium actuum est principium : quia conteri, confiteri, orare, et jejunare, et eleemosynas dare, sunt actus diversi specie, ad quos movet pœnitentia : ergo ipsa non est ad unum, ut videtur.

Quæritur ulterius, Si una est, cujusmodi sit illud *unum?* Quæst.

Ponuntur enim multi modi unius ab Auctoribus diversis, tam Sanctis, quam Philosophis. Sancti autem sunt Bernardus in quinto de *Consideratione*. Et Dionysius in libro de *Divinis nominibus*[2], et Boetius in libro de *Unitate et uno*. Philosophi autem sunt Aristoteles in quinto *Philosophiæ primæ*, et Avicenna in sua *metaphysica*, et Algazel : et longum esset ponere omnium distinctiones : nec oportet, quia quidam non dicunt unum simpliciter, sed secundum quid tantum.

Quæritur ergo, an sit unum forma ?

Et videtur, quod sic :

1. Omne enim quod vere unum est, est unum forma aliqua faciente ipsum unum : sed hoc sacramentum est vere unum : ergo est *unum* forma.

2. Item, Unum convertitur cum ente : ergo unde est esse, inde est unum : sed esse est a forma : ergo et unum.

Sed contra : Sed contra.

Forma hujus sacramenti videtur non esse una : quia alia est forma contritionis, alia confessionis, et alia satisfactionis : ergo videtur, quod non sit una unitate formæ.

Si dicas, quod hæc est unitas sacramenti quam non ponit aliquis Philosophorum : quia non fuit de consideratione eorum. Contra : Quæritur, quæ sit illa unitas sacramenti ?

Videtur enim, quod sit formæ quam

[1] Cf. Supra, Dist. XIII.

[2] S. Dionysius, Lib. de Divinis nominibus, cap. 3.

nativam vel *constitutivam* vocat Bernardus : quia sacramentum habet formam et materiam : sed quæcumque habent formam et materiam, habent ea ut partes essentiales : sed in omnibus talibus uniens est ipsa forma : ergo ista unitas est formæ : et tunc procedit supra posita ratio, scilicet cum non sit forma una, quod sacramentum non sit unum, ut videtur.

Si dicas, quod sacramenti unitas est ut uniatur in uno effectu : videtur iterum, quod non sit unum : quia effectus non est unus. Aut enim peccatum secundum culpam remittitur in contritione, aut non. Si sic : ergo confessio et satisfactio non operantur contra culpam : ergo non sunt ad eumdem effectum cum contritione : ergo non sic uniuntur.

Si dicas, quod non remittitur in contritione. CONTRA : ergo non erit nisi attritio, et non contritio : et hoc non stat cum hypothesi : quia suppositum est, quod contritio fuerit, cum quæritur, utrum in contritione remittatur?

2. Item, Dionysius innuit, quod omnis multitudo reducitur ad aliquod unum : quia multa partibus in unum toto, et multa accidentibus in unum subjecto, et multa numero aut virtutibus in unum specie, et multa speciebus in unum genere, et multa generibus sive processibus in unum principio. Et idem omnino per alia verba dicit Philosophus in quinto *metaphysicæ*, in distinctione *unius*. Quæritur ergo, Si hæc multa quæ sunt hic, sunt multa partibus : tunc debent reduci in unum toto. Et quæritur, quæ sit forma uniens totum, et vix erit assignare.

Solutio. SOLUTIO. Dicendum videtur, quod hoc sacramentum est unum unitate sacramenti, sicut dictum est in objiciendo. Et ulterius concedendum videtur, quod est unum unitate formæ sacramentalis. Forma autem hujus sacramentis non eodem modo accipitur ut in aliis, in quibus minister sacramenti qui agit actum verbis, dat formam pronuntiando verba : non enim ita accipitur materia et forma istius sacramenti, sicut Magister infra determinabit : non enim habet materiam exteriorem, nec formam extra pœnitentem : sed illud dicitur esse materia, unde accipit rationem significandi, sicut est in baptismo, et in aliis : sed quia dolor manifestatus in signis quibusdam est illud, dico dolorem esse materiam, dolorem dico voluntarium manifestatum in signis exterioribus, per quæ signa significat rem quam causat : forma autem sacramenti illius est proprie unde habet virtutem sanctificandi, sicut in omnibus aliis sacramentis ex forma est sanctificatio. Unde forma ipsius est informatio gratiæ, vel gratia informans hunc dolorem, in quantum sic informans.

Et si objicitur, quod secundum hoc idem est forma et res sacramenti, quod in nullo contingit : quia secundum hoc idem esset faciens et effectum, causa et effectus, quæ omnino sunt impossibilia. RESPONDETUR, quod eadem objectio est de contritione quæ est informata gratia, et aliter non deleret peccatum, nec esset contritio : et tamen confert gratiam. Unde dico, quod gratia non in genere, sed quædam est forma illa, scilicet quæ vim dat dolori, ut deletivus fiat peccati : effectus autem ejus proprius est peccati remissio : hæc autem forma in generali dolore accepta, scilicet quæ informat dolorem in contritione, confessione, et satisfactione, dico quod forma sit hujus sacramenti, a qua sacramentum dicitur *unum*.

Si quis autem dicat, quod forma pœnitentiæ est verbum quod dicitur a sacerdote, quando absolvit, vel quod est signum aliquod : constat quod ipse non attendit quid facit forma in sacramento secundum Augustinum et Hugonem de sancto Victore : quia illa est quæ accedens ad sacramentum, facit ipsum potens sanctificare : et hoc non facit in pœnitentia verbum quod dicit sacerdos, vel etiam signa, vel ipse dolor voluntarius, sed potius hoc quod dictum est, scilicet gratia informans dolorem illum, ut possit delere peccatum : et res ejus est dele-

tio peccati omnimoda in culpa et pœna. Dicendum ergo ad primum, quod hoc sacramentum est unum.

Object. 1. Ad id ergo quod objicitur in contrarium, dicendum quod ad perfectionem alicujus, aliquid vel aliqua exigi dupliciter dicitur, scilicet tamquam ex quibus perficitur, et tamquam perfectio ipsa complens. Si autem dicitur tamquam ex quibus perficitur potestative vel universaliter, falsa est propositio prima : quia ad omnis compositi perfectionem hoc modo plura exiguntur. Si vero dicitur tamquam perfectio ultima complens : tunc vera est : quia omnis actus ultimus complens secundum speciem, est unus simpliciter : et sic intelligitur probatio quæ adducta est de quinto *primæ Philosophiæ :* et non habet hic locum : quia tria quæ exiguntur ad perfectionem pœnitentiæ, sunt partes potestativæ pœnitentiæ, ut infra patebit : et ipsa perficitur in illis ut totum potestativum perficitur ex suis partibus.

Adobj. 2. Ad aliud dicendum, quod pœnitentia secundum quod est habitus movens in detestationem peccati, virtus est, et non sacramentum, et hoc modo non habet partes : sed ut est sacramentum, est dolor informatus gratia in signis exterioribus manifestatus, et sic habet partes in quibus perficitur medicinalis dispositio contra morbum actualis peccati.

Vel dicitur et forte melius, quod nihil prohibet secundarios actus esse plures, dummodo ordinentur ad finem unum: et ita est de conteri, et confiteri, et satisfacere, quia omnes unum habent finem, qui est plena destructio peccati actualis.

Ad quæst. Ad id quod ulterius quæritur, Qua unitate sit unum ?

Dico, quod nihil est vere unum, nisi sit unum forma. Contingit autem accipere formam ultimam : et huic respondet materia propria. Et contingit accipere formam primam in genere : et illi respondet materia prima in genere illo : sicut est exemplum Aristotelis de mineralibus : si enim accipiatur forma auri, respondet ei materia, quia est ex sulphure subtili et adustibili, et argentum vivum clarum subtile bene commixta. Si autem accipiantur mineralia secundum quod calido sicco siccabilia sunt, respondet eis materia quæ est aqua. Ita dico, quod si accipiatur forma propria hujus sacramenti, quæ est gratia operans destructionem peccati actualis, secundum quod hujusmodi, respondet ei materia quæ est dolor dispositive operans ad destructionem illam : et hæc est unitas sacramenti ex sua forma sacramentali.

Ad id ergo quod contra objicitur dicendum, quod ista tria sunt partes pœnitentiæ, et uniuntur in forma totius, et in toto : quia in omnibus illis operatur dolor supra dictus : unde non sequitur, quod ex hoc sint ibi plures formæ simpliciter : sicut non sequitur de homine ex hoc quod alia est forma pedis, et alia manus : vel de anima ex hoc quod alia est forma intellectus, et alia voluntatis, quæ sunt partes ejus potestativæ. Ad object. 1.

Ad aliud dicendum, quod multitudo partium istarum reducitur ad totum : quia dolor destruens peccatum quodammodo unus est, et subjicitur ut totum contritioni, confessioni, et satisfactioni. Ad object. 2.

ARTICULUS II.

An istud sacramentum habeat partes, et quæ sint illæ partes ?

Secundo quæritur, Utrum istud sacramentum habeat partes, vel non : et quæ sint partes illæ ?

Licet enim in parte hoc jam habitum sit, tamen subtilius est adhuc distinguendum.

Videtur autem non habere partes : quia

1. Dicit Ambrosius, quod « sacramentum omne simpliciter est : » simpliciter

autem est, quod non habet partes : ergo sacramentum istud non habet partes.

2. Item, Medicina quædam ordinatur contra morbum originalem : et constat, quod non habet partes nisi formam et materiam, de quibus partibus non loquimur hic, quia illæ sunt in omni sacramento : cum igitur alia medicina sit contra morbum actualem, quæ *pœnitentia* dicitur, videtur quod partes habere non debeat, sicut nec illa.

3. Item, Unius morbi una videtur esse medicina per contrarium : sed actuale est unus morbus : ergo unicam debet habere medicinam per contrarium : non ergo diversificatam in partibus.

4. Item, Si habet partes : aut hoc convenit, quia per se non sufficit ad expulsionem peccati, aut ex alia causa. Si primo modo : tunc gratia informans dolorem esset imperfecta in actu suo, quod absurdum est : ergo videtur, quod hæc non sit causa quare partes habere debeat. Si secundo modo. Contra : Cuicumque natura dat partes ad determinatum actum pertinentes, ipsa dat illas propter perfectionem in agere. Probatio : quia aliter natura abundaret in superfluis : ergo multo minus hoc est in operibus gratiæ quæ ex majori diligentia sunt ordinata : ergo totum est imperfectum sine illis in agere : et hoc habitum est pro inconvenienti : quia forma totius est gratia.

Quæst. Ulterius quæritur hic, Cujusmodi sunt partes illæ quæ sunt pœnitentiæ ?

1. Omnes enim partes reducuntur ad integrales, vel subjectivas : sicut partes totius in quantitate ad integralem, et partes totius in modo ad universalem sive subjectivam. Aut igitur sunt integrales, aut subjectivæ. Si integrales : ergo non accipiunt prædicationem totius, quod falsum est. Si autem subjectivæ : ergo quæ est forma unius essentialis, est forma alterius : ergo quæ est forma confessionis, ipsa est forma contritionis realis, quod falsum est.

2. Item. Si essent tales partes, oporteret quod ipsarum esset unum nomen, et diffinitio una, quod iterum falsum est.

Si dicas, quod aliter est de partibus homogeniis et toto, et aliter de heterogeniis, sicut dicit Aristoteles in quinto *primæ Philosophiæ*, ubi distinguit modos totius : quia partes totius homogenii licet sint materiales, tamen quia prædicatur de eis totum, sequuntur naturam totius universalis : unde dicitur, *omnis aqua est :* et non dicitur, *tota aqua*, nisi per metaphoram. Partes autem in quibus positio facit differentiam, eo quod sunt heterogeniæ, sequuntur naturam totius integri : et ideo dicitur *totus lectus*, et non *omnis lectus*, vel *omnis homo*, ut distribuat pro partibus integrantibus : et sic licet sint istæ partes integrantes potestatem pœnitentiæ, tamen recipiunt prædicationem totius, propter homogenias esse partes illas. Contra : Omne totum homogenium habet partes non diversas in forma partium, ut aqua, oleum, et cætera liquida : pœnitentia habet partes diversas in forma partium : ergo non est totum homogenium ad illas.

Solutio. Dicendum sine præjudicio multorum, hic multa et diversa et pene adversa dicentium, quod pœnitentia habet partes, et illæ partes sunt potestativæ. Pœnitentia enim est quoddam operans ad morbi actualis destructionem : morbus autem actualis est non tantum culpa, sed etiam reatus sequens culpam, et est difficultas ad bonum ex consuetudine et dispositionibus peccati generata. Reatus autem consequens triplex est : unus enim est conjunctus culpæ, qui est debitum pœnæ æternæ : et illo soluto manet adhuc reatus et debitum pœnæ purgatoriæ non proportionatæ viribus pœnitentis. Soluto illo, iterum manet reatus et debitum pœnæ expiativæ arbitrariæ secundum culpæ modum, et vires pœnitentis. Soluto autem illo, non manet reatus, sed potest adhuc manere difficultas bene agendi. Ad totum autem peccati morbum hunc delendum dico, quod requiruntur tria, scili-

cet contritio delens primum, confessio delens secundum, et satisfactio delens tertium : difficultas autem tollitur boni consuetudine in omnibus his. Et sic patet, quod potestas pœnitentiæ perficitur in his tribus, et sine his tribus non est perfecta.

Ad 1. Ad id autem quod primo objicitur, dicendum quod de illa auctoritate dubitatur : quia in libro illo quæsita est, et non inventa. Si autem concedatur, dicendum quod sacramentum dicitur simpliciter ratione effectus simplicis, et non ex eo quod non habet partes : hoc modo quo simpliciter dicitur unum unius : quia simpliciter dicitur multis modis, sicut de quatuor coævis in alia Summa, in quæstione de *cælo* est dictum[1].

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod baptismus non habet hujusmodi partes potestativas, quia non ordinatur contra totum morbum originis, sed partem, scilicet culpam. Pœna autem concupiscentiæ manet ad exercitium in pugna. Pœnitentia autem ordinatur contra actualem morbum totum, secundum quod actualis est : unde sicut ille in effectibus diversificatur, ita variantur partes pœnitentiæ, secundum quod est sacramentum contra morbum illum ordinatum.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod unius morbi secundum quod est unus, una est medicina : sed sicut diversificantur partes morbi, ita etiam variatur medicina ordinata contra ipsum, ut prius habitum est.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod hoc non contingit ex imperfectione gratiæ, sed potius propter ordinem perfectionis : quia aliter ordinate non possent destrui sequelæ peccati in nobis : quia ita etiam posset objici, quod dolor superfluus esset, eo quod gratia ad totum sufficeret : non enim datur sufficientia in natura vel gratia nisi secundum quod ordinatius fieri potest secundum congruentiam illius naturæ quæ perfici debet : sicut homini non datur vis ambulativa sine pedibus. Ita morbo actuali non datur destructivum sine actu nostro et diversificatur ei destructivum secundumdi versitatem morbi.

Ad quæst. Ad id quod ulterius quæritur, jam patet responsio : quia dicimus esse partes potestativas : et si quis subtiliter consideret, sunt talis totius quod medium est inter homogenium et heterogenium. Nec hoc est absurdum ponere : quia Philosophus ponit hoc in libro V *primæ Philosophiæ* dicens, quod in totis in quibus diversitatem transpositio secundum aliquid facit, et non facit secundum aliquid, recipiunt *totum* et *omnis*, sicut numerus : secundum enim quod numerus est multitudo numerata per unum, dicitur *omnis numerus* : secundum autem quod numeratur binario aut ternario in quibus ordo facit diversitatem, dicitur *totus numerus* : et ideo medium est inter totum homogenium et heterogenium. Et ita hic dicendum videtur : quia istæ partes sunt, quæ quidem recipiunt prædicationem totius, secundum quod dolor informatus gratia agit in omnibus eis : sed secundum relationem ad effectuum diversitatem non recipiunt, scilicet nomen *totius*, sed potius *omnis* : quia sic nec tota pœnitentia est in contritione, nec tota in confessione, nec tota in satisfactione, sed in omnibus simul.

Et per hoc patet solutio ad omnia objecta.

ARTICULUS III.

An pœnitentia prædicetur de omnibus partibus suis simul in summa, an sigillatim?

Tertio quæritur, An pœnitentia prædicetur de omnibus partibus illis simul in summa, an sigillatim?

[1] Cf. Summam de Quatuor coævis, Quæst. IV, Art. 3.

Videtur autem, quod tota salvatur in contritione : quia

1. Multos credimus salvari per solam contritionem, in quibus non contemptus religionis, sed articulus necessitatis confessionem excludit.

2. Item, Luc. VII, 37 et seq., de Maria Magdalena, cujus signa contritionis scribuntur, non tamen confessio, nec satisfactio injuncta.

3. Item, De Petro, Matth. XXVI, 15, cujus contritio significatur, non confessio, vel satisfactio. Et in sequenti distinctione de hoc multæ auctoritates inducuntur in *Littera*. Ergo videtur, quod ista tria nec sunt partes integrales, nec essentiales, sed tantum secundum bene esse.

4. Item, Hoc videtur de satisfactione : quia sæpe sufficit lamentum contritionis ad deletionem totius : ergo tunc non oportet injungere satisfactionem pro peccato : et si injungitur, fit hoc ad conservandum in bono potius, quam ad deletionem peccati.

5. Item, Ponamus, quod aliquis contritus statim moriatur : constat, quod ipse salvabitur : ergo ad salutem non exigitur confessio et satisfactio.

6. Ex his rationibus videtur esse substantialior contritio, quam aliqua aliarum : quia contritio sine aliis quandoque fit et sufficit : aliæ autem sine contritione numquam.

Solutio. Ad 1.

SOLUTIO. Ad hæc autem et omnia similia dicendum videtur, quod ista tria partes potestativæ sunt pœnitentiæ, et omnes simul operantes in ipsa, et etiam successive : omnes quidem simul, secundum quod una est in actu, et duæ, vel una in voto : sicut cum contritio est in actu, et confessio et satisfactio sunt in voto : et cum confessio est in actu, virtus contritionis est in ipsa, et satisfactio in voto : et cum satisfactio est in actu vis confessionis est in ea secundum quod est injuncta pro peccatis, et vis contritionis quoad dolorem et peccati detestationem : et sic numquam una separatur ab altera : et hæc non repugnant. Et pœnitentia perficitur in una sine altera, et non perficitur in una sine altera. Et hæc iterum non habent repugnantiam.

Et per hoc patet solutio ad primum.

AD ALIUD dicendum, quod aliter est in his in quibus ipse Dominus formam habuit sacerdotis absolventis : quia præsentatio sufficiebat apud eum qui novit et morbum et morbi circumstantiam. Et satisfactio generalis intelligitur in hoc quod dixit Jesus mulieri adulteræ : *Jam amplius noli peccare*[1].

AD TERTIUM de Petro similiter est dicendum : tamen in his non excluditur votum confitendi, vel etiam actus confessionis : quia multa sunt facta quæ non sunt scripta, ut dicitur in fine Evangelii Joannis[2].

AD ALIUD dicendum, quod satisfactio ad minus requiritur in voto et lamento interiori : quia satisfactionis modus est multiplex, scilicet per pœnam interiorem et exteriorem secundum quod etiam aliquid adjunctum confessioni reducitur ad satisfactionem, sicut erubescentia, et lamentum contritionis : et hoc modo etiam est satisfactio quædam : quia, sicut diximus, in pœnitentia est quodammodo sicut in numero, qui secundum aliquid est homogenium et secundum aliquid est heterogenium.

AD ALIUD dicendum, quod ille qui sic conteritur, habet in voto confessionem et satisfactionem.

AD ALIUD dicendum, quod illæ partes possunt considerari in habitu, vel in actu : vel voto, et exsecutione. Si primo modo : tunc pœnitentiæ est magis essentialis contritio, quam aliæ. Si autem secundo modo : tunc omnes sunt substantiales, sed ordinate, ut dictum fuit prius, ubi assignatur qualiter una est in alia.

[1] Joan. VIII, 11.

[2] Joan. XXI, 25.

ARTICULUS IV.

An sicut Deum tribus modis offendimus, scilicet corde, ore, et opere : ita tres partes pœnitentiæ respondent istis tribus modis offendendi ?

Deinde quæritur de his quæ dicuntur in *Littera*, ibi, A, circa initium : « *Hæc est fructifera pœnitentia, ut sicut, tribus*, etc. »

Nihil enim videtur hoc dicere : quia

1. Ad peccatum quod fit in corde, tenemur conteri, confiteri, et satisfacere : ergo si cessent etiam alii duo modi peccandi, omnes partes pœnitentiæ concurrunt ad peccatum solius cordis : ergo tres partes pœnitentiæ non respondent his tribus modis peccandi.

Eadem est objectio de peccato solius oris, et de peccato solius operis.

2. Item, Pœnitentia ordinatur ad expulsionem actualis peccati secundum pœnam et culpam : constat autem, quod culpa et pœna sunt in solo peccato cordis : ergo tota pœnitentia ordinatur contra illud : ergo falsum est, quod sic accipiantur partes pœnitentiæ, quod penes tria instrumenta peccandi, tres sint partes pœnitentiæ.

Si dicas, quod hic non intelligitur os carnis, sed potius os spiritus : sicut dicit Dominus, quod ea *quæ procedunt de ore, de corde exeunt, ut cogitationes malæ, furta, blasphemiæ*, etc. *Hæc sunt quæ coinquinant hominem* [1].

Contra : Os illud, aut est sensualitatis, aut delectationis secundum inferiorem partem rationis, aut cogitationis qua sibi homo interius loquitur de peccato faciendo. Et quocumque modo dicatur, superfluit quod dicitur *peccatum cordis* : quia idem erit dicere peccatum cordis, et oris.

3. Item, Tunc superfluit tertia pars in quibusdam peccatis, scilicet in peccato cordis et oris.

Item, Secundum hoc non respondent ei partes pœnitentiæ : non enim dicimus, quod sicut est os interius quo peccamus, quod ita sufficit ore interiori confiteri, sed potius ore exteriori oportet fieri confessionem : ergo non est os interius de quo hic dicit, quod peccato oris per contrarium respondet confessio.

4. Ulterius, Videtur quod secundum istam assignationem non debet esse nisi una pars pœnitentiæ, scilicet contritio : quia in omni morbo sufficit occurrere causæ : amputata enim causa, præciditur morbus : sed motivum in homine est cor, os autem et manus mota tantum. Si igitur motivum erit bene se habens, ea quæ moventur, necessario bene se habebunt : sed per contritionem bene se habet cor, ut dicitur in *Littera* : ergo per contritionem alia bene se habebunt ex continenti : ergo superfluunt confessio et satisfactio.

5. Item, Videtur male dicere, quod peccato oris respondeat confessio : quia peccatum oris supponit peccatum cordis sicut causam : ergo peccato oris respondent duo, scilicet contritio et confessio.

Eadem est objectio de peccato operis : quia illud etiam supponit peccatum cordis : ergo illi respondebunt contritio et satisfactio sine confessione, ut videtur.

Solutio. Solutio. Quidam dixerunt, sicut in objectione dictum est, quod in omni peccato illa tria concurrunt, scilicet cor, os, et opus : et trahitur hoc ab Augustino in libro XII de *Trinitate*, qui exponens illud verbum Domini, Matth. xv, 18 : *Quæ procedunt de ore, de corde exeunt*, etc., ponit os interius, et redit ad hoc quod cor facit primam peccati conceptionem : sed quia os in duos usus congruit,

[1] Matth. xv, 18 et seq.

scilicet locutionem, et comestionem, ideo perpetratio apud se peccati dicitur *locutio cordis*, et est actus interioris oris, secundum quod congruit in usum loquelæ. Item, secundum quod congruit in usum comestionis in qua est delectatio et incorporatio cibi, respondet sibi interior delectatio peccati. Præter autem hæc duo est ipse peccati actus, qui est interius vel exterius. Et ita quidam dicere volebant, quod ad omne peccatum tres pœnitentiæ partes exiguntur. Sed ego judico hoc non esse secundum intentionem hujus *Litteræ*. Unde dico, quod partes pœnitentiæ dupliciter respondent peccato, scilicet ut medicina tantum, et sic omnes tres partes pœnitentiæ respondent omnibus peccatis : respondent etiam ut medicina simul et habentes congruentiam in actu et in instrumento agendi, et sic contritio non respondet nisi peccato cordis, et confessio non nisi peccato oris, et satisfactio non nisi peccato operis : et hoc non est difficile intelligere cuilibet : et hic est intellectus Auctoris inductus in *Littera*.

Ad 1 et 2. DICENDUM ergo ad primum, quod omnes partes exiguntur contra quamlibet peccati differentiam, ut medicina sunt, et hoc modo sunt partes pœnitentiæ : sed non oportet propter hoc quod omnes cum qualibet peccati differentia convenientiam habeant in actu et instrumento agendi.

Per idem patet solutio ad sequens.

AD ALIUD quod ulterius quæritur de quorumdam adaptatione, dicendum quod ab Augustino est, ut dictum est, sed non ad propositum secundum *Litteræ* intentionem.

Ad object. AD ALIUD autem quod contra objicitur, dicendum quod cor quando omnia intus ponuntur, strictius sumitur : quia licet omnes illi tres actus sint cordis, tamen in concipiendo est in actu cordis, quod est prima causa motuum : et in loquendo intus vel delectando est cor, non ut cor, sed in officio oris, et ministrando actum interiorem, est in officio manus.

AD ALIUD dicendum, quod non est simile omnino in peccati perpetratione, et medicina peccati : quia medicina est ab extra, perpetratio vero peccati ab intra : et ideo non eodem modo respondent ei secundum hanc adaptationem pœnitentiæ partes : et ideo oportet confessionem ab extra fieri : quia illa accipit medicinam a clavibus Ecclesiæ, quod fieri non potest nisi peccatum procedat in notitiam habentis claves : et ad hoc non sufficit os interius, sed exterius oportet adesse.

AD ALIUD dicendum, quod cor non potest se bene sufficienter habere, nisi per opus oris et manus : quia sicut dictum est, medicina peccati in culpa et pœna est a partibus pœnitentiæ : et pars medicinæ quæ est a clavibus, non accipitur nisi confessione qua peccatum procedit in notitiam habentis clavem : alia autem pars trahitur a consuetudine quæ facit bonum cordis habitum removentem difficultatem bene operandi : et illa non potest esse in corde nisi per opus.

AD ALIUD dicendum, quod partes pœnitentiæ dupliciter respondent peccato, ut dictum est : et illa objectio non procedit nisi uno modo : et tamen verum est quod concludit : quia confessio supponit contritionem, si vera est : et satisfactio supponit contritionem et confessionem : sed non sequitur, quod in peccato operis duo sufficiant, scilicet contritio et satisfactio, et in peccato oris alia duo, scilicet contritio et confessio. Et ratio hujus jam supra dicta est.

ARTICULUS V.

An tribus differentiis peccati quæ sunt cor, factum, et consuetudo, correspondeant tres partes pœnitentiæ ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, A, circa initium : « *Sunt enim tres peccati differentiæ,* etc. »

Hæc enim est alia adaptio istarum partium.

Videtur autem bæc insufficiens : quia

1. Nihil est hic cui respondeat confessio proprie : omni enim facto respondet satisfactio.

2. Item, Videtur, quod hæc assignatio non conveniat omni peccato : quia multa peccata non producuntur in publicum, sed manent occulta : ergo illis nec confessio nec satisfactio respondebit, ut videtur.

Item, Multi peccant semel, et non trahunt in consuetudinem : et illis iterum non videtur hæc adaptatio convenire.

Si dicas, quod confessio respondet defensioni peccati, et satisfactio consuetudini : adhuc videtur non competere : quia multi sunt, qui peccatum suum numquam defendunt : et tamen confiteri tenentur.

3. Item, Gregorius in Glossa super Job, III, 11 et 12, aliter distinguit ibi : *Quare non in vulva*, etc. Est enim secundum eum peccatum in vulva, peccatum in corde : egressum ex utero, in opere : exceptum genibus, in quibus blanditur ei fomentum blandiens per adulationem : et lactatum uberibus, nutritum per mali consuetudinem. Ergo videtur, quod quatuor secundum hoc debent esse modi satisfaciendi.

4. Item, Secundum genera morborum multiplicantur medicinæ diversæ : constat autem septem esse genera morborum capitalium in actuali peccato : ergo secundum hoc multiplicari debent partes medicinæ : sed medicina peccati actualis est pœnitentia : ergo septem debent esse partes pœnitentiæ, ut videtur, et non tres tantum.

Si dicas, quod medicina ordinatur contra morbi radicem. CONTRA : Quia secundum hoc non deberent esse nisi duæ partes vel una : quia, ut dicit Augustinus, « Omne peccatum est, aut ex timore male humiliante, aut ex amore male inflammante. » Et hæc est Glossa super illud Psalmi LXXIX, 17 : *Incensa igni.*

Adhuc reducit idem Augustinus illam radicem quæ est timor male humilians, ad illam quæ est amor male inflammans : ergo secundum hoc non deberet esse nisi una pars medicinæ, quæ ordinetur contra malum amorem.

ITEM, Si contra hujusmodi differentias peccatorum ordinantur partes pœnitentiæ, quæritur, Quæst.

1. Quid ordinatur contra illas quas tangit Joannes in I Canonica, II, 16 : *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est,* etc. ? Contra nullum enim illorum ordinatur directe aliqua pars pœnitentiæ.

2. Item, Videtur quod Augustini insufficiens est adaptatio in *Littera* : quia non adaptat nisi contra morbum occidentem vel mortificantem : morbus autem venialis non mortificat : ergo contra illum non ordinatur aliqua pars pœnitentiæ : quod est contra ea quæ infra in hac eadem distinctione dicentur in *Littera*, ubi facit Magister tractatum de *confessione et satisfactione venialium.*

SOLUTIO. Dicendum, quod hæc adaptatio quam facit Augustinus etiam per congruentiam fit ad partes pœnitentiæ : et non fit prout ipsæ partes accipiuntur in ratione medicinæ tantum : sed differt hæc adaptatio a præcedenti : quia præcedens facta est per congruentiam substantiæ peccati et instrumenti ejus, ad substantiam partium pœnitentiæ : ista autem fit per conformitatem proprietatis ad proprietatem, et potest sic fieri : Omne peccatum mortale communiter habet mortificationem vitæ spiritualis : cum hoc autem adjunguntur ei tria, scilicet duo in comparatione ad peccantem, et tertium in comparatione ad proximum. In comparatione autem ad peccantem duo sunt : zelatio turpitudinis ne reprehendatur, et hæc mala est : et iteratio vel defensio cum reprehenditur, et hæc significat duritiam cordis, vel voluntatis obstinationem in peccato. Tertium, in

comparatione ad proximum, est scandalum per malum exemplum. Et hæc significantur in tribus mortuis, ut patet in *Littera*. Compunctio autem per hoc quod est dolor cordis occultus, ordinatur contra delectationem in occulto : et confessio contra malam manifestationem peccati, quia confitens per ministrum Ecclesiæ reconciliatur Ecclesiæ : satisfactio autem per altitudinem boni contrariatur consuetudini malæ inducendo contrarium habitum, qui removet difficultatem bene agendi.

Ad 1. Ad primum ergo dicendum, quod ista adaptatio est per modum congruentiæ ad id quod frequentius est in peccato. Vel dicendum, quod duplex est peccati manifestatio, scilicet in præsenti coram hominibus, et in futuro judicio, et tunc coram Deo et Angelis : et verecundia confessionis abolet modo verecundiam quæ fieret in judicio, si modo non manifestaretur.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod omnis malus actus relinquit dispositionem debilem vel fortem inclinantem actum similem : et illa dispositio vocatur hic *consuetudo*.

Ad 3. Ad hoc autem quod objicitur de distinctione beati Gregorii, dicendum, quod illa sumitur penes ea quæ retinent hominem in peccato, et quandoque non sunt peccata ejusdem : sicut quando blanditur ei vitio adulationis, adulatio in alio est, scilicet in adulante. Lactatio autem idem est quod consuetudo, et egressus ex utero idem quod manifestatio generaliter sumpta, et conceptio idem quod cordis occultum : et ideo quarto ablato, illa divisio revertitur ad istam sub alia metaphora signata.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod partes pœnitentiæ non adaptantur capitalibus vitiis : quia cum pœnitentia sit in opere interiori, necesse est quod multiplicetur secundum operandi instrumenta, in quibus radicem morbi excidit : omnia autem capitalia possunt tribus instrumentis peccandi perpetrari : et ideo unicuique capitali respondent omnes partes pœnitentiæ.

Ad aliud dicendum, quod duplex est radix peccati, scilicet innata ex radice corrupta, et facta ex opere peccati : et contra primam non ordinantur partes pœnitentiæ, sed contra secundam. Unde habitum est in præcedenti distinctione, quod satisfactio est causam peccati excidere, etc. Sed radices quas tangit Augustinus, sunt innatæ a natura corrupta. Dico autem radices factas ex peccato, sicut culpam et pronitatem, quæ relinquuntur ex peccato actuali et inclinant ad sequens ejusdem speciei peccatum.

Ad aliud dicendum, quod Joannes non tangit radices peccati ex parte peccantis, sed potius ex parte objecti moventis ad peccandum : pœnitentiæ autem partes non ordinantur contra peccatum ex parte objecti moventis, sed potius ex parte peccantis, secundum hoc quod relictum est in ipso per opus actualis peccati interius vel exterius. Et per hoc patet solutio ad omne illud quod objicitur de radicibus vitiorum.

Ad ultimum dicendum, quod veniale non est peccatum nisi secundum quid : et sua pœnitentia est pœnitentia secundum quid, et non simpliciter : et ideo non aptantur ei partes pœnitentiæ.

ARTICULUS VI.

Quid sit contritio in genere ?

Deinde quæritur de hoc quod dicitur, ibi, A, post initium : « *Compunctio nobis commendatur*, etc. »

Et quæruntur hic sex de compunctione : quorum primum est, Quid sit genere ?

Secundum, Quid sit propria diffinitione ?

Tertium, Quæ sit differentia inter contritionem, attritionem, et compunctionem?

Quartum, Cujus partis animæ sit contritio?

Quintum, Utrum eodem modo fiat semper in Novo et Veteri Testamento?

Sextum, Quid moveat ad contritionem, utrum fides, vel alia virtus? et si fides, ratione cujus articuli movet ad ipsam?

Ad primum objicitur sic :

1. Omnis dolor est in genere passionis : contritio est dolor quidam : ergo est in genere passionis. Prima patet de se. Secunda patet per illud Augustini supra habitum : « Semper doleat, et de dolore gaudeat, etc. »

2. Item, Augustinus : « Si pœnites, pœna tenet te : » constat autem, quod hoc maxime dicitur propter contritionem : ergo contritio est pœna tenens pœnitentem : sed omnis pœna est passio : ergo, etc.

3. Item, Contraria sunt in eodem genere : sed dolor et delectatio opponuntur contrarie : ergo sunt in eodem genere : sed delectatio est in genere quod est passio, ut dicit Philosophus : ergo et dolor, et per consequens contritio.

4. Item, Omne illud secundum quod aliquid alteratur proprie, est passio, vel passibilis qualitas : sed secundum dolorem fit alteratio hominis proprie : ergo est passio vel passibilis qualitas. Prima scribitur in septimo *Physicorum*. Secunda autem patet per hoc quod Philosophus dicit in VIII *Ethicorum*, quod dolore et delectatione alteratio est habentium sensum. Cum igitur contritio sit dolor quidam, erit in genere passionis, etc.

5. Item, Si contritio contrariatur peccato, quantum ad aliquid habet contrarietatem ad ipsum : sunt autem in peccato duo, scilicet libido sive delectatio commutabilis boni, et aversio ab incommutabili bono : sed constat, quod non contrariatur ratione aversionis : ergo ratione delectationis in bono commutabili, quia contritio dolet de delectatione. Cum igitur delectatio sit passio, et dolor est passio, ut videtur.

6. Item, Supra [1] habitum est, quod pœnitentia est amaritudo animæ pro malo quod quisque commisit. Et hoc maxime competit ratione contritionis : ergo contritio est quædam amaritudo animæ : sed amaritudo animæ est passio : ergo et contritio, etc.

7. Item, Sicut se habet corpus ad passionem sibi illatam, ita spiritus ad passionem quæ sibi infertur : sed omne immutans corpus, passio quædam est corporis : ergo etiam omne immutans spiritum, passio quædam erit spiritus : dolor autem contritionis immutat spiritum : ergo est quædam passio spiritus.

8. Si dicas, ut quidam dicunt, quod in contritione dolor est materialis, et voluntas actualis est circa dolorem, et illa est actus et formalis pars contritionis : et ideo contritio non est in genere passionis nisi gratia ejus quod est materiale in ipsa. Contra : Ira, misericordia, nemesis, non sunt sine voluntate : et tamen a Philosopho dicuntur esse passiones : ergo ex hoc quod voluntas sit circa aliquid, non facit ipsum non esse passionem.

9. Item, Ex hoc quod voluntas est circa aliquid, non variatur essentia ipsius : quia aliter oporteret dicere, quod quælibet res variatur in essentia quando est volita, et quando non est volita : constat autem, quod dolor sive tristitia secundum se passio est : ergo etiam sive sit circa eam voluntas, sive non, adhuc erit passio : sed contritio dolor est : ergo est in genere passionis.

10. Item, Omne illatum a quodam agente, passio est : sed omnis dolor est illatus a quodam agente : ergo est pas-

[1] Cf. Supra, Dist. XIV, A, circa finem.

[2] Cf. Supra, Dist. XIV.

sio. Prima probatur ex diffinitione passionis. Secunda probatur ex hoc quod dolor est a contrario corrumpente : et contrarium corrumpens quoddam agens est aliud ab ipso quod corrumpitur.

Sed contra. Sed contra :

1. Nulla passione meremur : contritio est passio quædam : ergo contritione non meremur. Probatur autem prima et a communiter loquentibus, et ab eo quod meriti principium est in nobis, passionis autem principium est in alio. Secunda autem pro hypothesi accipitur ab adversario.

2. Item, Nihil cujus principium effectivum non est in nobis patientibus, cadit in præcepto : passionis principium effectivum non est in nobis patientibus : ergo non est in præcepto : sed contritio est in præcepto : ergo a destructione consequentis ipsa non est passio. Prima probatur, quia non præcipitur nisi opus cujus nos domini sumus et causa. Secunda patet per diffinitionem passionis.

3. Item, Nulla passio est virtus, vel pars virtutis : contritio est virtus, vel pars virtutis : ergo contritio non est passio. Prima probatur ex hoc quod habetur in II *Ethicorum*, quod virtutes habitus sunt, non passiones. Secunda probatur per ante habita : quia dictum est, quod pœnitentia est virtus, et contritio est virtus, vel pars pœnitentiæ.

Item, Nulla passio est optimorum operativa : sed contritio est optimorum operativa : ergo contritio non est passio. Probatio primæ est, quia non operatur optima nisi habitus, qui non est in genere passionis, ut dicit Philosophus. Secunda patet per hoc quod laudabile et remunerabile est opus contritionis.

4. Item, Nulla passio contrarietatem habet ad habitum aliquem : sed contritio habet contrarietatem ad habitum vitiorum : ergo contritio non est passio. Prima probatur ex hoc quod contraria sunt in eodem genere proximo. Secunda ex hoc quod nihil expellit aliud nisi contrarium : et contritio expellit omnes habitus vitiorum.

Solutio. Sine præjudicio videtur mihi distinguendum esse in contritione : aut enim est pœnitentiæ virtutis, aut pœnitentiæ sacramenti : et quæ sit differentia inter ista, ex superioribus satis patet. Si est pœnitentiæ virtutis : sic non est pars, sed actus quidam, ad quem movet pœnitentia virtus, prout est detestans peccatum perpetratum, in quantum peccatum perpetratum est. Et quia hic actus punitivus sui est et vindicativus, non est sine pœna : et tamen illa non dat ei essentiam formalem : quia pœna se habet ad actum voluntatis, sicut factum ad faciens : et tunc dicitur *contritio*, non contriti passio, sed potius conterentis actus factivus pœnæ in contrito. Et licet idem sit conterens et contritum substantia, esse tamen non est idem, ut infra patebit.

Si autem accipitur pœnitentia ut sacramentum, tunc nihil prohibet passionem esse aliquid de essentia contritionis : quia pœnitentia ordinatur contra peccatum, per pœnam satisfaciens de peccato : et sic meo judicio contritio est contriti passio voluntarie suscepta vel facta pro peccato. Secundum autem istas duas vias oportet respondere argumentis ad utramque partem inductis.

Ad hoc ergo quod primo objicitur, sustinentes quod contritio est virtutis pœnitentiæ motus quidam, dicimus quod dolor quidem est in genere passionis, sed contritio sic sumpta non est dolor, sed potius actus factivus doloris in contrito : et ideo contritio vel virtus est, si in habitu sumitur : vel actus, si in actu consideratur, et non est in genere passionis hoc modo sumpta.

Ad probationem dicendum, quod Augustinus vocat dolorem prout est materia pœnitentiæ sacramenti, et non prout est virtus, vel virtutis.

Ad aliud dicendum, quod Augustinus loquitur de signis pœnitentiæ hoc modo,

prout significatur causa per effectum : pœna enim est effectus pœnitentiæ et contritionis, ut jam patuit : et non intendit, quod pœna essentialiter sit pœnitentia, vel contritio.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod contritio prout est contriti actus, vel habitus, non contriatur delectationi, sed tantum prout est passio contriti : et dico habitum contritionem secundum id quod est, licet proprie nominet vel actum vel passionem : quia nomen verbale est, et potest ab activo et passivo descendere. Sed nos etiam nominamus habitum eodem nomine, ideo quia habitus quidam propria nomina non habent.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod in veritate omne quod alterat, physice loquendo, est passio, vel passibilis qualitas : sed non dicimus accipientem habitus alteratum, sed potius perfectum : neque alteratum eum qui de habitu agit, nisi hoc sit aliud genus alterationis, ut dicit Philosophus in secundo de *Anima* : sed nos non dicimus, quod contritio prout dicitur conterentis actus, sit alterans contritum, sed potins prout est passio contriti et subjecti : et hoc etiam tantum est in genere passionis : sed sic nec est virtus, nec actus virtutis, sed potius effectus ejus in eo circa quod agit virtus pœnitentiæ sive contritionis, ut prius habitum est.

Ad 5. Ad aliud dicendum, quod contritio et quælibet alia virtus, duplicem habet contrarietatem ad vitium et peccatum. Unam in speciei suæ essentia : sicut album contrariatur nigro, et sic una virtus duobus vitiis vel uni opponitur, quorum ipsa est medium. Aliam autem habet contrarietatem ad ipsum in suo toto in quo radicatur, quod est gratia gratum faciens quæ contrariatur peccato non in hac specie vel in illa, sed omni peccato, secundum quod est culpa et offensa Dei : et quoad hoc etiam una virtus non est sine alia. Et secundum hunc modum virtute totius, et aliarum conjunctarum sibi in toto illo, unam habet contrarietatem ad omne peccatum. Utroque istorum modorum contritio contrariatur peccato secundum se totum. Sed verum est, quod delectatio quæ est ex peccati actu, contrarium habet dolorem qui est ex actu conterentis, sicut passionem contingit contrariari passioni.

Ad 6. Ad aliud dicendum, quod pœntientia accipitur ibi in ratione sacramenti, in quo dolor materia est, ut prius dictum est.

Ad 7. Ad aliud dicendum, quod bene conceditur, quod dolor immutans spiritum, passio est secundum quod hujusmodi : sed ille non est essentialis nisi sacramento, non virtuti, ut habitum est. Nec aliquis capiat hoc quod dico *immutari spiritum*, quia intelligo spiritum immutari, idem quod hominem secundum spiritum immutari : quia anima proprie loquendo et per se non movetur, sed potius per accidens.

Ad 8 et 9. Ad aliud dicendum, quod illa solutio bona est, dummodo debite intelligatur : non enim sic intelligitur, quod dolor sit materialis, sicut pars materialis est essentialis, sed potius circa quam est voluntas conterentis, sicut circa effectum : et tunc patet, quod nihil est contritionis pars, secundum quod contritio est virtus : sed ego non reputo inconveniens, quod dolor sit essentialis pœnitentiæ, secundum quod est pars sacramenti, et manens in genere passionis.

Et per hoc idem etiam patet solutio ad sequens : quia voluntas non variat volitum, sed potius e converso : sed contritio non nominat hoc, secundum quod descendit a verbo activo, sed potius conterentis habitum vel actum, ut dictum est.

Ad 10. Ad aliud dicendum, quod etiamsi de dolore loquamur, non est illatus ab alio agente, sed potius eodem, non ut eodem sumpto : et qualiter hoc fit, infra quæritur : sed hic sufficit, quod contritus ipsemet sibi infert dolorem : tamen concedo plane, quod dolor passio est, et etiam contritio, secundum quod est ex parte contriti, et non conterentis : sed hoc

modo pars est sacramenti, et non virtus, vel pars virtutis.

Ad probationem dicendum, quod contrarium non facit dolorem, sed potius idem contrarie afficiens per voluntatem circa peccatum : quia primo voluit hoc cum fecit, modo autem detestatur et dolet. Et hæc duo congrue respondent peccato ratione duorum quæ sunt in ipso, scilicet libido sive dilectio boni commutabilis, et ratio offensæ divinæ.

Ad object. 1. Ad id autem quod in oppositum objicitur, oportet iterum dicere, quod nos concessimus quod dolore meremur, secundum quod est aliquid sacramenti, sicut materia in qua sacramentum perficitur : eo quod hoc sacramentum quærat sibi materiam interiorem, sicut alia exteriorem : et causa jam supra dicta est.

Dicendum igitur, quod passiones dupliciter considerantur, scilicet in comparatione ad agens, et in comparatione ad patiens. Et primo modo dupliciter considerantur : agens enim ipsas, aut est intra voluntarium et discretum, id est, volens et discernens in agendo : aut extra. Si intra : tunc illa passio potest esse meritoria, vel demeritoria : quia est voluntaria, exclusa violentia, et ignorantia : et sic est dolor in contritione. Si autem est extra : tunc nec est meritoria, nec demeritoria : et sic probatur, quod passionibus non meremur. Si autem consideratur ex parte suscipientis, adhuc dupliciter consideratur : aut enim secundum quod est tantum transmutans passum, aut prout bene vel male informatur a voluntate sustinendi honesta causa vel inhonesta. Si primo modo : tunc etiam verum est, quod passionibus non meremur : et hoc est considerare passionem ut passionem. Si secundo modo : tunc passionibus contingit aliquem mereri vel demereri, secundum quod bene vel male per voluntatem informatur : sed non erit meritoria passio ex se, sed ex illo quod voluntas ponit circa eam.

Ad aliud dicendum, quod prima per se loquendo vera est. Secunda autem generaliter proposita, falsa est, sed particulariter vera est. Et ratio hujus patet ex præhabita distinctione. Ad object.

Ad aliud dicendum, quod passio quæ est dolor secundum quod est passio, non est contritio virtus, vel aliquid essentiæ ejus, sed est aliquid sacramenti. Ad object.

Ad aliud dicendum, quod non contrariatur vitio per hoc quod est hæc passio, sed potius per hoc quod est habitus, ut dictum est. Sed tamen ipsa passio expellit peccatum, sed operatione sacramenti, non virtutis. Ad object.

ARTICULUS VII.

Quid sit contritio propria diffinitione ?

Secundo quæritur, Quid sit contritio propria diffinitione et essentia, sive quid est dicenda ?

Dicunt autem quidam, quod est dolor voluntarius pro peccatis semper puniens in se quod dolet commisisse.

Sed contra :

1. Sicut supra [1] habitum est, ista est diffinitio quædam pœnitentiæ : ergo male aptatur parti pœnitentiæ.

2. Præterea, Videtur non esse *dolor* : quia dicit Augustinus in libro de *Civitate Dei* : « Dolor ex carne, est dolor quædam ab ejus passione dissensio : sicut animæ dolor, qui vocatur *tristitia*, est dissensio ab his rebus quæ nobis nolentibus acciderunt [2]. » Constat autem, quod peccata non acciderunt nobis nolentibus, præcipue actualia mortalia, contra quæ specialiter ordinatur contritio. Ergo vide-

[1] Cf. Supra, Dist. XIV.

[2] S. Augustinus, Lib. XIV de Civitate Dei, cap. 15.

tur, quod non sit dolor de illis : et contritio est de illis : ergo contritio non est dolor, ut videtur.

3. Item, Videtur quod nihil sit dictum, *dolor voluntarius* : aut enim hoc est dictum, quod voluntas doleat, aut quod voluntas sit de dolore quo aliud aliquid dolet quam ipsa voluntas. Si primo modo. CONTRA : Nihil de quo est voluntas ut voliti afficientis voluntatem, dolet voluntas, sed potius gaudet in illius consecutione : sed hoc modo, sicut dicit adversarius, de dolore est voluntas : ergo non dolet, sed gaudet in illius consecutione.

4. Item, Non videtur philosophicum dictum esse, quod voluntas dolet : sic enim dicunt Damascenus, Gregorius Nazianzenus, et Aristoteles : « Omnis voluntas in ratione est : et si rationalis non est, voluntas non est. » Dicit autem Aristoteles in VII *Ethicorum*, quod « omnis delectatio est generatio vel motus in sensibilem animam : » ergo nulla delectatio est in rationali : et voluntas est pars animæ rationalis : ergo nulla delectatio est in voluntate : sed opposita habent fieri circa idem : ergo etiam nulla tristitia est in voluntate : sed dolor est tristitia, ut dicit Augustinus in auctoritate [1], sic quod ipsa dolore afficiatur, ut videtur.

5. Item, Nihil dolore potest affici secundum se, nisi quod habet contrarium secundum se : sed voluntas secundum se accepta prout est pars animæ rationalis, non habet contrarium secundum se : ergo dolore non afficitur secundum se.

6. Si autem dicitur dolor secundo modo voluntarius, scilicet quia est voluntas de dolore quo aliquid dolet extra voluntatem. CONTRA : Dolor qui est generaliter destructivus peccati, est de omni peccato : dolor autem in sensibili anima acceptus, non est de omni peccato : ergo non est destructivus peccati. PRIMA patet per se. SECUNDA autem probatur ex hoc quod multa peccata sunt quæ nullum habent objectum vel delectationem in sensibili anima.

Inde sic : Dolor contritionis est generalis, et generaliter destructivus peccati : dolor autem prædicto modo dictus non est generalis, generaliter peccati destructivus : ergo non est dolor contritionis : dictum autem erat, quod est dolor contritionis.

7. Ulterius quæritur de hoc quod dicit ibi, *Semper puniens*. Constat autem, quod non loquitur de pœna secundum habitum, sed secundum actum : sed existente pœna secundum actum, non potest intense inesse alius actus : ergo non posset intense moveri umquam alio actu : ergo non posset intense diligere, vel credere, vel aliud hujusmodi : quod magnum est inconviens.

Quæst. 1.

ULTERIUS quæritur de aliis compluribus diffinitionibus quæ inveniuntur.

Isidorus enim sic diffinit : « Contritio est compunctio et humilitas mentis cum lacrymis, veniens de recordatione peccati, et timore judicii. »

Videtur autem, quod illa diffinitio sit insufficiens multis rationibus.

1. Primo, quia *humilitas* est virtus divisa a contritione, sive sacramentum, sive virtus sit : ergo non debet cadere in diffinitione ipsius.

2. Secundo autem, quia videtur *compunctio* sive contritio non esse *mentis* proprie, sed potius partis sensibilis : quia omnis dolor est in parte sensibili, sicut innuit Augustinus dicens, quod « dolor est sensus eorum a quibus dissentit anima, ex carne ortorum. »

Item, Philosophus dicit, quod « dolor est sensus divisionis continui : » ergo videtur, quod non sit mentis proprie.

Si dicas, quod mens est faciens compunctionem : tunc quæro, Quid vocatur ibi *mens ?* Constat enim, quod *mens* non dicit ibi aliquam partem sensibilis animæ · aut igitur dicit rationem, aut me-

[1] S. AUGUSTINUS, Lib. XIV de Civitate Dei, cap. 15.

moriam, aut voluntatem, aut aliquid aliud quod sit in parte rationalis animæ. Si rationem. CONTRA : Dolor dicitur esse voluntarius, sicut jam habitum est ex præcedenti diffinitione : ergo non dicit rationem, sed voluntatem. Si dicat memoriam, idem objicitur. Si autem dicat voluntatem, hoc constat esse contra dicta Sanctorum et Philosophorum, qui numquam mentem pro voluntate posuerunt.

3. Si dicas, quod ponitur pro superiori parte animæ, in qua sunt tres potentiæ animæ, scilicet memoria, intellectus, et voluntas. CONTRA : Conteri actus quidam est determinatus : ergo egreditur a potentia determinata : ergo non est mentis, secundum quod est communis illis tribus potentiis.

4. Præterea, Quid est quod dicit, *Cum lacrymis?* quia multi conteruntur sine lacrymis, sicut habitum est supra in præcedenti distinctione.

5. Item quæritur, Quare dicit, *Veniens de recordatione peccati ?* Recordatio enim peccati nata est inducere delectationem : cum igitur idem eodem modo se habens non sit causa contrariorum, videtur quod non debeat inducere dolorem.

6. Item, Timor judicii est timor servilis : et ille non est in contritione : ergo contritio non venit ex timore judicii, ut videtur.

Quæst. 2. ITEM, Aliam adhuc descriptionem ponunt quidam ex verbis Gregorii sic : « Contritio est humilitas spiritus, annihilans peccatum inter spem et timorem. »

1. Cum autem multæ virtutes moveant ad contritionem, videtur quod non sit solum diffinienda per humilitatem, sed etiam per alias.

2. Item, Non potest esse essentialis prædicatio, quando dicitur, *contritio est humilitas :* aut igitur contritio est causa humilitatis, aut e converso. Si primo modo : hoc non videtur potius quam alterius virtutis : quia sic est causa justitiæ, et temperantiæ, et aliarum virtutum, quæ in contritione infunduntur : ergo cum aliarum non dicitur esse causa, nec istius causa esse videtur. Si secundo modo. CONTRA : Fides et timor potius sunt causa : quia una ostendit unde non superbiendum, et altera fugit in quantum ordinatur ad pœnam : ergo non debet dici *contritio humilitatis*, sed potius contritio fidei et timoris.

3. Quæritur etiam de hoc quod dicit Gregorius, *Peccatum annihilans*. Quia super illud Job, III, 19 : *Servus liber a domino suo*, dicit Gregorius, quod a peccato non liberatur perfecte in hac vita qui commisit illud : ergo videtur, quod in hac vita peccatum annihilari non potest.

4. Item, Quæritur de hoc quod dicit, *Inter spem et timorem*. Fides enim prima virtutum est : ergo magis movetur pœnitens inter fidem et timorem, quam inter spem et timorem.

5. Item, Spes non exsurgit nisi ex meritis et ex gratia, sicut patet ex sua diffinitione : sed contritus in hoc præsenti nunc primo non habet merita : ergo nec spei actum potest habere : ergo non movetur inter spem et timorem, ut videtur velle Gregorius.

Quæst. 3. INVENITUR etiam alia diffinitio in Glossa super Psalmum, L, 3 : *Miserere mei, Deus* : ubi sic dicitur, « Contritio cordis est sacrificium in quo peccata solvuntur. »

1. Quæritur autem hic, Quare dicitur *contritio cordis*, cum sit generalis ?

2. Præterea, Quæritur de hoc quod dicit, *Sacrificium*. Hoc enim maxime videtur convenire illi parti pœnitentiæ in qua homo se offert ministro Ecclesiæ, cui sacrificium debet offerre : sed hoc fit in confessione : ergo confessio magis est sacrificium quam contritio.

3. Quæritur etiam de hoc quod dicit ibi, *In quo peccata solvuntur*. Cum enim tota pœnitentia non sit nisi ad peccati solutionem, videtur quod aliæ duæ partes superfluant.

4. Item quæritur, Qualiter peccata solvuntur in contritione? Si quoad culpam. CONTRA: Contritio quædam pœna est contriti, aut quidam actus conterentis, ut patet ex præhabitis. Si est pœna contriti, cum pœna non contrarietur culpæ, non videtur debere solvere culpam. Si autem est actus conterentis, sic est actus virtutis alicujus, qui est informatus gratia: ergo ante actum illum fuit remissa culpa: ergo non remittitur per actum illum: ergo peccata non solvuntur quoad culpam in sacrificio contritionis.

Si dicas, quod solvuntur quoad pœnam. CONTRA: Quoad pœnam etiam solvuntur in confessione et satisfactione: ergo non est proprium contritionis, et ita non debet poni tamquam differentia ultima in diffinitione ipsius.

Quæst. 4. INVENITUR adhuc alia quæ est Augustini, scilicet hæc: « Contritio est dolor cum remissione peccati vel remittens peccatum. »

Et ista habet objectionem eamdem cum illa, et aliam propriam.

1. Contritionis enim dolor, aut est finitus, aut infinitus. Si finitus: constat autem, quod culpa et peccatum sunt infinita: ergo finitum potest in infinitum, quod est contra Philosophum. Si infinitus: constat autem, quod est contriti passio, vel actus conterentis, et præcipue est passio: ergo finiti erit passio infinita, quod iterum est contra Philosophum. Ergo videtur quod non sit dolor remittens peccatum.

2. Item, Constat quod dolor ille a nobis est, et noster est: sed remissivum peccati numquam a nobis et nostrum est: ergo remissivum peccati non est dolor. PRIMA patet ex hoc quod dolere non competit nisi naturæ infirmæ sensibili qualis est nostra. SECUNDA patet per illud Isaiæ, XLIII, 25: *Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me*: et illud Augustini, « Qui creavit te sine te, non justificabit te sine te. »

RESPONSIO. Dicendum, quod omnibus his descriptionibus satis bene describitur contritio: et in fine dicemus penes quid differunt. Solutio.

Licet enim prima detur de pœnitentia, tamen sibi maxime competit propter contritionem, sicut dixerunt quidam ante nos quibus nos in hoc consentimus: et per hoc patet solutio ad primum. Quia, sicut supra dictum est, licet pœnitentia tres habeat partes, tamen maxime esse suum salvatur in prima quæ est contritio, eo quod oportet illam secundum actum in omni pœnitentia esse: et aliæ quandoque non sunt, nisi in voluntate, sive in voto, vel proposito. Ad 1.

AD ALIUD dicendum, quod voluntas duplex est, vel potius dupliciter consideratur, scilicet ante actum, et post actum quantum ad id quod remanet de actu in agente, ut dispositio, vel habitus, vel reatus, vel macula, vel omnia hæc. Unde licet peccatum non acciderit nobis volentibus voluntate antecedente actum, inest tamen nobis volentibus voluntate sequenti: et hoc sufficit ad excitandum dolorem hoc modo quo in præcedenti quæstionis articulo notatum est. Ad 2.

AD ALIUD dicendum, quod utroque modo dicitur *dolor voluntarius*: nec dicimus hoc ita esse solvendum, ut quidam scripserunt, scilicet quod voluntas duplex est: ut deliberans, et ut natura: et ut deliberans est, sic est de dolore, et dicitur *dolor voluntarius* : et ut natura est, sic dolet. Quia hoc omnino nihil est: quia voluntas ut natura dolet de contrariis naturæ, et gaudet de convenientibus eidem: et talia non sunt peccata vel gratia: quia peccatum non contrariatur naturæ individui, licet bono naturæ contrarietur: quod qualiter sit, in secundo *Sententiarum* discussimus. Ad 3.

Sed dicendum, quod voluntas deliberativa est qua dolor est voluntarius, et quæ dolet, uno modo, secundum quod dicit beatus Bernardus, quod « nihil punitur nisi voluntas: » non enim est inconveniens voluntatem esse de dolore: et

ideo dolor est ibi materia circa quam est voluntas : et ideo gaudium de assecutione voliti et dolor non secundum unam rationem se habent ad voluntatem : et ideo non sunt contraria : quia iste dolor est factus a voluntate, et est dolor in quantum est punitivus delicti, et voluntarius in quantum curativus et expulsivus peccati : et hoc modo nihil prohibet idem dolere et gaudere de dolore illo in quantum est talis virtutis. Hujus autem exemplum est in secto in apostemate : ex voluntate enim sibi facit dolorem, et gaudet in eo secundum quod curativus est apostematis.

Contra hoc quidam objiciunt sic : quia secundum hoc dolor contritionis non est voluntarius per se, sed per accidens : et hoc reputant inconveniens. Ego autem reputo inconveniens, quod aliquis dolor per se expetatur : cum omnis dolor sit malum pœnæ, et nulla pœna in quantum hujusmodi sit desiderata.

Per hoc patet solutio ad primum quod de hoc objicitur.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod *delectatio* dicitur dupliciter, scilicet proprie, et improprie. Proprie loquendo secundum usum nostrum, delectatio est passio sensibilis animæ proveniens ex conjunctione convenientis sibi cum conveniente : et sic loquitur Philosophus de delectatione, reducens omnes delectationes ad sensum, et adhuc ad delectationem quæ est in tactu, quæ solum secundum eum et Avicennam simpliciter delectatio est. Sed nos magis extendimus delectationis nomen, scilicet pro gaudio et jucunditate qualibet facta ex conjunctione convenientis cum convenienti : et sic convenit delectari animæ rationali, sicut dicit Psalmus xxxvi, 4 : *Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui*. Et huic opposita tristitia sive dolor etiam potest esse in rationali.

Ad 5. Ad aliud dicendum, quod simpliciter spirituale non habet contrarium in esse, sed prout ordinatur ad aliquid, potest habere contrarium ordini illi : et hoc modo anima rationalis habet contrarium peccatum, quia contrariatur conjunctioni et ordini ad Deum.

Ad aliud dicendum, quod si dolor sit in sensu, est particularis : in contritione autem adhuc est universalis. Dupliciter enim attenditur, scilicet ex parte subjecti in quo fit, et ex parte efficientis cum quo etiam in ipsum influit forma quæ perficit efficientem. Si primo modo : tunc est particularis : et sic procedit objectio. Si secundo modo : tunc est universalis, sicut voluntas quæ est universalis motor omnium eorum quæ sunt in regno animæ : et hoc modo gratia perficiens voluntatem, cum motu voluntatis fluit in ipsum, ratione cujus potest expellere peccatum. Ad 6.

Ad aliud dicendum, quod meo judicio *semper puniens* dicitur in habitu punientis, non in actu. Vel dicatur, quod punire semper contingit dupliciter, scilicet proprio actu contritionis, et sic non semper actu punit : vel actu tenente vel continente carnem ne ex ipsa oriatur peccatum, et obviante radici peccati : et hæc pœna fit in difficultate omnis virtutis : et sic potest pœnitere semper. Sed tamen prima solutio est magis ad propositum. Ad 7.

Ad id quod ulterius objicitur de diffinitione Isidori, dicendum quod *humilitas* non ponitur ibi pro ipsa virtute humilitatis, sed potius pro humiliatione quæ idem est quod dejectio : et hoc est primum in contritione, scilicet quod dejicit mentem erectam contra præcipientem et præceptum in transgressione quæ est peccatum : et ideo locutio debet exponi per causam : quia contritio dicitur esse humilitas non per essentiam, sed per causam, quia est causa illius : sicut dicitur, Dies est sol lucens super terram. Ad quæst. Ad 1.

Ad aliud dicendum, quod *mens* ibi sumitur meo judicio pro toto interiori homine. Ad 2 et 3.

Et ad hoc quod objicitur, quod *conteri* est actus spiritualis : dicendum quod

conteri secundum essentiam est actus spiritualis : sed aliquid ipsius est unius, et aliquid alterius est : est enim conteri, detestari peccatum dolendo de ipso : et ad hoc requiritur peccati consideratio in statu, in culpa, in tempore, et in aliis quæ Augustinus dicit in *Littera* : quæ consideratio rationis est et intellectus. Exigitur etiam notitia præteriti peccati, et hæc est memoriæ : et exigitur dissensus qui est voluntatis. Unde licet unus sit actus secundum se, tamen plura exigit et coexigit sibi, et ratione illorum habet etiam aliquid in aliis potentiis animæ.

Et per hoc patet solutio ad totum quod objectum est de *mente*.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod *lacrymæ* sunt ibi voluntatis lacrymæ : et ratio hujus patet ex dictis in præcedenti distinctione. Vel si quandoque sunt oculorum lacrymæ, illæ sunt ibi ut signum, et non ut essentia contritionis, vel aliquid essentiale ipsius : nec Sancti curant ita de propriis diffinitionibus in quibus nihil sit nisi essentiale : quia intendunt notificare rem de qua loquuntur : et hæc frequenter quoad nos melius innotescit per signa, quam per substantialia.

Ad 5. Ad aliud dicendum, quod *recordatio peccatorum* dicit commune quoddam quod potest facere delectationem, vel dolorem : sed hic intelligitur recordatio peccatorum cum indignatione sui et detestatione peccati : et sic recordatio non est nata nisi facere tristitiam et dolorem.

Ad 6 Ad aliud dicendum, quod *timor judicii* dicitur dupliciter, scilicet qui principalem oculum habet ad judicium : et ille causatur a fide informi : et vivit in eo secundum Gregorium peccandi voluntas : et sequeretur opus si speraretur impunitas : et iste est timor servilis, et non est in contritione, sed attritione. Est iterum *timor judicii*, potius judicis quam judicii, qui principalem oculum habet ad æterna, scilicet ad Deum qui est judex, a quo propter dilectionem horret separari, et ex illa separatione incidere in pœnas judicandorum : et ille est timor initialis, qui est in contritione. Dicit enim Gregorius : « Cum sic pœna timetur, quod facies judicis non amatur, timor est ex timore, non ex amore : cum autem sic timetur, quod facies judicis amatur, timor ex amore est, non ex timore : » et hoc modo intelligitur timor judicii in diffinitione Isidori.

Ad quæst. 2 Ad 1. Ad id quod ulterius quæritur de diffinitione Gregorii, dicendum quod *humilitas* hic sumitur pro humiliatione, sicut dictum est : tamen humilitatis actus causatur ab actu contritionis, ut jam dictum est : et sic loquitur hic Gregorius : et sic vicinior est sibi humilitas quam alia virtus propter conformitatem in actu dejectionis in dolente et humiliato, qui ubicumque se dejicit.

Ad 2. Ad aliud quod contra hoc videtur esse, quod contritio causet humiliationem : dicendum quod contritio quodammodo causat omnes alias, sicut supra notatum est [1] : sed tamen specialiter humilitatem in actu : quia dejectio sui initium est reconciliationis divinæ, sicut superbia initium apostatandi a Deo, ut dicitur, Eccli. x, 14 [2].

Ad object. Ad hoc autem quod objicitur de fide, quæ non superbiendum esse ostendit, et timore qui pœnam fugit: dicendum quod hæc duo sunt moventia ad contritionem non proxime, sed quasi ante quæ nihil : unum secundum intellectum, et alterum secundum affectum : sed humiliatio est proximum consequens contritionem, secundum quod per ipsam est accessus ad Deum : quia oportet se dejicere ut subdatur præcepto et præcipienti. Aliæ autem virtutes causantur aliquo modo a contritione, secundum quod est terminus justificationis, non tamquam conjunctæ

[1] Cf. Supra, Dist. XIV.

[2] Eccli. x, 14 : *Initium superbiæ hominis, apostatare a Deo.*

actui contritionis secundum quod contritio.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod peccatum annihilari potest tripliciter, scilicet secundum reatum culpæ, et secundum timorem ne surgat, sive secundum potentiam peccandi, et secundum certitudinem remissionis. Primo autem modo peccatum annihilatur in pœnitente: sed non secundo et tertio: quia quamdiu vivit homo, potest peccare, et ideo timet: et quamdiu vivit, non habet certitudinem remissionis, quia sicut dicitur, Eccle. IX, 1: *Nescit homo utrum amore an odio dignus sit*. Et hæc est servitus de qua dicit Gregorius quod non liberatur servus qui semel servivit peccato, dum vivit.

Ad 4 et 5. Ad aliud dicendum, quod inter spem et timorem movetur pœnitens et contritus, potius quam inter fidem et timorem: quia fides non nisi ostendit, sed spes elevat desiderium ad exspectandum. et timor interius pungendo incitat ad peccati fugam: unde cum contritus elevetur in æterna, et fugiat peccatum, potius movetur inter spem et timorem, quam inter fidem et spem, vel inter fidem et timorem.

Ad quæst. 3. Ad 1. Ad id quod objicitur de illa diffinitione quæ ponitur super Psalmum, L, 3: *Miserere mei, Deus:* dicendum quod metaphorica est, nec proprie diffinitio, sed quædam assignatio cujusdam proprietatis contritionis, per quam similis est sacrificio: fiunt enim duo in sacrificio, scilicet corporis animalis in igne assumptio, et in offerente purificatio: et his duobus assimilatur contritio: quia in igne cordis consumit bestiales mores qui sunt peccata, sicut dicit Psal. XXXVIII, 4: *Concaluit cor meum intra me: et in meditatione,* etc. Et remittitur in ea peccatum.

Ad 2. Ad id quod contra objicitur, dicendum quod non in hoc sumitur similitudo, sed potius in sacrificii intentione.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod peccatum dupliciter consideratur, scilicet in culpa sibi debita per se in quantum peccatum est, et in pœna quæ debetur ei ex eventu sequenti. Primo quidem modo debetur ei pœna æterna. Secundo autem modo temporalis, eo quod contritio fuit de ipso et confessio: et quoad primum modum solvitur in contritione: et ideo dicitur ibi proprie *solvi*. Sed quando dicitur, quod pœnitentia quoad omnes partes ordinatur contra peccatum, intelligitur peccatum in culpa, et pœna communiter sibi debita per se et ex eventu: quia contra illam quæ facta est venialis ex eventu, ordinatur confessio, et satisfactio, ut prius habitum est.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod contritio sive sit passio, sive sit actus, destructiva est peccati, et etiam dolor, quia non est dolor secundum se, sed informatus gratia: et ideo potest expellere peccatum.

Ad obj. Ad hoc autem quod objicitur, quod si est actus virtutis, quod est consequens expulsionem peccati: dicendum, quod verum est, quod est consequens secundum naturam, sed tamen simul est secundum tempus: et ideo operatur ad peccati expulsionem.

Ad quæst. Ad hoc quod ulterius quæritur de illa quæ videtur esse Augustini, dicendum, quod dolor infinitus ratione formæ quæ virtutis est infinitæ, scilicet gratiæ, potest in infinitum: et ideo cessat objectio quæ est de illo.

Si autem aliquis dubitat, qualiter gratia sit virtutis infinitæ, quærat in quæstionibus habitis de *gratia* super secundum librum *Sententiarum*[1]: et inveniet ibi omnia quæ expediunt ad solutionem istius difficultatis.

Quæst. Si autem quæritur, Penes quæ attenditur diversitas harum diffinitionum?

Solutio. Dicendum, quod contritio consideratur dupliciter, scilicet quoad essentialia,

[1] Cf. II Sententiarum, Dist. XXVI. Tom. XXVII hujusce novæ editionis.

quæ sunt dolor voluntarius, et punitio sui, et objectum proprium quod est peccatum : et secundum accidentalia quæ manifestant ipsam per modum signorum. Et primo quidem modo supra datur prima diffinitio. Accidentalia autem variantur : aut enim sunt in actu, aut in comparatione ad causam excitantem ad conterendum, aut in comparatione ad effectum, aut in comparatione ad virtutes juvantes in actu, quia una virtus juvat aliam. Et primo modo per signum actus et per comparationem ad causam excitantem sumitur secunda quæ est Isidori, quæ causa est recordatio peccati, et timor judicii. Tertia autem quæ est Gregorii, sumitur per signum et effectum. Quarta autem per conformitatem ad figuram suam in Veteri Testamento. Quinta autem et ultima per instrumentum et effectum : quia dolor est quasi instrumentum contritionis, quo conterit peccatum.

ARTICULUS VIII.

Quæ sit differentia inter compunctionem, attritionem, et contritionem ?

Tertio quæritur, Quæ sit differentia inter compunctionem, et attritionem, et contritionem ?

Quæst. 1. Videtur enim, quod *compunctio* et *contritio* sint penitus idem : quia super illud Psalmi IV, 5 : *Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini*, dicit Glossa : « In cordibus vestris compungimini dolore pœnitentiæ, ut seipsam anima puniens compungat, ne in Dei judicio damnata torqueatur : » hæc autem omnia conveniunt contritioni : ergo videtur, quod compunctio et contritio sint idem.

Sed contra. Sed contra hoc est quod

1. Ibidem dicit alia Glossa : « *Compungimini*, id est, quasi quibusdam stimulis adhibitis excitate vos non pro dolore peccatorum, sed ad videndam lucem Christi, scilicet non pro irriguo inferiori, sed superiori, ut invisibililium amore inardescatis. » Cum igitur contritio numquam sit nisi pro peccatis, compunctio autem non pro peccatis, contritio et compunctio non sunt idem.

2. Item, Videtur hoc ex ratione nominum : nihil enim compungitur, nisi quod habet sensum puncturæ, et non est totum ad annihilandum, sed potius incitare debet ad aliquid per sensum compunctionis : sed id quod conteritur, teritur in pulvere, et annihilatur : ergo contritio et compunctio non sunt idem.

Quæst. 2. Præterea quæritur de *attritione*, Si sit idem cum contritione ?

Videtur autem quod sic : quia quidquid conteritur, atteritur, et e converso : ergo videtur, quod contritio et attritio, aut sint idem, aut sint convertibilia.

Si hoc dicas : Contra hoc est quod communiter dicitur, quod *attritio* est dolor sine gratia gratum faciente : *contritio* autem est dolor de peccato cum gratia gratum faciente : ergo ipsa non sunt idem.

Quæst. 3. Sed tunc quæritur ulterius difficilis quæstio, Utrum attritio possit fieri contritio ?

Et videtur quod sic :

1. Omne enim materiale ad formam aliquam, potest suscipere formam illam in eadem substantia manente : sed dolor de peccatis materialis est ad gratiam : ergo susceptibilis est illius in eadem substantia manente : sed secundum se est attritionis : ergo dolor attritionis est, vel fieri potest dolor contritionis : ergo et attritio est contritio.

2. Item, Philosophus dicit in fine primi *Physicorum*, quod una est materia secundum substantiam et subjectum, secundum quod est sub privatione et sub forma, licet esse non sit idem : ergo a

simili unus est dolor secundum substantiam sub privatione gratiæ, et una est gratia, licet secundum esse varietur : ergo attritio potest fieri contritio.

3. Item, Gratia dicitur informare dolorem : nihil autem informatur quod non est : ergo dolor ille est ante gratiam. Aut igitur est tunc attritionis, vel contritionis. Constat autem, quod non contritionis, cum non habeat gratiam gratum facientem quæ facit contritionem : ergo relinquitur, quod sit dolor attritionis. Ergo idem in substantia materiæ est in attritione et contritione : ergo fit contritionis dolor : et hoc est quod intendimus.

4. Item, Natura operatur via breviori : et ideo non dat novam materiam : quia una materia quæ est unius, potest etiam esse materia alterius, substantia materiæ manente eadem : sed dat novam formam, qui non potest esse una forma duorum specie. Cum igitur gratia ordinatior sit in operibus suis, quam natura, videtur quod etiam gratia expedit se paucioribus quo potest. Cum ergo via brevior sit informare dolorem inventum, quam facere novum et informare illum, videtur quod informet inventum qui non est nisi dolor attritionis : ergo, etc.

5. Item, Tria sunt principia transmutationis, licet tantum duo sint substantiæ existentis et generatæ : hoc autem non posset esse nisi idem principium materiale maneret sub privatione et forma. Ergo similiter est in operibus gratiæ quibus justificatur homo : quia alias oporteret ponere duo materialia, et sic essent quatuor principia : cum igitur idem sit subjectum privationis et formæ, idem erit dolor ante formam gratiæ et post : ergo, etc.

Sed contra. Sed contra : hoc est quod

1. Quorum principia sunt diversa, ipsa omnino sunt diversa : sed principia doloris, attritionis, et contritionis sunt diversa : ergo ipsa sunt diversa. Prima patet per se. Secunda probatur ex hoc quod timor initialis et fides formata generant dolorem attritionis.

2. Item, Secundum communem opinionem naturalia non fiunt gratuita : sed dolor attritionis est de naturalibus, quia naturalia dicuntur quæcumque sunt ante gratiam : ergo videtur, quod non fiat dolor contritionis.

3. Item, In naturis non est una materia unica corruptibilium et incorruptibilium, ut dicit Philosophus in X *primæ Philosophiæ* : sed constat, quod forma divina magis distat a forma naturali, quam naturalis ab incorruptibili : ergo non est una materia univoca ad formam divinam, et formam naturalem : sed in contritione est forma divina, in attritione autem naturalis : ergo non habent unam materiam, ut videtur.

4. Item, Eorum quorum est materia una (ut dicit Philosophus) est transmutatio ad invicem : sed contritionis et attritionis non est transmutatio ad invicem : ergo ipsarum non est unus dolor materialis. Media probatur ex hoc, quod quorum est transmutatio ad invicem, utrumque transmutatur in alterum : sed nullus dicit, quod contritio possit fieri attritio, licet e converso quidam quandoque concesserint fieri : ergo constat propositum.

Solutio. Solutio. Dicendum, quod meo judicio unus et idem dolor in substantia potest esse attritionis et contritionis : sicut etiam fides informis potest etiam fieri formata. Tamen pro utraque parte sunt opinantes : sed quod dictum est, mihi probabilius videtur.

Ad quæst. Ad id autem quod primo quæritur de differentia contritionis, et compunctionis, dicendum quod licet una pro altera sæpe utantur Sancti, tamen differunt in duobus : quorum unum est, quod compunctio est in plus, quam contritio : et ista differentia habetur ex collatione duarum Glossarum inductarum, scilicet quia compunctio est, sive sit pro peccatis dolor

pungens, sive sit pro incolatu miseriæ.

Alia etiam differentia est ex nomine : quia *compunctio* proprie dicit dolorem pœnitentiæ, secundum quod pungit pœnitentem : *contritio* autem dicit eumdem, secundum quod annihilat peccatum iteratum super singulas differentias : sicut contritio in re contrita, quando ictus fit super singulas partes divisas.

Et per hoc patet solutio ad totum quod quæritur de differentia compunctionis, et contritionis.

Quæst. 2. Ad id quod quæritur de differentia contritionis et attritionis, dicendum quod differentia assignata in objiciendo bona est : et videtur mihi, quod dolor attritionis potest fieri dolor contritionis : quia attritio non ponit formam aliquam circa dolorem, sed tantum dicit carentiam formæ quæ est gratia : et hoc patet ex eo quod per privationem diffinitur, cum dicitur quod attritio est dolor de peccato non informatus gratia.

Quæst. 3. Obiect. 1. Ad id autem quod contra objicitur, dicendum quod duplicia sunt principia rei, scilicet intrantia essentiam ipsius et constituentia ipsam, et principia facientia rem et non ingredientia in essentiam. ipsius. Et de primo modo dictis principiis verum est, quod quorum principia sunt diversa, etc., sed non de principiis secundo modo dictis : et talia sunt ea per quæ probatur illa propositio in objiciendo.

Obiect. 2. Ad aliud dicendum, quod quidquid sit de illa opinione, bene puto quod naturalia non fiunt gratuita : hic videtur dicendum, quod dolor attritionis non est de naturalibus, imo est donum Spiritus sancti : sicut et timor servilis a quibusdam dicitur fieri initialis, et fides informis fit formata.

Obiect. 3. Ad aliud dicendum, quod in naturis corruptibilium et incorruptibilium potest esse materia una, licet non propria, sed prima : et quidquid sit de hoc, hic aliud est : quia utrumque istorum est donum : sed unum est diminutum donum, ut gratia gratis data : et aliud ut perfectum per gratiam gratum facientem.

Ad obiect. 4. Ad aliud dicendum, quod non est verum secundum Philosophum, quod eorum quorum est materia una, sit transmutatio ad invicem, ita quod utrumque transmutetur in alterum : quia cum dicitur hoc fieri ex illo, ly *ex* quandoque notat simul ordinem et privationem : et tunc non revertitur, sicut ex puero fit senex, et ex mane fit dies : et ita est hic : ordo enim doloris in attritione est ut antecedentis ad contritionem : et ideo ex dolore attritionis fit dolor contritionis, sed non e converso.

Si quis autem est de alia opinione, de levi potest solvere rationes prius inductas : et ideo supersedeo.

ARTICULUS IX.

Cujus partis animæ est contritio ?

Quarto quæritur, Cujus partis animæ sit contritio ?

Videtur autem, quod voluntatis, quia

1. Dicitur esse dolor voluntarius.

2. Item, Dicit Bernardus, quod « nihil peccat nisi voluntas : » sed ejusdem est conteri, cujus est peccare : ergo solius voluntatis est conteri.

3. Item, Contritio est deletiva peccati mortalis : ergo oportet, quod sit in eodem cum peccato mortali : sed peccatum mortale est in libero arbitrio, ut dicit Augustinus : ergo videtur, quod contritio sit in libero arbitrio.

Quæst. Sed quæritur tunc ulterius, Cum contritio sit actus conterentis, ut supra habitum est, et passio contriti, cujus sit ut conterentis, et cujus ut contriti ? et, utrum hæc idem sint, an diversa ?

Videtur, quod actus ipse sit rationis : quia

1. Actus ille est peccati detestatio cum indignatione qua indignatur peccato et peccanti : sed conferre hujusmodi non est nisi rationis : ergo actus contritionis est rationis, ut videtur.

2. Item, Pœnitentia movetur contra peccatum in quantum est perpetratum, et sic est ibi quædam collatio : conferre autem est solius rationis : ergo videtur, quod contritio sit solius rationis.

3. Item, In judicio exteriori contritio latronum vel maleficorum duobus attribuitur ut agentibus, scilicet judici per imperium, et bedello per exsecutionem, sive lictori : ergo simile erit in judicio interiori : dicit autem Augustinus in libro de *Pœnitentia*, quod judex est ratio : ergo contritio quæ est actus conterentis, potest esse rationis, vel carnificis, qui est timor secundum beatum Augustinum.

Sed contra. Videtur autem, quod contritio passio sit omnis vis animæ : quia in qualibet vi quæ aliqualiter participat ratione, peccatum committitur vel potest committi : sed in quacumque est peccatum, in illa necessarium est conteri : ergo necesse est, quod in qualibet conteratur : ergo non erit passio unius vis, sed omnium quocumque modo rationalium dictarum.

Hoc autem quod posset objici, utrum ejusdem sit dolere et velle dolere, in præhabitis objectum et solutum est.

Solutio. Solutio. Dicendum, quod contritio præcipue est partis animæ quæ dicitur *voluntas*, sicut in quibusdam objectis probatum est : licet quidam quandoque dixerunt, quod sit in irascibili, quia indignatur sibi : irascibilis enim non est indignari sibi, sed potius extrinseco nocenti : sed peccatum perpetratum in quantum perpetratum, proprie detestatur voluntas dissentiens ab eo.

Ad quæst. Ad 1. Ad illud ergo quod objicitur, quod contritio actio sit rationis : dicendum quod non, sed potius voluntatis rationalis : et ideo ordo et collatio sunt rationis discernentis quod detestandum est, sed tamen ipse dolor est voluntatis.

Ad aliud dicendum, quod in multis ita est quod actus voluntatis propter hoc quod est ex ratione præordinante, est cujusdam collati, licet non conferat, sicut diligere amicum propter amicum, et diligere parentem plus quam inimicum, et sic de aliis : unde licet voluntas non conferat, tamen affectus ejus quandoque cadit super collata : et ita est hic.

Ad aliud dicendum, quod ratio non conterit nisi per modum discernentis, sicut nec judex : sed voluntas exsequitur per modum conterentis per dissensum et dolorem.

Ad hoc quod objicitur de contritione Ad passione, quod sit omnis vis animæ, dicendum quod hoc nihil prohibet : tamen non erit primo nisi voluntatis dissentientis peccato perpetrato : quia hoc quasi punitur in omnibus aliis, et participatur ab aliis, in quantum est motor earum : et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICULUS X.

An contritio semper eodem modo fuerit in Novo et Veteri Testamento?

Quinto quæritur, Utrum eodem modo semper fuerit in Novo et Veteri Testamento?

Videtur autem, quod sic : quia

1. Cujus causa uno et eodem modo se habet, et ipsum eodem modo se habet : sed actuale est causa contritionis : et eodem modo fuit in Novo et Veteri Testamento : ergo et contritio fuit eodem modo.

2. Item, Contritio non ordinatur contra peccatum naturæ, sed potius personæ : et hæc semper divisa fuerunt, et sunt, et erunt : ergo videtur, quod re-

medium actualis semper debuit esse per modum unum : ergo uno modo fuit contritio in Novo et Veteri Testamento.

3. Item, Joel, II, 12, dicitur, *Convertimini ad me.* Et post, ℣. 13 : *Scindite corda vestra*, etc. Sed nihil aliud imponitur contrito et pœnitenti in Novo Testamento : ergo videtur, quod eodem modo, etc.

1 contra. SED CONTRA :

1. Aliæ duæ partes, scilicet confessio, et satisfactio, non erant eodem modo ut nunc : ergo nec contritio.

2. Item, *Nihil ad perfectum adduxit lex*, ut dicitur, ad Hebr. VII, 19 : ergo non competebat ei sacramentum perfectionis : sed contritio prout observatur in Novo Testamento, ducit ad perfectionem : ergo in Veteri Testamento debuit esse secundum typum, et minus, ut videtur.

olutio. SOLUTIO. Dicendum, quod contritio fuit in Veteri Testamento sicut in Novo : sicut probant primæ rationes.

bject. 1. AD HOC autem quod contra objicitur, dicendum quod aliud est de confessione et satisfactione, quia illa habebant fieri ministerio sacerdotum : unde cum alii fuerint sacerdotes status illius, et alii status istius, non poterant illæ duæ partes esse eodem modo in Novo et Veteri Testamento. Sed in contritione non respicitur nisi Deus qui peccata delet : et ideo illa semper eodem modo fuit semper et in lege naturæ, et Moysi, et gratiæ.

Ject. 2. AD ALIUD dicendum, quod contritio licet in lege sit observata, non tamen est legis sicut moralia mandata, ut disputatum est supra tertium *Sententiarum*, in fine : et ideo contritio potuit aliquid ducere ad perfectum in fide venturi.

Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICULUS XI.

Quid sit primum movens ad contritionem ?

Ultimo quæritur, Quid movet ad contritionem ?

1. Videtur autem, quod timor per diffinitionem contritionis ab Isidoro positam.

2. Item, Isa. XXVI, 17 et 18 : A timore tuo, Domine, concepimus, etc[1] : parturitio autem hæc est in contritione : ergo videtur, quod a timore Domini concipitur : ergo timor primo movet ad contritionem.

Sed contra. SED CONTRA videtur, quod fides primo moveat : quia pœnas peccato perpetrato debitas ostendit fides ut nocivas : ergo facit primo fugam et detestationem : et hoc est contritio : ergo contritio concipitur et causatur fide.

Quæst. ET QUIA de hoc satis supra in quæstione de *pœnitentia* habitum est, quæritur, in ratione cujus articuli moveat ad contritionem?

Videtur autem, quod ratione hujus : « Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos : » quia articulus ille movet ad dolorem de peccato in judicio judicandos : et ille timor vel dolor est contritio : ergo fides movet ad hoc quod aliquis conteratur.

Sed videtur, quod ille qui est, « Remissionem peccatorum : » quia in contritione peccata remittuntur : ergo ille articulus movet ad contritionem.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum videtur, quod

[1] Vulgata habet, Isa. XXVI, 17 et 18 : *Sicut quæ concipit, cum appropinquaverit ad partum, dolens clamat in doloribus suis, sic facti sumus a facie tua, Domine. Concepimus, et quasi parturivimus, et peperimus spiritum.*

fides movet ex parte intellectus, et timor et affectio amoris ex parte affectus : quia ex parte illa qua oculus est ad pœnam, movet timor : ex parte autem illa qua est ad gloriam, movet amor.

Ad 2 et 1. Ad primum autem quod contra hoc est, dicendum quod timor movet, sed non primo, sed proxime ex parte contriti secundum affectum.

Per hoc etiam solvitur id quod objicitur de Isidoro.

Ad quæst. Ad id autem quod quæritur, Ratione cujus articuli?

Dicendum, quod ratione illius qui est de judicio, sicut habetur expresse in diffinitione Isidori supra dicta.

Ad object. Ad id autem quod contra objicitur, dicendum quod remissio peccatorum movet ad hoc : sed tamen fides conjungit spem remittendi peccata : sed judicii consideratio, quia incutit timorem, excitat ad contritionem : et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICULUS XII.

An confessio sit in præcepto et obliget omnes?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, A, post initium : « *Confessio ibi :* Justus in principio sermonis accusator est sui [1]. »

Quærantur hic de confessione septem.

Primo, Utrum confessio sit in præcepto, an non?

Secundo, Utrum sit de jure naturali, vel positivo?

Tertio, Qualiter fuit in naturali et veteri lege, et utrum eodem modo vel diverso?

Quarto, Utrum sit alicujus virtutis opus, vel tantum sacramenti : et si alicujus virtutis, quæ sit illa virtus?

Quinto, Quid sit diffinitione, et essentia, vel esse?

Sexto, Quis articulus fidei moveat ad confessionem?

Septimo, Cui innitatur attributo in Deo, utrum misericordiæ, vel sapientiæ, vel alii?

Ad primum objicitur sic :

1. Quidquid est necessarium ad salutem, est in præcepto : confessio est necessaria ad salutem : ergo est in præcepto. Prima patet ex communi omnium distinctione inter præceptum et consilium. Secunda probatur ex dicto Ambrosii qui dicit sic : « Justificari non potest quisquam, nisi peccatum confessus fuerit. »

2. Item, Præceptum impletum dat ingressum ad vitam : sed non confitens non ingreditur ad vitam : ergo videtur, quod confessio sit in præcepto. Probatur prima per illud Matthæi, xix, 17 : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Secunda supponitur communiter ab Ecclesia.

3. Item, Præcipitur pastoribus Ecclesiæ ut diligenter cognoscant vultum sui pecoris : sed non possunt cognoscere nisi sciant in quibus infirmatur, quia in parte illa indiget custodia, non in parte qua sanum est : ergo videtur quod ipsum pecus teneatur exponere causas ægrotationum : hoc autem non contingit nisi per confessionem : ergo præcipitur eis, quod confiteantur : ergo confessio est in præcepto.

4. Item, In corporali medicina præcipitur ægro ut exponat medico corporali in quot, et quibus, et ubi doleat : cum igitur morbus spiritualis periculosior sit quam corporis, multo magis debet præcipi ægro spirituali, quod exponat medico spirituali causas ægritudinum suarum.

[1] Vulgata habet, Proverb. xviii, 17 : *Justus r est accusator sui.*

1 contra. SED CONTRA :

1. Si est in præcepto, tunc æqualiter obligat omnes : sed quidam a peccato mundati sunt, qui non leguntur esse confessi : ergo non videtur esse in præcepto. PROBATIO primæ est ex hoc quod communiter dicitur, quod ad præcepta omnes teneamur, sed non ad consilia. SECUNDA probatur ex hoc quod habetur, Luc. VII, 47, de Maria Magdalena, cui dimissa sunt peccata multa : non quia confessa est, sed quia dilexit multum. Et de Petro qui negavit : nec tamen confessus fuisse legitur, sed flevisse [1].

2. Item, Nihil exigitur ad unius contrarii expulsionem, nisi alterius contrarii introductio in subjecto eodem : sed absque omni confessione per infusionem virtutum quæ fit in contritione, et justitiam consuetudinalem quæ fit in satisfactione, virtus cuilibet peccato contraria inducitur in subjecto : ergo videtur, quod hoc sufficit ad peccati expulsionem : ergo non est necessaria peccati confessio : ergo non est de præcepto.

3. Item, In peccato non sunt nisi duo, scilicet culpa, et pœna : quia etiamsi dicatur ibi esse difficultas bene operandi, illa etiam est pœna quædam : sed culpa cum conjuncta sibi pœna æterna expellitur sufficienter per contritionem : pœna autem remanens, scilicet debitum pœnæ temporalis cum difficultate bene operandi, sufficienter expellitur per satisfactionem : ergo confessio ad nihil est necessaria : ergo non debet esse in præcepto.

4. Item, In naturis ad perfectionem rei in esse et posse non exigitur nisi inductio formæ in materia, et confortatio ejusdem in illa : ergo similiter est in esse spirituali : sufficienter autem inducitur forma gratiæ in anima per contritionem : et per satisfactionem sufficienter confortatur : ergo confessio omnino superfluit, ergo, etc.

5. Item, Si in præcepto est confessio et de necessariis ad salutem, tunc operatur ad peccati dimissionem per aliquem modum : aut igitur in pœna, aut in culpa. Si in culpa. CONTRA : Ante confessionem frequenter culpa dimissa est : ergo non operatur ad culpæ dimissionem. Si autem operatur ad deletionem pœnæ. CONTRA : Aut illa est pœna æterna, aut non. Si æterna. CONTRA : Illa est adjuncta culpæ, et cum culpa stante stat, et cum soluta solvitur : habitum autem est, quod culpa solvitur in contritione : ergo non operatur contra pœnam æternam confessio. Si autem est pœna temporalis. CONTRA : Nihil operatur contra aliud nisi per hoc quod est contrarium illi : confessio non habet contrarietatem ad pœnam temporaliter debitam peccato : ergo non expellit illam, ut videtur.

6. Item, Actus omnino corporalis non videtur expulsivus peccati : sed confessio oris est actus omnino corporalis : ergo non est expulsivus peccati.

ULTERIUS hic quæritur, Si est in præcepto, cujusmodi sit illud præceptum ? Quæst.

Aut est enim cæremoniale, aut sacramentale, aut judiciale, aut morale.

1. Si *cæremoniale* pure : tunc videtur, quod non debeat teneri in Novo Testamento. PROBATIO. Quorumcumque totus usus est in significando, cessant adveniente veritate quam significabant : cæremonialium totus usus est in significando : ergo cessant in Novo Testamento, in quo patefacta est veritas quam significabant PRIMA probatur ex hoc quod nihil inutile est in operibus Ecclesiæ : et inutile esset, quod id quod tantum habet usum in significando, teneretur veritate patefacta : quia melius quilibet instruitur per manifestationem veritatis, quam per typum et figuram. SECUNDA autem præscribitur a Magistro in libro I *Sententiarum* [2]. .

2. Si autem dicatur esse *sacramentale* :

[1] Matth. XXVI, 75.

[2] Cf. I Sententiarum, Dist I. Tom. XXV hujusce novæ editionis.

aut de Novo Testamento, aut de Veteri. Constat autem, quod non de Veteri, quia tunc cessasset in Novo, sicut et alia Veteris Testamenti sacramenta. Si de Novo Testamento. CONTRA : Nihil est in Novo Testamento sacramentum, nisi per institutionem divinam : confessio non legitur habuisse institutionem divinam : ergo non est de sacramentis Novi Testamenti.

Si autem dicatur *judiciale*. CONTRA : Judicialia secundum diversitatem hominum et sectarum variantur : confessio autem non sic variatur : ergo non est de præcepto judiciali.

Si autem dicatur esse de *moralibus* : tunc quæritur, ad quod reducatur ? In verbo enim non consistunt nisi duo : unum ad Deum, scilicet, *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum* [1] : et alterum ad proximum, *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium* [2]. Constat autem, quod ad primum non reducitur, quia non est juramentum : nec ad secundum, cum nihil ibi dicatur contra proximum : ergo videtur, quod in nullo cadat genere præceptorum, scilicet moralium.

3. Si forte dicatur, quod sit de præceptis Patrum. CONTRA : Nihil ens de præceptis Patrum, est pars sacramenti, vel sacramentum : confessio est de præceptis Patrum : ergo non est sacramentum, vel pars sacramenti. PRIMA per hoc probatur, quod omnia sacramenta cum suis essentialibus habent vim ab institutione divina. SECUNDA autem supponitur ex hypothesi.

Item, Præcepta Patrum recipiunt dispensationem, eo quod sint de non necessariis ad salutem : ergo si confessio est de præceptis Patrum, poterit fieri dispensatio, ita quod aliquis moriatur sine confessione : quod non fit in Ecclesia, nec posse fieri judicatur.

4. Si forte tu dicas, quod hoc præceptum habet institutionem divinam, ut cum Dominus dixit leprosis : *Ite, ostendite vos sacerdotibus* [3]. CONTRA : Illi sacerdotes erant legales, et non veri, quibus Dominus jussit ut se præsentarent leprosi : ergo ex hoc non habetur, quod confitendum sit modo quo confitentur fideles in Novo Testamento.

Item, Illi non sunt jussi confiteri, sed tantum ostendere se mundatos : ergo ex hoc non habetur, quod sit ore confitendum : ita quod singula peccata enarrentur, sicut fit in Novo Testamento : ergo videtur adhuc haberi, quod non sit in præcepto.

5. Si forte tu dicas, quod propter pœnitentiam injungendam oportet quod notus sit morbus : et ideo præceptum est confiteri, et hoc præceptum promulgatur, Jacob. v, 16, ubi dicit : *Confitemini alterutrum peccata vestra*. Videtur, quod hoc nihil sit : quia pœnitentia non potest remittere peccata ex condigno, sed potius ex congruo secundum arbitrium sacerdotis pensatis viribus et statu pœnitentis : et hoc modo in communi posset fieri satisfactio sufficiens etiam non cognitis peccatis : ergo videtur, quod non sit necessaria propter hoc.

6. Item, Quidam se obligant ad pœnitentiam perpetuam et majorem quam secundum arbitrium sacerdotis suscipere cogerentur : ergo illi secundum hoc confiteri non tenerentur, quod falsum est : ergo videtur, quod non sit in præcepto aliquo confessio.

SOLUTIO. Respondeo sine præjudicio, quod in confessione tria sunt sese consequentia : quorum primum est peccati manifestatio cum detestatione et signo detestationis. Secundum est actuum peccati perpetrati enarratio, quod memoriæ occurrit. Tertium autem sui accusatio in dando sibi culpam, et non excusando peccati actum per circumstantias. Et dicendum videtur, quod quoad hæc omnia Solutio.

[1] Exod. xx, 7.
[2] Exod. xx, 16.
[3] Luc. xvii, 14. Cf. etiam, Matth. viii, 4 et Luc. 14 ; Levit. xiv, 2.

tria est in præcepto : sed quoad primum est solum in præcepto divino, et secundum et tertium determinando addidit et præcepit Ecclesia, primo in Apostolis, et postea in aliis successoribus Apostolorum : tamen secundum testimonium voluntatis divinæ : testimonium enim voluntatis divinæ in confessione actus peccati in specie habetur ex prima quæstione quam fecit primo peccanti, scilicet Adæ, quando quæsivit, *Adam, ubi es* [1] ? non enim quæsivit de loco, sed ut confiteretur simpliciter peccati actum. Testimonium autem voluntatis divinæ super accusationem sui, et quod non excuset peccatum, habetur ex hoc quod condemnavit Adam et Hevam se excusantes. Similiter in posteris habet signum enarrationis actuum in specie. Isa. xxxviii, 15, in cantico Ezechiæ dicentis : *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Signum accusationis habetur in Psalmo cxl, 4, ubi dicitur : *Non declines cor meum ad verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis.* Hæc igitur attendens Ecclesia, Spiritu sancto edocta, instituit quod omnis utriusque sexus fidelis semel in anno confiteretur sua peccata : et quia instinctu Spiritus sancti factum est, ideo etiam præceptum Ecclesiæ in hoc reducitur ad præceptum divinum.

Ad 1. Dicendum igitur ad primum, quod licet non legatur confessio beati Petri et Mariæ Magdalenæ, tamen confessi sunt : quia multa facta sunt quæ non sunt scripta, sicut innuitur in fine Joannis [2], sicut in sequentibus dicitur in *Littera* a Magistro.

Vel potest dici forte melius, quod propter duo fit confessio, scilicet ut pœnitens secundum præteritam suam conversionem innotescat sacerdoti injungenti pœnitentiam, et ut ex erubescentia mereatur. Cum autem Christus fuit verus sacerdos et Deus, neutrum fieri oportuit apud ipsum : quia ipse ut Deus vidit ea quæ erant in corde, et pœnitentes ad intuitum ejus plus verecundabántur quam ad auditum solius sacerdotis : et ideo illis pœnitentibus qui absoluti sunt ab ipso immediate, non oportuit enarrationem imponere peccatorum : sed apud vicarios Christi qui interiora non vident, et ad quorum intuitum corporeum homo non ita verecundatur, oportet esse auditum peccatorum in confessione ex parte confitentis.

Ad aliud dicendum, quod propter co- Ad object. 2.
hærentiam alterius contrariorum in subjecto, multa quandoque requiruntur ad remotionem alterius contrarii : et præcipue quando timetur de reditu, et quando causa tenens contrarium in subjecto latet expellentem : et sic est de peccato quod timetur redire : est etiam pronitas ex parte peccantis latens : et ideo multa exiguntur ad expulsionem peccati, sicut detestatio peccati, et contrariæ consuetudinis inductio per opera satisfactionis : sed si statim contrarium sine timore reditus posset expelli, et sciretur per quid optime expelleretur : tunc verum esset quod probat objectio.

Ad aliud dicendum, quod (ut supra Ad object. 3.
dictum est) omnes istæ tres partes pœnitentiæ conjunctim operantur contra peccatum : sed non oportet quod omnes adsint in actu, sed sufficit duas vel unam esse in proposito, et aliam vel alias esse in actu.

Si tamen concedatur quod dicit : tunc dicendum est, quod pœna temporalis duplex est, scilicet non proportionata, et proportionata ex vi clavium : et non proportionata viribus pœnitentis debetur non confesso, quia in illo adhuc non est operata vis clavium, quæ, inquam, claves vim habentes a passione Christi, majorem partem pœnitentiæ sive pœnæ debitæ peccato per rationem condigni dimittunt : et ideo post confessionem per virtutem clavium efficitur taxabilis pœna et arbitraria, quæ secundum se

[1] Genes. iii, 9.

[2] Joan. xxi, 25.

non fuit taxabilis, eo quod fuit improportionata viribus pœnitentis, sed respondens condignitati peccati : et ideo patet, quod confessio necessaria est ad peccati deletionem.

Ad object. 4. Ad aliud dicendum, quod in naturis diversimode est, ubi natura operatur, et ubi ars naturam juvat : quod enim dicitur in objiciendo, verum est, ubi sola natura operatur. Sed non est hoc simile ad opus gratiæ sacramentalis : quia sic non exigeretur minister sacramenti, qui *medicus* in Scriptura vocatur, Psal. LXXXVII, 11 : *Numquid mortuis facies mirabilia ? aut medici suscitabunt, et confitebuntur tibi ?* Sed potius illud opus ubi ars juvat naturam, et in illo exigitur, quod artifex cognoscat morbum et causam et quantitatem et diuturnitatem morbi antequam possit juvare ad morbi expulsionem : et ita est in opere pœnitentiæ : et ideo exigitur confessio ad peccati manifestationem : præcipue tamen illa de causa, quia confessio operatur ad pœnæ diminutionem : propter quod etiam *satisfactio* vocatur ab Augustino sic dicente : « Multum satisfactionis obtulit, qui erubescentiæ dominans, nihil eorum quæ commisit, nuntio Dei abscondit. »

Ad object 5. Ad aliud dicendum, quod (ut jam habitum est) per se operatur ad pœnæ deletionem, sive peccati secundum debitum pœnæ.

Ad objectum autem contra, dicendum est quod dupliciter contingit aliquid esse contrarium alii, scilicet in se, quando maxime distant in eodem genere, et mutuo se expellunt a susceptibili : et sic pœna non contrariatur pœnæ, nec confessio peccato in pœna. Est etiam contrarium, eo quod aliquo modo facit contrarium in effectu : et sic confessio facit contrarietatem ad peccatum, et solvit debitum pœnæ. In perpetratione enim peccati fuit inverecundia Dei cuncta cernentis et Angelorum ejus, et abjectio passionis Christi pro peccatis per contemptum qui est radix omnis peccati mortalis : et horum contraria confessio habet, quando homo erubescit ante vicarium Dei, et submittit se humiliter clavibus habentibus vim ex Christi passione : et ideo operatur ad peccati expulsionem.

Ad aliud dicendum, quod non est omnino corporalis actus : quia procedit a virtute mentis inferiori : sicut etiam dare corporalem eleemosynam vim habet a virtute mentis quæ inclinat ad dandum. Ad

Si autem quæritur, Qualiter hoc possit esse ? Dicendum, quod vis motoris est in motu et in mobili, sive moveat in modum naturæ, sive in modum voluntatis : sicut vis motoris in motu cœli, propter quod dicitur esse vita quædam omnibus deorsum existentibus. Ita etiam quia virtus et gratia movent in modum naturæ, vis virtutis et gratiæ manet etiam in motibus et operibus corporalibus : et per illam vim operatur ad deletionem peccati, et augmentum meriti.

Ad id quod ulterius quæritur, patet solutio per ea quæ dicta sunt in principio hujus solutionis, quod est de præcepto divino secundum quod est manifestatio quædam peccatorum : sed hæc manifestatio secundum progressum temporis habuit incrementum, sicut etiam alia operantia ad salutem : et ideo determinationem accepit ab Apostolis et ab Ecclesia : et adhuc potest recipere ulteriorem quam habet, si videatur expedire. Ad qu

Ad hoc autem quod contra objicitur, dicendum quod pœnitentia instituta est in paradiso secundum omnes partes ejus : quia aliter non mortificaret peccato, et vivificaret justitiæ : et dicunt quidam, quod in illo verbo : *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris* [1] : et a Christo in Novo Testamento accepit innovationem. Matth. III, 2 : Ad

[1] Genes. II, 17.

Pœnitentiam agite : appropinquavit enim regnum cœlorum [1]. Constat autem, quod non intendebat de pœnitentia, nisi prout perficitur in partibus suis : et ideo intelligitur instituta confessione.

De confessione tamen fit specialiter mentio, Marc. I, 5, ubi dicitur, quod veniebant ad Joannem *confitentes peccata sua* : et hoc idem intelligitur, quod faciebant suscipientes baptismum Christi, ut in secunda parte hujus distinctionis dicit Magister.

Ibi etiam intelligitur instituta, ut in objectione dictum est, scilicet Lucæ, XVII, 14, ubi Christus leprosis dixit ut se ostenderent sacerdotibus, et offerrent pro se munus quod constituit Moyses.

Ad 2. AD HOC autem quod contra objicitur, dicendum quod est præceptum sacramentale diversimode in lege naturæ, veteri, et nova, per Patres accipiens determinationem ex inspiratione Spiritus sancti : sed prout nunc servatur, est præceptum sacramentale Novi Testamenti : et jam patuit ubi est institutum.

Ad 3. AD ALIUD dicendum, quod non est ita Patrum, quod totum Patres ediderint, sed potius quia Patres determinaverunt : et ideo non capit dispensationem ab homine puro.

Ad 4. AD ALIUD dicendum, quod sacerdotes illi et leprosi considerantur dupliciter, scilicet ut homines simplices in statu Veteris Testamenti Deo servientes, antequam legalia essent mortificata per Christi passionem : et ut figura futurorum sunt leprosi quidem confitentium, et sacerdotes sacerdotum Novi Testamenti. Et primo quidem modo procedit objectio : secundo autem modo significatur voluntas Christi esse de ostensione peccati significati per lepram, et de satisfactione per munus significata : et hæc voluntas Christi exprimebatur per Apostolos in præcepto confessionis, Jacob. V, 16, ubi dicitur : *Confitemini alterutrum peccata vestra.*

Ad 5. AD ALIUD dicendum, quod oportet cognoscere morbum, ut prius dictum est : sed hoc non est principale propter quod confessio instituta est, sed potius propter operationem clavium quæ conjungit pœnitenti perfectionem : unde quod ponit objectio, secundarium est in causa confessionis : et tamen non sequitur id quod intendit probare, quia arbitrum oportet cognoscere de causa de qua est arbiter : unde cum sacerdos non tantum inspiciat vires, sed causam sumendi debitam pœnam, oportet ipsum scire in quot et quibus offenderit.

Ad 6. AD ULTIMUM dicendum, quod etiamsi se obliget ad perpetuam pœnitentiam, cui nulla major umquam injungetur, tamen dictis de causis oportet omnium peccatorum facere confessionem.

ARTICULUS XIII.

An confessio sit de jure naturali vel positivo ?

Secundo quæritur, Utrum sit de jure naturali, vel positivo ?

Videtur autem esse de jure naturali :

1. Adam enim vituperatur de hoc quod excusavit delictum cum debuisset humiliter confessus fuisse : ergo peccavit contra jus adhuc non scriptum, quia nullum erat scriptum vel positivum : ergo relinquitur, quod peccavit contra jus naturale : ergo confessio est de jure naturali.

2. Item objicitur de Cain, a quo quærit Dominus, quid fecit [2] : et vituperatur, quia non humiliter recognovit et confessus fuit : ergo cum tunc non fuerit nisi jus naturale, videtur contra jus naturale peccasse.

3. Hoc etiam videtur per Glossam su-

[1] Cf. Marc. I, 4 ; Luc. III, 3 et seq.

[2] Genes. IV, 10.

per illud, *Adam, ubi es*[1] ? ubi sic dicit Glossa : « Verba increpantis et ad confessionem cogentis, non ignorantis. » Si igitur coegit ad confessionem, ipse confiteri tenebatur : et constat, quod non ex jure positivo tenebatur, quia tunc nullum erat : ergo tenebatur ex jure naturali : ergo confessio est de jure naturali.

4. Item, Super illud Genes. III, 12 : *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, et comedi* : dicit Glossa : « Non humiliter confitens, sed superbe se excusans, et in auctorem mulieris culpam retorquens. » Ergo humilis confessio tunc fuit debita, quia aliter non vituperaretur de opposito : et inde ut prius.

5. Item, Super illud Psalmi CXL, 4 : *Non declines cor meum in verba malitiæ*, etc., dicit Glossa : « Ad hoc pone ostium, ut non excusetur peccatum meum : quod summum vitium dominatur in hominibus, unde tardius pœnitent. » Constat autem, quod cæteris paribus plus et majus est peccare contra jus naturale, quam contra jus positivum : cum igitur istud vitium sit summum, videtur esse contra jus naturale : ergo oppositum ejus, scilicet humilis confessio delicti, est de jure naturali.

6. Item, Job, XXXI, 33 : *Si abscondi quasi homo peccatum meum, et celavi in sinu meo iniquitatem meam.* Constat autem, quod Job fuit sub lege naturali : quare de lege naturali est confiteri peccatum.

7. Item, Ibidem, Gregorius in Glossa : « Vere humilis et mala cognoscit sua, et voce confessionis aperit. » Cum igitur vera humilitas de pecccatis sit de jure naturali, videtur quod voce confessionis aperire peccata, sit de jure naturali.

8. Item, Gregorius ibidem in alia Glossa : « In sinu iniquitatem celare, est conscientiam peccati latibulis occultare, nec per confessionem detegere. » Cum igitur Job dicat hoc in statu juris naturalis, videtur quod confessio sit de jure naturali, et oppositum cujus contra jus naturale.

9. Item, Constat, quod pœnitentia est de jure naturali : ergo partes ipsius, quia ipsa non est sine illis : sed una partium ejus est confessio : ergo confessio est de jure naturali.

10. Item, Pœnitentia est quoddam totum, ut prius habitum est, quod habet plures partes ex ordine quodam ipsam constituentes : et in ordine illo prima est contritio quæ est de jure naturali, et ultima satisfactio quæ est de jure naturali : cum igitur confessio sit media, ipsa etiam est de jure naturali. Vel dicatur quare non.

Si autem hoc concedatur, contra objicitur in hunc modum : Sed cont.

1. Dicit Isidorus, quod jus naturale est idem apud omnes : confessio autem non fuit semper eadem apud omnes : ergo confessio non est de jure naturali. Media probatur ex hoc quod aliter est confessio in Novo Testamento, et aliter fuit in Veteri.

2. Item, Philosophus in V *Ethicorum* dicit, quod naturæ jus in omnibus est eodem modo : ut ignis in Perside et Græcia eamdem vim habet comburendi. Et ex hoc arguitur sicut prius.

3. Item, Tullius : « Naturæ jus est quod non opinio genuit, sed in natura quædam vis inseruit. » Constat autem, quod nulla in natura vis inseruit homini confiteri peccatum suum, sed potius docet occultare ne verecundetur ab homine : ergo confessio non est de jure naturali, ut videtur.

Solutio. Respondeo sine præjudicio, quod jus naturale dupliciter dicitur, scilicet quod dictat natura hominis esse faciendum : et sic dicitur *naturale jus* stricte. Alio modo dicitur *naturale*, id quod constitutum est a natura naturante : Solutio.

[1] Genes. III, 9.

et sic dicitur esse de jure naturali quidquid in Veteri vel Novo Testamento continetur : et hoc ultimo modo potest confessio aliquo modo esse de jure naturali, sed non primo.

Ad 1 et 2. Ad hoc ergo quod primo objicitur, per quod videtur probari, quod sit de jure naturali primo modo dicto : dicendum, quod Adam vituperatur de hoc quod peccatum non recognovit in se, et coram Deo, sed non de hoc quod non confitebatur homini : quia tunc nullus erat præter uxorem suam, quæ confessionem audire non poterat : et hæc recognitio peccati quæ est coram Deo, est de jure naturali.

Et per hoc patet solutio ad sequens quod objicitur de Cain.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod confessio duplex est, scilicet recognitio peccati inter se et Deum, et manifestatio peccati per enarrationem factam sacerdoti. Et de primo modo dicta confessione dicitur in Psalmo XXXI, 5 : *Dixi : Confitebor adversum me injustitiam meam Domino : et tu remisisti*, etc. De secundo autem modo dicta dicitur, ad Roman. X, 10 : *Ore confessio fit ad salutem*. Et de primo modo dicta intelligitur Glossa inducta de Genesi, et non de secundo modo dicta, quæ tantum est sacramentalis : nec ad illam tunc tenebantur omnes.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod arguitur de excusatione peccati coram Deo, non coram homine, ut dictum est.

Ad 5. Ad aliud dicendum, quod non dicitur illud summum vitium simpliciter ratione reatus vel deformitatis, sed quia est peccatum inter cætera pœnitentiæ magis contrarium : quia pœnitentia non est nisi in recognoscente, peccatum autem excusans non recognoscit : et est simile dictum, ad Roman. II, 4, super illud : *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit ?* ubi dicit Glossa Ambrosii : « Gravissime peccas si ignoras : non ratione quantitatis peccati in reatu et deformitate, sed potius periculi : quia ignorans lapsum suum, non quærit remedium, et ideo manet in periculo. »

Ad 6. Ad aliud dicendum, quod non intelligit Job de absconsione quæ est in confessione facta sacerdoti, sed potius de absconsione quam facit deprehensus in peccato, quando peccatum negat se fecisse, ut aliis justus videatur. Et ista expositio trahitur de Glossa ibidem : et ideo illud non est ad propositum.

Ad 7. Ad aliud dicendum, quod non sequitur, si vere humilis voce confessionis aperit peccatum, et si vera humilitas est de jure naturali, quod etiam confessio facta per vocem sit de jure naturali : quia confessio facta per vocem, non semper in omni statu consequitur vere humilem statum suum recognoscentem : unde hoc accidit vere humili in aliquo statu non in omni : unde accidit ibi locus sophisticus accidentis.

Ad 8. Ad aliud dicendum, quod Gregorius loquitur de eo qui deprehensus in peccato, se fecisse negat : vel mystice loquitur de tempore gratiæ in quo tenetur homo sacerdoti peccata sua confiteri.

Ad 9. Ad aliud dicendum, quod pœnitentia dupliciter consideratur, scilicet secundum quod est in genere virtutis, et secundum quod est in genere sacramenti. Secundum quod est in genere virtutis, non habet partes, sed salvatur in contritione tantum, secundum quod contritio est conterentis actus : et satisfactio tunc erit species justitiæ, et tunc non exigitur ad pœnitentiam confessio facta homini, sed sufficit illa quæ fit Deo in corde in peccati recognitione. Sed secundum quod est in genere sacramenti legis novæ vel veteris, non est de jure naturali, sicut nec alia quædam sacramenta : et sic habet partes istas tres, quæ sibi attribuuntur.

Ad 10. Ad aliud dicendum, quod non eodem modo sunt istæ tres partes pœnitentiæ : quia prima et ultima pars respiciunt peccatum in pœnitente secundum culpam, vel secundum pœnam. Sed confessio non respicit hoc nisi quod est in ministro

Ecclesiæ, qui constituitur ad dispensationem sacramenti, et habet vim clavium : et ideo prima et ultima pars sunt juris naturalis, sed non media, quæ non respicit nisi tantum ea quæ sunt sacramenti, et non virtutis pœnitentiæ, nisi forte quoad recognitionem peccati coram Deo. Sed hæc non est confessio prout nunc quærimus de confessione : et ideo non sequitur, si prima et ultima pars de jure naturali sit, quod et media : quia non eodem modo sunt partes ejus.

ACTICULUS XIV.

Quam differenter confessio fuit in lege naturali, veteri, et nova?

Tertio quæritur, Secundum quem differentem modum fuit in lege naturali, veteri, et nova?

Videtur enim in lege naturali non fuisse : quia, sicut jam habitum est,

1. Non est confessio de jure naturali : sed tunc non observabantur nisi ea quæ erant de jure naturali : ergo confessio tunc non servabatur.

2. Item non quæritur hic, Quid aliquis fecerit, sed id ad quod omnes tenebantur? Ergo etsi aliquis tunc confitebatur peccatum suum, dummodo tamen non omnes tenebantur ad confessionem, videtur quod non erat confessio in lege naturali.

3. Item, Cum non erat usus clavium, non poterat esse id quod non habuit effectum nisi per claves : sed in naturali lege non erat usus clavium : ergo nec erat etiam confessio quæ non habetur nisi per claves.

Sed contra.

Sed contra :

1. Quandocumque est morbus, tempus est medicinæ : sed semper fuit morbus actualis peccati in lege naturali : ergo semper fuit confessio medicina : ergo in naturali lege necessaria fuit confessio, ut videtur.

Similiter, Videtur quod in lege Moysi fuerit : quia, Isa. XLIII, 26, dicitur : *Narra si quid habes ut justificeris.* Quasi diceret : Si non narras, non justificaberis.

2. Item, Levit. XVI, 21, dicitur, quod sacerdos imprecabitur peccata totius multitudinis super caput hirci, et dimittet eum in desertum. Constat autem, quod imprecari non potest peccata quæ nescivit : ergo oportebat ut sciret : sed non potuit scire nisi per confessionem : ergo tenebantur tunc confiteri sacerdoti.

3. Item, Levit. XIII, 44, de leprosis dicitur, quod ad arbitrium sacerdotis separabantur, et cognoscebat de lepra : sed lepra secundum Glossam ibidem significat peccatum : ergo sacerdos debet cognoscere de peccatis : non autem potest nisi per confessionem sibi manifestentur : ergo tenebantur tunc sacerdoti confiteri.

Sed cs

Sed contra :

Sicut supra habitum est, præcipua causa confessionis est propter beneficium clavium : sed non erant veræ claves in Veteri Testamento : ergo nec vera confessio.

Solu

Solutio. Dicendum, quod in veritate peccati recognitio est in confessione, et cum hoc peccati manifestatio : et tertio, peccatorum in specie et circumstantiarum enodatio sive expositio. Et confessio non erat in naturali lege nisi quantum ad peccati recognitionem inter se et Deum, ut dictum est. In lege autem Moysi accessit peccati manifestatio aliqua, sed in genere, non in specie : in signo, non in verbo. Quia offerendo capram vel hœdum, sciebatur quod peccaverant : sed quia hoc sacrificium erat pro quolibet peccato per ignorantiam facto, non erat manifestatio nisi in genere, et non in specie. In Novo autem Testamento exigitur enarratio specierum et aliarum circumstantiarum propter majorem expressionem veritatis et apparitionem gratiæ.

Ad

Ad primum ergo dicendum, quod reco-

gnitio peccati semper est de jure naturali: et quoad hoc solum erat confessio in lege naturæ.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod omnes tenebantur ad hujusmodi peccati recognitionem, et quod non negarent si deprehenderentur, ut habitum est ex auctoritatibus Gregorii in præcedenti articulo quæstionis inductis.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod verum est, quod tunc non erat usus clavium: tamen tunc operabatur passio et faciebat pœnam proportionabilem, quæ alias improportionabilis fuisset: sed operabatur in fide credentium implicite vel explicite.

Ad object. 1. Ad aliud dicendum, quod in lege veteri aliqua fuit confessio, sed non ut modo est in specie et circumstantia, sed in genere: et de hoc intelligitur dictum Isaiæ.

Ad object. 2. Ad aliud dicendum, quod sacerdos non confitebatur peccata multitudinis nisi in genere: et in genere intelligit ea per modum sacrificiorum, et non per enarrationem oris.

Ad object. 3. Ad aliud dicendum, quod diversitas leprarum non significabat tunc quid erat faciendum, sed quid nunc in tempore gratiæ: et ideo non concluditur, quod tunc peccata in specie et circumstantiis confiterentur.

ARTICULUS XV.

An confessio sit actus virtutis, vel tantum sacramenti?

Quarto quæritur, Utrum sit actus alicujus virtutis, vel tantum sacramenti?

Et si sit actus alicujus virtutis, quæ sit illa?

Videtur autem, quod est virtutis pœnitentiæ: quia

1. Est ad detestationem peccati: et virtus pœnitentiæ detestatur peccatum: ergo confessio est virtutis pœnitentiæ, ut videtur.

2. Item, Actus diffiniuntur per opposita, id est, objecta: ergo quorum est idem objectum, sunt actus ejusdem virtutis: sed peccatum perpetratum est idem objectum confessionis et pœnitentiæ: ergo confessio est actus pœnitentiæ virtutis.

3. Item, Quorum est idem finis, sunt ejusdem virtutis si est finis proximus: sed idem est finis pœnitentiæ et confessionis, scilicet destructio peccati: ergo sunt unius virtutis: non autem sic sunt unius, quod ambo sunt unius tertiæ virtutis actus, ergo ipsa virtus est pœnitentia, et actus ejus est confessio, vel unus de actibus, ut videtur.

4. Item, Aliqua virtus elicit hunc actum quæcumque sit illa: constat autem, ut dicit Tullius, quod virtus movet in modum naturæ: ergo de necessariis sibi nihil omittit: sed necessarium ad expulsionem peccati est confessio: ergo hunc motum non omittit: ergo videtur, quod sit motus virtutis pœnitentiæ ipsa confessio.

Sed contra. Sed contra videtur, quod sit motus virtutis quæ est veritas: quia

1. Super illud Psalmi II, 8: *Ecce enim veritatem dilexisti*, etc., dicit Glossa: « *Veritatem*, quia non in te culpam refero, sed veritatem profiteor quam diligis: » constat autem, quod dicere veritatem est virtutis quæ est veritas: ergo confessio est virtutis quæ est veritas.

2. Item, Ibidem alia Glossa: « Hic pœnitens, quia in confitendo dixit veritatem quam Deus supra sacrificia quærit, supplicat sibi subveniri. » Ex hoc accipitur idem quod prius.

3. Item, Actus veritatis aliquis proprius est, prout est in dictis. Constat autem quod nullus, nisi dicere veritatem: sed hoc præcipue fit in confessione: de omnibus enim quæ de se dicit, sine teste creditur pœnitenti: ergo confessio est actus veritatis, ut videtur.

4. Item, Oppositum veritatis quæ est in confessione, non est idem in pœnitentia,

scilicet mendacium confessionis: ergo confessio non est actus pœnitentiæ.

3. Item, Dictum confitentis generat credulitatem in auditore: constat autem, quod hoc non facit nisi prout est sub forma veri: ergo videtur, quod confessio sit sub forma veri: hæc autem forma veri quæ est in actu, emanat ab aliquo habitu: constat autem, quod non nisi a veritate: ergo videtur, quod sit actus veritatis.

Sed contra. SED CONTRA utrumque istorum dicitur, quod

1. Nullius sacramenti actus necessario est alicujus virtutis: confessio autem est actus sacramenti: ergo non est actus alicujus virtutis.

2 Item, Nullus actus æqualiter procedens a vitioso qui non habet virtutem infusam nec consuetudinalem, est actus virtutis: confessio est hujusmodi actus: ergo non est actus virtutis alicujus. PRIMA patet per se. SECUNDA autem probatur ex hoc quod aliquis volens recedere a peccato, et etiam alii non consuevit verum dicere, sæpe confitetur in veritate de omnibus peccatis suis. Et constat, quod tunc non habet virtutes infusas, nec etiam habet consuetudinalem quæ *veritas* vocatur, quia illa non innascitur nisi per consuetudinem: ergo constat propositum.

3. Item, Circa difficile et bonum est virtus: sed non est difficile verum dicere: ergo non est circa illud virtus aliqua: ergo non est alicujus virtutis quæ sit veritas. PROBATIO mediæ. Difficilius est dicere contra mentem, quam secundum mentem: sed mentiens dicit contra mentem, verus autem secundum mentem: ergo verus minus laborat, quam mentiens: ergo constat propositum.

Solutio. SOLUTIO. Respondeo, quod dupliciter dicitur actus aliquis bonus et laudabilis esse alicujus virtutis, scilicet ut imperantis, et ut elicientis. *Ut imperantis* autem potest actus confessionis esse plurium virtutum: sed frequentius virtutis est quæ dicitur *pœnitentia*, de qua supra habitum est [1]. *Ut elicientis* quidem est iste actus virtutis quæ dicitur *veritas*, ut probatur in objiciendo.

AD HOC ergo quod primo objicitur, dicendum quod confessio quædam habet ex sui ratione et substantia, et quædam ex virtute imperante. Ex sui substantia non habet nisi simplicem narrationem veritatis, sed ex virtute imperante habet quod sit cum detestatione peccati. Et adhuc adjiciendum, quod secundum quod inducit rationem sacramenti, habet quod hæc enarratio sit facta ministro Ecclesiæ cum signis quibusdam signantibus peccati detestationem, et voluntatis obedientiam ad pœnitentiam exteriorem suscipiendam per arbitrium sacerdotis: et sic quasi ex tribus conficiuntur illa quæ in confessione attenduntur. Sed objectio bene procederet si ex sui substantia haberet hoc quod dicit. Ad 1

AD ALIUD dicendum, quod illa materia datur sibi secundum imperium pœnitentiæ, et secundum esse sacramenti quod est in ipsa: simpliciter tamen ipsa est circa materiam quamcumque in qua est forma veri. Ad 2

AD ALIUD dicendum, quod non est idem finis proximus confessionis et pœnitentiæ, sed remotus: proximus enim finis est in quem terminatur actus, et ille est notitia quam generat in audiente: sed finis ultimus non facit, quod eadem sint specie vel numero illa quæ sunt ad illum finem. Ad 3

AD ALIUD dicendum, quod pœnitentia non deficit in ipso motu, sed non habet tamen nisi per modum imperii. Ad 4

AD ALIUD dicendum, quod nihil prohibet aliquem actum esse et sacramenti et virtutis, secundum diversas rationes: et hoc præcipue in hoc sacramento, quod ordinatur contra actuale peccatum, quod contrarium est virtuti quæ respicit actum liberi arbitrii. Unde quantum ad ipsam Ad obj.

[1] Cf. Supra, Dist. XIV.

simplicem enuntiationem veritatis, confessio veritatis est quæ est virtus : sed secundum quod est in tali foro et forma et cum signis talibus, est actus sacramenti : et hoc nihil prohibet.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod iste actus non procedit a vitioso, sed ab habente veritatem aliquam, vel in potestate liberi arbitrii, vel secundum gratiam, vel secundum habitum civilem. Si enim pœnitens est in charitate quando confitetur, tunc nulla est objectio. Si autem verax ex consuetudine, etiamsi sit in aliis vitiis : itērum nulla est objectio : quia consuetudinalium una meo judicio habetur, alia non habita. Si autem nec consuetudinalem habet : tunc dicendum, quod ille actus veritatis in confitente est a libero arbitrio potente in actum generativum virtutis consuetudinalis : licet enim virtutes secundum habitum et vitium sibi oppositum non simul insint, tamen actus ordinatus ad virtutem generandi, potest esse simul cum vitio, licet virtuti oppositio : et ideo non est ille actus a vitioso in quantum vitiosus.

ARTICULUS XVI.

An diffinitiones pœnitentiæ sint bene datæ ?

Quinto quæritur, Quid sit diffinitione et essentia ?

Inveniuntur autem plures diffinitiones confessionis, quas omnes quæ occurrunt ponemus.

Diffinitur autem a Magistris qui precesserunt nos sic : « Confessio est peccatorum sacramentalis delinquentis accusatio, ex erubescentia et per claves satisfactoria, obligans ad peragendum pœnitentiam injunctam. »

Alii autem prædecessores nostri diffiniunt eam sic : « Confessio est legitima peccatorum explanatio. »

Gregorius : « Confessio est peccatorum detectio, et ruptio vulneris. »

Augustinus sic : « Confessio est per quam morbus latens, spe veniæ aperitur. »

Alii quidem novitii, ut Raymundus, diffinierunt sic : « Confessio est legitima coram sacerdote peccatorum declaratio. »

Objicitur de prima diffinitione [1] sic :

1. Sacramentale est denominativum a sacramento : nullum autem denominans fit substantiale illi quod denominat : ergo sacramentum non est substantiale confessioni, quod falsum est, cum confessio sub sacramento sit sicut pars sub toto.

2. Item, Cum confessio sit actus virtutis moventis ad confessionem, ita deberet dicere, virtutis delinquentis accusatio, etc., sicut *sacramentalis*.

3. Item, Sicut se habet actus virtutis ad virtutem, ita se habet actus sacramenti ad sacramentum : sed nullus actus virtutis dicitur esse virtuosus, sed potius virtutis proprie : ergo nullus actus sacramenti debet esse sacramentalis, sed potius sacramenti.

4. Item, Intinctio non dicitur esse baptismalis, nec signatio confirmationalis actus : ergo videtur, quod nec confessio debet dici *sacramentalis*.

5. Item, Quare non denominatur a proximo genere, ita quod diceretur, Confessio est pœnitentialis delinquentis, etc. Videtur enim, quod sic fieri deberet : quia proximius se habet confessio ad pœnitentiam, quam ad sacramentum in genere : ergo magis debuit denominari ab illa.

6. Item, Objicitur de hoc quod dicitur,

[1] Prima diffinitio hæc est : « Confessio est peccatorum sacramentalis delinquentis accusatio, ex erubescentia et per claves satisfactoria, obligans ad peragendum pœnitentiam injunctam.

Delinquentis: confessio enim non videtur esse delinquentis, sed qui deliquit, et pœnitet.

7. Item, Nullus delinquens in quantum hujusmodi, est pœnitens : sed omnis confitens in quantum hujusmodi, est pœnitens : ergo nullus pœnitens in quantum hujusmodi, est delinquens : ergo confessio non est delinquentis.

8. Si forte tu dicas, quod intelligitur de delicto veniali, quo *in multis offendimus omnes*[1] : sine quo, ut dicit Augustinus, vita non ducitur. CONTRA : Hujusmodi delinquentis actus est oratio et alia multa : ergo sicut cadit in diffinitione confessionis, ita cadere deberet in definitione orationis, contritionis, charitatis, et omnium aliorum.

9. Præterea, Hæc est per accidens secundum istam expositionem, *confessio est peccatorum sacramentalis delinquentis accusatio* : quia sensus est, ejus qui quotidie delinquit : nihil autem per accidens debet poni in diffinitione, præcipue quod est per accidens hujusmodi, quia hoc infinitum est, et nihil per ipsum potest notificari : ergo male dixerunt antiqui diffiniendo, quod confessio est *accusatio delinquentis*.

10. Ulterius, Objicitur de hoc quod dicitur, *Accusatio*. Apud rhetorem enim et civilem non est idem accusans et reus : hic autem ut reum se præsentat confitens : ergo videtur, quod non sit accusans : ergo confessio non est accusatio.

11. Item, Nullus accusatur juste in judicio cui non conceditur locus defensionis : si ergo confitens accusatur ab aliquo, sive ab alio, sive a seipso, debet ei in eodem foro concedi locus defensionis : et ita non erit vitium confessionis si sit cum defensione peccatorum, quod falsum est, cum dicat Psalmus CXL, 4 : *Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis*.

Præterea quæritur, Cum conscientia sit testis, quare non dicitur, testificatio sicut accusatio?

12. Ulterius quæritur de hoc quod dicit, *Ex erubescentia*. Quia hoc non videtur esse substantiale confessioni : quia non omnes possunt habere erubescentiam.

13. Item, Sicut se habet dolor sensibilis ad contritionem, ita se habet erubescentia ad confessionem : sed contritio non diffinitur per dolorem sensibilem : ergo nec confessio est diffinienda per erubescentiam, ut videtur.

14. Item, Super illud Psalmi LXVIII, 20 : *Tu scis improperium meum, et confusionem meam*, etc., distinguit Augustinus in Glossa inter erubescentiam sive verecundiam, et confusionem : quia confusio est cum remorsu conscientiæ, quando vera objiciuntur. Erubescentia autem est, quando falsa objiciuntur cum verecundia. Cum ergo confitens verecundetur cum remorsu conscientiæ, videtur quod potius debuit dicere, ex confusione, quam erubescentia.

15. Item, Non videtur esse verum, quod ex hac erubescentia sit satisfactoria : quia erubescentia illa passio etiam corporalis est : et nulla passio corporalis est meritoria : ergo ex illa satisfactoria non est confessio.

16. Ulterius quæritur de hoc quod dicit, *Per claves*. Quod enim sine clavibus est satisfactorium, non habet vim satisfaciendi per claves : confessio est hujusmodi : ergo non habet vim satisfaciendi per claves. PRIMA patet per se. SECUNDA probatur : quia in Veteri Testamento non fuerunt claves, et tamen fuit ibi aliquo modo confessio sacramentalis : et in Novo Testamento quandoque fit confessio non habenti claves, et tamen satisfactoria est confessio.

17. Præterea, Objicitur de hoc quod dicitur, *Satisfactoria*. Quia satisfactio est pars condividens pœnitentiam cum confessione : ergo una non debet poni in diffinitione alterius.

[1] Jacob. III, 2.

18. Item. Quæ diversa sunt specie, horum actus et effectus proprii sunt diversi : confessio et satisfactio diversæ sunt specie : ergo actus earum et effectus proprii sunt diversi : constat autem, quod satisfactionis actus propriissimus est satisfacere : ergo ille actus non est confessionis : ergo confessio non est satisfactoria, ut videtur.

19. Ulterius quæritur de hoc quod dicit, *Obligans*, etc. Confitens enim non est obligatus ex hoc quod confitetur, sed potius ex voluntate sequenti, qua auditam et taxatam sibi recipit satisfactionem : ergo confessio non est obligans, ut videtur.

20. Item, Si obligat ad satisfactionem : ergo omnis confessio obligat ad illam. Ponamus ergo, quod aliquis sæpe confiteatur idem peccatum pluribus sacerdotibus, et illi diversas injungant pœnitentias, quarum quælibet per se sufficeret : ergo iste obligatur ad omnes illas peragendas : ergo ex confessione obligatur ad majorem pœnitentiam, quam ex peccato sustinere debeat. Et hoc est inconveniens, cum confessio aliquid diminuat de pœna peccato debita secundum se.

21. Item, Sive injuncta est insufficiens, vel nimis magna : adhuc videtur, quod obligetur ad illam : et sic confessio gravaret eum, et non alleviaret, quod est valde inconveniens.

22. Item, Objicitur de hoc quod dicit, *Injunctam*. Videtur enim ex hoc quod non possit mutari per alium pœnitentia illa : et hoc falsum est.

23. Item, Videmus de injunctis pœnitentiis tota die fieri relaxationes per indulgentias : ergo videtur, quod confitentes non obligantur ad peragendum pœnitentias injunctas.

De secunda autem diffinitione objicitur, qua dixerunt antiquiores, quod *confessio est legitima peccatorum explanatio*.

1. *Legitima* enim est quæ lege docetur, vel lege editur : et modum confessionis non invenimus expressum in nova vel veteri lege : ergo videtur, quod non sit legitima explanatio peccatorum.

2. Item, Videtur, quod non sit tantum *peccatorum* : quia etiam circumstantias aliquando confiteri tenetur : et sic videtur esse diminuta.

3. Item, Non videtur esse *explanatio*, sed simplex enarratio : non enim exponit peccata confitens, sed simpliciter enarrat.

Objicitur etiam de illa quæ est Gregorii de hoc quod dicit, *Peccatorum detectio*.

1. Cum enim detegere peccatum ordinetur ad scandalum proximi, videtur quod peccata non sunt detegenda, sed potius tegenda.

2. Item, Isa. III, 9, vituperantur qui detegunt peccata sua, cum dicit : *Peccatum suum sicut Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt*. Ergo confessio non erit detectio.

3. Ulterius quæritur de hoc quod dicit, *Ruptio vulneris*. Hæc enim locutio metaphorica est : ergo non debet poni in diffinitione ejus cui aptatur metaphora : hæc autem est confessio : ergo non debet poni in diffinitione confessionis.

4. Item, Constat, quod idem est non differens nisi per locutionem significativam, *detectio peccati* et *ruptio vulneris* : ergo neutrum contrahit alterum : sed detectio peccati potest fieri bene et male, et confessio non nisi bene : ergo communius se habet peccati detectio, quam confessio, et contrahitur : ergo diffinitio non est convertibilis cum diffinito : ergo non est propria ipsius : quod est inconveniens, sive sit diffinitio, sive descriptio per propria.

Ulterius quæritur de illa quæ est Augustini : *Confessio est per quam morbus latens spe veniæ aperitur*.

1. Non enim confessione tantum aperitur morbus latens, sed etiam morbus apertus : quia generalis est confessio de omnibus, sive occultis, sive apertis : ergo male dicit, *Morbus latens*.

2. Item, Si latens est : tunc quæratur, Quem est latens? Aut sacerdotem et alios : aut sacerdotem solum, vel alios solos. Et quodcumque istorum detur, non erit confessio de crimine aperto sacerdoti et aliis, vel sacerdoti soli, vel aliis solis : quod est inconveniens, cum de omnibus sit confessio.

3. Præterea, Quæritur de hoc quod dicit, *Spe veniæ*. Quia ut frequenter, confessio fit magis timore pœnæ : ergo diffinienda erat per pœnæ timorem.

4. Item, Demus quod iste non confiteatur spe veniæ : et tamen nihil eorum quæ fecit, celet sacerdoti : ergo iste non erit confessus, et tenetur iterare confessionem, quod non dicitur.

5. Ulterius quæritur de hoc quod dicit, *Aperitur*. Videtur enim, quod magis clauditur : quia illud quod dicitur in confessione, sigillo confessionis clauditur : ergo non aperit.

Ulterius quæritur de ultima, quæ dicit, quod *confessio est legitima peccatorum coram sacerdote enarratio.*

Videtur enim, quod non semper sit coram sacerdote, cum dicatur, Jacobi, v, 16 : *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Et ibi dicit Glossa : « Majora majoribus, minora minoribus. » Et non dicit, quod semper debeat fieri sacerdoti.

Et quia de hoc magnus occurrit tractatus in sequenti distinctione, nunc ista sufficiant.

Solutio. Solutio. Dicendum, quod prima diffinitio melior est omnibus aliis : quia colligit essentialia omnia, et subjectum proprium, et finem, et ea unde trahit virtutem delendi peccatum. Essentialia enim sunt ea quæ tanguntur cum dicitur, *Sacramentalis accusatio*. Accusatio enim genus est, et sacramentalis differentia distinguens ab accusatione civili et rhetorica. *Delinquentis* autem contrahit sicut subjectum specificat passionem : quia sicut dicit Commentator super VII *Metaphysicæ* : « Subjectum proprium in diffinitione passionis est loco differentiæ ultimæ quæ convertibilis est, ut dicit Philosophus in VII *primæ Philosophiæ*. » Ea autem unde trahit virtutem delendi peccatum, sunt erubescentia et claves : finis autem ejus est ut taxetur satisfactio ad quam obligat se peragendam.

Ad hoc ergo quod primo objicitur de hoc quod dicit, *Sacramentalis*, dicendum quod differentia contrahens per modum qualitatis est in diffinitione, licet sit qualitas essentialis : et quia accusatio non est sacramentum proprie, sed actus ejus, ideo non est qualitas essentialis sacramenti nisi informative et denominative : et ideo licet confessio secundum se sit sacramentum, tamen quia diffinitur hic per actum, et actus denominatur a sacramento, ideo denominative diffinitur.

Vel potest dici, quod *sacramentale*, sicut et rationale dicitur dupliciter, scilicet ut differentia quæ facit sacramentum esse sacramentum : et hoc modo non prædicatur denominative de diffinito, sicut nec rationale, quando dicitur, Homo est animal rationale : et ita dicitur hic accusatio sacramentalis, quæ est sacramentum quoddam, sicut animal rationale animal quoddam : et non ponitur sacramentale ut denominans, sed potius in actu differentiæ constituentis. Alio modo dicitur *sacramentale* a potentia sacramenti consequente esse sacramenti ipsius : et de illo verum est, quod est denominativum, sicut et rationale acceptum de potentia ratiocinandi consequente esse hominis : et per hoc patet solutio ad primum.

Ad secundum dicendum, quod falsum supponitur in objectione : quia actus quandoque denominatur a virtute : unde dicitur actus virtualis vel virtutis : et tamen si non fieri concedatur, solvendum est sicut præcedens.

Ad aliud dicendum, quod tinctio sacramentalis dicitur baptismus, sed non baptismalis proprie : quia baptismus nominat totam speciem sacramenti, et non solam differentiam ipsius quæ signabilis

est per modum qualitatis, sed non speciei : et ita dicitur hic sacramentalis et non pœnitentialis ; et per hoc patet solutio ad sequens.

Ad hoc quod objicitur de hoc quod dicit, *Delinquentis*, solvendum est quod dicitur hic *delinquentis* secundum habitum, non secundum actum : non ita quod habeat habitum peccatorum, sed quia habuit ipsum, et est in mutando eum in habitu virtutum : et talis bene potest esse in statu pœnitentiæ.

Ad aliud dicendum, quod verum est, quod nullus delinquens in actu est pœnitens, sed delinquens modo prædicto potest esse pœnitens.

Ad aliud dicendum, quod bene concedo, quod non intelligitur de delicto veniali.

Ad hoc quod ulterius quæritur objiciendo de *accusatione*, dicendum quod aliud est in foro pœnitentiæ, et aliud in foro judicii. In foro enim pœnitentiæ nulli quantumcumque veraci creditur contra confitentem, sed tamen sibi creditur contra se : et ideo statur accusationi confitentis. Sed in foro judicii exterioris totum econtra : quia homini nihil creditur ibi pro se, sed potius alii qui exceptione est major : et ideo in illo judicio alius est accusans, et alius est reus et accusatus.

Ad aliud dicendum, quod quando accusatio fit post convictionem, non datur locus defensionis. Et simile est in confessione : quia accusatio est testimonium convincens confitentem per relationem ad conscientiam : et ideo nullus datur sibi locus defensionis.

Ad aliud dicendum, quod erubescentia duplex est, scilicet spiritualis, et illa quæ relinquit passionem in corpore. Spiritualis autem timor est in turpi accusatione ne manifestetur, vel cum manifestatur : sicut trahi potest de verbis Damasceni : et illa quæ est spiritualis exigitur ad confessionem, et non illa quæ fit in corpore per exteriorem ruborem : sicut enim in præcedentibus habitum est, illa variatur secundum hominum diversam complexionem.

Ad aliud dicendum, quod illa probatio satis bona est : quia conceditur, quod non exigitur nisi erubescentia spiritualis. Ad 13.

Ad aliud dicendum, quod Glossa illa propriissime accipit confusionem et erubescentiam : sed hic communiter sumitur erubescentia pro confusione. Ad 14.

Ad aliud dicendum, quod passio secundum quod est facta et voluntate informata, etiamsi sit illata, meritoria est, sicut patet in quæstione præcedenti de *contritione*. Ad 15.

Ad aliud dicendum, quod confessio quæ non subjicitur clavibus actualiter, non est simpliciter confessio, sed secundum quid : et bene concedo, quod in Veteri Testamento non fuit confessio nisi secundum quid : et ratio hujus patet ex præcedenti articulo quæstionis. Confessio autem quæ fit alii quam sacerdoti, non est confessio nisi in quantum supplet locum confessionis : sicut baptismus pœnitentiæ non est baptismus, nisi in quantum supplet locum baptismi. Ad 16.

Ad aliud dicendum, quod alius modus satisfactionis est in confessione, et alius est in ea parte quæ stricte dicitur *satisfactio :* quia in confessione est satisfactio per mortem et passionem Christi de parte pœnæ quæ improportionabilis est, et ideo inarbitrabilis : sed in satisfactione est deletio delicti pœnæ taxatæ. Nec est inconveniens, quod contritio et confessio induant aliquo modo satisfactionis rationem, secundum quod large sumitur *satisfactio :* quia, sicut supra habitum est, pœnitentia aliquo modo totum homogenium est in suis partibus : et sic pœna satisfaciens est in omnibus tribus. Ad 17.

Ad aliud dicendum, quod illæ partes mediæ sunt inter diversas et homogenias : et ideo cum non omnino sint diversæ, non tenet id quod objectum est. Et hujus ratio valde de facili patet, si respiciatur id quod notatum est de partibus illis in principio hujus distinctionis. Ad 18.

Ad 19. Ad aliud dicendum, quod in veritate voluntas amplectendi pœnitentiam injunctam significatur in confessione : quia sicut præponit sibi secundum rationem et tempus contritionem in re vel in præsumptione sacerdotis, ita coexigit voluntatem obediendi in susceptione injunctæ satisfactionis : et ideo ex ipsa confessione ratione ejus quod exigit in pœnitente, obligatur ad illam.

Ad 20. Ad aliud dicendum, quod sacerdotes proprios nullus pœnitens et confitens habet plures, sed unum solum, et illius solius tenetur pœnitentiam peragere, quæ est injuncta secundum canonum statuta : quia alias non proprie dicitur *injuncta* satisfactio. Si autem alii ex abundanti confitetur, ille debet inquirere injuncta a proprio sacerdote, et nihil superordinare, si secundum canonum statuta injuncta est.

Ad 21. Ad aliud patet solutio per jam dicta : quia non est satisfactio proprie, nisi quæ est secundum arbitrium canonum vel canonici sacerdotis, et non secundum arbitrium voluntatis hominis, quam injungit aliquis ignorans vel malitiosus.

Ad 22 et 23. Ad aliud dicendum, quod ex causa mutari potest injuncta ab eo qui habet auctoritatem : sed tunc perficit eam in æquivalenti vel simpliciter vel secundum reputationem Ecclesiæ.

Per habita patet etiam solutio ad ultimum : quia indulgentiæ fiunt in commutationibus secundum æquivalens in reputatione Ecclesiæ, vel simpliciter.

De secunda diffin. Ad 1. Ad id quod objicitur de secunda [1], dicendum quod illa non colligit nisi essentialia constituentia confessionem.

Ad id autem quod primo objicitur, dicendum quod *legitima* dicitur a lege ordinante modum accusationis in foro confessionis : et hæc quidem lex in universali promulgata est a Deo, ut patuit supra cum disputaretur, cujusmodi præceptum esset quod est de confessione : sed hoc quod universaliter dictum est a Deo, explanatum et interpretatum est ab Ecclesiasticis Doctoribus et Prælatis : et ideo *legitima* dicitur et lege veteri et lege nova et lege patrum.

Ad aliud dicendum, quod circumstantia aliquid peccati ponit : et ideo peccatum secundum se non explanatur, nisi circumstantiis suppositis, ut dicetur infra in hac eadem distinctione.

Ad aliud dicendum, quod non est enarratio simplex, sed oportet ut explanetur modus, ut intelligat sacerdos quantitatem criminis. Enarratio autem simplex ad hoc non sufficit.

Ad aliud autem quod objicitur de tertia quæ est Gregorii in *Moralibus* [2], tractantis illud Isaiæ, xxxviii, 21 : *Jussit Isaias ut tollerent massam de ficis, et cataplasmarent super vulnus*, etc.

Dicendum, quod non est diffinitio vel descriptio, sed potius quædam adaptatio allegoriæ. Et per hoc patet solutio ad primum.

Ad aliud dicendum, quod est peccati ut peccati detectio, et detectio ejus quod est peccatum. Peccatum autem ut peccatum non detegitur nisi in confessione sacerdoti : sicut naturæ morbus ut morbus non detegitur nisi medico, vel ei qui est in loco medici in consilio et adjutorio medicinæ. Sed id quod est peccatum, detegitur quandoque jactanter : sed tunc detegitur ut laudabilis actus, secundum quod laudabile est apud eos *qui lætantur cum malefecerint, et exsultant in rebus pessimis*. Et de illis loquitur, Proverb. II, 14 et seq.

Ad aliud dicendum ut prius dictum est.

Ad aliud dicendum, quod si per se intelligatur locutio, tunc convertibilis est ut proprium, sed non ut diffinitio :

[1] En secunda diffinitio : « Confessio est legitima peccatorum explanatio. »

[2] Diffinitio Gregorii : « Confessio est peccatorum detectio, et ruptio vulneris. »

quia bene videtur mihi, quod Gregorius diffinire confessionem vel describere non intendit.

Ad id quod ulterius quæritur de quarta [1], dicendum quod illa data est in comparatione ad movens sive inclinans ad confessionem : hoc enim est spes veniæ.

Ad id autem quod contra objicitur, dicendum quod aperitur et clauditur peccatum in confessione : clauditur enim ab aliis, sed aperitur ei qui est in loco Dei : et hoc vocat Augustinus hic *apertionem*.

Ad aliud dicendum, quod etiam si sciatur, non tamen scitur per modum convictionis : sicut etiam judex non judicat de hoc quod scit ut homo, sed de hoc quod scit ut judex. Similiter peccatum dicitur *latens* quando de eo non potest fieri judicium : quia in foro illo, scilicet confessionis non est denuntiatum.

Ad aliud dicendum, quod non est ita essentialis timor confessioni sicut spes : timor enim si solus esset, non inclinaret ad confessionem, sed potius ad taciturnitatem propter desperationem : et ideo non erat ita diffinienda confessio per timorem sicut per spem.

Ad aliud dicendum, quod si aliquis sine spe confiteatur, non tenetur iterare confessionem, propter hoc quod sacerdos scit quidquid fecit : sed desperationem tenetur confiteri eidem. Si autem alii confiteatur, cum ipse non acceperit satisfactionem condignam, dico quod in toto cum spe opinata ad minus tenetur facere confessionem.

Ad aliud patet solutio per ante dicta : quia id quod dicitur in confessione, ei clauditur et aperitur.

Ad id quod quæritur de ultima [2], dicendum quod est eadem cum secunda, nisi quod apponit proprium auditorem confessionis qui est sacerdos.

Ad id autem quod contra objicitur, dicendum quod *majora* in Glossa dicuntur peccata mortalia, et *minora* dicuntur venialia quæ non tenemur confiteri nisi in generali confessione : et hæc est confessio non confessio simpliciter, sed secundum quid

Et ita patet solutio ad omnia quæsita.

ARTICULUS XVII.

An aliquis et quis articulus fidei moveat ad confessionem ?

Sexto quæritur, Quis articulus fidei moveat ad confessionem ?

Videtur autem, quod ratione ejus qui est, *Vitam æternam :*

1. Spes enim est de vita æterna : quia spes veniæ, ut patet ex diffinitione Augustini, movet ad confessionem ex parte fidei : ergo videtur, quod articulus de vita æterna moveat ad confessionem ex parte fidei.

2. Item, Videtur quod aut ille, aut qui est de pœnis moveat ad confessionem : sed timor pœnæ non est laudabilis, quia dicit Augustinus de tali timore, quod « nemo invitus bene facit, etsi bonum est quod facit. » Cum igitur confessio sit de rebus laudabilibus, videtur quod magis ad eam moveat fides vitæ æternæ, quam pœnarum æternarum.

Sed contra.

Sed contra utrumque horum videtur objici : passio enim Christi operatur in clavibus, et per claves est confessio satisfactoria : ergo videtur, quod fides mo-

[1] Quarta diffinitio quæ est Augustini sic se habet : « Confessio est per quam morbus latens spe veniæ aperitur. »

[2] Quinta diffinitio : « Confessio est legitima coram sacerdote peccatorum declaratio. »

veat ad confessionem ratione passionis Christi.

Videtur autem, quod ratione illius, *Qui venturus est judicare vivos et mortuos :* quia hoc judicium prævenit in se confitens, et aperit peccata ne in judicio omnibus aperiantur : ergo si fides movet ad confessionem, videtur quod hoc faciat ratione illius articuli qui est de judicio.

Solutio. Solutio. Dicendum ad hoc, quod fides præcipue movet ad confessionem ratione articuli qui est de vita æterna : quia in spe veniæ propter vitam æternam confitetur, quæcumque confitetur.

Ad object. Ad id autem quod contra objicitur, dicendum quod passio effectum dat confessioni, et fides illuminat ad hoc quod credatur talis effectus esse in clavibus : sed tamen ratione illius non movet ad confitendum : quia confitens non confitetur propter hoc, sed ideo quod sperat se propter hoc consequi veniam peccatorum.

Ad aliud dicendum, quod ille articulus adjuvare potest : sed tamen principalis non est in movendo : quia non consequeretur veniam ex hoc, cum hoc magis sit inductivum timoris quam amoris.

ARTICULUS XVIII.

Cui attributo in Deo innititur confessio ?

Septimo et ultimo quæritur, Cui innititur attributo confessio in Deo ?

Videtur autem, quod

1. Sapientiæ et veritati : quia veritas creata exemplificatur et causatur a veritate increata : sed veritas creata est in confessione : ergo causatur a sapientia et veritate increata : ergo illi maxime innititur.

2. Item, Confessio dicitur debere esse prudens : et constat, quod omnis prudentia exemplariter exit a sapientia : ergo et confessio.

Contra : Confessio fit spe veniæ : ergo tota innititur misericordiæ et bonitati.

Responsio. Ad hoc dicendum, quod in veritate pœnitentia in tribus partibus suis configuratur Trinitati increatæ : compunctio enim sive contritio quæ ex modica pœna commutat æterna tormenta, tota innititur bonitati quæ attribuitur Spiritui sancto. Confessio autem quæ legitima est et prudens computatio peccatorum ut æstimetur ad pœnitentiam, respondet sapientiæ quæ attribuitur Filio : et satisfactio quæ secundum vires amplectitur injuncta, fulcitur potentia quæ Patri appropriatur.

Concedantur ergo duæ primæ rationes, licet non sint multum validæ ad hoc probandum.

Sed ad aliud dicatur, quod licet motivum ad confessionem innitatur misericordiæ, tamen ipsa confessio facta magis comparatur sapientiæ propter causam dictam : non enim est verum, quod si motivum ad illud respondeat bonitati quod etiam ipsum secundum se respondeat. Et est instantia : quia spes ædificandi Ecclesiam bonitati innititur et charitati : et tamen studium et doctrina ad quæ illa spes inclinat, exemplata sunt a sapientia divina.

ARTICULUS XIX.

An sufficiat per Joannem facta institutio ad satisfactionem.

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, A, § 1, post initium : « *Satisfactio a Joanne præcipitur, ubi ait :* Facite dignos fructus pœnitentiæ, etc. »

Et quæremus hic tria, eo quod multa ante habita sint de satisfactione, et iterum postea habebuntur.

Primum horum est, Utrum sufficiat ad satisfactionem institutio facta a Joanne?

Secundum autem, Utrum satisfactio sit in præcepto, vel non?

Tertium autem, Qui sunt digni fructus pœnitentiæ? et, Utrum sit idem satisfacere, et dignos fructus pœnitentiæ facere?

Videtur autem circa primum, quod non sufficiat : quia

1. Satisfactio est pars sacramenti pœnitentiæ : sed in hoc sacramento exigitur institutio divina : ergo etiam in satisfactione.

2. Item, Effectus gratiæ non est nisi a Deo, ut dicit Bernardus super *Cantica* [1] : ergo vas etiam necessario continens gratiam, dummodo non sit fictus qui accidit : ergo illud non est determinare nisi Dei : constat autem, quod satisfactio sacramentalis est etiam pars sacramenti : ergo videtur, quod non sufficiat institutio Joannis.

3. Aliter autem objicitur ad idem : Semper enim necessaria fuit satisfactio peccanti actualiter : ergo etiam ante Joannem : non ergo præcipitur a Joanne, ut videtur, sed ante eum fuit in præcepto.

4. Item, Satisfactio aut respondet peccato naturæ, aut peccato personæ. Constat autem, quod non peccato naturæ : quia pro illo non potest satisfacere purus homo, ut probat Anselmus in libro *Cur Deus homo*. Si respondeat peccato personæ : ergo obligat personam secundum se in quolibet statu suum peccatum ad satisfaciendum : ergo videtur, quod non præcipitur a Joanne tunc primo quando incepit fides Novi Testamenti prædicari.

5. Item, Satisfactio est de jure naturali : ergo hanc non opinio genuit, sed vis innata inseruit : ergo non est instituta a Joanne, ut videtur.

Responsio. In satisfactione tria sunt consideranda, scilicet pro quo satisfit, et quis status satisfacientis, et cui satisfit. Id pro quo satisfit, semper fuit, ex quo cœpit peccatum intrare in mundum, et non fuit in ea diversitate nisi in quantitate peccatorum. Sed status satisfacientis non semper fuit unus : et cum statui illi respondeat per congruentiam modus satisfaciendi, non fuit unus : cum enim omnis nostra satisfactio vim trahat a satisfactione Christi, sicut dicit Ambrosius [2] : et quia omnis nostra pœnitentia trahit vim a pœna et satisfactione sua ideo illi pœnæ futuræ quæ nondum erant nisi in fide satisfacientium, congruus erat modus præsignans pœnam illam et satisfactionem : sicut in lege naturæ per sacrificia et figuras, etiam in lege Moysi per cæremonias. In lege autem nova quæ incipit a Joanne, sicut dicitur, Luc. xvi, 16 : *Lex et Prophetæ usque ad Joannem*. Et, Matth. xi, 12 : *A diebus autem Joannis Baptistæ usque nunc, regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud*. A diebus, inquam, illis congruus modus est per imitationem Christi satisfactio, eo quod ex tunc cessavit præsignatio futuri, et manifestata est veritatis forma quam imitemur. Cui autem satisfit, Deus est, semper uno modo se habens. Solutio.

His prænotatis, non est difficile respondere objectis.

Ad primum igitur dicendum, quod aliter denuntiatur satisfactionis modus, et aliter instituitur : a Joanne non fuit nisi denuntiatus, sed a Christo institutus, cum dicitur : *Pœnitentiam agite* [3]. Ad 1.

Ad 2.

[1] S. Bernardus, Serm. 5 super Cantica.

[2] Cf. III Sententiarum, Dist. XVIII, E, et XXIX, Art. 1 ad object. 7. Et ibi sunt multa notata quæ dicentur illuminantia. Tom. XXVIII hujusce novæ editionis.

[3] Matth. III, 2.

Ad aliud dicendum, quod secundum quod satisfactio sacramentalis est et vim habens a passione Christi, habet a Deo institutionem : sed non oportet ut alia et alia institutione : quia una institutione instituuntur totum et partes : unde ipsa institutionem habet in suo toto quod est pœnitentia. Dicunt tamen quidam, quod ibi instituit, ubi dixit leproso, quod offerret pro emundatione sua quod instituit Moyses [1] : sed hoc non est verum, nisi de figurativa institutione.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod satisfactio secundum se abstrahens ab hoc modo et ab illo, semper fuit, etiam ante Joannem : sed prout accepta consideratur cum modo significationis vel imitatione veritatis, non fuit semper : et quantum ad hunc modum promulgatur a Joanne, et confirmatur a Christo, ut dicit Magister in *Littera*.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod illa objectio non concludit, nisi quod semper oportuit satisfacere ex parte satisfacientis, et ex parte ejus cui satisfit : et hoc bene concedendum videtur, quia non variatur nisi in modo, ut dictum est, quia ad Christum satisfacientem a quo nostra satisfactio vim trahit, illi respicere non poterant, nisi præsignando eam in signis. Hi autem qui a diebus Joannis fuerunt, respicere ad ipsum non potuerunt, nisi imitando formam veritatis quæ manifestata est in ipso.

Ad 5. Ad aliud dicendum, quod satisfactio secundum se est de jure naturali, quod non opinio genuit, sed innata vis inseruit : sed modus satisfaciendi qui dictus est, totus est sacramentalis, et divinus, et ideo ille variatus est secundum tempora diversorum sacramentorum.

[1] Cf. Luc, v, 14.

ARTICULUS XX.

An satisfatio sit in præcepto ?

Secundo quæritur. An sit in præcepto ? Videtur autem, quod non : quia

1. Dicit Hieronymus : « Anathema sit, qui dicit Deum aliquid impossibile præcepisse : » sed impossibile est satisfacere : ergo satisfactio non est in præcepto. Probatio mediæ. Offensa crescit secundum eum in quem peccatur : sed Deus est infinitus in omnibus suis attributis : ergo offensa sui est infinita : ergo non contingit satisfacere pro aliquo peccato, quia pro infinito nihil possumus rependere.

2. Item, Dicit Philosophus in quinto *Ethicorum*, quod percutiens principem, non contrapatitur tantum, sed morte condemnatur : ergo multo magis si offendit in infinitum majorem, quam sit aliquis princeps : Deus autem in infinitum major est : ergo offendens Deum plus debet solvere in infinitum : sed hoc non contingit solvere : ergo non præcipitur solvere, quia incassum præciperetur.

3. Item, Ipsum nomen satisfactionis videtur hoc ostendere : quia satisfacere dicitur facere satis : sed numquam est satis, nisi sit secundum æstimationem peccati et offensæ : sed hoc in infinitum est, ut jam probatum est : ergo non est satisfactio nisi solvatur in infinitum : hoc autem solvere non contingit : ergo videtur, quod præcipi non debeat.

4. Item, Alia via probatur hoc idem : Ponamus enim, quod aliquis pluribus de causis sit debitor alicujus, scilicet quod debeat ei ex jure servitutis, quod est ut nihil possideat nisi titulo domini, et corporaliter sit servus glebæ, et tunc tenea-

tur ei ex mutuo : quia nihil habet, nis quod mutuo ab ipso accepit : et non plus accepit mutuo, quam habet in ipsis bonis : et iterum tertio debeat ei ex offensa, quia de rebus domini offendit eum gravissime : constat, quod ille satisfacere non potest. Quia si dicas, quod satisfaciet de bonis suis : contra hoc est, quia illa domini sunt. Si de persona : contra hoc est, quod servus est de persona, et totum debet domino etiam præter rationem offensæ. Sed constat, quod similis casus est in homine in comparatione ad Deum : ergo videtur, quod homo de peccato Deo satisfacere non possit : ergo non præcipitur ei.

Quæst. PRÆTEREA. Si præcipitur, quæratur, ubi præcipitur, in Novo vel in Veteri Testamento?

Si dicatur quod ibi, *Pœnitentiam agite* [1]. CONTRA : Pœnitere non est satisfacere : quia aliquis pœnitet de eo de quo tamen numquam cogitat satisfacere.

Si dicas, quod ibi ubi Dominus præcepit leproso, ut pro emundatione sua offerret quod Moyses constituit [2]. CONTRA : Quod constituit Moyses non respondebat quantitati peccati : ergo non erat satisfactivum.

Si dicas, quod a Joanne præcipitur, Matth. III, 8, ubi dicitur : *Facite fructum dignum pœnitentiæ*, etc., sicut Magister videtur dicere in *Littera*. CONTRA : Digni fructus pœnitentiæ in eadem impossibilitate sunt, in qua est satisfactio : ergo nec illos contingit facere : ergo non præcipitur.

Si dicas, quod invenitur, Matth. XII, 36, ubi dicitur : *Quoniam omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.* CONTRA : Sicut habitum est, non contingit rationem reddere de infinito : et peccatum mortale est infinitæ offensæ : ergo non contingit rationem reddere de illo.

SED CONTRA : Sed contra.

1. Cujuscumque debiti contingit solvere tantum et decuplum, ipsius contingit esse solutionem sufficientem : peccati autem contingit solvere tantum et decuplum : ergo peccati contingit esse solutionem sufficientem : ergo potest præcipi, et debet præcipi satisfactio. PROBATIO mediæ. Baruch, IV, 28 : *Sicut enim fuit sensus vester ut erraretis a Deo, decies tantum iterum convertentes requiretis eum.*

2. Item, Matth. XVIII, 24 et 26 : *Oblatus est ei unus qui debebat ei decem millia talenta... Providens autem servus ille, orabat eum, dicens : Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi.* Ergo contingit reddere : ergo et satisfacere.

SOLUTIO. Dicendum, quod licet quidam constituant hic magnam vim, tamen in veritate parva vis est in quæstione : et ex habitis in præcedenti de facili est determinabilis, distinguendo quod duplex est modus satisfactionis, scilicet ad æstimationem offensæ, et ad voluntatem et arbitrium ejus cui satisfit : et primo modo non contingit satisfacere, nec præcipitur : sed secundo, sicut dicitur, Michææ, VI, 8 : *Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te.* Quasi diceret : Non quod justum est, sed quod requirit quod sufficit sibi. Et hoc confirmatur ex hoc quod habetur, Luc. VII, 41 et 42 : *Duo debitores erant cuidam fœneratori : unus debebat denarios quingentos, et alius quinquaginta. Non habentibus autem illis unde redderent, donavit utrisque.* Et, Matth. XVIII, 27, ubi dicitur, quod misertus est dominus servi illius, et dimisit ei universum debitum. Solutio.

Ad omnia igitur quæ post inducta sunt, patet solutio : quia illa non probant, nisi quod non contingit satisfacere secundum peccati perpetrati æstimatio- Ad omnia.

[1] Matth. III, 2.

[2] Luc. V, 14.

nem : et hoc quidem est verum : et propter hoc totum est gratiæ quod sumus, sicut dicitur, I ad Corinth. xv, 10 : *Gratia Dei sum id quod sum.*

Ad quæst. Ad id autem quod quæritur, Ubi præcipitur ?

Dicendum, quod in multis locis : tamen secundum quod est sacramentalis modus satisfactionis, sicut dicit hic Magister, dico quod promulgatur a Joanne, et confirmatur per præceptum a Christo, Matth. iv, 17, ubi dicit Jesus prædicans : *Pœnitentiam* agite, etc.

Ad hoc autem quod contra objicitur, dicendum quod *pœnitere* dicitur dupliciter, vel etiam tripliciter. Uno enim modo pœnitudo in actu perpetrato signum est involuntarii per ignorantiam, quod meretur misericordiam et veniam, ut dicitur in libro II *Ethicorum*. Secundo modo est pœnitudo alicujus perpetrati non satisfaciens propter injuriam, quando non vult satisfacere læso, vel propter desperationem, ut Judas pœnituit. Tertio modo est pœnitentia afflictio sui cum proposito confitendi, et satisfaciendi pro malo commisso. Et hæc solummodo pœnitentia sacramentum et virtus est : et hanc præcepit Christus, quia hæc sola fructum invenit salutis : et in illa præcipitur totum quod exigitur ad ipsam, scilicet confessio, et satisfactio. Posset tamen dici, quod, Luc. xiii, 24, præcipitur, ubi dicitur : *Contendite intrare per angustam portam*, etc., et, Matth. xxv, 19, ubi dicit, quod rationem posuit cum servis suis, qui acceperant bona sua.

Ad object. Ad id autem quod contra objicitur, dicendum quod non contingit solvere decuplum peccati intensive, sed quasi extensive per discretionem vel distinctionem, quia in decem præceptorum obedientia : et iste est sensus Baruch.

Ad 1 object. 2. Ad aliud dicendum, quod servus ille non intendit, quod redderet secundum damni illati æstimationem, sed potius secundum æstimationem misericordiæ requirentis debitum : et ideo præmisit dicens : *Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi* [1].

Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICULUS XXI.

An idem sit satisfacere, et dignos fructus pœnitentiæ facere ? et, Qui sunt fructus digni pœnitentiæ ?

Tertio quæritur, Qui sunt digni fructus pœnitentiæ ? et, Utrum idem sit satisfacere, quod dignos pœnitentiæ fructus facere ?

Dicit autem Auctor in *Littera*, et est in Glossa super Matthæum, iii, 8, quod digni fructus pœnitentiæ sunt, ut secundum qualitatem et quantitatem culpæ sit qualitas et quantitas pœnæ.

Sed videtur, quod hoc non possit esse :

1. Aut enim intelligitur hæc qualitas libidinis delectantis in peccato, aut qualitas actus peccati. Si primo modo. Contra : Sensibilis delectatio est, quæ est in peccato : numquam autem sensibilis est in virtute et operibus misericordiæ : ergo non est similitudo in qualitate. Si secundo modo. Contra : Actus illi contrarii sunt : ergo similitudinem in qualitate non habent, quia dicit Philosophus in V *primæ Philosophiæ*, quod « similia sunt quorum qualitas est una. »

2. Item, Videtur impossibile quod secundum qualitatem peccati sit qualitas pœnæ, hoc modo : quia culpæ qualitas non potest esse nisi secundum actum, quia culpa in quantum malum nihil est : in actu autem non est qualitas nisi secundum relationem ad agentem : hoc autem aut est secundum libidinem, aut secun-

[1] Matth. xviii, 26.

dum contemptum : secundum libidinem autem non potest esse qualitas pœnæ, quia pœna amara est in sensu, et libido dulcis : secundum contemptum autem se habet etiam per oppositum : quia sicut peccans contemnit Deum et præceptum ejus, ita per oppositum pœnitens in pœna se subjicit Deo et præcepto ejus : ergo videtur, quod numquam sint secundum eamdem qualitatem pœna pœnitentis, et culpa transgredientis.

3. Si forte tu dicas, quod vocatur similitudo in genere, per contrarium, scilicet ut sicut placuit culpa in delectando, ita placeat pœna in sustinendo : hoc non competit *Litteræ* : quia hoc æqualiter est in parum peccante et multum peccante : sed ista similitudo qualitatis non æqualiter est in parum et multum peccante : ergo non notatur similitudo in genere, ut videtur.

Quæst. 1. Ulterius quæritur de hoc quod dicit, « Ut secundum quantitatem culpæ sit quantitas pœnæ. »

Aut enim æqualitas est in genere, aut in specie. Si in genere. Contra : Secundum hoc æqualiter est in parum peccante : quia magnæ culpæ magna pœna, et minori minor debetur : digni autem fructus non æqualiter sunt in parum et multum peccante, ut dicitur in *Littera :* ergo non intelligitur de quantitate in genere. Si autem intelligitur de quantitate in specie. Contra : Quantitas culpæ est infinita, et quantitas pœnæ finita : ergo videtur, quod numquam contingit satisfacere per dignos fructus pœnitentiæ.

Quæst. 2. Præterea quæritur, Quæ est differentia hic inter qualitatem, et quantitatem ?

Constat enim, quod non est hic per se quantitas continua, sed per accidens : hoc autem videtur esse intensio qualitatis, quæ facit vigorem peccati et magnum peccatum, et vigorem pœnæ et magnam pœnam : sed penes idem videtur esse similitudo vel proportio in qualitate : ergo in idem redeunt hic qualitas et quantitas.

Præterea quæritur, Quare dicuntur *digni fructus pœnitentiæ,* cum non sint fructus nisi in futuro ? Quæst. 3

Hæc autem opera facta potius assimilantur culturæ vel labori ad fructus percipiendos ordinato : sicut etiam Jacobus dicit : *Ecce agricola patienter exspectat pretiosum fructum,* scilicet fructum laboris sui [1].

Responsio. Sicut etiam supra habitum est in antecedenti distinctione, non sumitur hic *fructus* proprie, sed sumitur pro causa fructus quæ est causa fruitionis in futuro. Dicuntur enim opera pœnitentiæ *fructus,* non quod eis fruamur proprie hic, vel in futuro : sed quia cum gaudio spei utimur eis ad obtinendum id quo fruendum est. Nec idem est esse bonos fructus, et dignos fructus pœnitentiæ : quia omnis arbor, id est, homo, tenetur ad bonos fructus, et dignos fructus : qui *boni* dicuntur a radice, quæ bona est, quando liberum arbitrium virtute et gratia est informatum. *Digni* autem fructus sunt a proportione fructus ad statum arboris fructificantis : quia alii clerico, alii prælato, alii subdito, et sic secundum differentias alias fructificantium. Et hoc modo specialis status proportione habita ad opera pœnitentiæ dicuntur *digni fructus,* quando secundum qualitatem et quantitatem peccati est etiam qualitas et quantitas pœnæ. Solutio.

Ad primum ergo dicendum, quod qualitas peccantis hic attenditur cum qualitate peccati. Qualitas peccantis est libera servitus peccati : quia scilicet non coactus, nec exactus, sed libere diabolo servivit in gaudio : et hoc modo libere et cum gaudio serviat Deo in pœnitentia. Qualitas autem peccati secundum for- Ad 1 et 2.

[1] Jacob. v, 7.

mam peccati in specie, secundum quod unum est carnale, et alterum spirituale, et aliud quasi medium, sicut ira, et avaritia : et ita debet esse in pœna corporali et spirituali et media : sicut jejunium pœna est corporis, oratio humiliat spiritum, et eleemosyna damnum infert rerum exteriorum.

Ad illud ergo quod contra objicitur, dicendum, quod non respondet in specie delectationis : sed potius in similitudine subjecti delectationis, et pœnæ, scilicet quia utrumque est corporale, quandoque et spirituale, et medium, ut dictum est.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod similitudo potest attendi dupliciter, scilicet in affectu proximo, et in affectu qui est causa proximi affectus : et in proximo quidem non potest esse similitudo : quia unus est libido, et alter est charitas : sed in remoto, hoc est, in voluntate, bene potest esse similitudo : et etiam plus est in bono, quia Augustinus dicit, quod « charitas in infinitum plus diligit Deum, quam cupiditas aurum. »

Ad quæst. 1. Ad id quod quæritur de quantitate, dicendum quod quantitas est hic duplex, scilicet intensiva, et discreta. Una respondet magnitudini, et altera numerositati peccatorum : sed illa quæ est intensiva, attenditur ex multis, tamen præcipuum est species peccati vel genus : sicut dicimus in genere homicidium esse majus adulterio, et adulterium fornicatione, et in genere avaritiam majorem fornicatione : in specie autem adulterium majus furto. Alia autem quantitas est ex circumstantiis agentis et actus, ex quibus dicitur magnum peccatum, et illi debetur major pœna quam minori : sicut pluries peccanti vel uno genere peccati, vel duobus, plures pœnæ, vel una diuturnior debetur.

Ad id ergo quod contra objicitur, dicendum quod in genere vocatur quantitas, ut dictum est : et non sequitur quod infert : quia peccata etiam in genere non sunt æqualia, sed unum majus, et alterum minus : et ideo etiam pœnæ erunt inæquales.

Ad quæ Ad aliud dicendum, quod quantitas et qualitas fundantur in eodem, sed non sunt idem, ut patet ex prædictis : quia qualitas vitium est ex illa parte qua trahitur in speciem distinctam, ut carnale, spirituale, et hujusmodi : vel specialius adhuc ut fornicatio, delectatio secundum actum in fornicatione : et gula, delectatio secundum actum in gula : sed quantitas accipitur ex quantitate ad totum.

ARTICULUS XXII.

An circumstantiæ aggravent peccatum ?

Deinde quæritur de verbis Augustini quæ habentur, ibi, A, § 1, in medio : « *Consideret qualitatem criminis, in loco,* etc. »

Quæruntur autem hic ad intelligentiam istius loci sex.

Primum, Utrum ista aggravant peccaum quæ dicit ?

Secundum, Utrum aggravant relinquendo actum in eadem specie, vel novam speciem peccati conferendo ?

Tertium, Utrum teneatur pœnitens omnia ista confiteri prout in singulis actibus fuerunt ?

Quarto, Utrum teneatur ea revolvere in contritione et satisfactione ?

Quinto, Quæ et quot sint istæ circumstantiæ ?

Sexto et ultimo, Quæ comparatio sit inter eas, scilicet utrum aliquæ aggravent plus, et aliæ minus, vel omnes aggravent æqualiter ?

Ad primum horum objicitur sic :

1. A quibuscumque trahitur argumentum accusationis rei vel defensionis in judicio, illa aggravant vel accusant actum propter quem reus vocatur ad judi-

cium : sed a circumstantiis trahuntur argumenta hujusmodi : ergo circumstantiæ aggravant vel excusant actum rei propter quem judicatur : sed ille actus peccatum est : ergo circumstantiæ aggravant peccatum. PRIMA patet per se. SECUNDA scribitur a Tullio in primo *Rhetoricæ*, ubi dicit, quod « circumstantiæ sunt a quibus trahuntur argumenta accusationis vel defensionis personæ in judicio. »

2. Item, Quæcumque sunt constitutivæ particulæ, in quibus est actus, dant actui formam mali vel boni, et majoris mali et majoris boni : circumstantiæ sunt hujusmodi : ergo dant actui formam boni vel mali, etc. PRIMA harum iterum patet per se. SECUNDA scribitur a Damasceno sic : « Singula sunt quæ dicuntur a rhetore constitutivæ particulæ : puta quis sit qui fecit, quis est qui passus est, quid fecit, quo, scilicet organo, ubi, scilicet quo loco, et hujusmodi. »

3. Item, Quæcumque sunt quæ quæstionem rhetoricam de laude vel vituperio personæ faciunt, augent bonum et malum in actu personæ : tales autem sunt circumstantiæ : ergo augent bonum et malum in actu personæ. PRIMA patet per se. SECUNDA autem scribitur a Boetio in IV *Topicorum* suorum, ubi dicit, quod « circumstantiæ sunt quæ quæstionem rhetoricam faciunt de laude vel vituperio personæ. »

4. Item, Eccle. III, 1 : *Omnia tempus habent*. Ergo suo tempore sunt meliora : ergo contraria eorum illo tempore sunt priora : ergo tempus aggravat. Et idem argumentum est de aliis.

5. Item, Bernardus ad Eugenium : « In ore sæcularis nugæ, nugæ sunt : in ore vero sacerdotis nugæ sacrilegium sunt [1]. » Ergo circumstantia personæ aggravat. Similiter est de aliis.

6. Item, Ezechiel. VIII, passim, aggravatur multum contra Judæos, quia idola in templo posuerant, in tantum quod tunc gloria Domini scribitur recedere de loco suo : et non scribitur hoc quando colebant ea alibi, quam in templo : ergo etiam locus aggravat.

7. Item, Isa. LVIII, 8 : *Juxta me discooperuisti, et suscepisti adulterum*. Quasi diceret : Alibi fuisset tolerabilius. Ergo videtur, quod similiter omnes aliæ aggravent circumstantiæ.

SED CONTRA : Sed contra.

1. Augustinus dicit in libro secundo de *Libero arbitrio*, quod « malum non est nisi aversio ab incommutabili bono : » constat autem, quod privatio non intenditur nisi per recessum ab habitu : ergo magis malum non est nisi quia magis recedit : non ergo ex circumstantiis : sed circumstantiæ non aggravant, nisi magis malum faciendo : ergo videtur, quod circumstantiæ non aggravent.

2. Item, Constat, quod bonum commutabile, bonum est : sed conversio ad bonum non est nisi in bono : ergo conversio ad bonum commutabile, bonum est. Constat autem, quod omnes illæ circumstantiæ ex illa parte circumstent actum, qua fit conversio ad commutabile bonum : ergo nulla earum facit majoritatem in actu, vel auget, ut videtur : ergo nulla aggravat peccatum.

3. Item, Constat, quod malitia in actu defectus est : ergo non causatur vel augetur ab aliquo positive, sed potius defective, scilicet quia deficit ibi aliquid eorum quæ bonum facere vel augere deberent : cum ergo circumstantiæ positive causent quod causant, sicut locus, tempus, et hujusmodi, videtur quod nulla earum vel facit malum, vel auget ipsum.

4. Item, Sicut dictum est, malitia in actu defectus est : si ergo causatur a circumstantiis, constat quod plures et differentes causæ, plures et differentes effectus relinquunt : sed in actu peccati sunt plures et differentes circumstantiæ : ergo plures et differentes relinquunt malitias : ergo quodlibet peccatum efficeretur tot

[1] S. BERNARDUS, Lib. de Consideratione ad Eugenium Papam.

peccata, quot habet circumstantias, quod absurdum est dicere.

5. Item, Videtur quod malum gravari non possit : nihil enim efficitur gravius, nisi quod recipit intensionem vel remissionem : nulla privatio recipit intensionem vel remissionem : ergo non intenditur. PRIMA patet per se. SECUNDA sic probatur : Illud quod nihil est, non est magis modo nihil, quam prius : privatio autem nihil est : ergo constat propositum : ergo circumstantiæ non gravant ipsum, ut videtur.

Solutio. SOLUTIO. Ad hoc est absque omni dubitatione dicendum, quod circumstantiæ aggravant peccatum : licet enim non faciant bonum in actu vel gratiæ vel virtutis politicæ, tamen faciunt et augent malum in actu : et faciunt etiam bonum civile legale quod considerat judex, qui non judicat de habitu, sed de actu. Quod enim bonum gratiæ non faciant, nemini dubium est, qui non est de Pelagii hæresi : quia illud bonum et in habitu et in actu a solo Deo est. Quod iterum non faciant bonum virtutis politicæ, necessario patet ex hoc quod habetur in II *Ethicorum*, ubi dicitur, quod « non sunt justi et casti, qui operantur justa et casta : sed qui ut justi et casti, operantur justa et casta : » qui tamen considerant circumstantias in quibus est actus. Quod autem faciunt malum, patet, quia vult Philosophus et beatus Dionysius, quod malum causatur ab omnibus particularibus defectibus, sive in circumstantiis actus, sive in habitibus.

Et sic constant tria quæ per ordinem præmissa sunt.

Ad object.1. DICENDUM ergo ad primum, quod in malo duo sunt, scilicet quia malum, et quia vitium : et ratio mali tota est recessio a bono : sed quia bonum perficit naturam, et sublata perfectione necesse est corrumpi id quod erat perfectum, ideo ex consequenti quasi in comparatione ad subjectum mali, incidit vitium, quod est corruptio boni naturæ et naturalium. Et hoc est quod dicit Augustinus, quod « malum est, quia nocet : » nocet autem, quia adimit bonum : quia nisi tolleretur bonum, nec vitiaret, neque corrumperet. Et ideo aversionem boni sequitur necessario corruptio circumstantiarum. Dico autem *aversionem boni* in actu : quia de illo loquimur : et hoc modo aggravatur malum ex circumstantiis corruptis, ut infra in solutione magis patebit.

Ad object. AD ALIUD dicendum, quod in veritate conversio ad commutabile bonum in quantum hujusmodi, non est mala, sicut probat Augustinus : sed talis conversio quæ concipit aversionem ratione defectus modi et harmoniæ debitæ ipsi conversioni, est mala : verbi gratia, conversio ut ad finem boni commutabilis : cum enim non possunt esse duo fines, necesse est conceptam esse aversionem in tali conversione, et incidit necessario defectus debiti modi et harmoniæ sive commensurationis in tali conversione. Modus enim debitus hujus conversionis est, quod relatione ad finem fiat conversio, ad quem illud bonum ordinatur : et ille modus deest : harmonia autem, quod circa Deum, ut læva sit sub capite, et dextera amplexetur : et illa iterum deest : et ex hoc defectu conversio est mala, et non ex hoc quod est ad bonum commutabile. Cum autem conversio illa concepta sit cum tali defectu qui est malus, hoc modo circumstant ipsam circumstantiæ, et non in quantum est conversio solum : et ideo aggravant ipsum malum.

Ad object.3. AD ALIUD dicendum, quod a nulla positione causatur vel augetur malum per se, sed per accidens : sicut etiam dicit Dionysius, quod « malum repugnat bono per bonum in quo est. » Dico autem per aliud : quia talem conversionem quæ est ad bonum conceptum cum malo, augent : et necessario ex hoc incidit defectus turpior ex hoc quod privatur modus in loco, vel tempore, vel persona, vel

aliquo alio, quod est circumstantia personæ, vel negotii sui actus.

Object. 4. Ad aliud dicendum, quod non sequitur, si plures circumstantiæ sunt in actu, quod plura faciunt peccata vel mala : sed potius, quod ex defectibus plurium circumstantiarum in modo et harmonia, causabuntur plures deformitates in uno actu : et hoc ego plane concedo : et tale peccatum antiqui vocaverunt unum peccatum multiplex, vel duplex, vel triplex, vel in alio numero deformitatum.

Object 5. Ad aliud dicendum, quod privatio non intenditur essentialiter, quia non est essentia aliqua : sed intenditur per recessum ab habitu : et sic malo pejus est, quia pluribus vel plus elongatur a bono. Quod autem ita sit, dicit Aristoteles in IV *primæ philosophiæ* loquens contra Heraclitum : quia sic contendit falso esse falsius : sicut magis mentitur qui dicit quinque esse mille, quam ille qui dicit quinque esse sex. Tunc oporteret concedere unum esse verum, per cujus recessum dicatur falsius et falsum.

Tamen contra istam solutionem objici potest hoc quod dicit Anselmus, quod scilicet cæcitas non est magis aliquid in lapide, quam in homine non vidente, nec e converso. Constat autem, quod in lapide magis recedat (quia non est natus habere) quam in homine qui natus est habere visum : ergo videtur, quod major vel minor recessus non causat intensionem et remissionem in malo.

Et ad hoc dicendum, quod privatio dupliciter consideratur, scilicet in se, et in comparatione ad causam suam quam habet per accidens : et primo quidem modo non intenditur, neque remittitur : secundo autem modo intenditur, et remittitur. Causa autem per accidens privationis est id quod cum sit, necessario coincidit privatio : et hoc videmus in corporalibus : sicut si sit dividens venas quæ dicuntur *varices*, vel tibiam, necessario coincidit claudicatio in gressu : ita si talis conversio sit ad bonum commutabile, necessario coincidit defectus modi et harmoniæ, tam in circumstantibus actum, quam in ipso actu, ut prius dictum est : et quanto plus de talibus est, tanto plures coincidunt deformitates.

ARTICULUS XXIII.

An circumstantiæ aggravent, relinquendo actum in eadem specie ?

Secundo quæritur, Utrum aggravant relinquendo actum in eadem specie, vel speciem novam peccati conferendo ?

Videtur autem, quod nullam novam speciem conferant :

1. Constat enim, quod privatio non specificatur nisi per subjectum et habitum cujus est : sed omnes circumstantiæ sunt ejusdem habitus et subjecti : ergo omnes illæ non conferunt nisi speciem unam.

2. Item, Potentius est bonum, quam malum : et bonum ex omnibus circumstantiis suis non confert nisi speciem unam : ergo nec malum ex circumstantiis suis confert nisi speciem unam.

3. Item, Intensio et remissio non variant speciem : sed circumstantia non nisi intendit malum vel bonum in actu : ergo non variat speciem, sed relinquit eamdem.

4. Item, Extrinsecum essentiæ ut est extrinsecum, nullam confert speciem : locus autem et tempus et hujusmodi sunt extrinseca : ergo nullam speciem conferunt : ergo nec aliæ circumstantiæ, ut videtur.

5. Item, Accidentia non variant speciem : circumstantiæ sunt accidentia actus : ergo speciem ipsius non variant.

Probatur autem secunda ex hoc quod circumstantiæ loci, temporis, personæ, et auxilii, et omnium aliorum, sunt diversarum actionum ejusdem speciei, di-

versæ et eædem : et tamen non propter hoc actiones in specie variantur.

Sed contra. SED CONTRA hoc,

1. Dicit Dionysius, quod « malum causatur omnifariam : » ergo ex corruptione cujuslibet circumstantiarum : ergo cujuslibet circumstantiæ corruptio causat speciem mali singularem.

2. Item, Aliud esse conferunt circumstantiæ actui : constat autem, quod non esse naturæ : ergo moris : ergo secundum esse moris conferunt speciem : ergo addita aliqua corruptione circumstantiæ specialis, erit novum esse moris : ergo et nova species peccati, ut videtur.

3. Item, Constat, quod unus specie actus est in natura et in specie naturæ, coire cum muliere : sed ego video, quod coire cum soluta facit unam speciem peccati, et coire cum conjugata aliam, et aliam iterum cum consanguinea, aliam cum velata : et illi actus non differunt nisi per circumstantias, ut videtur : ergo circumstantia aggravat, speciem aliam actui conferendo.

4. Item, Rapere quoddam peccatum est simplex : rapere autem sacrum, vel a loco sacro, sacrilegium est. Cum igitur rapere hinc inde non differat nisi per circumstantiam, videtur, quod circumstantia aggravat extra genus, aliam speciem actui conferendo, quia hoc vocatur *aggravare extra genus*, aliam speciem actui conferre.

Solutio. SOLUTIO. Dicendum, quod nulla circumstantia proprie aggravat, aliam speciem conferendo : esse enim substantiale actus moralis secundum speciem est a fine voluntatis : sicut enim dicit Philosophus, « Actus diffiniuntur per opposita, » id est, objecta : et hoc intelligitur de objectis quæ sunt fines : licet enim illud idem sit materia circa quam est actus, tamen quia actus qui est circa objectum illud, non est potentiæ nisi formatæ a specie objecti, ideo accipit esse actus ipse a ratione subjecti secundum quod est movens in intentione finis propter quem est actus. Hoc autem ex ipsa nominatione peccatorum patet : Fornicatio est delectatio secundum actum in fornicatrice, et adulterium in adultera vel conjugata, et avaritia in pecunia, et cæteris hujusmodi. Circumstantiæ autem sunt conferentes bene esse vel male esse per modum passionis ipsi actui, sive sint circumstantiæ personæ, sive negotii. Et ideo nulla confert proprie loquendo speciem, vel variat eamdem.

Ad object. DICENDUM ergo ad primum, quod Dionysius non intelligit hoc de corruptione circumstantiarum vel omissione : quia bene quidem contingit, quod bonum minus est laudabile, quando non est in suo tempore, vel loco : sed tamen ex hoc non efficitur malum per se, vel species vitii, vel peccati mortalis : sed Dionysius intelligit hoc, sicut Philosophus, quantum ad materiam circa quam est virtus. Est autem circa tria, scilicet eligibilia ad opus, et ipsum opus, et circa passiones : sicut prudentia est circa eligibilia ad opus operabilia per nos, ut dicit Philosophus in VI *Ethicorum* : justitia autem circa operationes, ut dicit, in quinto : et temperantia et fortitudo circa passiones, ut docetur in tertio. Cum igitur circa tot sit virtus, semper ipsa substantialiter est medium in eo circa quod est, licet differenter : sed vitium non est medium, sed extremum. Et quia *omnifariam* contingit declinare a medio in quacumque materia, et non esse in medio nisi uno modo, ideo dicit quod virtus est ex una tota et sola causa : et vitium omnifariam : quia medium corrumpitur quacumque declinatione ad extremum : tamen quod sit medium, non habet a circumstantiis : imo potius circumstantiæ causantur ab eo quod substantialiter medium est, et ideo non conferunt aliud esse.

Ad object 2. AD ALIUD dicendum, quod circumstantiæ non conferunt esse primum, sed nec secundum tamen conferunt esse accidens, sed potius accidentis per se. Et quia ab eo quod est frequenter, trahitur

quæstio rhetorica, ideo faciunt quæstionem rhetoricam, et laudem, vel vituperium : et hoc est esse moris. Primum autem esse habet actus a specie objecti circa quod est : quæ, inquam, species finis est operantis.

ad 3. Ad aliud dicendum, quod coitus comparatur dupliciter ad potentiam, scilicet generativam quæ naturalis est : et sic ipse cum quacumque sit, est unius speciei, quia actus generativæ discindentis semen ad salutem speciei. Comparatur etiam ad potentiam ordinabilem per rationem : et hæc informatur multis speciebus diversorum subjectorum, sicut delectabilitas in fornicatrice, vel in conjugata, vel in masculo, vel consanguineo : et secundum hoc confert novum esse actui suo : et sic actus ille diversificatur in specie moris quantum ad primum esse moralium actum.

Et si tu objicias, quod non videtur esse solutio : quia ille non delectatur in conjugata vel consanguinea ut consanguinea, sed in muliere ut mulier est.

Dicendum, quod hoc est falsum : quia si delectaretur in muliere ut mulier est, in omni muliere delectaretur, quod falsum est. Unde licet vellet non esse consanguineam vel conjugatam, tamen voluntas est delectandi in hac quam scit esse conjugatam vel consanguineam : et ideo per consequens est voluntas delectandi in conjugata vel consanguinea : quia aliter nullum peccatum erit voluntarium, et numquam esset voluntas mali, et nos non essemus causa mali per voluntatem : quæ omnia contra Sanctos sunt, et in III etiam *Ethicorum* optime improbata.

Object. 4. Ad aliud dicendum, quod rapere de sacro, vel sacra, habet voluntatem quæ est rapiendi de sacro, vel sacra, eodem modo quo dictum est de voluntate concumbendi cum conjugata : et sic illa species movens facit aliud peccatum : quia non est ibi circumstantia tantum, sed finis et forma dans speciem et esse actui.

ARTICULUS XXIV.

An pœnitens tenetur confiteri omnia peccata sua, et circumstantias?

Tertio quæritur, Utrum pœnitens omnia ista confiteri teneatur, prout in singulis actibus sunt?

Videtur autem, quod sic :

1. Districtius enim est judicium divinum, quam humanum : sed ex singulis circumstantiis accusatur in judicio humano : ergo ex singulis circumstantiis debet accusari in judicio divino : et ipse est accusator sui in confessione tamquam in judicio divino : ergo tenetur accusare seipsum.

2. Item, Quantitas mali et turpitudinis debet innotescere sacerdoti in confessione : sed non potest innotescere, nisi innotescant omnia aggravantia : ergo tenetur ea narrare confitens : sed omnes circumstantiæ aggravant, vel alleviant : ergo omnes illas enarrare tenetur,

3. Item, In *Littera* videtur hoc dici ab Augustino expresse hic : ergo videtur, quod tenetur ea omnia confiteri.

4. Item, Genes. xix, 17, præcipitur Lot, ut egrediatur a Sodomis : et adjungitur, ut non stet *in omni circa regione*. Exponitur autem communiter, quod Sodoma significat peccatum, et circa regio occasiones peccati et circumstantias. Cum igitur pœnitentia sit via exeundi per confessionem, videtur quod debeat per confessionem exire a circumstantiis eas confitendo.

Sed contra. Sed contra :

1. Canon dicit non confiteri debere nisi peccatum : ergo circumstantias non oportet confiteri.

2. Item, In Psalmo xxxi, 5 : *Dixi : Confitebor adversum me injustitiam meam :* non dicit, circumstantias peccati.

3. Item, Sicut sunt circumstantiæ peccatum aggravantes, ita sunt alleviantes : si ergo circumstantiæ confitendæ sunt ut sciatur quantitas peccati, ita debent confiteri alleviantes sicut aggravantes, quod falsum est : ergo nec aggravantes solum debent confiteri.

4. Item, Aliud est in judicio hominum, et aliud in judicio divino : in hominum enim judicio circumstantiæ non quæruntur nisi ut præsumptio fiat judici : quod non est necessarium in divino, quoniam testis est conscientia apud eum qui loco Dei est, scilicet sacerdotem : cum ergo conscientia ad convincendum confitentem sufficiat, videtur quod non oportet circumstantias dicere in confessione.

Solutio Respondeo sine præjudicio secundum antiquos Doctores, quod non oportet circumstantias confiteri, nisi quæ trahunt in aliud genus peccati : tamen securum est etiam alias dicere, præcipue si remordet aliquem conscientia : sed tamen dicunt, quod non tenetur ex præcepto. Unde dicere circumstantias quæ non trahunt in aliud genus peccati, est de bene esse confessionis : utilitas autem quæ ex hoc est, illa est quam dicunt, scilicet quod sicut supra habitum est, confessio per erubescentiam in aliqua parte pœnæ satisfacit : et sæpe contingit, quod homo plus erubescit de circumstantia, quam de peccato : et ideo bonum est confiteri. Alia etiam utilitas est : quia sacerdos melius noscit peccati deformitatem, et melius sciet taxare pœnitentiam et satisfactionem. Tertia iterum, humilitas major pœnitentis.

Ad 1. Dicendum ergo ad primum, quod si in humano judicio fit mentio de circumstantiis, hoc non est propter distinctionem, sed potius propter dubietatem judicis qui veritatem non novit : et non potest ei præsumptio fieri de quantitate malitiæ, nisi ex circumstantiis : sed ex confessione accusando se manifestat se totum pœnitens, et ideo circumstantias quasdam dicere non oportet.

Ad aliud dicendum, quod ut supra dictum est, quantitas mali et turpitudinis substantialis non est ex circumstantiis, sed potius ex aversione a bono incommutabili : sed quædam turpitudo est ex circumstantiis : et quia accidentalis est, non habet pœnitentiam propriam, sed conjunctam cum pœnitentia : et ideo non oportet eam singulariter et discrete confiteri.

Ad aliud dicendum, quod Augustinus dicit ista non præcipiendo, sed ad bene esse : nec dicit facienda esse in confessione, sed potius in contritione inter se et Deum.

Ad aliud dicendum, quod exitus de peccato est in contritione : et hoc satis bonum est, quod non manet in circumstantiis : sed tamen est consequens, quod quicumque exit de peccato, exit de circumstantiis : sed non convertitur : et ideo illud non tangit, nisi quod sit de bene esse confessionis.

ARTICULUS XXV.

An pœnitens teneatur revolvere circumstantias in contritione et satisfactione ?

Quarto quæritur, Utrum debeat ea revolvere pœnitens in contritione et satisfactione ?

Videtur, quod sic : quia

1. Dicit Augustinus in *Littera* : « Consideret qualitatem criminis, in loco, et tempore, in perseverantia, in varietate personæ, etc. » Et infra : « Immoretur in singulis istis, et sentiat modum criminis, purgans lacrymis omnem qualitatem vitii [1]. » Ergo videtur, quod omnia in contritione revolvere debet.

[1] Vide supra in hac distinctione *Litteram* cap. A, § 1, in medio.

2. Item, Contritio dicitur *simul tritio :* eo quod totum delet peccatum : circumstantia autem aliquid peccati est : ergo ipsa est conterenda : sed non conteritur, nisi actus doloris iteretur super eam : ergo actu debet pœnitens dolere de singulis circumstantiis peccatorum : et non potest actu dolere de illis, nisi in mente revolvat : ergo debet mente revolvere.

3. Item, In his quæ corporaliter conteruntur super quæ non reiteratur terens, non confringuntur : ergo in spiritualibus similiter erit : quia illud verbum, *contritio*, a corporalibus ad spiritualia transsumptum est. Si ergo dolor qui conterit super circumstantiam non reiteretur, circumstantia peccati non conteritur : ergo nec remittitur, ut videtur : ergo oportet actualiter dolere de qualibet, et in contritione revolvere.

4. Item, Isa. XIV, 22 : *Perdam Babylonis nomen, et reliquias, et germen, et progeniem, dicit Dominus.* Constat autem, quod de progenie sunt circumstantiæ : ergo sunt perdendæ : sed non perduntur, nisi per contritionem : ergo de eis debet haberi contritio : et non potest haberi, nisi revocentur ad mentem : ergo revocari ad mentem debent, ut videtur.

5. Eadem autem ratione videtur posse probari, quod debeant revocari ad mentem in satisfactione, et alia ratione propria tali : Sapiens medicus in appositione medicinæ actualiter advertit dispositiones morbi : ergo similiter hoc faciet medicus spiritualis : sed appositio medicinæ satisfactio est : ergo actualiter in satisfactione debet adverti dispositio morbi spiritualis : sed morbus spiritualis peccatum est, cujus dispositio est circumstantia : ergo satisfaciendo debet advertere peccati circumstantias.

6. Item, Quandocumque unum proportionatur alteri, necesse est advertere utrumque proportionabilium : sed satisfaciens opus suum proportionat et comparat peccato et circumstantiæ : ergo necesse est, quod actualiter recogitet peccatum et peccati circumstantias.

7. Item, Beda : « Non sanat oculum, quod sanat calcaneum : » sed satisfactio est de qua loquitur : ergo alia satisfactio necessaria est uni, et alia alteri peccato : sed in omni tali antidoto necesse est recogitare id cui contraponitur antidotum : ergo necesse est satisfacientem actualiter recogitare peccatum et circumstantias peccati.

Sed contra.

SED IN CONTRARIUM hoc est, quod

1. Secundum hoc pauci compungerentur et pœniterent : quia paucissimi videntur hoc facere.

2. Item, Apostolus dicit, I ad Corinth. VI, 18 : *Fugite fornicationem.* Et exponitur, quod etiam fugiatur ne cogitetur : quia movet cogitatum : ergo in cogitatione non debet revocari ad mentem, ut videtur.

3. Item, Avicenna dicit, quod species delectabilis corporalis etiam quandoque reminiscentem movet : sed motus ille ad illicitum est : ergo fugiendus : ergo et causa fugienda : causa autem est cogitatio : ergo cogitatio fugienda est : ergo non omne peccatum in contritione vel satisfactione ad memoriam revocandum est.

4. Item, A simili probant hoc quidam. Videmus enim pomum granatum vel aliud integrum non movere appetitum vel intellectum : sed si dividatur, movebit : ergo a simili peccatum in universali ad memoriam revocandum est, sed non divisim per singulas circumstantias, quia sic moveret ad illicitum.

Solutio.

RESPONDEO, quod non tenetur ad semper, licet bonum sit quandoque revolvere circumstantias. Bene credo, quod in contritione quæ primo delet peccata, propter hoc quod illam oportet esse virilem, tenetur revolvere, et confiteri ea omnia de quibus recordatur, sed non circumstantias, nisi illas quæ trahunt in aliud genus, quæ etiam circumstantiæ proprie non sunt, ut supra dictum est.

Ad 1. Ad primum ergo dicendum, quod Augustinus consulit hoc ad compunctionem excitandam : quia quantitatis consideratio facit vehementius compungi, et acrius dolere : et non dicit hoc ideo quod teneatur pœnitens ad illa.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod ideo dicitur contritio, quia duorum est, scilicet gratiæ, et doloris a libero arbitrio procedentis, vel doloris sensibilis et rationalis : vel quia de omnibus simul peccatis quæ sunt in memoria : sed non oportet, quod sit de omnibus circumstanttis, nisi quantum ad bene esse contritionis, scilicet ut sit ferventior et devotior.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod verum est in his quæ corporaliter conteruntur, quia illa sunt successive contrita. Peccata autem simul conteruntur in uno momento infusionis gratiæ : et ideo impossibile est ut tunc omnia sint sigillatim cogitata, sed in universali : et ideo tunc circumstantiæ conteruntur in ipsis : et non oportet ut sigillatim ad memoriam actualem revocentur.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod totum perditur germen Babylonis per gratiæ infusionem : sed non totum actualiter cogitare necesse est, quia quædam etiam sunt ignorata, quæ tamen ibi remittuntur. Et ratio hujus universalis perditionis et contritionis jam dicta est, scilicet quod dolor est de omnibus in universali, licet non sigillatim et in particulari.

Ad 5. Ad hoc quod objicitur de satisfactione, dicendum quod non semper oportet actualiter advertere : quia pœnitens non est medicus, sed potius sacerdos, et ille in confessione discernit genera morborum : sed sicut medicus non quærit omnia accidentia morbi, sed tantum causas periculosas : ita etiam nec medicus spiritualis quærit accidentales circumstantias, sed tantum trahentes in aliud genus.

Ad 6. Ad aliud dicendum, quod non singulis peccatis et circumstantiis proportionatur satisfactio, quia impossibile esset, quod pœnitens hoc sustineret : sed radicibus peccatorum, sicut in præcedenti distinctione habitum est. Si enim radicatum est peccatum in carne, injungit affligentia carnem : si autem in bonis fortunæ, injungit eleemosynam, et sic de aliis : et sic non oportet semper satisfacientem de peccato quolibet et circumstantia cogitare.

Ad aliud dicendum, quod hoc modo intelligitur dictum Bedæ de radicibus peccatorum, et non de ipsis peccatis, et circumstantiis peccatorum.

Ad Ad ea autem quæ objiciuntur in contrarium, tantum notandum, quod non tenent nisi quando recordatio peccatorum non nocet pœnitenti. Et hoc contingit dupliciter, scilicet quando declinat in desperationem ex mera reatus consideratione : aut quando movent appetitum ex memoria præhabitæ in eis delectationis : tunc enim videtur mihi, quod cogitatio avertenda est : alias autem bonum est sæpe recogitare omnes annos in amaritudine animæ coram Deo [1], ad compunctionem majorem et humilitatem excitandam.

ARTICULUS XXVI.

Quæ et quot sint circumstantiæ aggravantes peccatum?

Quinto quæritur, Quæ et quot sint istæ circumstantiæ?

Si quis autem inspiciat *Litteram* diligenter, colligere potest novem diversa quæ ponit, scilicet criminis qualitatem, locum, tempus, perseverantiam, personæ varietatem, tentationem, multiplicem vitii exsecutionem. Et post multa addit duo, scilicet damnum virtutis qua inte-

[1] Isa. xxxviii, 15 : *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.*

rim caruit, et ingratitudinem qua offendens omnium factus est reus, et omnibus gratiis acceptis se privavit.

Personæ autem varietatem videtur dividere in tria, scilicet dignitatem, ordinem, et ætatem, utrum juvenis, vel senex, vel in annis pluribus : et ut mihi videtur, plura ex *Littera* colligi non possunt.

Objicitur autem de illis, et primo de singulis.

Videtur enim, quod

1. *Qualitas vitii* non sit circumstantia : aut enim intelligitur de qualitate essentiali quæ dat speciem vitio, aut accidentali. Si primo modo, non est circumstantia. Si secundo modo, tunc quæratur, Quæ sit illa qualitas? Et si dicatur, quod sit modus actus. Contra : Modus ille qui est mortalis peccati est unus, scilicet quia est ex contemptu præcepti, et ex libidine commutabilis boni : sed constat, quod non est una qualitas plurium peccatorum vel omnium : ergo modus ille non est qualitas criminis.

2. Item, *Locus* non agravat nisi sit sacer : et tunc facit sacrilegium, quod est aliud genus peccati : ergo locus non manet circumstantia simpliciter, sed etiam dat formam speciei vitii.

3. Item, Objicitur de *tempore*, quia non aggravat nisi tempus orationi vel feriationi constitutum : et hoc iterum inducit sacrilegium quod aliud genus est peccati, ut quidam dixerunt.

4. Item, *Perseverantia* quædam virtus est : ergo non est circumstantia vitii criminalis.

Item, Perseverantia nihil addit super actum peccati, nisi continuitatem : continuitas autem non dicit aliquid in actu, sed potius circa agentem, quod maneat in vitio.

5. Similiter, Objicitur de *personæ varietate :* innuit enim varia esse in persona quæ aggravant peccatum : et hoc non videtur, quia sic omnis actus personæ aggravaret, quia omnis homo variam habet personam ab alio.

6. Item, *Dignitas personæ* in quantum hujusmodi, non auget meritum : non enim dicimus, quod Episcopus plus mereatur orando, cæteris paribus, quam non Episcopus : ergo videtur, quod non aggravet peccatum.

7. Item, Si aggravat peccatum : aut hoc est ex parte radicis peccati, aut ex parte actus, aut ex parte finis actus, aut ex parte nocumenti quod infert. Videtur autem, quod non sit *ex parte radicis:* quia ex tanta libidine vel majori fornicatur vel potest fornicari non Episcopus, sicut Episcopus : ergo Episcopatus non facit ad majorem quantitatem radicis. Similiter videtur, quod non *ex parte actus :* quia tantus actus fornicationis potest esse in non Episcopo, sicut in Episcopo vel major : finis etiam adeo turpis vel turpior esse potest, et similiter nocumentum majus : ergo videtur quod nullo modo aggravat.

8. Item, Si per se loquendum est, secundum doctrinam Philosophi, quæ nullam personæ conferunt potestatem ad actum, non se habent ad actum eliciendum vel aggravandum, sed potius per accidens ad actum illum referuntur : talis autem est dignitas vel ordo in persona : ergo actum peccati nec elicit, nec aggravat, sed per accidens se habet ad ipsum. Probatio primæ est. Si dicam, Albus statuarius facit statuam, ly *albus* nihil confert ad actum, et ideo ad actum non refertur ut eliciat vel aggravet, sed per accidens tantum. Probatio secundæ est, quod si dicam, Decanus vel Episcopus fornicatur, potestatem fornicandi non confert Episcopatus vel decanatus : sicut ars ædificandi confert fabro lignario potestatem domum faciendi : ergo constat propositum.

9. Similiter, Objicitur de *ætate* quam ponit inter variantia personam. Videtur enim imperfecte loqui : quia diversa ætas peccata facit turpiora, et non una : dicit enim Philosophus, quod senes magis sunt cupidi, et juvenes magis luxuriosi : ergo per oppositum major in juvenibus

turpitudo avaritiæ, et in senibus major turpitudo luxuriæ: ergo distinguere debuit ætatem.

10. Item, Videtur quod ætas iterum hoc non faciat, sed potius alia dispositio habentis ætatem: constat enim, quod talis ex cholera in juventute cum accrescit calor, exsiccatur, et efficitur impotens ad coitum ex siccitate: et procedente tempore, remisso calore, et crescente humido, efficitur potens: ergo iste magis appetit luxuriam in senectute, quam in juventute. Cum igitur regula sit apud Theologum et Ethicum, quod peccatum est majus, quod ex majori procedit libidine, videtur, quod istius aggravationis non sit causa ætas, sed alia dispositio habentis ætatem.

11. Ulterius de hoc objicitur, quod dicit *tentationem* aggravare peccatum. Videtur enim hoc redire ad ætatem: ætas enim non aggravat nisi secundum quod est majoris tentationis incitativa: ergo eadem circumstantia est ætas, et tentatio, ut videtur.

12. Item, Tentatio facit majus meritum in bono, ut dicunt Sancti: ergo videtur, quod non sit factiva majoris peccati in malo: quia non potest esse, quod idem sit causa contrariorum.

13. Item, Tentatio est ante essentiam peccati: ergo etiam ante quantitatem peccati, quia quantitas peccati non extenditur extra essentiam peccati: ergo videtur, quod non dat peccato aliquam quantitatem.

14. Ulterius quæritur de hac quam vocat *multiplicem vitii exsecutionem*. Hæc enim multiplicitas aut est in modo actus, aut in specie. Si in modo: tunc redit ad illam quæ est de qualitate vitii, quam prius posuit. Si in specie: tunc nihil addit supra speciem vitii, nisi quantitatem discretam: ergo non aggravat ad hoc peccatum singulare.

Si forte tu dicas, quod aggravat peccatum ex multitudine. CONTRA: Unitas quæ principium est discretionis, nihil addit supra entitatem rei quod sit essentia, sed potius modus qui radicatur in negatione, sicut vult Aristoteles in pluribus locis *primæ Philosophiæ:* id autem principium est multitudinis: ergo multitudo non ponit aliquid additum cuilibet uni multorum, nisi modum illum negationis: ergo non aggravat: quia omnis aggravatio est ex aliquo ente appositò ipsius rei quæ aggravatur.

15. Ulterius, Objicitur de hoc quod dicit, quod *plangat virtutem qua interim caruit*. Hoc enim non videtur afferre quantitatem peccati: quod enim sequitur omne peccatum in quacumque quantitate magna vel parva, non dat peccato aliquam quantitatem: sed carere virtute sequitur omne peccatum mortale in quacumque quantitate magna vel parva: ergo non dat peccato aliquam quantitatem.

16. Item, Cum multa sint alia bona quibus interim caremus, scilicet gratia, bonum naturale, vel integritas ejus, virtus, et meritum: quare non dicit alia esse deplangenda sicut illud?

17. Ulterius quæritur de hoc quod dicit, quod *plangat ingratitudinem*, quod *offendens in uno factus est reus omnium* [1]. Videtur enim ex hoc magis ingratus esse Deus, quam ipse qui peccat: si enim sit dominus aliquis cui servus multum servivit, et contingat quod peccet servus in uno, et dominus imputet ei peccatum in omnibus, et non in uno tantum, magis ingratus est dominus servitio servi, quam servus: ergo a simili ita erit et hic.

18. Item, Videtur maxima injustitia esse, quod offendens in uno, fiat omnium reus: si enim sit aliquis deprehensus in solo latrocinio vel furto: et judex devolvat in eum adulterium, homicidium et crimen læsæ majestatis, injustitiam facit illi. Cum igitur leges humanæ sint exemplatæ a legibus divinis, videtur quod non sunt contra leges divinas: ergo si quis

[1] Jacob. II, 10.

transgreditur præceptum unum, injuste agitur secum, si reputatur reus esse omnium.

19. Ulterius autem objicitur hic, quod Tullius multo plures circumstantias in primo *Rhetoricæ* ponit: dicit enim in communi quidem esse septem, scilicet quis, quid, cur, quando, ubi, quomodo, quibus auxiliis [1]. Attribuuntur autem horum septem secundum Tullium et Boetium quædam personæ, et quædam negotio: personæ quidem una quæ est *quis*, negotio autem sex reliquæ. Et ipse Tullius dividit illam quæ est *quis* in undecim circumstantias, scilicet nomen, naturam, convictum, fortunam, habitum, affectionem, studia, consilia, facta, casus, orationes. Et iterum horum quædam subdividit, ut naturam in sexum, nationem, patriam, cognationem, ætatem: et convictum dividit in novem, scilicet societatem, amorem sive arbitrium conversandi, pædagogos sive præceptores, quibus cunctis usus est, quo negotio occupatus, quo in quæstu negotietur, cujus sit artificii, quomodo res familiares administret, qua justitia, qua consuetudine domestica. Similiter alia dividit, ut patet inspicienti primum *Rhetoricorum*. Ergo videtur, quod etiam iste plures ponere debuit.

Solutio. 19. Dicendum primo ad hoc ultimum, quod non est præsentis instructionis tractare de *circumstantiis*, nisi prout aggravant peccati actum, et faciunt sibi aliquam quantitatem, vel secundum reatum, vel secundum turpitudinem: et ideo Augustinus non tangit, nisi circumstantias ex quibus notabiliter efficitur hujusmodi quantitas in peccato. Sed Tullius agit de circumstantiis prout sunt locus rhetoricus. Locus autem rhetoricus est, ex quo per enthymema (quod est syllogismus rhetoricus) arguit accusatum coram judice duo, scilicet notitiam rei, et notitiam reatus ejus. Et ideo non omnes suæ circumstantiæ aggravant, sed omnes faciunt notitiam judici de reo vel reatu ejus. In pœnitentia autem nulla fit judici notitia de his: sed potius reo ostenditur quantitas sui reatus, ut inclinet ad lamentum majus. Et ideo non ponuntur hic nisi circumstantiæ tantum reatum aggravantes: et hoc sufficit præsenti lectioni. Tamen nos alibi late disputavimus de circumstantiis [2]: et hoc poterit qui voluerit inspicere: sed hic omnia dicemus quæ pertinent ad præsentem passum, et non alia.

Ad primum ergo dicendum, quod *qualitas vitii* intelligitur meo judicio qualitas essentialis, quæ constituit speciem ipsius: distat enim vitium a vitio ex quantitate quam affert specifica differentia. Per quem modum, omnibus allis paribus, dicimus unum vitium in specie majus, et aliud minus, ut adulterium quam furtum, et homicidium quam mendacium, et sic de aliis. Ad 1.

Ad id autem quod contra objicitur, dicendum quod *circumstantia* dupliciter dicitur, scilicet circumstans actum, et circumstans agentem, sicut expresse colligitur in circumstantiis quas ponit Tullius: et hoc modo *quid fecit* reducitur ad circumstantiam acceptam ex parte actus vel negotii: licet enim *quid* dicat essentiam actus, tamen in quantum affert secum quantitatem turpitudinis, concipit etiam id quod circumstat, et sic dicitur *circumstantia*.

Ad id quod objicitur de *loco*, dicendum quod locus in quantum hujusmodi non trahit in genus aliud, etiamsi sit sacer, nisi adveniat actus alius violans locum. Unde Jurisperiti dicunt, quod clam accipiens in loco, non incurrit excommunicationem quam fert Episcopus consecrans locum in violatores loci: sed illam incurrit accipiens in loco sacro violentus: Ad 2 et 3.

[1] Versus est notus:
Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, [quando.

[2] Cf. præcipue libros de *Logica*, et præsertim illum cui titulus *Liber de sex principiis*. Tom. I hujusce novæ editionis.

eo quod alio actu, quam contractatione rei alienæ lædit immunitatem loci: et sic patet, quod quando nihil additur actui peccati nisi locus sacer, non erit locus trahens in aliud genus peccati, sed circumstantia aggravans.

Per eumdem modum patet solutio ad sequens quod objicitur de *tempore:* quia dupliciter potest se habere ad actum, sicut et locus.

Ad 4. Ad id quod ulterius objicitur de *perseverantia*, dicendum quod non dicitur hic *perseverantia* permansio in actu criminis solummodo, nec etiam actuale perseverandi propositum, quia hoc esset actuale peccatum divisum ab aliis: nec etiam donum perseverantiæ quod est virtus vel aliquid conjunctum virtuti: sed dicitur hic *perseverantia* id quod relinquitur ex actus vitiosi iteratione. Et est duplex, scilicet mala dispositio, per quam fit homo habilis ad peccandum: et minoratio naturalis boni, per quod elongatur a bono incommutabili. Et quanto plus sic disponitur, tanto efficitur pronior ad peccandum: et ex tali pronitate efficitur quædam peccati quantitas præcipue in hoc quod magis voluntarie et magis libere peccat, et quantum ad hoc ponitur inter aggravantia peccatum.

Ad 5. Ad id autem quod objicitur de *varietate personæ*, dicendum quod non omnia attendit quæ in persona considerari possunt, sed illa tantum quæ faciunt turpitudinem in actu majorem ex comparatione ad agentem. Et per hoc patet solutio ad primum.

Præterea, *Persona* accipitur prout est nomen dignitatis, tam secundum scientiam juris, quam secundum dignitatem naturæ: secundum quem modum decanum dicimus esse personam, et non dicimus, quod clericus simplex sit persona.

Ad 6. Ad aliud dicendum, quod illud argumentum non valet: hoc non auget meritum: ergo non auget peccatum: quia meritum et augens meritum, est ex solo Deo, et non ex homine: sed peccatum et augens peccatum est ex homine, et non ex Deo: et ideo aliquid circa personam positum, sicut dignitas, facit majorem actus congruitatem in bono, et majorem incongruitatem in malo: et in bono quidem non auget meritum, sed auget debitum congruentiæ: sed in malo auget peccatum propter causam prius assignatam.

Ad aliud dicendum, quod auget deformitatem, non ex parte radicis, nec ex parte actus absolute considerati, sed ex comparatione actus ad statum agentis: talis enim status retrahere deberet a peccato, et majorem habet incongruentiam ad peccatum: et ideo aggravatur peccati turpitudo ex statu personæ. Unde illa ratio ab insufficienti procedit.

Ad aliud dicendum, quod Philosophus loquitur de his quæ conferunt potestatem ex arte in agendo hunc actum vel illum: sed Augustinus loquitur hic de his quæ ex congruitate vel incongruitate augent vel minuunt turpitudinem vitii, quæ est ex consideratione peccati ad peccantem: et ideo non est ad propositum quod dicit Philosophus.

Ad id quod objicitur de *ætate*, dicendum quod Augustinus non tangit hic nisi genera aggravantium, et bene consentit in hoc, quod si genus distrahatur per species, quod erit tunc comparatio diversa.

Ad aliud dicendum, quod apud communiter loquentes, *ætas* intelligitur secundum id quod ætas relinquit in subjecto, tam ex parte corporis, quam ex parte animæ: in corpore enim relinquit augmentum, et canitiem, et hujusmodi: in anima autem confirmationem rationis, et consilii, et hujusmodi: et secundum hunc modum dispositio habentis ætatem intelligitur in ætate.

Ad id quod objicitur de *tentatione*, dicendum quod tentatio et ætas non sunt idem, licet quædam causæ tentationis magis aggravent in quadam ætate, et quædam in alia: quia ætas dicit dispositionem ex tempore relictam in subjecto: sed tentatio non dicit nisi impulsum ad

illicitum, sive impulsus sit ex carne, sive ex dæmone, sive ex mundo : et non dicit illum impulsum secundum quod relinquitur ex tempore.

Ad 12. Ad aliud dicendum, quod tentatio non auget meritum per se, sed meritum quod est dimissivum pœnæ : sed quando ponitur circumstantia aggravans, hoc non est per eumdem modum quo auget meritum : meritum enim auget ex hoc quod retrahit a bono, et tamen vincitur : propter majorem enim difficultatem in opere habetur majus meritum dimissionis pœnæ : sed per oppositum modum auget peccatum, scilicet quia quanto minor est tentatio, tanto majus est peccatum : quia minus resistit, et ita minus pugnavit : et per consequens magis voluntarius in peccato fuit.

Ad 13. Ad aliud dicendum, quod ea quæ sunt ante essentiam peccati per modum inclinantium et causarum peccati, bene possunt augere et diminuere peccatum : quia tunc reducuntur ad circumstantias agentis, sive personæ, sicut dicit Tullius.

Ad 14. Ad id quod ulterius quæritur de illa quæ dicitur *multiplex vitii exsecutio*, dicendum quod intelligitur in modo : modus autem est hic accidentalis : et hoc modo præcipue apparet in coitu, qui alium modum turpitudinis habet jacendo, alium standO, et alium sedendo, secundum quod percipitur a confitentibus. Et jacendo habet modos secundum dispositionem jacentis in dorso, vel in latere, vel aliter, secundum quod concupiscentia instigante multos modos promulgant confitentes. Et per hoc patet responsio ad primum : quia hoc non est

Ad 15 qualitas vitii, ut dictum est supra.

Ad aliud dicendum, quod Augustinus monet *plangere virtutem qua interim caruit*, non tamquam circumstantiam peccati simpliciter, sed tamquam quoddam aggravans ex nocumento : quia per hoc turpius est peccatum et majus, quo privatio est majoris boni et majoris virtutis. Nec intelligitur de privatione quæ sequitur omne peccatum, sed de illa quæ sequitur peccatum secundum se, secundum quod dicimus, quod majus est peccatum quod majori virtuti est contrarium, sicut odium quod charitati contrariatur, et hujusmodi. Et sic patet solutio ad argumentum.

Ad 16. Ad aliud dicendum, quod nullum majorum bonorum contrariatur directe peccato, nisi virtus : quia virtus perficit potentiam ad actum, sed non gratia, vel meritum : vitium autem sive peccatum infirmat potentiam ad actum, et ideo non nominat alia bona quibus peccator caret, sicut illud.

Ad 17. Ad id quod objicitur de *ingratitudine*, dicendum quod Deus non est ingratus : quia quodlibet peccatum cum sit contra infinitum bonum, omnis boni meretur amissionem. Secus autem est de judicio humano : quia contra hominem non peccatur, nisi in quantum nocetur ei : et cum non noceat nisi in uno, injustum esset ut devolveret in peccantem alia nocumenta : et ideo non est simile quod inducitur pro simili.

Ad 18. Ad aliud dicendum, quod non intelligitur sic sicut procedit objectio, quod offendens in uno sitomnium reus [1] : sed potius, sicut Magister dicit in *Littera*, scilicet quia privatur bono quod acquisitum est obedientia omnium præceptorum : et hoc ideo, quia quodlibet peccatum opponitur fini omnium mandatorum : gratia autem sine fine gratiæ non datur, quia Deus dans gratiam non per se venit ad hominem. Et ideo illa objectio fundatur super falsum *Litteræ* intellectum.

Ad 19. Ad omnia autem alia est solutio per ea quæ dicuntur in principio solutionum istarum.

[1] Jacob. II 10 : *Quicumque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.*

ARTICULUS XXVII.

Quæ circumstantiarum vitium magis aggravat?

Sexto quæritur, Quæ istarum circumstantiarum vitium magis aggravet?

Videtur autem, quod

1. *Varietas personæ*, et modus qui immutatur in *multiplici vitii exsecutione:* quia illæ duæ circumstantiæ præcipue requiruntur a confesso, aliæ autem non ita: ergo videtur, quod istæ sint potentiores.

2. Item, Istæ duæ circumstantiæ sunt, quæ magis incongruitatem faciunt actus: et ex incongruitate aggravant peccatum: quia quanta est incongruitas, tanta est turpitudo: ergo videtur, quod istæ duæ magis aggravent.

3. Item, Locus et tempus extrinseca sunt, modus autem intrinsecus est, personæ etiam ordo vel dignitas intrinseca sunt agenti: intrinsecum autem magis aggravat, quam extrinsecum: ergo dignitas et modus plus aggravant, quam aliæ circumstantiæ, ut videtur.

Sed videtur, quod illa quæ est de *qualitate vitii* plus aggravet: quia

1. Illa dicit vitii quantitatem, quæ determinat ipsam speciem vitii: hæc autem major est, quam illa quæ est ab accidentibus aliis: ergo videtur, quod illa plus aggravet.

2. Item, In rebus naturalibus sic est, quod omnis species corporeæ substantiæ habet quantitatem naturaliter consequentem speciem suam, in qua completur virtus ipsius speciei: sicut dicit Philosophus in secundo de *Anima*, quod omnium natura constantium certus est terminus et ratio magnitudinis et augmenti: ergo proportionabiliter erit illud in habentibus quantitatem spiritualem: hæc autem est quantitas consequens ipsam speciem vitii vel virtutis. Cum igitur hæc sit essentialis vitio, magis videtur aggravare vitium: sed hæc attenditur in qualitate vitii, sive in circumstantia quæ dicitur *quid:* ergo illa magis aggravat.

Videtur autem, quod *tentatio* inter omnia plus aggravet:

1. Dicit enim Augustinus, quod omne peccatum est voluntarium: quod si non est voluntarium, non est peccatum: ergo videtur, quod voluntas det esse peccato in quantum peccatum est: ergo quantitas voluntatis dabit quantitatem peccato: sed quantitas voluntatis major vel minor est ex hoc quod tentatio major vel minor est, quia in majori tentatione minor voluntas, et in minori [minor: ergo ex quantitate tentationis maxime attenditur quantitas peccati: ergo maxime aggravat, ut videtur.

2. Item, Glossa super Matthæum: Quantum intendis, tantum facis: » et dicunt Magistri communiter, quod hoc est verum in malo. Dicit autem Augustinus, quod intentio est voluntas cum fine: ergo voluntas finalis, vel conjuncta, vel in finem tendens, dat operi quantitatem: ergo etiam gravamen dat ei: sed omnis peccans mortaliter, tendit in creaturam ut in finem: ergo habet voluntatem in quolibet peccato mortali cum fine: ergo penes illa attenditur quantitas major vel minor. Constat autem, quod voluntatis quantitas major vel minor est ex tentatione majori vel minori: ergo videtur, quod penes tentationem præcipue peccati gravamen attendatur.

Sed econtra videtur quod *locus* et *tempus:* quia

1. Illa duo præcipue quæruntur a confitente: sed non quærerentur præcipue, nisi majores essent: ergo videtur, quod illæ magis aggravent.

2. Item, II Machab. III, 38, de loco dicitur, quod in loco est quædam divina

virtus. Et in Genesi, XXVIII, 16 : *Vere Dominus est in loco isto*, etc. De tempore autem, I ad Corinth. VII, 5 : *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi.* Cum igitur istæ duæ specialiter in canone exprimuntur, videtur quod istæ duæ inter cæteras magis ferant peccato notabilem quantitatem.

3. Item, Illæ quæ magis possunt peccatum in aliud genus trahere, videtur etiam, quod manens idem possint magis aggravare : sed hoc maxime possunt locus et tempus : ergo videtur, quod maxime aggravent peccatum. PROBATUR autem prima ex hoc quod nisi illæ quæ trahunt in aliud genus secundum suam propriam deformitatem, peccato aliquid afferunt, non possunt trahere in aliud genus. SECUNDA autem probatur ex hoc quod sacrilegium fit in læsione sacri loci, vel temporis.

4. Item, Ad sacros actus explendos non videmus in omnibus circumstantiis aliquid determinatum a Deo et Ecclesia, nisi tantum locum et tempus : ergo per oppositum ista maxime afferunt deformitatem operibus oppositis sanctitati : sunt autem talia opera peccata : ergo videtur, quod peccatis maximam afferunt quantitatem turpitudinis locus et tempus.

VIDETUR autem, quod *perseverantia* plus omnibus aggravet.

1. Quidquid enim de se natum est dare quantitatem habitui, quo disponitur potentia ad agendum, illud per consequens maxime dat actui quantitatem spiritualem : sed hoc facit frequentia et perseverantia : ergo maxime dat quantitatem peccato. PRIMA patet per hoc quod intensioris habitus intensior est actus. SECUNDA autem scribitur in II *Ethicorum :* quia ex talibus operationibus similes habitus generantur.

2. Item, Quantitas mali nulla est nisi elongatio a bono : constat autem, quod quanto quis diutius perseveravit in peccato per frequentiam peccati, tanto magis elongatur a bono : ergo tanto majus efficitur malum in ipso : sed hoc est aggravatio mali et peccati : ergo perseverantia in malo maxime aggravat peccatum.

VIDETUR autem, quod *ingratitudo* maxime aggravat : quia propter ingratitudinem, ut infra habetur [1], etiam dimissa peccata redeunt : sed nihil aliorum fert ita grave pondus, sicut est reditus peccatorum : ergo videtur, quod ingratitudo inter omnia quæ enumerat hic Augustinus in *Littera*, maxime aggravet peccata.

SOLUTIO. Dicendum, quod tripliciter attenditur peccati gravitas, scilicet *essentialis*, quæ debetur sibi secundum suam speciem, vel suum genus : et *accidentalis* quæ debetur ei ex aliquo extrinseco sibi, quod est aliquo modo mensurans ipsum, vel agentem : vel *media*, quæ quasi per modum passionis se habent ad peccatum. Solutio.

Et prima quidem gravitas duplex est, scilicet ex natura generis, et ex natura specificæ differentiæ contrahentis genus. Exemplum autem gravitatis *in genere* est quod dicit Gregorius, quod spiritualia peccata majoris sunt culpæ, quam corporalia : licet corporalia majoris sint infamiæ, quam spiritualia. Exemplum autem gravitatis *ex specifica differentia* est, quod cupiditas sive avaritia in genere major est, quam coitus : et tamen adulterium secundum Salomonem in *Proverbiis* [2], est majus quam furtum. Unde dicit, quod *non grandis est culpa cum quis furatus fuerit*, etc. [3] Et hæc duplex quantitas manifestatur in ipso nomine peccati : quia statim in ipso nomine innotescit genus et differentia specifica

[1] Cf. Infra, Dist. XXII, Art. 2 et 3.
[2] Proverb. VI, 20 et seq.
[3] Proverb. VI, 30.

peccati. Hanc autem quantitatem peccati dico omni alii quantitati plus esse ponderandam, licet in confessione non quæratur : quia per seipsam innotescit mox nominato peccato : sicut si nominatur cetus et polypus, ipso nomine innotescit majorem esse cetum, quam polypum, dummodo audiens cognoscat utrumque horum piscium.

Quantitas autem *accidentalis* est a duobus extrinsecis, quorum unum est mensura actus, et alterum agentis, quæ sunt locus et tempus. Et quia quandoque accidens non innotescit cum nomine rei, ideo oportet exprimere illa : non tamen faciunt tantam gravitatem, ut prima duo.

Sed quia modus actus, et varietates personæ, quasi *media* sunt inter illa, ideo conferunt quantitatem magis essentialem quam secunda, et minus essentialem quam prima, quia non sunt de ratione peccati, et ideo peccato nominato non mox innotescunt illa, sed oportet exprimi ut sciatur quantitas quæ est ex ipsis : et in hoc conveniunt cum accidentalibus. Quia autem modus quædam forma actus est, et varietas personæ forma agentis, et utrumque inseparabile a turpitudine peccati cujus augent quantitatem, ideo in aliquo conveniunt cum essentialibus : et ita sunt media minora quidem quam prima, et majora, ut videtur mihi, quam secunda, si omnia illa paria intelligantur.

Ad 1. Dicendum ergo ad primum, quod probat esse majorem quantitatem ex istis, quia magis requiruntur istæ duæ a confesso : et inquisitio fit ideo quod in nomine peccati istæ duæ per se non innotescunt : tamen aliæ duæ majorem dant peccato gravitatem.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod loquendo de incongruitate accidentali peccati verum concludit : sed falsum est loquendo de incongruitate essentiali.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod ut patet ex prædictis, bene conceditur quod aliis paribus, illæ duæ plus aggravant, quam locus et tempus.

Ad duas sequentes objectiones ubi agitur de *qualitate vitii*, puto simpliciter esse concedendum. Ad

Ad id quod ulterius quæritur de *tentatione*, dicendum quod voluntas tentati absque dubio major et minor est etiam secundum Ethicum, ut innuit Aristoteles in VIII *Ethicorum*, secundum quod major vel minor est tentatio, ideo dicit vituperabiliorem esse fornicatorem incontinente : « Vocamus fornicatorem illum qui prævenit voluntatem : incontinentem autem eum qui trahitur vi delectationis. » Tamen quia voluntas est causa efficiens actus, non dat ei quantitatem accidentalem tantum, sicut modus vel personæ dignitas, quia illa addunt turpitudinem quasi novam, quæ alias in actu non esset : sed voluntas tracta non addit nisi majorem vel minorem vituperationem turpitudinis essentialis, quæ tamen esset in actu : et ideo etiam illa circumstantia raro quæritur a confitente, nisi ultimo vellet eam dicere per seipsum. Ad

Ad objectum autem dicendum, quod hic non dicitur *voluntas*, quæ est radix peccati : sed potius quædam qualitas affectionis dicitur *voluntas*, quando dicitur quod tentatio auget vel minuit voluntatem.

Ad aliud dicendum, quod Glossa illa bene dicit, et Magistri bene exponunt : sed tamen illa est voluntas, quæ est actus interior, et a concepto fine est causa actus exterioris, vel potentia ipsa quæ concipiendo finem est causa actus interioris : sed voluntas quæ crescit tentatione decrescente, et decrescit ea crescente, est qualitas et affectio quædam illius voluntatis : et ideo non oportet, quod ferat majorem quantitatem peccato. Ad

Ad id quod ulterius objicitur de *loco* et *tempore*, patet solutio per antedicta : quia quod perquiruntur in confessione hujusmodi circumstantiæ, hoc non est ideo, quia majorem afferunt peccato Ad

quantitatem : sed potius ideo, quia non innotescunt cum nominatione peccati.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod in veritate ex illa ratione non probatur, nisi quod hæc duo aggravant : quia falsum supponitur, quod modus et personæ sacrorum actuum et officium horum non determinentur. Ordo enim est quo datur potestas ad sacrum actum et officium : et modus eorum est in ritu, qui tota die docetur in Scriptura.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod in canone ita determinatur propter dubium : dubium enim poterat esse, utrum ista aggravarent peccatum, eo quod sint extrinseca : modus autem et personæ dignitas etiam secundum dictamen propriæ rationis aggravant.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod ista non trahunt peccatum in aliud genus ex se tantum, ut supra dictum est : sed ex hoc quod peccatum non est simpliciter, sed quasi componitur ex actu peccati, et actu læsivo loci : sicut est illatio vindictæ, et hujusmodi : et ideo etiam sacrilegium magis committitur circa locum, quam circa tempus : quia tempori non potest fieri injuria.

Ad 1. Ad id quod ulterius quæritur de *perseverantia*, dicendum, quod perseverantia licet aggravet aliquo modo damnum quod est ex peccato, tamen non aggravat proprie peccatum : quia non dicitur proprie aggravare peccatum, nisi quod ipsi actui affert rationem turpitudinis aliquam, quam sine illo non haberet : et hoc non facit perseverantia confortando vel generando habitum : sed tamen prave disponit peccatorem, et ideo plangenda est frequentia : non tamen proprie quantitatem facit peccati : et ex prima ratione non probatur amplius, nisi quod prave disponatur peccans ex frequentia peccati.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod elongatio illa non est in uno actu peccati quocumque, sicut exigeretur si peccatum aggravaret : sed potius est in possibilitate per diminutionem boni naturalis : et ideo illa objectio non concludit directam peccati aggravationem, sed potius quoddam damnum peccantis, quod plangendum est ex hoc quod diu fuit in peccatis.

Ad ultimum quod objicitur, scilicet de *ingratitudine*, dicendum quod ingratitudo non aggravat peccatum aliquod, sed potius est effectus peccati consequens ipsum ex statu peccantis : nec peccata propter ipsam simpliciter revertuntur, sed quodammodo, ut infra patebit.

ARTICULUS XXVIII.

An pœnitens debet se ponere omnino in judicio et potestate sacerdotis, nihil sui juris sibi reservans ? et, An teneatur ingredi religionem si sacerdos injungat ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, A, § 1, circa finem : « *Ponat se omnino in judicio et potestate sacerdotis*, etc. »

Hoc enim non videtur exigi a pœnitente : quia sacerdotis judicium potest esse erroneum vel malitiosum : et tunc periculosum esset, ut omnino se poneret in judicio sacerdotis.

Quæst. Ulterius autem gratia hujus hic quæritur utilis quæstio, Utrum pœnitens tenetur obedire sacerdoti si injungat religionem ingredi ?

Videtur, quod sic : quia

1. Canones talem injungunt pœnitentiam : ergo cum sacerdos sequatur canonem, ita est obediendum sacerdoti, sicut canoni.

2. Item, Genes. xix, 17, Angelus injunxit Lot, ut exiret de Sodomis, et non staret *in omni circa regione*. Sodoma

autem significat peccatum : et omnis circa regio significat mundi conversationem : cum igitur sacerdos Angelus Domini sit, videtur quod et ipse possit injungere.

3. Item, Multoties contingit, quod aliquis sæpe patitur recidivum ex eo quod est proprii juris : quod facere non posset, si esset in custodia alterius : cum igitur sacerdos debeat cavere pœnitenti de recidivo quasi præ omnibus aliis, videtur quod potest sibi injungere, quod det se in custodia et potestate alterius : hoc autem esse non potest nisi per introitum religionis : ergo videtur, quod potest ex officio suo injungere introitum in religionem.

4. Item, Peccata quædam exigunt septennem pœnitentiam, secundum quod dicunt canones ; si igitur illa iterantur, videtur quod posset extendi pœnitentia per totam vitam : et hoc in jejuniis et vigiliis et orationibus : sed talibus quasi nihil superaddere videtur observantia quæ est in religione : ergo videtur, quod sacerdos religionis observantiam injungere possit.

5. Si forte tu dicas, quod religio tenetur ad consilia, sed non pœnitens : et ideo non potest injungi religio. CONTRA : Ad septennem pœnitentiam non tenemur ex præcepto, nisi meruerimus eam per peccatum : et tamen consilium est eam facere, et laudatur qui facit : ergo id quod est simpliciter in consilio, potest pro aliquo peccato injungi ex præcepto : ergo a simili et religio.

6. Item, Pro aliquo peccato video, quod aliquis addicitur a judice spirituali carceri perpetuo, et etiam tenui victui, sicut aquæ et pani : constat autem, quod hoc multo gravius est quam religio aliqua : ergo multo magis potest aliquis in pœnitentia condemnari ad observantiam religionis.

7. Item, In *Littera* dicitur, « Nihil sui juris reservans sibi : » sed quamdiu homo non habet professionem religionis, semper est sui juris : sed pœnitens nihil sui juris reservare sibi debet : ergo debet facere professionem obedientiæ et religionis, ut videtur.

8. Aliter etiam objicitur contra *Litteram* istam : Quicumque enim se totum ponit in arbitrio sacerdotis, nihil sui arbitrii retinet sibi : ergo tenetur facere quidquid sacerdos injungit, clave non errante : sed si alius mutat pœnitentiam suam, non facit quod iste injungit : ergo videtur, quod iste alius non possit sibi mutare pœnitentiam.

SOLUTIO. Ad hoc dicendum videtur quantum ad primum objectum, quod aliud est judicium et potestas sacerdotis, in quantum sacerdos est habens claves et auctoritatem judicis in foro pœnitentiæ : et aliud judicium hominis : judicium enim sacerdotis in quantum hujusmodi, est secundum canones pensatis peccatis et statu pœnitentis, et hoc numquam errat, nec est malitiosum : judicium autem hominis quod sæpe erroneum est et malitiosum, non tenetur subire pœnitens. Solutio.

AD ID autem quod ulterius quæritur, dico sine præjudicio, quod quia religionis observantia voluntatis est, et non necessitatis, ut dicit Augustinus, non potest injungi in foro pœnitentiæ, nisi sub conditione, si pœnitens eam suscipere voluerit : omnia enim quæ supererogationis sunt, laudabilia quidem sunt si fiant, sed nullus est ad ea cogendus. Ad quæst.

AD PRIMUM autem quod contra hoc objicitur, dicendum quod canones non injungunt per modum necessitatis, sed per modum consilii ad terrorem alicujus peccati, quod exigit pœnitentiam majorem quam alia, et per totam vitam. Ad 1.

AD ALIUD dicendum, quod regio circa Sodomam significat inclinantia in peccatum, sicut societas, et alia : sed tamen permissum est Lot ibi habitare, nisi ex voluntate declinasset ad montem : et ideo dictum Angeli reducitur ad consilium, et non ad præceptum. Ad 2.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod aliter potest caveri recidivum : quia multi sunt modi vitandi peccatum, licet non ita bene possit vitare : præcipua tamen causa quare religio injungi non potest, est, quia in religione aufertur homini jus suum de se : et hoc non potest fieri in pœnitentia, nisi quantum ad quædam, et non quoad omnia.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod pœnitentia bene potest prolongari per totam vitam, et etiam plus, si vita plus durare posset : sed tamen non sequitur, quod religio possit injungi : quia religio supra perpetuitatem ponit propriæ voluntatis in omnibus abdicationem et carentiam proprii, ad quæ nullus tenetur, nisi ex propria voluntate ea eligat : et ideo non potest injungi.

Ad 5. Ad aliud dicendum, quod bene contingit ex peccato aliquid fieri præceptum, quod alias non esset præceptum : quia aliud et aliud est præceptum peccanti, et non peccanti : pœnitentia enim est in præcepto quantum ad eum qui peccavit, et etiam confessio : sed non est ei in præcepto qui non peccavit. Sed tamen non omnia quæ non sunt in præcepto, fiunt in præcepto, sed tantum ea sine quibus peccatum emendari juste non potest : et ideo non alia quam illa possunt ei præcipi in foro pœnitentiæ.

Ad 6. Ad aliud dicendum, quod non sequitur, si sacerdos potest præcipere quod difficilius est, quod possit etiam præcipere quod est minus difficile : et hoc contingit : quia non eumdem ordinem necessitatis habent ad peccati emendam : sine religione enim peccatum emendari potest, sine pœnitentia autem canonica non : et ideo pœnitentia canonica præcipi potest, et non religio : licet quandoque sit difficilior, quam religio.

Ad 7. Ad aliud dicendum, quod hoc non intelligitur in omnibus, sed tantum in his quæ pertinent ad canonicam emendam de peccato.

Ad 8. Ad id quod ulterius objicitur contra *Litteram*, dicendum quod sine dubio pœnitens stare debet arbitrio sacerdotis : sed arbitrium sacerdotis non salvatur tantum in illo quod injungit, sed in æquivalente Ecclesiæ vel pœnitenti : et ideo locum postea habent commutationes et relaxationes.

ARTICULUS XXIX.

An contritio potest intendi ?

Deinde quæritur de hoc quod dicitur, ibi, A, § 1, circa finem : « *Ut omnia eo jubente paratus sit facere pro recipienda vita animæ*, etc. »

Quæramus hic sex circa quantitatem contritionis : quorum primum erit, An intenditur contritio ?

Secundum, Penes quid attenditur intensio contritionis ?

Tertio, De quantitate ejus, quanta esse debeat ?

Quarto, Utrum debeat esse æqualis de omnibus peccatis, vel de quibusdam major et de quibusdam minor ?

Quinto, De quantitate ejus respectu temporis, utrum debeat durare per totam vitam, an non ?

Sexto et ultimo, De quantitate ejus respectu voluntatis peccandi, vel non peccandi.

Ad primum horum, scilicet an intendatur contritio, objicitur sic :

1. In nullo genere est aliquid minus minimo : contritio dicit scissuram cordis per minima : ergo videtur, quod non possit plus et plus scindi : ergo nec in contritione potest esse intensio. Probatur autem secunda ex hoc quod ratio contriti differt a ratione fracti : quia contritum est divisum per minima, fractum autem non. Prima autem constat per seipsam.

2. Item, Nihil in infinitum potest intendi : sed contritio est infinita : ergo non potest intendi. PROBATUR prima ex ratione infiniti. SECUNDA autem ex effectu quo delet peccatum, et conjungit Deo : quorum neutrum est nisi divinæ virtutis et infinitæ.

3. Item, Omne quod intenditur, per hoc intenditur quod magis accedit ad veram nominis impositionem, ut dicit Autor sexa principiorum : si igitur contritio intenditur, per talem accessum intenditur : sed omne quod accedit ad aliquid per motum, nondum est in illo : ergo contritio quæ intenditur, non est in vera ratio ne contritio : sed quæ non est vere contritio, non delet peccatum : ergo talis contritio quæ intendi potest, non delet peccatum, quod falsum est : quia cum omnis contritio conservet gratiam, et gratia cum peccato esse non possit, omnis contritio delet peccatum : ergo et hoc falsum, ex quo sequitur contritionem non posse intendi.

4. Item, Dupliciter intenditur id quod intenditur, scilicet per depurationem a contrario sibi permixto : sicut dicit Philosophus, quod albius est nigro impermixtius : et per accessum vel recessum ad id, quod illam rem dicit in termino : sicut bonum melius per accessum ad per se, et substantialiter bonum, et malum pejus per recessum ab illo. Si igitur contritio intenditur, altero horum modorum fiet : aut igitur per depurationem a contrario, aut per accessum et recessum ab aliquo. Si primo modo : tunc illud contrarium, aut est ex parte gratiæ informantis dolorem contritionis, aut ex parte doloris qui est de peccato. Si primo modo : cum gratia non habeat contrarium, nisi peccatum, esset contritio permixta peccato, quod falsum est : quia hoc esset contra rationem contritionis. Si secundo modo : constat autem, quod dolori de peccato non contrariatur in genere passionis, nisi gaudium de peccato, et non gaudium de dolore : ergo contritus posset esse aliquis, et habere gaudium de peccato : sed gaudium de peccato non potest esse sine peccato : ergo esset aliquis contritus, et haberet peccatum, quod absurdum est.

Item, Si dicatur intendi per accessum ad unum quod per se contritio est : tunc sequitur illud quod in præcedenti conclusum est, quod non sit vere contritio : ergo non vere habet effectum contritionis : ergo non vere delet peccatum, quod est inconveniens.

SED CONTRA hoc objicitur sic : Sed con.

1. Omne id quod ex parte formalis et materialis intendi potest, vere intendi potest : contritio est hujusmodi : ergo vere potest intendi et remitti. PROBATIO secundæ est : quia gratia in uno major est quam in alio, et in eodem potest esse major quam sit : et hoc est formale in contritione : dolor etiam potest esse major in eodem quam sit, et in uno est major quam in alio, qui est materialis in contritione. PRIMA autem constat per seipsam.

2. Item, Quod non potest intendi vel remitti, in omnibus est æquale quibus inest : si igitur contritio non potest intendi vel remitti, in omnibus est æqualis quibus inest : sed contritione existente æquali, oportet quod gratia sit æqualis et dolor : ergo omnes contriti æqualem suscipiunt gratiam, et æqualem habent dolorem de peccatis, quod absurdum est.

3. Item, Constat quod contritio actus est ab aliqua virtute, sive sit illa pœnitentia, sive alia, quia de hoc non est vis quantum ad præsentem quæstionem : sed quælibet virtus potest intendi : ergo et illa : intensa autem virtute, intenditur ejus actus : ergo et contritio actualis intendi potest.

RESPONDEO. Dicendum, quod sine dubio contritio intendi potest absolute et simpliciter, tam ex parte formæ, quam ex parte materiæ, sicut probatum est : et videtur mihi esse insania potius, quam opinio eorum qui aliter dicunt. Solutio

ad 1. Dicendum ergo ad primum, quod tria sunt in contritione, scilicet dolor, gratia, et objectum doloris : et quantum ad prima duo intenditur : quoad tertium autem, est in minimo sui generis : quia omnes differentias mortalis peccati in mortario cordis inventas conterit : unde sicut contingit in mortario, quod id quod conteritur, in pulverem redigitur : sed potest fieri contritio illa pistillo majori vel minori, et ictibus fortioribus vel debilioribus, ita tamen quod uterque in pulverem redigant : ita est in contritione in qua semper conteritur peccatum, licet dolore et gratia inæqualibus : unde non sequitur, si pulvis contritionionis debilioris non est major quam pulvis ictuum fortioris, quod propter hoc contritio actio, sive ictus pistilli non sit fortior in una contritione, quam in alia : licet enim minus in effectu deletionis peccati non sit accipere, est tamen accipere minus et majus ex parte actionis conterentis, quæ est contritio actio : et etiam ex parte passionis.

ad 2. Ad aliud dicendum, quod gratia in sua essentia finita est, et etiam dolor : sed quia gratia est tale donum cum quo dato nos inhabitat Deus, sequitur ex illo dono virtus infinita : sed hæc radicatur in delente peccatum effective : et hoc quidem non potest intendi : sed gratia et dolor quæ finita sunt, intendi possunt.

ad 3. Ad aliud dicendum, quod intensio hæc est per accessum ad summum in gratia : quia, sicut dicit Augustinus, hoc est in bono majus esse, quod est melius esse : et sic per majorem assimilationem cum summo bono dicitur gratia major et intendi. Ex parte autem doloris contingit esse veram nominis impositionem, quando in toto separatur a contrario. Dico autem dolorem voluntarium ex ratione deliberante, qui exigitur in contritione.

Quod autem objicitur, quod id quod accedit ad aliquid non est in illo, dicendum quod non sequitur : est enim duplex accessus alicujus ad aliquid, scilicet sicut ad naturam, et sicut ad terminum, sive ad summum illius naturæ : et quod est in natura aliqua, adhuc potest accedere ad perfectum et summum illius naturæ, sicut puer qui est in natura hominis, et tamen est in motu ad virum, ut dicit Philosophus : et similiter dolor habet veram naturam doloris contritionis, sed potest accedere ad terminum et summum illius naturæ.

ad 4. Ad aliud dicendum, quod cum sint duo in contritione, scilicet forma, et materia : differenter penes duo attenditur intensio : gratia enim per accessum ad per se bonum, dolor autem a separatione a contrario. Et ex parte gratiæ patet responsio ex præhabitis in immediata præcedenti lectione : sed intensio doloris per recessum a contrario, non est adeo perspicua. Et ideo notandum, quod non omne quod intenditur per recessum a contrario, habet illud contrarium in se, vel sibi permixtum : quia secundum hoc omne quod sic intenditur esset medium, et extrema numquam intenderentur, quod est etiam contra rationem grammaticæ : sed id quod intenditur habet in se, contrarium permixtum, vel aliquid ejus quo tenetur ne sit in termino : et id quod est aliquid contrarii, non est quandoque contrarii essentia, sed potius causa vel reliquiæ sequentes contrarium, vel dispositiones subjecti relictæ ex forma contrarii quæ inerat : et per separationem ab illis contingit reliquum contrarium accedere ad terminum suæ impositionis : et sic est hic : quia reliquiæ peccati et natura corrupta quæ est ut causa peccati, et malæ pronitates relictæ ex peccato, tenent quandoque peccantem ne intendatur suus dolor contritionis : cum tamen verum habeat dolorem contritionis separatum a contrario quod est gaudium de peccatis.

Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICULUS XXX.

An per aliquid et penes quid attenditur intensio contritionis?

Secundo quæritur, Penes quid attenditur intensio contritionis?

Videtur enim, quod nihil inveniatur penes quod intendatur in pœnitente : quia

1. Quæcumque forma intenditur in aliquo, ex hoc intenditur quod ejus causæ intenduntur, sicut patet in omnibus, scilicet albo, calido, et sic de aliis : sed contritio non habet causam in contrito : ergo videtur, quod non possit aliquid sumi in ipso, penes quod intendatur. PROBATIO mediæ est, quia contritio est donum Dei, et non ab homine.

2. Item, Contritio causa est justificationis et salutis : ergo si contritio haberet causam in contrito : et quidquid est causa causæ, est causa causati, aliquid in contrito esset causa justificationis et salutis, quod esset hæresis Pelagiana.

3. Item, Si aliquid in contrito est causa intensionis, hoc non est nisi attritio : sed attritio non est contritio, et secundum multos Doctores etiam non potest fieri contritio : ergo videtur, quod intensa attritione, non propter hoc intenditur contritio : ergo penes illud non attenditur intensio contritionis.

Sed contra. SI PROPTER hoc dicatur, quod intenditur ex parte Dei intendentis eam, ita quod Deus est causa intensionis ipsius.

Videtur, quod non : quia

1. Dicit beatus Dionysius : « Deus æqualiter se habet ad omnia, et præcipue ad omnes homines : » ergo esset causa æqualis contritionis in omnibus, quod falsum est : ergo videtur, quod ipse non sit causa quare contritio intendatur.

2. Item, Effectus difformis non est causa uniformis in omnibus, et semper : sed contritio est effectus difformis, quia modo magna, et modo parva : ergo non habet causam, quæ semper sit uniformis : talis autem causa est Deus : ergo non habet causam Deum, ut videtur.

Si forte tu dicas, quod dolor intenditur ex parte contriti, et gratia ex parte Dei intendentis eam. CONTRA : Tunc quæritur, Utrum ista in intensione æqualiter se habeant, aut intensio unius sit causa intensionis alterius secundum naturam, licet forte tempore sint simul? Videtur, quod non æqualiter : omne enim quod in nobis est actus meritorius, est causatum a gratia prævenient : sed dolor meritorius, est actus meritorius in nobis : ergo causatur a gratia prævenient : ergo non sunt simul natura. Sed si hoc est, tunc redit idem : quia tunc ad intensionem gratiæ sequitur intensio doloris. Et tunc quæretur de intensione gratiæ, quæ sit causa intensionis ipsius, ut prius.

3. Item, Constat quod non sit dolere meritorie, antequam sit velle dolere : sed Augustinus dicit, quod « prævenit gratia ut velimus : » ergo non prævenit ut doleamus : ergo majori gratiæ debetur major dolor, et minori minor : et tunc iterum redibit difficultas.

RESPONSIO. Dicendum ad hoc quod causa intensionis duplex est, scilicet efficiens, et illa quæ est per modum præparationis et dispositionis in subjecto : et efficiens causa non videtur esse nisi Deus. Causa autem præparans et disponens in subjecto est ex parte hominis : et bene concedo, quod gratia prævenit dolorem actualem qui est in contritione, sicut habitus actus quos informat. Quis autem dolor sit ille, utrum sensibilis vel rationalis, in parte patuit in alia disputatione quæ habita est de *contritione*, et iterum infra in hac eadem disputatione patebit.

Ad* DICO igitur ad primum quod causam sufficientem et efficientem non habet

contritio in subjecto, sed præparantem et disponentem habet : et hoc sufficit intensioni, quando non deest efficiens : sicut patet quando præsente combustivo æquali, major calor exardescit in arido ligno quam in viridi.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod verum quidem est, quod contritio est causa justificationis et salutis : sed non est verum generaliter, quod quidquid est causa causæ est causa causati, nisi intelligatur hoc modo quo est causa : et sic nihil prohibet causam justificationis et salutis esse in subjecto, sed per modum dispositionis et præparationis, et non per modum efficientis et formæ : et hoc est quod dicit Augustinus *super Matthæum* : « Præcedit aliquid in peccatoribus, quo quamvis nondum sint justificati, digni tamen justificatione efficiuntur : et contra præcedit in aliis quo digni sint obtusione. »

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod attritio et alia præparatoria sunt causa, tamen per modum qui dictus est : et cuilibet patet, quod illa ratio hoc non habet.

Object. 1. Ad id quod objicitur contra aliam partem, dicendum quod licet Deus uno modo se habeat ad omnes, non tamen omnes uno modo se habent ad ipsum in recipiendo gratiam contritionis : et diversitatem facit diversitas præparationis quæ dicta est.

Object 2. Ad aliud dicendum, quod effectus difformis non est ab una et simplici causa uniformi : sed si habeat plures causas, secundum diversum modum causalitatis nihil prohibet illum effectum esse difformem : et ita est in contritione cujus difformitas causatur a difformitate recipientium, ut dictum est.

ARTICULUS XXXI.

Quanta debeat esse contritio ?

Tertio, Quæritur de quantitate contritionis, quanta scilicet esse debeat ?

Videtur autem, quod *minima* sufficiat :

1. Minima enim est conjuncta cum gratia : et gratia minima delet omnia peccata : ergo minima contritio sufficit delere omnia peccata : cum igitur deletio peccati sit effectus contritionis, videtur quod minima contritio sufficiat.

2. Item, Minima charitas sufficit ad expulsionem omnis peccati, et ad resistendum cuicumque tentationi : contritio autem minima conjuncta est charitati : ergo sufficit delere omnia peccata, et resistere omni tentationi sequenti : sed ad nihil aliud datur nisi ad delendum peccatum : ergo videtur, quod minima sufficit.

3. Item, Minima contritio habet gratiam et omnem virtutem : sed nihil exigitur ad contritionem peccati, nisi quod contrarium cujuslibet peccati, quod est virtus, sit in subjecto : ergo videtur, quod per minimam excludatur omne peccatum per contrariam cuilibet peccato virtutem : ergo minima sufficit, ut videtur.

Sed contra. Sed econtra videtur, quod non sufficiat minima : quia

1. Ita præcipitur, Jerem. vi, 26 : *Luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum*. Luctus autem unigeniti non est minimus : ergo cum tantus debeat esse luctus contriti, videtur quod non sufficit minima contritio.

2. Item, Ad Roman. vi, 19 : *Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ*, etc. Ibi dicit Augustinus in Glossa, quod tantum debemus exhibere Deo,

quantum peccato : licet in infinitum plus deberemus pro dignitate virtutis. Constat autem quod hoc non dicit minima contritio. Ergo videtur, quod non sufficit minima.

3. Item, Super illud Psalmi CXVIII, 119 : *Dilexi mandata tua super aurum et topazion,* dicit Augustinus, quod amplius diligit charitas legem Domini, quam cupiditas aurum et topazion. Constat autem, quod contritio tali charitate est informata. Ergo videtur, quod supra omnem delectationem peccati debet esse quantitas contritionis : ergo non sufficit minima, ut videtur.

ITEM, Ulterius videtur posse probari, quod oportet esse *infinitam* contritionem : quia

1. Quanta fuit delectatio et damnum peccati, tanta debet esse vel major contritio delens peccatum : sed in peccato diligebatur aliquid, propter quod amittebatur infinitum bonum, quod est Deus : ergo videtur, quod contritio delens illud, debet esse cum dolore et contritione infinitis : non ergo sufficit minima.

2. Item, Apocal. XVIII, 7 : *Quantum se glorificavit et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum.* Et in Deuteronomio, XXV, 2, dicitur quod *pro mensura delicti erit et plagarum modus :* mensura autem glorificationis et delicti est secundum eum in quem delinquitur : delinquitur autem in Deum, et Deus est infinitus : ergo mensura delicti infinita : et hoc etiam probat Anselmus in libro *Cur Deus homo.* Ergo videtur, quod contritio quæ excludit illud peccatum, debeat esse infinita.

Sed contra. SED ECONTRA iterum videtur, quod

1. Dolor contritionis quasi minimus sit omnium dolorum qui sustinentur in hac vita. Constat enim minimam esse albedinem, quæ maximè de nigredine habet admixtum : ergo est minimus omnium dolorum, qui maxime habet de gaudio aliquid admixtum : sed talis est dolor contritionis : ergo ipse est minimus. Quod autem talis sit dolor contritionis, patet per Augustinum dicentem, quod « pœnitens doleat, et de dolore gaudeat. »

2. Item, In multis aliis molestiis nos sensibiliter experimur majores dolores : ergo videtur, cum experimentum certissimum sit judicium doloris, quod majores etiam dolores sint in talibus.

3. Si autem tu dicas, quod dolor maximus est, et non sentitur : hoc erit contra Philosophum in VII *Ethicorum,* ubi dicit, quod omnis delectatio factio quædam est in sensibilem naturam. Constat autem, quod cum opposita fieri habent circa idem, quod etiam tristitia fieri habet circa naturam sensibilem. Cum igitur dolor sit tristitia de contrario, videtur quod omnis dolor sit circa sensibilem naturam. Constat autem, quod in quo est dolor per essentiam, illud dolet. Cum igitur sit in sensu, solus sensus dolorem habet : et ita sentitur dolor, si est.

4. Item, Philosophus in VI *Topicorum* reprehendit diffinitionem doloris sic datam : « Dolor est distantia naturalium partium cum vi. » Quia sic etiam insensibilia dolerent. Laudatur autem ista : « Dolor est sensus divisionis continui. » Ergo videtur, quod dolor supponat sensum : et sic non erit dolor qui non sentitur. Videtur ergo, quod in contritione sit minimus dolor : quia minor ibi sentitur, quam etiam in verbere virgæ, eo quod nulla sensibilium partium dividitur.

5. Item, Ex parte intellectus dicit Philosophus, quod inconveniens est nos aliquid scibilium latere, habentes nobilissimos habitus : ergo etiam ex parte affectus habentes nobilissimas passiones et affectiones, inconveniens est nos hoc latere : ergo si quis maximum habet dolorem in contritione, ille non potest eum latere, ut videtur.

RESPONSIO. Ad hoc non est difficile respondere. Solutio

Dicendum enim, quod in contritione *minimus dolor* dicitur dupliciter, scilicet *minimus* ex parte passionis secundum sensum, sive actionis : quia, sicut supra dictum est, pœnitens agit suum dolorem, et est causa ejus : vel *minimus* secundum rationem. Si dicatur *minimus* secundum sensus experientiam, ille sufficit, dummodo sit contritionis : quia ille dolor cum sua quantitate variatur potius secundum diversitatem complexionis pœnitentium, quam secundum quantitatem detestationis peccati. Et hujus ratio, prout præsenti tractatui sufficere videbatur, habita est in quæstione hanc immediate præcedente. Si autem dicatur *minimus* secundum rationem : ita tamen, quod salvatur in eo doloris essentia qui est contritionis : dico adhuc, quod sufficit : si autem hæc non salvatur in eo, tunc non sufficit, quia nulla est ibi contritio. Dico autem, quod *minimus* secundum rationem sufficit : quia, sicut supra diximus, in dolore contritionis tria attenduntur, scilicet gratia informans, et dolor, ut actio et passio, et objectum doloris sive causa passionis. Et per gratiam quamcumque minimam habet vim infinitam ad delendum peccatum : et ideo sufficit ad deletionem peccati in culpa tota et æterna pœna : licet pœnitens remaneat debitor pœnæ temporalis propter parvitatem doloris ut actionis et passionis : quia ille dolor posset esse tantus, quod totam pœnam peccato debitam deleret. Unde melior esset major, quam minor : sed tamen minor sufficit.

1, 2 et 3. Dicendum ergo ad prima tria, quod verum est quod concluditur quantum ad deletionem culpæ et pœnæ æternæ communicantis eam : sed non sufficit ad deletionem pœnæ temporalis. Et pœnitentia non tantum ordinatur contra peccatum, ut deleat pœnam æternam cum culpa, sed etiam ut deleat temporalem.

Object. 1. Ad id quod contra objicitur, dicendum quod hoc dicitur quantum ad mensuram doloris, quæ etiam est in minima contritione : hæc autem mensura est ut doleat plus de peccato per quod amissus est Deus, quam de aliqua re temporali : unde non dicitur, quod luctum unigeniti faciat sibi, ideo quod etiam non debeat esse major, sed quia in exteriori signo nulli majori comparari potuit : et in *Littera* hic in verbis Augustini plus dicitur, scilicet quod omnia paratus sit facere pro recipienda vita animæ, quæ faceret pro evitanda morte corporis : hæc enim mensura exigitur ad minimum dolorem contritionis : tamen de hoc infra amplior erit quæstio. Et ideo quia sic scilicet mensuratur contritio minima, non est inconveniens quod adductum est.

Ad aliud dicendum, quod hoc intelligitur quantum ad voluntatis dispositionem, et non quod non plus debeamus nos exhibere Deo. Dispositio autem illa voluntatis est, ut ita libere et non coacte serviamus Deo et delectabiliter secundum rationem, sicut exhibuimus nos peccato : tamen nulli peccato ita nos exhibuimus, quod propter metum mortis non fuissemus separati ab eo, sed tamen nec mors nec vita debent nos separare a charitate Christi. Ad object. 2.

Ad aliud dicendum, quod charitas in infinitum plus quantum ad appretiationem diligit legem Dei, quam cupiditas aurum et topazion : quia diligit super vitam, quod non facit cupiditas quæ diligit aurum propter vitæ sufficientiam, ut dicunt Boetius et Augustinus : licet forte plus delectationis sensibilis cupiditas in auro experiatur : et ratio hujus infra patebit. Ad object. 3.

Ad aliud dicendum, quod infinitæ virtutis est dolor minimus, sicut prius dictum est, et etiam infinitæ æstimationis in pretio : quia sicut amisit infinitum bonum, ita modo idem ipsum appretiatur super omne pretium, etiam vitæ corporalis, quoniam Deum super omnia diligit : quia nisi hoc faciat, absque dubio non erit dolor contritionis. Ad 1.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod notatur in illa auctoritate duplex æqualitas, scilicet in genere, et in specie. In genere notatur quantum ad lamentum exterius, ut scilicet sicut se inordinate offerendo glorificavit in peccatis, ita tunc ordinate pœnitendo se humiliet. In specie autem notatur æqualitas ad luctum interiorem, ut scilicet sicut gloriando in peccatis temporale Deo præposuit, ita nunc Deum recipiendo sub nullo pretio Dei amissionem ponat, etiam sub pretio vitæ propriæ, vel aliorum suorum propinquorum.

Ad object. 1. Ad id quod objicitur, quod minimus sit omnium, dicendum quod non sequitur conclusio illa ex ratione inducta : quia nullum gaudium remittit dolorem, nisi sit contrarium dolori illi : sicut nec caliditas remittitur per humiditatem, quæ non est sibi contraria, sed potius per frigiditatem quæ est sibi contraria : gaudium enim de dolore non est contrarium dolori illi, et ita non remittit eum. Supra autem habitum est hoc, et etiam qualiter potest esse dolor afflictionis, et tamen voluntarius.

Ad object. 2. Ad aliud dicendum, quod non loquimur hic de dolore sensibili, sed rationali : et illum experimur majorem esse in peccatis, quam etiam in confixione vitalium : quod patet, quia eligimus potius configi vitalia, quam peccatum : ergo plus detestamur peccatum, quam confixionem vitalium : et secundum quantitatem illius detestationis est quantitas doloris in contritione.

Ad object. 3. Ad id quod contra objicitur, dicendum quod Philosophus non loquitur ibi nisi de dolore naturali, et non de illo qui est per gratiam : quia ipse istum per rationem cognoscere non potuit : et bene concedo, quod dolor quasi æquivoce dicitur de sensibili sive naturali, et rationali : quia cum rationalis natura contrarium non habeat in natura, Philosophus dicit eam impassibilem, nisi per accidens forte in corpore : et tamen fides nostra ponit eam per se naturaliter pati in igne. Dico autem *naturaliter* idem quod in natura sua pati. Hoc autem quod dicit Philosophus, quod delectatio est factio in sensibilem animam, ipse accipit delectationem propriissime, secundum quod immutat et alterat : vel magis secundum ipsum prout est terminus alterationis ex passione aliqua, sicut ipse dicit in X *Ethicorum :* communius tamen accepta dicit quietem voluntatis in appetibili consecuto : et sic est rationalis delectatio.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod loquitur de dolore naturali.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod non latet nos dolor : sed latet nos, utrum contritionis, vel non contritionis sit : quia scimus nos detestari peccatum et dolere de commisso, sed nescimus nos habere gratiam : quia, sicut dicitur, Eccle. IX,1 : *Nescit homo utrum amore an odio dignus sit.*

Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICULUS XXXII.

An contritio debeat esse æqualis de omnibus peccatis ?

Quarto quæritur, Utrum de omnibus debeat esse contritio æqualis ?

Videtur autem, quod non : quia

1. Sicut habitum est, contritio est dolor rationalis : ratio autem æstimat peccata de quibus est dolendum : sed æstimata non sunt æqualia : ergo dolor de eis non est æqualis.

2. Item, Major dolor est de mortali quam de veniali, propter distantiam mortalis et venialis : ergo cum distantia sit etiam in mortalibus, major erit dolor de uno quam de alio.

Sed cont. Sed contra :

1. Contritio tota est de hoc quod per peccatum amissus est Deus : sed hoc

æqualiter est per omne mortale peccatum : ergo contritio de quolibet mortali peccato est æqualis, ut videtur.

2. Item, Contritio delens culpam et pœnam est momentanea : sed in momento non potest esse de quodam major, et de quodam minor : ergo videtur, quod sit de omnibus æqualis.

3. Item, Quidquid agit in multa simul, ita quod non in singula, non agit in quoddam plus et in quoddam minus, quantum est ex parte ipsius agentis : dolor contritionis sic agit in peccatum : ergo quantum est ex parte doloris agentis, non agit in quoddam minus. PROBATIO primæ est : quia si in quoddam ageret plus, et in quoddam minus, quantum est ex parte sui, oportet quod ratione illorum dividerétur actio, et sic non ageret in omnia simul, quod est contra hypothesim. PROBATIO autem secundæ est : quia in contritione non deletur peccatum post peccatum, sed omnia delentur simul per actum contritionis.

RESPONSIO. Dicendum, quod duplex est contritio, scilicet operans in justificatione impii, et illa quæ conterit peccatum in pœna debita, licet non in culpa. Prima contritio est motus liberi arbitrii in peccatum, et hic motus est in omnia peccata simul : et est idem quod detestatio peccati mortalis in quantum hujusmodi : et illa detestatio dupliciter consideratur, scilicet in actu, vel in ordine rationis elicientis actum. Si in actu : tunc est indivisa actio de omnibus peccatis, et non de uno plus et de alio minus. Si autem in ordine rationis elicientis attenditur, tunc est de majori major detestatio, et de minori minor in habitu rationis.

Et hæc distinctio eadem est cum illa, quod dolor actualis dupliciter consideratur, scilicet ex parte objecti, et ex parte agentis. Ex parte objecti quidem est æqualiter de omnibus simul in summa. Ex parte autem agentis præsupponitur ordo rationis. Contritio autem quæ deletiva est pœnæ, successiva est : et hæc est de majori peccato major, et de minori minor.

Et per hoc patet solutio ad omnia argumenta, quæ omnia procedunt secundum partes hujus distinctionis.

ARTICULUS XXXIII.

An contritio possit esse brevis et finita ?

Quinto, Quæritur de quantitate ejus respectu temporis.

Videtur autem, quod possit esse brevis et finita respectu temporis : quia

1. Si partes alicujus totius simul constituunt ipsum, una deficiente deficit totum : sic autem constituitur pœnitentia contritione, confessione, et satisfactione. Cum igitur satisfactio sit finita et confessio, videtur et tunc finiri in tempore pœnitentia : ergo et contritio.

2. Item, Nulla medicina extenditur ultra morbum : sed contritio medicina quædam est : ergo non extenditur ultra morbum : sed morbus sæpe in tempore deletur in culpa et pœna, ita quod homo non habeat aliquam mortalem culpam, et non sit debitor alicujus pœnæ : ergo tunc non debet habere medicinam sacramentalem : ergo nec contritionem : quæ est medicina sacramentalis peccati actualis.

3. Item, Nihil conteritur, quod nullo modo est : ergo nec peccatum quod nullo modo est, conteri potest : et non est contritio nisi de peccatis : ergo videtur, quod tunc finita est contritio. Quod autem peccatum mortale actuale nullo modo possibile sit esse, probatur ex hoc quod dictum est, quod hic homo potest fieri immunis a culpa mortali et pœna.

4. Item, Pronior est Deus ad miserandum, quam ad condemnandum : quod patet ex hoc quod remittit totam cul-

pam et æternam pœnam, et exigit tantum pœnam corporalem sive temporalem : igitur ipse non vult pœnas nostras, cum non sumus debitores : sed iste potest esse nullius pœnæ debitor : ergo nec pœnæ interioris : ergo nec Deus vult ipsam : ergo pœnitentia contritionis finitur in isto.

5. Item, Supra [1] habitum est, quod pœnitentia restituit in pristinum statum innocentiæ : constat autem, quod innocens non tenetur conteri : ergo nec ille qui explevit pro peccato quod debuit : ergo dolor contritionis finitus est in illo secundum tempus.

Sed contra. Si autem hoc concedatur, erit

1. Contra Augustinum dicentem hoc : « Semper doleat, et non satis doluisse doleat, et de dolore gaudeat : et ubi dolor finitur, finitur et pœnitentia : et ubi finitur pœnitentia, finitur et vita : » ergo videtur, quod non debeat finita esse contritio sive dolor contritionis in hac vita.

2. Item, Job, III, 19, dicitur : *Parvus et magnus ibi sunt, et servus liber a domino suo.* Quod exponens Gregorius dicit, quod qui semel servus est peccati, non erit liber a dolore, nisi in alia vita. Ergo videtur, quod dolor non finitur in ista vita.

3. Item, Nullus scit, utrum odio an amore dignus sit [2] : ergo nec scit, utrum remissa sint peccata : sed dubio illo existente, semper debet esse dolor de peccato perpetrato : cum ergo dubium illud extendatur per totam vitam, dolor perseverare debet per totam vitam : ergo non finitur in tempore dolor contritionis.

4. Item, Ponamus alicui revelari, quod sibi dimissa sint peccata in pœna et in culpa. Et si quæratur tunc ab eo, utrum doleat de peccato perpetrato, constat quod ipse respondebit, sic. Cum igitur ille non mentiatur, ipse vere dolet : non autem dolet nisi dolore contritionis, quia omnis dolor de peccatis perpetratis rationalis et gratia informatus, dolor contritionis est : ergo iste adhuc habet dolorem contritionis : et ita semper pœnitebit usque ad mortem : ergo semper perseverat in eo dolor contritionis : ergo contritio non finitur in ipso ante mortem.

5. Item, Sancti assignant causam quare Deus pro peccato unius horæ punit æternaliter, dicentes : quia homo mortaliter peccans, committit se peccato a quo per se separari non potest in suo æterno, hoc est, in vita : et quia quantum est de se, peccat in suo æterno, punit eum Deus æternaliter in Dei æterno : ergo a simili per eamdem justitiam si contritio commutat pœnam æternam, necesse est quod ipse puniat peccatum in suo æterno : suum autem æternum est totum tempus hujus vitæ : ergo dolor contritionis debet fieri in toto tempore hujus vitæ.

Respondeo, quod ultimis objectionibus consentiendum est : quia dolor contritionis non finitur in hac vita, sed finitur in alia : et ita quantitatis infinitæ est pœnitentia et contritio quantum ad æternum hominis : quia si in æternum in hac vita viveret, in æternum de peccato perpetrato doleret. Solut.

Dicendum ergo ad primum, quod pœnitentia non æqualiter salvatur in partibus illis, sed proprie in contritione : et hoc quantum potuimus supra verificatum est : et ideo pœnitentia in contritione æternitatem hominis habet, licet non æternitatem simpliciter, quia pœnitentia medium est inter totum universale et totum integrale, et partes suæ mediæ inter homogenias et heterogenias : et hoc totum supra explanatum est. Ad 1.

Ad aliud dicendum, quod morbum impossibile est in toto finiri : manet enim, ut dicit Magister Hugo de sancto Victore, quantum ad vinculum detestationis perpetuæ in memoria perpetrati delicti in quan- Ad 2.

[1] Cf. Supra, Dist. XIV.

[2] Eccle. IX, 1.

tum perpetratum est : et ideo illa fundatur super falsum : et hujus ratio patebit in sequentis objectionis solutione.

Ad 3. Ad quam dicendum, quod quædam pœna peccati est taxata a sacerdote, et quædam consequitur peccatum in pœnitente : et prima quidem finibilis est, secunda autem non : et hæc est detestatio perpetua peccati : quam innuit Dominus, Joan. VIII, 11, cum dixit : *Vade, et jam amplius noli peccare*, id est, velis non peccare, quod est detestari peccatum.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod duplex est pœna, scilicet affligens tantum, et promovens cum afflictione : et verum est, quod Dominus non delectatur in pœna in quantum est affligens : sed vult bene pœnam nostram in quantum est promovens : et talis est pœna contritionis et medicina quæ simul est contra morbum, ut perseverans a morbo, et bene manet per totam vitam.

Ad 5. Ad aliud dicendum, quod pœnitentia non restituit in pristinum statum dignitatis, sed meriti et immunitatis peccati quoad culpam et pœnam exteriorem hic, sed non quoad absolutionem ab omni pœna, nisi prout extenditur per totam vitam, ut dictum est.

ARTICULUS XXXIV.

Quanta debet esse quantitas contritionis respectu voluntatis peccandi vel non peccandi ?

Sexto et ultimo, Quæritur de quantitate contritionis respectu voluntatis peccandi, vel non peccandi.

Videtur autem hic ex *Littera* accipi, quod

1. Quantitas contritionis debeat esse tanta, quod etiam pro redemptione istius naturalis vitæ nollet peccare. Cum ergo vita charius possideatur quam aliquod aliorum, videtur quod pro nulla alia re debeat peccare velle.

2. Item, Apostolus, ad Roman. VIII, 35 : *Quis nos separabit a charitate Christi ?* etc. Ergo nihil potest præponi in bonis vel malis creatis quod anteponendum sit Deo : ergo videtur, quod qui aliquid anteponit, quod ille in charitate non sit : ergo non contritus : ergo quantitas contritionis debet esse tanta, quod pro nulla re prospera vel adversa peccare vellet.

3. Item, Joel, II, 12 : *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et in fletu, et in planctu.* Ergo nihil de toto corde retinendum est, quod non convertatur in contritione ad Deum, præpositis omnibus separantibus : si igitur dictet alicui conscientia, quod citius vellet a Deo separari per peccatum mortale, quam videret se vel suos quosque charos suspendi, vel etiam turpius interfici, ipse non esset contritus.

4. Item, In simonia peccatum ideo est, quia impretiabile ponitur sub pretio : ergo ubicumque hoc contingit, peccatum est ibi, licet non simonia : sed qui propter aliquid difficile vel prosperum separari vellet a Deo, Deum ponit vendibilem pro illo : ergo impretiabile ponit sub pretio : ergo peccat : et peccans actualiter et mortaliter non est contritus : ergo ipse non est contritus.

5. Item, Augustinus in libro *Confessionum* : « Minus te amat qui tecum aliquid amat. » Ergo non licet aliquid æqualiter amare cum Deo affectu vel effectu : ergo multo minus licet aliquid amare affectu vel effectu supra Deum : supra Deum autem aliquid amat effectu omnis ille qui potius separatur a Deo, quam aliquid creatum amittat : ergo omnis ille peccat mortaliter : ergo non est contritus : ergo ad contritionem exigitur conscientia illius voluntatis, quæ pro nulla re prospera vel adversa separari vult a Deo. Istud habetur per hoc quod dicitur, Deuter. VI, 5 : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, etc. Si enim etiam corde aliquid Deo antepo-

nit, constat quod non ex toto corde diligit : ergo charitatem non habet : ergo nec contritionem.

Si forte tu dicas, quod hoc præceptum non est datum ut impleatur in via, sed in patria, ut dicit Augustinus. CONTRA : Communiter dicitur, quod est totalitas viæ, et totalitas patriæ : et totalitas viæ ab omnibus esse dicitur, ut nihil in corde Deo anteponatur : totalitas autem patriæ, ut totum cor per cogitatum et affectum in ipsum dirigatur : et completur in via secundum totalitatem viæ : sed iste in corde Deo aliquid præponit : ergo non diligit : ergo nec contritus est. Et de hoc multum invenies disputatum super tertium *Sententiarum*, in quæstionibus de *dilectione* [1].

Sed contra. SED SI hoc dicatur, videtur quibusdam difficile : quia

1. Multi sunt in quibus apparent signa pœnitentiæ, quibus tamen si proponeretur, quod omnes suos et se viderent pati turpes mortes, potius vellent peccare : ergo videtur, quod ad ista non tenentur.

2. Item, In dilectione aliquid est ad quod tenetur perfectus, et aliquid quod sufficit imperfecto : ergo et in contritione sic est : ergo cum perfectus non possit magis conteri nisi ut nihil præponat Deo, videtur quod imperfecto sufficit contritio minor : ergo potest aliquid anteponere Deo, ut videtur.

3. Item, Charitas crescit et perficitur, et quandoque est imperfecta : ergo et contritio : sed contritio ultra prædictum statum crescere non potest : ergo videtur, quod incipiens est citra illum : non autem potest esse circa illum, nisi aliquid anteponendo Deo : ergo incipiens contritio potest aliquid anteponere Deo : cum igitur ista sufficiat ad salutem, sicut et incipiens charitas, videtur quod contritio quæ salutem dat, non exigat illam quantitatem qua nihil anteponitur Deo.

Solutio. RESPONSIO. Hic loqui caute oportet, ut veritas salvetur, et nullus injiciatur laqueus desperationis.

Dico igitur sine præjudicio, quod rationes primo inductæ irrefragabilem concludunt veritatem secundum viam nostræ fidei et doctrinam Catholicam : tamen sacerdos hujusmodi quantitatem non debet exigere, ut coram se profiteatur pœnitens, sed in habitu debet eam per signa in ipso supponere, licet forte pœnitens propter novellam ejus conversionem non adhuc eamdem experiatur in actu : si tamen pœnitens profiteatur eam sponte, et talem habere se dicit, fovendus est in ea : quia dicit beatus Gregorius in *Moralibus*, quod « homo efficitur audax ad patiendum pro Christo ex hoc quod imponit sibi sæpe terribilia, et in corde suo confortat se ad sustinendum. » Si vero profiteatur se pœnitens esse in ambiguo, utrum cederet, vel sustineret antequam peccaret : puto, quod salva res est, quia illius ambigui causa est timor naturalis quem magis experimur in actu, quam charitatem : ideo talis jam signum habet charitatis quæ causat ambiguum, et cum adjutorio Dei talis sustineret, sine cujus auxilio nihil potest fieri meritorie. Dico autem sufficere ambiguum : quia nullus certus est, utrum cederet, vel sustineret, sicut dicit Augustinus in libro de *sancta virginitate*. Si autem ex deliberata conscientia dicat se certum esse, quod potius peccaret : istum non credo esse contritum, et nullam percipere remissionem peccatorum : tamen non est abjiciendus, quia consuetudo attritionis inducit contritionem, sicut timor servilis initialem et filialem.

AD ID ergo quod objicitur in contrarium, dicendum quod multi per Dei gratiam in ambiguo sunt : et etiam in consolatione adjutorii Dei spem habentes non redeundi, licet ignorentur futuri casus : et ideo hoc non est terribile. Ad object.

AD ALIUD dicendum, quod in dilectione interiori non separatur perfectus ab im- Ad object.

[1] Cf. III Sententiarum, Dist. XXVII et seq. Tom. XXVIII hujusce novæ editionis.

perfecto, sed in signis exterioribus : hæc autem quantitas contritionis tota est in voluntate et conscientia interioribus : et ideo ad eam tam perfectus quam imperfectus tenetur.

Obiect. 3. Ad aliud dicendum, quod incipiens per hoc ponit charitatem, diligit Deum præ omnibus, et super omnia habere et propter se : sed crescit in vigore merendi et assimilatione ad Dei bonitatem. Et similiter contritio non crescit in quantitate ista, quia hæc exigitur ad omnem contritionem, sed crescit in aliis, scilicet quoad essentiam, et potentiam purgandi reliquias peccati.

ARTICULUS XXXV.

An sit aliquis status ultra quem non intenditur, neque crescit contritio ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, A, § 1, circa finem : « *Et hoc cum desiderio, quia vitam recuperat infinitam.* »

Habitum est enim, quod contritio intenditur et crescere potest. Quæratur ergo, Utrum sit aliquis status, ultra quem non crescit, sed stat in illo?

Videtur autem, quod sic : quia

1. Dicit Philosophus, quod omnium natura constantium terminus est et ratio magnitudinis et augmenti : ergo cum ea quæ sunt gratiæ, sunt magis ordinata : videtur quod ea quæ sunt gratiæ, etiam habeant statum suæ perfectionis.

2. Item, Sicut dicitur in Apocalypsi, xxi, 16, latera civitatis sunt æqualia [1] : et latera sunt virtutes : ergo virtutes sunt æquales : ergo si aliqua una stat et non crescit ultra, omnes aliæ stabunt : sed charitas stat : ergo et omnes aliæ : ergo et contritio. Probatio, quod charitas stat : dicit enim Augustinus, quod « charitas nutrita augetur, et aucta perficitur, et post perfectionem nihil ei additur : » ergo stat in sua perfectione : ergo constat propositum.

3. Item, Macrobius super *Somnium Scipionis* sequens Platonem, dicit virtutes non progredi ultra statum virtutum animi purgati, secundum quod sunt in homine : ergo ibi stant : et contritio alicujus virtutis est : ergo stabit in illo statu.

4. Item, Nihil est perfectum nisi quod habet ultimum sui secundum naturam : si ergo contritio non habebit ultimum sui secundum naturam, ipsa semper erit imperfecta : sed semper crescens, numquam habebit ultimum sui secundum naturam : ergo semper crescens, semper erit imperfecta, quod est inconveniens.

5. Item, Constat, quod virtus humana finita est. Sit igitur, quod homo conteratur ex tota virtute, hoc enim possibile est : cum ergo tota virtus finita sit, finitus erit ejus actus, et tantus quo non potest esse major ex illa virtute : ergo tunc stat : ergo aliquis est status ultra quem crescere non potest.

Sed contra. Sed contra :

1. Bernardus : « Stare in via Dei, retrocedere est : » ergo nullus est status in via Dei, ut videtur : ergo quodlibet meritum crescere potest : ergo et contritio.

2. Item, Seneca : « Ibi desinis esse bonus, ubi desinis velle fieri melior. » Constat autem, quod illa voluntas non est inane desiderium. Ergo potest fieri melior in quolibet bono : ergo et contritione : ergo contritio semper crescere potest.

3. Item, In præmio quoad homines nullus est status, qui non possit habere sub Deo statum et meliorem et altiorem : ergo nec in merito ad præmium ordinato : sed unum meritorum est contritio : ergo in contritione nullus est status ultra quem crescere non possit.

[1] Apocal. xxi, 16 : *Et longitudo, et altitudo, et latitudo ejus*, scilicet civitatis, *æqualia sunt.*

Solutio. Solutio. Dicendum, quod nullus est status contritionis in quo crescere non possit : sed tamen omnis actus contritionis status est, sed potest esse major et in eodem homine et in alio.

Ad 1. Ad id ergo quod primo objicitur, dicendum quod res dupliciter perficiuntur, scilicet ex ultimo suæ naturæ, tam ex parte essentiæ, quam ex parte quantitatis : et hoc modo perficiuntur res naturales in forma et quantitate sibi debita. Quædam autem perficiuntur ex hoc quod in assimilatione magis accedunt ad aliquid quod substantialiter per se est tale : et hoc modo perficiuntur res morales, et præcipue divinæ per gratiam et merita. Et quia hæ in infinitum distant ab illo, ad hoc per assimilationem accedunt : ideo nullus est status boni illius, quo non possit esse major et melior.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod charitas non stat : unde dicit Chrysostomus, quod « charitas Dei fonte magis manat, et non stat, sed semper proficit aut deficit : » et ideo sua perfectio non est statio in statu aliquo, sed potius in exclusione imperfectionis quoad signa : tunc dicitur esse perfecta quæ sufficit ad opera et signa perfectionis.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod eodem modo dicuntur virtutes animi purgati, virtutes quæ perficiunt animam in tali statu in quod nihil manifestatur de passione virtuti contraria : non tamen ideo dicitur *purgati*, quod crescere non possit in accessu ad virtutem exemplarem.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod *ultimum* dicitur dupliciter, scilicet complens essentialiter, et de hoc tantum est verum quod objicitur. Dicitur etiam *ultimum* id ad quod est, accessus et quod solum simpliciter perfectum est : omne autem aliud tanto perfectius, quanto ad id magis accedit : et de hoc non est verum quod dicit : quia talia habent perfectionem quæ simpliciter est in uno tantum, et in aliis per participationem et assimilationem illius : sicut etiam Philosophi dixerunt et Sancti intelligentias tanto magis perfici et uniri et simplices fieri, quanto magis participant bonitates quæ sunt a causa primæ : et in talibus unumquodque perfectum est, sed semper potest esse perfectius.

Ad aliud dicendum, quod duplex est potentia, vel melius est potentiæ consideratio : secundum se, et secundum comparationem ad habitum perficientem. Si enim potentia secundum se consideretur, tunc necessario concludit objectio inducta. Si autem consideretur in comparatione ad habitum cui adjungitur : aut ille habitus perficit tantum virtute creata, sicut omnis habitus acquisitus et innatus : aut perficit simul virtute creata et increata, eo quod ei conjuncta est virtus essentiæ increatæ. Si primo modo, adhuc verum est quod concludit objectio. Si autem secundo modo : tunc nihil valet : quia licet in se virtus finita sit, tamen in se semper crescit ei posse, ex hoc quod recipit gratiam gratum facientem majorem : et tunc potest in amplius. Et quia sic bene utitur gratia accepta, iterum datur ei gratia major, qua accepta, potest in ampliorem actum meriti : et numquam erit talis status meriti in quo homo crescere non possit.

Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICULUS XXXVI.

An oporteat confessionem esse integram?

Deinde per præcedentes de eleemosyna [2] quæstiones habitas, omnia patent usque ad illum locum, ibi, A, § 2, ubi dicit : « *Caveat ne ductus verecundia dividat apud se confessionem*, etc. »

Quæritur enim hic de integritate confessionis.

[1] Cf. Supra, Dist. XV, Art. 14 et seq.

Et videtur, quod non oportet eam esse integram :

1. Confessio enim est propter judicium peccati : æquale autem vel etiam melius judicium fit de peccato quando una uni pars propalatur, et alii alia pars, quia

pluribus intentus minor est ad singula sen- [sus.

Cum igitur divisio valeat ad melius judicium peccati, videtur quod melior sit confessio divisa, quam integra.

2. Item, Nullum est periculum in pœnitentia : quia si unusquisque injungit competentem pœnitentiam de his quæ audivit, collecta simul pœnitentia omnibus erit competens et condigna : ergo ipsa delet peccatum, licet sit divisa.

3. Si forte tu dicas, quod sicut in *Littera* dicitur, propter verecundiam hoc fit : quia magis verecundatur coram uno dicere omnia, quam divisim coram multis. Contra : Verecundia accidit confessioni : propter accidens autem non debet variari res in substantia : ergo propter verecundiam non potest esse, quod non sit confessio divisa, dummodo alias confessio sit.

4. Item, Si propter verecundiam hoc fit : tunc etiam alia majorem verecundiam inducentia debent præcipi confitenti. Constat autem, quod coram uno sacerdote multo magis verecundatur, quam coram alio : ergo videtur, quod sibi præcipi debeat, quod illi confiteatur coram quo maxime verecundatur, quod falsum est : ergo verecundia non est causa.

5. Item, Possibile est aliquem confessionem dividere non ex causa quæ assignatur in *Littera*, scilicet ut per hypocrisim se laudet : quia potest aliquis hoc facere ex ignorantia, vel ex quantitate contritionis : quia vult, quod plures plura injungant, et sic melius satisfaciat : ergo videtur, quod tunc talis possit dividere confessionem.

6. Item, Videtur multis esse impossibile quod dicit. Dicit enim Psalmus XVIII, 13 : *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me.* Ponamus ergo, quod aliquis in confessione sua quorumdam sit oblitus, quæ libenter confiteretur, si in memoria haberet : et postquam omnia quæ in memoria habuit, confessus est : et recedat ab eo sacerdos, vel e converso ipse a sacerdote, ita ut ad eum accedere opportune non possit : et tunc recordetur aliquorum quæ non est confessus : tunc igitur quæro, an confessio prius facta valuit, an non? Si valuit : ergo eam iterare non tenetur : ergo ea quæ habet in memoria et prius non habuit, potest alii dicere : ergo divisa confessio valet. Si autem non valuit : ergo ex recordatione nulla confessio valet, in qua non dicuntur omnia etiam oblita, quod est fere omnes homines damnare, et ideo hoc est absurdum.

6. Si forte tu dicas, quod valuit : sed statim ut recordatur plurium, incipit non valere, nisi illa quorum recordatur, et etiam prius dicta, uni alicui confiteatur. Contra : Id quod non conjungitur alicui in tempore nec in essentia, videtur quod non destruat ipsum : sequens autem recordatio peccatorum præhabitæ confessioni non conjungitur : ergo non destruit eam : ergo si ante hoc valuit, et postea valet, ut videtur.

8. Si dicas, quod hæc ratio non valet : quia sequens peccatum prius facta bona mortificat, quibus tamen non conjungitur essentialiter vel in tempore, sed in eodem subjecto tantum. Contra : Quod sequens peccatum mortificat prius facta bona, contingit propter contrarietatem culpæ et gratiæ : sed prior confessio et sequens recordatio non habent hujusmodi contrarietatem : ergo unum non destruit aliud.

Item, Si ex sequenti recordatione illa obligatur ad confessionem præcedentium : quæratur, unde hoc contingit? Non enim hoc contingere posset, nisi quia prius facta confessio non valuit, vel modo non valet ex quo plurium

recordatur. Si prius non valuit : ergo pars ista pœnitentiæ deficit : ergo deficit vera pœnitentia : sed nulla nisi vera pœnitentia deletiva est peccati : ergo prius non erat in eo deletum peccatum, quod falsum est : quia potest esse, quod omnia deleta sunt, et ea quæ prius confessus est, et ea quorum postea recordatus est. Si autem prius valuit, et modo non valet : videtur quod sit ex contrarietate sequentis recordationis ad confessionem : sed sequens recordatio bonum quoddam est, et præhabita confessio bonum quoddam : ergo bonum contrariatur bono, quod est absurdum.

Quæst. Ulterius quæritur, Utrum posito, quod pœnitentiam prius injunctam perfecerit, et postea aliquorum recordatus sit, teneatur iterato totum confiteri, aut non ?

1. Si sic, cum confessio non sit nisi propter pœnitentiam de toto : ergo bis punitur propter illud peccatum : quod falsum est : quoniam non consurgit duplex tribulatio, ut supra habitum est. Si non : ergo non recipiet pœnitentiam nisi de parte : sed non tenetur confiteri nisi propter pœnitentiæ taxationem : ergo confiteri non tenetur nisi partem illam peccatorum pro quibus non recipit pœnitentiam : ergo potest dividere confessionem, quod est contra *Litteram*.

2. Item, Ex hoc videtur generari quædam perplexitas : vix enim est aliquis qui simul recordetur omnium peccatorum. Ponamus ergo aliquem successive per centum vices vel plures semper post temporis alicujus intervallum recolere aliqua quæ non fuit confessus, et ipsum semper transire de loco ad locum, ubi ejusdem confessoris opportunitatem habere non potest : iste igitur semper a principio tenetur repetere confessionem suam : ergo vix umquam quiescet securus de conscientia, quod sit bene confessus : et hoc difficile est dicere : ergo videtur, quod in aliquo casu dividi possit confessio.

Sed contra hoc objicitur : quia Sed c

1. Si dividatur confessio, nullus sacerdotum audientium sciet totam morbi quantitatem : ergo isti nulla injungetur debita satisfactio : ergo non valet talis confessio.

2. Item, Pœnitentia injuncta est per modum medicinæ contra consuetudinem veteris peccati : sed divisa confessione nullus sufficienter scit consuetudinem : ergo nullus sufficienter scit occurrere morbo peccati : ergo talis confessio non valet.

3. Item, In medicina corporali si aliquis æger laboret ex diversis generibus ægritudinum, et unam sciret unus, et aliam alius medicus, contingit periclitari ægrotum : quia unus medicus non operaretur nisi contra unam ægritudinem, et tunc aggravaretur forte alia : ergo simile est in ægritudinibus spiritualibus : ergo unus sacerdos qui medicus spiritualis est, debet scire omnes morbos.

Solutio. Dicendum, quod confessio divisa *ex industria*, nihil valet, ut dicitur in *Littera*, sed potius nocet : quia accumulat peccatum simulationis, ut dicitur in *Littera :* et hujus causæ propriissimæ tactæ sunt in objectionibus ultimo inductis : et non est eas difficile colligere in tres secundum numerum eorum quæ objecta sunt. Solutio

Dicendum ergo ad primum, quod judicium peccati duplex est, scilicet judicium peccati quid sit peccatum, et judicium proportionis totius peccati ad condignam pœnitentiam. Et judicium primum est in confitente procedens ex auditu : et de hoc tantum verum est quod objicitur. Sed est judicium secundum, quod est magis substantiale confessioni, et hoc non potest fieri ab aliquo, nisi totam quantitatem peccati simul audiat : et si plures, ita quod singuli totum audiant, tunc verum est quod melius fit a pluribus quam ab uno : sed tamen impossibile est fieri a pluribus, quorum singuli nesciunt totam peccati quantitatem. Ad 1.

12. Ad aliud dicendum, quod sacerdos cum teneatur pœnitentem periclitantem corrigere, per opera justitiæ intendit in contrarium assuescere : et ideo impossibile est hoc, nisi sciat totam consuetudinem veterem. Sed quæstio illa procedit ac si in pœnitentia divisim singulis peccatis imponeretur satisfactio : et hoc non est verum.

Ad 3. Ad id quod objicitur de verecundia, dicendum quod duplex est verecundia : quædam est passio corporalis quæ consistit in rubore corporis, et hæc accidentalis est confessioni. Est etiam rationalis verecundia, quæ est confusio quædam sui in magnitudine delicti : de qua dicitur, ad Roman. VI, 21 : *Quem ergo fructum habuistis tunc in illis in quibus nunc erubescitis ?* Et hæc substantialis est confessioni, ut dicitur in *Littera*.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod verecundia major facit ad bene esse confessionis : et quia præceptum non est de meliori bono, sed de necessario tantum : ideo non præcipitur illud.

Ad 5. Ad aliud dicendum, quod licet confessio separabilis sit ab illa verecundia quæ passio est corporalis, non tamen ab illa quæ est confusio mentis interior cum detestatione peccati.

Ad 6. Ad aliud dicendum, quod illa talis confessio valet et valuit, quia de omnibus est quæ erant in memoria : et tamen tenetur repetere propter illud quod postea ad memoriam revocavit. Non enim sequitur, si valet, quod non teneatur repetere : quia valuit pro statu in quo tunc fuit et per se. Quod autem repetitur, hoc est ratione alterius status, et per accidens : quia quod postea reducitur ad memoriam, facit eam non esse de omni peccato recordato, nec integrari.

Ad 7. Ad aliud dicendum, quod licet recordatio actu non conjungatur præcedenti confessioni, tamen id quod recordatum est, facit eam imperfectam : quia ipsum est pars eorum quæ confiteri debent, et deest confessioni : omne autem illud imperfectum est, ut dicit Philosophus, cui de essentialibus aliquid deest : et ideo confessio præcedens est imperfecta, quia non est de omnibus recordatis.

Ad 8. Ad aliud dicendum, quod non oportet quod id quod ostendit aliquid esse imperfectum, sit ei contrarium : sed bene verum est, quod id quod destruit aliud, per se contrarium est illi : sed non destruit recordatio posterior præhabitam confessionem : quia illa valuit, et valet, si suppleatur ei id quod deest. Quod autem hoc verum sit, sic patet, quia pars subtracta non est contraria toti : et tamen quando apparet subtracta, ostendit totum esse imperfectum, et perfici si addatur.

Ad quæst. Ad 1. Ad aliud dicendum, quod si pœnitentiam prius injunctam implevit, hoc ipsum cum peccatis debet dicere sacerdoti secundo si non potest habere sacerdotem primum, vel tertio si nec primum nec secundum habere potuerit, et sic deinceps : et tunc ipse non injunget pœnitentiam pro prius dictis, nisi pro tanto in quantum nunc dictum manifestat sibi periculum consuetudinis in aliquo peccato, quod periculum alius sacerdos intelligere non potuit, eo quod non totam cognovit quantitatem peccati.

Ex hoc ulterius patet, quod non consurgit duplex tribulatio et tamen tenetur iterato confiteri.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod nulla generatur perplexitas, quia non tenetur confiteri nisi recordata : et hoc de facili potest facere : et si aliqua præterita revocet menti, illa dicat eidem, vel si alii, repetat priora : et hoc non est difficile, cum sint in memoria. Si autem non vult tantum studere in discussionem sui, ut simul omnia quæ potest comprehendat, puto quod damnabiliter negligens est, nec sufficientem suæ salutis habet curam.

Hoc autem quidam aliter determinaverunt dicentes, quod sufficit cum recordato dicere priora in generibus singulorum, et non oportet ea exprimi in singulis generum : sed hoc reputo esse con-

trarium dictis Sanctorum et præsumptuosum.

ARTICULUS XXXVII.

An hypocrisis sit bene diffinita?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, A, § 2, post initium : « *Ad hypocrisim tendere.* »

Quæremus enim hic ex incidenti de hypocrisi quinque, scilicet quid sit ?

Secundo, Utrum sit peccatum speciale, vel generale conjunctum pluribus aliis vel omnibus ?

Tertio, In quibus operibus frequenter apparet ?

Quarto autem, Qualiter se habet ad inanem gloriam ?

Quinto et ultimo, Utrum semper sit mortale peccatum vel veniale ?

Ad primum horum sic objicitur :

Super illud Matthæi, VI, 16 : *Nolite fieri sicut hypocritæ, tristes*, dicit Glossa : « Hypocrita est, qui simulat quod non est, repræsentator alterius personæ. »

Videtur autem hæc diffinitio non esse generalis : quia

1. Hypocrita simulat quandoque quod est, vel dissimulat quod est, scilicet quando bonum occultum jactat, vel occultum malum abscondit : et tamen hypocrita est : ergo non semper simulat quod non est.

2. Item, Simulatio et dissimulatio ex opposito se habent, sicut simile et dissimile : sed dissimile numquam est simile in eo quod hujusmodi : ergo nec dissimulatio est simulatio : sed dissimulatio est actus hypocritæ, ut dicit Magister Hugo de sancto Victore : ergo non semper simulatio : ergo nulla est diffinitio.

3. Item, Magister Hugo de sancto Victore ponere videtur actus quatuor pœnitentiæ, tractans illud Danielis, VII, 6, de pardo qui habebat alas quatuor, dicens quod quatuor alæ hypocritæ, sunt jactantia de bono manifesto, excusatio mali manifesti, simulatio boni occulti, et dissimulatio mali occulti : ergo male diffinitur hæc per simplicem simulationem.

4. Item, Adhuc aliter objicitur contra illam diffinitionem : quia simulare quod non est, contingit aliquando bene fieri, ut propter scandalum vitandum : et tunc non est malum : constat autem, quod omnis hypocrisis est mala : ergo simulare quod non est, non est semper hypocrisis.

5. Adhuc, Videtur quod Josue simulans fugam [1], et Salvator formam peregrini et hortulani, et fingendo se longius ire [2], simulaverunt quod non erant, et præsentabant alias personas : nec tamen erant hypocritæ : ergo diffinitio illa non convenit, ut videtur.

6. Item, Cum virtutes sint voluntates quædam, vel non sine voluntate, ut dicit Philosophus, constat quod similiter etiam vitia sint voluntes quædam : voluntas autem a fine et volito accipit speciem et qualitatem : ergo hic poni deberet in diffinitione hypocrisis : et hoc non fit : ergo diffinitio mala.

7. Item, Hoc idem patet alia ratione : quia dicit Augustinus, quod « omnis humana perversitas est frui utendis, et uti fruendis. » Constat autem, quod fruens utendis, aliquid temporale diligit propter se, et plus quam Deum : cum igitur hoc sit in omni perversitate humana, hoc etiam erit in hypocrisi : ergo in hypocrisi diligitur aliquid propter se, ex quo contrahit et speciem et rationem : hoc ergo debuit poni in ejus ratione.

8. Adhuc autem, si quæratur, In quo differt superbia ab avaritia, et hæc duo a fornicatione ? respondebitur, quod penes fines voluntatis : quia avaritia requiescit in divitiis, superbia in dignitatibus, et

[1] Cf. Josue, VIII, 5 et seq.

[2] Luc. XXIV, 28.

fornicatio in delectabili venereorum : igitur ita est in hypocrisi : sed illud penes quod differunt ea quæ sunt ejusdem generis, est loco differentiæ constitutivæ speciei vel ipsa differentia : ergo similiter se habebit in hypocrisi : constat autem, quod illud potissimum est in diffinitione et complens eam : ergo illud maxime debet poni in ea : hic autem non fit sic : ergo male diffinitur.

Solutio. Responsio. Dicendum, quod hypocrita diffinitur in præhabita assignatione a proprio actu suo : quia actus sunt prævii habitibus secundum rationem. Et si quis vult eam sustinere, dicet quod *simulare* sumitur large, scilicet pro ostendere se in alia dispositione quam sit, ut repræsentet personam alterius : et cum ipse sit malus, potest intelligi, alterius personæ in genere, non in specie, hoc modo quo dicit Philosophus, quod « bonum et malum sunt genera aliorum existentia. » Et hoc modo etiam intelligendum est quod dicit, qued *simulat quod non est*, scilicet in genere, non in specie. Ulterius autem intelligendum est, quod hoc ipsum quod dicit, *simulare quod non est*, fit hoc fine quod est placere de bonitate simulata : hic enim est finis voluntatis hypocritæ. Si quis igitur vellet totum esse hypocrisis comprehendere, diceret quod hypocrisis est vitium cupiens placere alteri de bonitate simulata in specie boni forinsecus, vel palliatione mali.

Ad 1. Ad primum ergo dicendum, quod hypocrita numquam simulat quod est in genere, quia malus est : et ita intelligitur hic. Quod autem ita sit, patet per Gregorium super illud Job, xv, 34 : *Congregatio hypocritæ*, etc., ubi sic dicit : « Mens hypocritæ numquam vacat a malo : quia quæ appetit, aliis invidet, ex quorum despectu clarior sit : unde et dolos ponit ut solus captet æstimationem. »

Et quod objicitur de bono occulto, dicendum quod hoc intelligitur de bono in genere, vel de bono civili : quia bonum in genere non habet, nisi simulatum : et ideo intelligendo secundum genus, semper simulat quod non est.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod simulatio et dissimulatio non se habent ex opposito, nisi sicut de eodem bono vel malo : et ideo simulatio boni non opponitur dissimulationi mali, sed potius hic utraque comprehenditur sub simulatione, quia utraque ostendit pallium boni hominis, sed extrinsecus.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod Magister Hugo descendit ad speciales actus hypocrisis, et verum est, quod illi multiplicantur secundum quod in specie boni et mali, prout aliquo modo prodit in notitiam alterius, potest consequi placentiam sanctitatis apparentis. Hæc autem in genere sunt bonum et malum, et utrumque occultum, vel manifestum : et sic efficiuntur quatuor alæ : omnes tamen isti actus comprehenduntur sub uno secundum genus, qui est ostensio sanctitatis vel bonitatis ut placeat proximo.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod hoc verum est, quod contingit aliquem simulare quod non est, sed non in genere : et ideo talis non omnino simulat quod non est : quia non curat de hoc quod non judicetur sanctus vel bonus, sed cavet proximo caute quantum potest, ne scandalizetur, et hoc prudentis est.

Ad 5. Ad aliud dicendum, quod sicut patet in quodam capitulo *Decretorum*, est simulatio bona, et simulatio mala : et est distinctio Augustini : sed tamen illa quæ videntur simulationes in Sanctis vel Domino, non sunt puræ simulationes, sed indicia mysteriorum : quia sicut Dominus finxit se longius ire sicut peregrinus, et longius erat in mentibus discipulorum : sed hoc est pura simulatio alicujus, quod nec etiam convenit simulanti secundum genus et fine inhonesto.

Ad 6, 7, et 8. Ad omnia autem quæ postea inducuntur, plane concedendum est : sed dicendum, quod finis hic importatur per hoc quod est repræsentator alterius personæ in genere. Cum autem altera persona in quantum altera, non moveret volunta-

tem aliquam, intelligitur quod movet eam, et est finis ejus, ratione adjuncti in notitia aliorum, quod est placentia sanctitatis apparentis.

ARTICULUS XXXVIII.

An hypocrisis sit speciale peccatum, an generale conjunctum aliis?

Secundo quæritur, Utrum sit peccatum speciale, an generale conjunctum aliis?

Videtur autem, quod generale conjunctum aliis: quia

1. Hic diffinitur per simulationem: et constat, quod simulatio est peccatum aliud ab hypocrisi, sicut patet in III Reg. XIV, 6, ubi dicit Propheta uxori Jeroboam: *Ingredere, uxor Jeroboam: quare aliam te esse simulas?* non tamen propter hoc hypocrita fuit illa uxor. Cum igitur conjungatur simulationi, videtur quod eadem ratione conjungatur aliis.

2. Item, Ex auctoritate Gregorii prius inducta videtur, quod conjungatur aliis, et præcipue invidiæ, et superbiæ: quia ex hoc quod dicit, quod « numquam mens hypocritæ vacat a malo, » videtur quod omnibus malis adjungatur: quia nullum speciale malum est a quo numquam vacet mens hypocritæ. Ex hoc autem quod dicit, quod « aliis invidet, » ostendit quod conjungitur invidiæ: et ex hoc quod dicit, quod « alios despicit ut ex despectu illorum clarior fiat, » ostendit conjungi superbiæ: et eadem ratione conjungitur omnibus aliis.

3. Item, Præcipue videtur conjungi mendacio et dolo et fraudulentiæ: quia illa vitia ostendunt aliud quam sint: et hoc est hypocritæ proprius actus, ut dictum est.

4. Adhuc etiam aliter per rationem universalem videtur hoc idem: quia bonum et malum non possunt reduci ad aliquod commune quod sit genus unum: quia dicit Philosophus, quod non sunt in genere, sed genera aliorum: ergo simulatio boni et dissimulatio mali non possunt similiter reduci ad unum genus unius appetibilis in quo quiescant, ut videtur: ergo hoc est in omni genere: ergo non est malum in uno, sed in omnibus: ergo conjungitur omnibus, ut videtur: ergo non est speciale malum unum.

Sed contra hoc objicitur: Sed

Quidquid dividit genus unum e diverso cum aliis quæ sunt species illius generis, species est, non genus: hypocrisis dividit cum aliis vitiis specialibus hoc genus quod est vitium: ergo ipsa est speciale vitium: ergo ab aliis separatum.

Adhuc etiam, Licet charitas diligat omne bonum, tamen est specialis virtus propter finem specialem: ergo a simili licet hypocrisis appetat apparere in bono, tamen erit speciale vitium propter finem qui est placere alteri de sanctitate.

Quod concedimus, dicentes ad primum, Sed quod *simulatio* dupliciter sumitur, scilicet generaliter, et specialiter. Generaliter sumpta simulatio non est peccatum: sed specialiter sumitur adhuc dupliciter, scilicet prout sonat quemdam appetitum decipiendi, et sic non est peccatum speciale, sed conjunctum pluribus peccatis, sicut probatum est in objiciendo: sicut dicitur, Job, XXXVI, 13: *Simulatores et callidi provocant iram Dei.* Alio modo sumitur specialissime pro simulatione bonitatis non existentis, et sic est hypocrisis, quod ostendit ipsum nomen *hypocrisis*, quod dicitur ab ὑπο quod est *sub*, et κρίσις, *conversio*, quasi sub figura conversionis et bonitatis exterioris latens malitia: vel sub conversus, id est, latentem habens conversionem: quia convertit bonum extra, cum sit malum intra.

Ad aliud dicendum, quod Gregorius Ad non intendit, quod sit peccatum aliis conjunctum sive commixtum: sed hoc dicit ideo, quia frequentius quæritur ab illis, propter quod etiam filia ponitur ina-

nis gloriæ : sicut etiam dicit in ultima Glossa super Job.

Ad aliud dicendum, quod mendacio non conjungitur nisi per accidens, scilicet si mendacium quærat apparentis sanctitatis placentiam. Quod autem mendacium ostendit quod non est, non intelligitur de dispositione hominis quantum ad virtutem bonitatis, sed potius specialiter cum veritate : quia cum sit falsum, prætendit veritatem in sermone.

Ad aliud dicendum, quod solutum est hoc per objectionem ultimam in contrarium adductam : quia licet materia sit non in genere in qua quærit apparere hypocrita, tamen finis est specialis : et hic est in voluntatibus differentia complens, et a specialitate ipsius in speciem trahitur vitium.

Per idem patet solutio ad sequens quæsitum.

ARTICULUS XXXIX.

In quibus operibus frequentius apparet hypocrisis ? et, In quo actu pejor sit ?

Tertio quæritur, In quibus operibus frequentius apparet ?

Videtur autem, quod

1. In confessione per ea quæ dicuntur in *Littera*.

2. Item, Per rationem talem : Ubi locus accusationis est in judicio civili, ibi est etiam proprie locus ostensionis innocentiæ et puritatis vitæ : sed hoc est in confessione quantum ad judicium divinum : ergo ibi proprie est locus ostensionis bonitatis et puritatis vitæ : ergo cum hypocrita præcipue hoc intendat, videtur quod in confessione maxime prætendat hypocrisim.

Videtur autem quod in jejunio maxime se ostendat :

1. Per illud quod ibi specialiter a Salvatore nostro prohibetur, Matth. vi, 16, dicente : *Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ, tristes.*

2. Item, Per rationem : In hoc enim maxime quærit hypocrita apparere sanctus, quod maxime natum est exteriorem sanctitatem prætendere : hoc autem est jejunium : ergo maxime quærit hypocrisim in jejunio. Probatur autem prima per astutiam hypocritæ : quia scit quis actus sibi utilior est ad consequendum finem. Secunda autem probatur ex hoc quod jejunium exterminat corpus et macerat, quod proprium est sanctitatis exterioris.

3. Adhuc dicit Dominus in Evangelio, quod hypocritæ *exterminant facies suas* [1]. Cum igitur jejunium maxime exterminet, in illo maxime quærit apparere hypocrita.

Videtur autem quod in eleemosyna : quia dicit Gregorius, quod in eleemosynis præcipue hypocritæ tuba canunt ante se, ut boni videantur.

Ulterius quæritur, In quo actu hypocrisis sit pejor ? Quæst.

Videtur autem, quod in eleemosyna : quia dicit Chrysostomus : « Ubique vana gloria mala est, sed maxime in philanthropia : » philanthropia autem est amor hominum : et vocat sic pietatem circa pauperes, quia ex amore hominum procedit.

Sed contra : Sed contra.

Chrysostomus : « In aliis vane gloriari mirabile nihil est, in jejunio autem et oratione est extraneum et lacrymis plenum. »

Solutio. Dicendum, quod hypocrisis præcipue quærit apparere in actibus sanctitatis, et illi sunt partes sanctificationis Solutio

[1] Matth. vi, 16.

vel satisfactionis, scilicet jejunium, oratio, et eleemosyna : et ideo ad illos se sæpius convertit quam ad alios, nisi generaliter valde sumatur hypocrisis pro omni ostensione alia quæ est, sive fiat verbo, sive signo sanctitatis : sicut dicit beatus Bernardus, quod « hypocrita est omnis Doctor qui prius se non corrigit, quam alterum. »

Ad 1. Ad primum ergo dicendum, quod in confessione sæpe ostenditur hypocrisis, sed non ita frequenter, ut in aliis prædictis : eo quod non sunt ibi tot judices bonitatis apparentis, quia uni soli fit confessio.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod in veritate se excusat hypocrita : sed tamen non est ille actus quo frequentius obtinet finem, ut dictum est.

Ad 1. Ad aliud dicendum, quod secundum diversitatem hypocritarum diversa opera de tribus operibus pœnitentiæ exercentur. Dives enim non avarus, sed hypocrita, frequentius convertit se ad eleemosynam : quia duplicem placentiam consequitur, scilicet a dato, et ex apparenti sanctitate : sed pauper sæpius orat : et nullus jejunat frequentius propter illius difficultatem, nisi aliud non possit propter homines : et ideo inter omnes homines quidam hæretici minus jejunant.

Et ad id quod contra objicitur, dicendum quod Salvator prohibet in hoc et in aliis hypocrisis vitium, in quibus frequentius solet inveniri.

Ad 2 Ad aliud dicendum, quod hypocrita non quærit exterminationem vultus propter se, et ideo in veritate non diligit maciem, sed similitudinem maciei : et tamen vult habere pinguem ventrem : et ideo non ita frequenter est in jejunio, sicut in oratione, et in angulis plateарum.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod loquitur de hypocrita quodam, et non omni.

Ad quæst. Ad id quod ulterius quæritur, dicendum quod tales operationes peccatorum habent se sicut excedentia et excessa, propter diversas circumstantias quæ hinc inde aggravare possunt.

Si autem quæratur, In quo genere hypocrisis sit magis gravis ? puto, quod in illo quod minus secundum veritatem est in hypocrita, quodcumque illud est, si ad sanctitatem pertinet.

Ad id autem quod objicitur de Chrysostomo, possemus dicere, quod licet dicat hoc de inani gloria, non tamen consequens est quod hoc verum sit de hypocrisi : quia hypocrisis et inanis gloria sunt diversa vitia, ut infra ostendetur. Si autem non fiat vis in hoc : tunc dicendum, quod quoad aliquid in philanthropia pejor est : quia ibi exstinguit opus, quod promissionem habet vitæ quæ nunc est, et futuræ : in aliis autem non exstinguit opus, quod sic duplicem habeat promissionem, et quoad hoc in isto pejor est, quia majoris nocumenti.

Ad Ad aliud dicendum, quod hoc non dicit Chrysostomus ideo quod ibi pejor sit, sed quia ibi irrationabilior : quia ipsa afflictio carnis et spiritus retrahere deberet ab appetitu laudis, et hoc non est in aliis, quæ quasi consistunt in quadam excellentia laudabili, ut eleemosyna quæ conjungitur excellentiæ liberalitatis, et hujusmodi.

ARTICULUS XL.

Quomodo hypocrisis se habeat ad inanem gloriam ?

Quarto quæritur, Qualiter se habeat ad inanem gloriam ?

Videtur autem, quod non differat ab ea : quia

1. Vitia sunt voluntates, vel non sine voluntate, sicut dicit Philosophus de virtute : sed voluntates tales diffiniuntur fine : ergo quorum est unus finis, sunt

unum vitium voluntatis : sed hypocrisis et inanis gloriæ est unus finis : ergo sunt unum vitium voluntatis. Quod autem idem sit finis, probatur, Job, VIII, 16, super illud : *In ortu suo germen ejus egredietur*, ubi dicit Gregorius : « Hypocrita cum bene agit, ab omnibus vult videri : per omnia enim quæ agit, occulta cogitatione laudes quærit : » laus autem est finis inanis gloriæ : ergo constat propositum.

2. Item, Filia a matre in nulla generatione differt specie : sed hypocrisis est filia inanis gloriæ : ergo non differt specie ab inani gloria. PROBATUR autem media ex hoc quod dicitur in Glossa in fine Job, sic : « De inani gloria nascuntur inobedientia, jactantia, et hypocrisis. »

Contra. IN CONTRARIUM hujus est, quod sicut differt una filiarum a matre, ita differt reliqua : sed inobedientia differt ab inani gloria : ergo et hypocrisis.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quod diversa sunt vitia.

Ad primum autem dicendum, quod non est idem finis substantialis inanis gloriæ et hypocrisis : quia inanis gloria requiescit in laude, sed hypocrisis in opinione bonitatis, vel non petit laudem nisi per accidens, scilicet in quantum inanis gloria conjungitur cum ipsa : et quia hoc frequenter est et quasi semper, propter hoc dicit Gregorius, quod quærit laudem hypocrita.

Ad 2. AD ALIUD dicendum, quod hoc verum est de generatione univoca : sed Gregorius in Glossa illa vocat *generationem*, exitum effectus a causa : unde filia vitii capitalis ab eo vocatur, mediante quo vitium capitale sæpius obtinet finem quem intendit : et non est univoca generatio, sicut optime probatur per objectionem quæ facta est in oppositum.

ARTICULUS XLI.

An hypocrisis sit semper peccatum mortale vel veniale ?

Quinto et ultimo quæritur, Utrum semper sit peccatum mortale vel veniale ?

Videtur autem, quod mortale,

1. Per hoc quod dicitur, Isa. XVI, 13, super illud : *In tribus annis, quasi anni mercenarii, auferetur gloria Moab super omni populo multo*, Glossa Hieronymi : « In comparatione duorum malorum levius est aperte peccare, quam sanctitatem simulare : » sed aperte peccare prout ibi sumitur, mortale est : ergo multo magis est mortale hypocrisis.

2. Item, Ad Ephes. VI, 7, super illud : *Sicut Domino, et non hominibus*, Augustinus : « Simulata æquitas, non est æquitas, sed duplex iniquitas : » sed simplex iniquitas mortale est : ergo et simulata æquitas : sed hoc est hypocrisis ; ergo, etc.

3. Item, Thren. IV, 6 : *Major effecta est iniquitas filiæ populi mei*, etc., dicit Glossa : « Scelera animæ planguntur, quæ in hypocrisi labitur, cujus major est iniquitas quam Sodomorum peccatum. » Constat autem, quod Sodomorum peccatum fuit grave et mortale : ergo et hypocrisis.

4. Item, Super illud : *Assumit septem alios spiritus nequiores se*[1], dicit Glossa, quod « nequiores sunt spiritus simulationis, quam apertæ iniquitatis. » Dicit enim, quod malus est spiritus superbiæ, sed pejor illo simulator humilitatis, et sic de aliis capitalibus : ergo, etc.

5. Ex illis elicitur ulterius, quod gravius est occulte peccare, quam manifeste, aliis paribus.

[1] Matth. XII, 45.

Sed contra. SED CONTRA hoc est, quod aperte peccans scandalizat : occulte autem peccans non scandalizat : ergo cæteris paribus, gravius peccat aperte peccans, quam peccans occulte.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quod non semper hypocrisis est peccatum mortale, sed quandoque veniale, et quandoque majus, et quandoque minus, secundum quod diversis circumstantiis vestitur.

Ad 1. DICENDUM ergo ad primum, quod Hieronymus loquitur secundum quid, et non simpliciter, gravius enim est aperte peccare simpliciter : sed tamen quoad hoc dicitur illud gravius quod magis potest decipere, et quoad hoc loquitur Glossa ibi.

Ad 2. AD ALIUD dicendum, quod dictum Augustini non intelligitur de omni modo hypocrisis, sed tantum de illo in quo simulatio cumulatur peccato : quia tunc propter duplicem deformitatem dicitur *duplex iniquitas*. Si autem esset tantum simulatio sanctitatis, non esset duplex iniquitas.

Ad 3. AD ALIUD dicendum, quod non intelligitur simpliciter, sed tantum quoad efficaciam deceptionis : quia qui peccatum ut Sodoma prædicat, non potest decipere : sed simulator ore decipit amicum suum.

Ad 4. AD ALIUD dicendum, quod *nequior* dicitur ratione cumulationis, et non ratione simulationis per se acceptæ.

Ad 5. AD ID quod ulterius quæritur, jam patet solutio per antedicta.

ARTICULUS XLII.

An bonæ conscientiæ confortatio requiritur in eo qui debet communicare ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, A, § 2, post initium : « *Caveat etiam ne prius ad Dominicum corpus accedat, quam confortetur bona conscientia*, etc. »

Videtur enim hoc esse falsum : quia

1. Confortatio bonæ conscientiæ dicit plus quam bonam conscientiam : ergo plus quam habere gratiam exigitur ad communionem, quod fere omnes negant.

2. Adhuc autem ad communionem non exigitur, nisi quod communicans non sit indignus : sed indignitas non est nisi ex mortali peccato : ergo non habens mortale peccatum, potest communicare : non omnis autem talis est confortatus bona conscientia : ergo aliquis non confortatus bona conscientia potest communicare.

3. Item, In naturis videmus, quod prius est esse et vivere, quam confortari in esse et vita : ergo similiter est in spiritualibus : sed esse spirituale est per gratiam, et vivere per virtutem perficientem ad opus : ergo confortatio sequitur utrumque istorum. Si ergo hoc exigitur ad communionem, plus exigitur ad communionem quam habere gratiam et virtutes, quod omnes negant.

4. Item, In *Littera* dicit, quod plangat, quod nondum audeat sumere quem multum desiderat, salutarem cibum. Constat autem, quod hoc desiderium cibi salutaris est ex amore charitatis : ergo habens charitatem non debet adhuc sumere cibum salutarem, quod omnes habent pro inconvenienti.

Sed SED CONTRA hoc est quod

1. Dicit Hugo de sancto Victore in epistola ad Bernardum de *epiphania paschali* sic : « Audacter dico, quod etsi fuerit contritus, non tamen communicare debet, antequam confessus fuerit. » Constat autem, quod contritus habet charitatem et gratiam : ergo sicut hic dicit, adhuc tenetur confortationem bonæ conscientiæ exspectare per opera meritoria.

2. Item, In primitiva Ecclesia de novo pœnitentes non tantum sequestrabantur a communione corporis et sanguinis Domini, sed etiam a loco in quo consecra-

bantur, sicut ab Ecclesia : de novo autem pœnitentes habebant gratiam et virtutes : ergo, sicut hic dicitur, ad communionem exigitur confortatio per opera meritoria, etiam postquam habetur gratia.

est 1. Sed si hoc dicatur, quæratur de casibus.

Ponamus enim, quod aliquis in accedendo ad corpus Christi, recolat de uno vel duobus, quæ numquam fuit confessus : videtur enim, quod secundum dictum Hugonis non debet accedere.

Sed contra hoc est, quod communio corporis dat sumenti majorem gratiam : ergo si se subtrahit, ipse se elongat a gratia vel ab augmento gratiæ : et neutrum horum debet facere : ergo debet accedere et sumere.

uæst. 2. Item, Ponamus de sacerdote qui habet plebem, et non est alius qui celebret, et non sit confessus, et non sit sacerdos præsens cui possit confiteri : et tamen sit contritus, quæratur quid faciendum est ei? Aut enim accedendum est ei, et tunc videtur facere contra supra inductam auctoritatem, et contra id quod dicitur in textu : aut non accedet, et tunc scandalizat populum : ergo videtur esse perplexus.

olutio. Responsio. Dicendum, quod homo habens gratiam vel præsumens ex probabili signo se habere gratiam, potest accedere ad corpus Christi. Signum autem probabile est si confessus est, et dictat sibi conscientia, quod pro nulla re vult amplius peccare, et pœnitentiam libenter debito tempore suscipere.

Ad 1. Ad id autem quod primo objicitur, dicendum quod in veritate si quis diligenter *Litteram* consideret, tunc Augustinus intendit, quod de novo pœnitens non debet communicare : sed ipse dixit hoc consulendo, vel de solemniter pœnitente ad terrorem aliorum. Si autem aliquis vult, potest sic solvere, quod omnis conscientia adulti habens gratiam est confortata : quia actus contritionis detestans peccatum, est actus meritorius : similiter actus fidei in Deum, et hujusmodi, et illis actibus movetur quando justificatur : et sic statim post primum momentum contritionis confortata est conscientia per opus interius meritorium, licet non exterius.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod ad communionem quantum ad idoneitatem non exigitur plus quam quod dicit objectio : sed quia emendatio fieri non potest, nisi per detestationem et dolorem peccati, ideo actus meritorius confortans conscientiam concomitatur idoneitatem illam : et sic confortatus est jam quando accedit.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod sicut est in naturis, sic et in gratia, quia « nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia, » sicut dicit Glossa Ambrosii super Act. II, 1 et seq. : et ideo licet habitus gratiæ sit naturaliter ante actum meritorium, tamen tempore possunt esse simul.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod Augustinus, ut dictum est, dicit hoc consulendo, vel de solemniter pœnitente. Et bene puto, quod cautum est, quod homo ex recentibus peccatorum vulneribus, non communicet usque ad aliquod tempus : sed tamen non est necessarium.

Ad object. 1. Ad id quod dicit Hugo, dicendum quod loquitur de illo qui sine gravamine paratum habet confessorem : quia ille negligens est, si non confiteatur : et hæc negligentia impedit eum a communione.

Ad object. 2. Ad aliud dicendum, quod hoc in primitiva Ecclesia aut fiebat ad terrorem, aut fiebat tantum de solemniter pœnitentibus, ut dictum est.

Ad quæst. 1. Ad id quod ulterius quæritur de casibus, dico quod accedens qui confessionem generalem prius fecit, non debet retrocedere propter recordationem aliquorum peccatorum quæ in speciali non est confessus : quia in generali confessione illa dimissa sunt : quinimo potest

exspectare tempus opportunum, donec confiteatur, sicut supra dictum est in quæstione de *confessione*.

Ad quæst. 2 Ad id quod quæritur de sacerdote, dicendum quod talis sacerdos cum dolore celebrare potest, et habeat firmum propositum confitendi tempore opportuno.

Et quod objicitur contra, solutum est per ante dicta : quia jam per aliquem modum confortata est bona conscientia.

ARTICULUS XLIII.

An ludi sint peccatum mortale, et qui, et qui non?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, A, § 2, circa medium : « *Cohibeat etiam se a ludis, spectaculis,* etc. »

Secundum hoc enim videtur, quod ludi sint peccatum mortale : et tunc quæratur, de quibus ludis intelligitur?

1. Dicitur enim, I ad Corinth. x, 7, quod ludus est gesticulatio libidinosa in choreis, ubi dicitur : *Neque idololatræ efficiamini, sicut quidam ex ipsis, quemadmodum scriptum est : Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere.* Et secundum hoc videtur, quod choreæ sint mortale peccatum.

Adhuc, Videtur hoc per rationes quatuor quarum prima est ista : quia in tali ludo ostenduntur gesticulationes impudicæ : sed signa impudicitiæ peccata mortalia sunt, quia in illis est concupiscentia progressiva : ergo talis ludus est peccatum mortale.

2. Secunda est : quia primo coram idolo legitur fuisse facta chorea[1] : et constat, quod idololatria non invenit hoc nisi ut magis moverentur homines ad libidinem : ergo videtur, quod sit mortale peccatum.

3. Tertia est, quia, Isa. iii, 16 et 17, Dominus specialiter huic ludo comminatus est dicens : *Pro eo quod elevatæ sunt filiæ Sion, et ambulaverunt extento collo, et nutibus oculorum ibant, et plaudebant, ambulabant pedibus suis, et composito gradu incedebant : decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, et Dominus crinem earum nudabit.* Hæc autem omnia fiunt in choreis et tripudiis. Ergo videtur, quod sit mortale peccatum.

4. Quarta ratio sumitur de verbo Apostoli, I ad Thessal. v,22, quod dicit : *Ab omni specie mala abstinete vos.* Constat autem omnibus, quod est species mali, qua libidinosi suas concupiscentias sibi invicem produnt : et hoc præcipue fit in choreis.

Ulterius quæritur, Utrum spectacula dicantur venationes, et citharæ, et hujusmodi? Qu

Et hoc videtur : quia

1. Ad Roman. xiii, 10, super illud : *Plenitudo ergo legis est dilectio :* dicit Augustinus in Glossa, quod in « spectaculis hominum aliud venator est, et aliud cithara : » ergo videtur, quod faciens pœnitentiam, etiam ab hujusmodi debet abstinere, ut dicitur in *Littera.*

2. Adhuc, Illa vana dicuntur et otiosa, quæ non fiunt ratione justæ necessitatis, aut intentione piæ utilitatis : omnes autem ludi hominum et spectacula sunt hujusmodi : ergo sunt vana et otiosa : sed de talibus reddetur ratio in die judicii, sicut dicitur, Matth. xii, 36 : ergo talia sunt peccata : ergo pœnitens debet abstinere ab istis : hoc autem multo plus videtur esse de scacis et aleis in quibus nulla est bonitas vel utilitas.

3. Item, Prius in *Littera* habitum est, quod etiam a licitis temperare se debet pœnitens, ut facilius inveniat gratiam : ergo multo magis a superfluis : constat autem, quod ludi et spectacula superflua sunt : igitur debet abstinere ab illis.

[1] Cf. Exod. xxxii, 6.

4. Item, Quæcumque proximum ad vanitatem pertrahunt, vitari debent : sed talia pertrahunt ad vanitatem : ergo caveri debent.

Contra. Sed contra :

1. Exod. xv, 20 et 21 : *Sumpsit ergo Maria prophetissa, soror Aaron, tympanum in manu sua : egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis et choris, quibus præcinebat*, scilicet choreas ducendo : et in hoc meruit : ergo actus ille secundum se non est malus.

2. Adhuc, In Psalmo lxvii, 26 et 28 : *In medio juvencularum tympanistriarum,... ibi Benjamin adolescentulus*, etc. Et constat, quod ipse secundum *Litteram* loquitur ibi de choreis, et non reprehendit talia signa gaudii.

3. Adhuc, Jerem. xxxi, 4 : *Adhuc ornaberis tympanis tuis, et egredieris in choro ludentium*. Et constat, quod ibi secundum litteram Dominus promittit revertentibus de Chaldæa hujusmodi signa gaudiorum. Ergo non sunt mala secundum se : ergo a talibus non oportet temperare pœnitentem.

Solutio. Responsio. Dicendum, quod choreæ et hujusmodi ludi, sive fiant cantu, sive instrumentis musicis, secundum se non sunt mali, sicut ultimo per auctoritates probatum est : sed triplici de causa possunt fieri mali ex circumstantiis : quarum una est et præcipua, mala intentio, ut quando fiunt ad ostendendam vel provocandam libidinem, sicut fere omnes modo exercent : et ideo etiam Ecclesiasticæ personæ talia deposuerunt, quia etiam in signis gaudii non est communicandum cum peccatoribus. Alia causa est, quando non fiunt suo tempore, ut tempore tristitiæ : quia sicut dicitur, Eccli. xxii, 6 : *Musica in luctu, importuna narratio :* et hoc modo interdicitur pœnitenti ne sit in ludis : quia dum pœnitet, tempus est flendi, non tempus ridendi et vacandi spectaculis. Tertia causa est ex officio personæ sumpta, sicut clericis interdicitur venatio et alii ludi : quia in sortem Domini electi, aliis exercitiis debent occupari.

Quod ergo primo objicitur de choreis, dicendum quod secundum se chorea non est mala : sed fit mala per circumstantias tales, ut dictum est. Ad 1.

Ad aliud dicendum, quod chorea etiam ante fuit, et forte sapius, et ad minus, Exod. xv, 20, exercita a Maria, sorore Moysi, et aliis mulieribus in signum gaudii, aut victoriæ de cœlo datæ super inimicos. Ad 2.

Ad aliud dicendum, quod Isaias loquitur de his qui signum gaudii vertunt in gesticulationes meretricum : et bene dicitur, quod illis est peccatum. Ad 3.

Ad aliud dicendum, quod hoc intelligitur de specie mali, quod secundum se malum est, et non de his quæ ex circumstantia mala fieri possunt, et etiam bona ex aliis circumstantiis. Ad 4.

Puto autem, quod quinque concurrentibus ad choream, non sit reprehensibilis. Primum scilicet, quod sit in debito tempore gaudii, sicut in nuptiis, vel tempore victoriæ, vel liberationis hominis vel patriæ, vel in adventu amici de terra longinqua. Secundum est, quod sit cum honestis, de quibus non oriatur præsumptio mali, non cum leccatoribus et leccatricibus. Tertium est, quod fiat a personis sæcularibus : quia monialibus, monachis, et clericis, propter hoc quod in aliis occupari debent, omnem choream puto illicitam esse. Quartum est, quod honesto modo fiat, non gesticulationibus nimis inordinatis vel inhonestis. Quintum est, quod cantus excitans in talibus et musica, non sint de illicitis, sed de moribus. De melodia autem non est curandum, ut puto, quia in talibus puto quod necesse est fieri melodiam levem, quæ aliqualiter exprimat modum choreizandi.

Ad id quod ulterius quæritur de aliis spectaculis, videtur sub distinctione esse respondendum : aut enim annexam habent utilitatem, aut tantum sunt inventa ad Ad quæst.

tædium removendum in solatium morositatis hujus vitæ. Si primo modo : aut exercentur a personis sæcularibus, aut spiritualibus. Si a personis sæcularibus quocumque modo fiant tempore et loco non interdicto : puto quod tolerandæ sint, sicut venationes, et aucupia, et hujusmodi. Si autem a personis spiritualibus exercentur, distinguendum est : cum enim in spectaculo sit et utilitas et vanitas, aut ad opus movet utilitas, et vanitas non est ibi nisi miscens se : et tunc in casu conceditur religiosis venatio et clericis, in casu scilicet si reditus eorum sint in talibus, et inde necessaria habeant, sic quod in terris silvosis sint, ut reditus quorumdam monasteriorum in ferinis et aucupiis et hujusmodi. Aut ita est quod movet vanitas : et tunc puto esse peccatum grave viris spiritualibus et maxime religiosis : quia nimis distrahunt animum, et quasi avertunt ne revertantur ad studium spirituale. In ludis autem troci, asticularum, scaci, et aleæ, non nocivis, credo quod non sunt peccatum : quia talia non fiunt nisi ad removendum tædium, et non nimis avertunt animum a studio spirituali.

Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICULUS XLIV.

An digni fructus virtutum dicantur digni fructus pœnitentiæ ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, A, § 2, sub finem : « *Sunt enim digni fructus virtutum, qui non sufficiunt pœnitentibus*, etc. »

Videtur enim hoc esse falsum : quia

1. Etiam pœnitentia quædam virtus est, ut supra habitum est : ergo fructus pœnitentiæ sunt fructus virtutum : ergo et digni fructus pœnitentiæ sunt digni fructus virtutum : si enim aliquid sequitur ad aliud, si idem additur utrobique, adhuc sequitur ad illud.

2. Item, Circa difficile et bonum, ut dicit Philosophus, est virtus : sed circa talia etiam est pœnitentia, nec potest se extendere ultra illa : ergo non potest se extendere ultra opus virtutis : ergo idem sunt virtutum fructus et pœnitentiæ.

3. Item, Nihil injungitur secundum legem, nisi opus virtutis : sed id quod injungitur, est fructus pœnitentiæ, quando ponitur in opere : ergo virtutis opus est fructus pœnitentiæ : et idem est fructus virtutis : ergo idem est fructus virtutis et pœnitentiæ.

Respondeo ad hoc, quod non idem sunt fructus pœnitentiæ et virtutis : quia virtus est in omnibus bonis, et non pœnitentia. Sol.

Ad primum ergo dicendum, quod pœnitentia est in multiplici genere, ut supra dictum est, et hic accipitur prout est in genere sacramenti habens tres partes, scilicet contritionem, confessionem, et satisfactionem. Hæc enim tria non exiguntur ab omni habente virtutes, sed tantum a pœnitente. Ad I

Ad aliud dicendum, quod difficili est difficilius : virtus autem est circa difficile in actu, sed pœnitentia est circa difficile excellens, non potentiam facientis, sed medium virtutis secundum communem modum observandi : quia de licitis temperat se pœnitens, et de necessariis dat, et hujusmodi, quod non exigitur ab habente virtutem simpliciter. Ad II

Ad aliud dicendum, quod secundum legem injungitur plus quam exigat modus virtutis, licet semper reducatur ad aliquam virtutem moventem ad actum illum. Et hoc contingit propter spiritualem modum pœnitentis, qui tenetur ad plus quam communiter ab omnibus exigatur secundum virtutem viventibus : et ita intelligitur id quod dicitur in *Littera* : non enim est inconveniens, quod eadem virtus specie, diversimode moveat se- Ad III

cundum diversum statum hominis quem movet, ut justitia aliter movet lædentem ad satisfaciendum, et aliter in communi quemlibet ad opera justitiæ.

B. *Quæ sit falsa satisfactio ?*

Et sicut sunt digni fructus pœnitentiæ, ac vera satisfactio : ita et indigni fructus, et falsa satisfactio, id est, falsa pœnitentia. Unde Gregorius [1] : Falsas pœnitentias dicimus, quæ non secundum auctoritates Sanctorum pro qualitate criminum imponuntur. Ideoque miles, vel negotiator, vel alicui officio deditus, quod sine peccato exerceri [2] non possit, si culpis gravioribus irretitus ad pœnitentiam venerit, vel qui bona alterius injuste detinet, vel qui odium in corde gerit : recognoscat se veram pœnitentiam non posse peragere, nisi negotium relinquat, vel officium deserat, et odium ex corde dimittat, et bona quæ injuste abstulit, restituat. Ne tamen desperet, interim quidquid boni facere potest, hortamur ut faciat, ut Deus cor ejus illustret ad pœnitentiam.

Cum sit pœnitentia interior et exterior, de utraque per præmissa satis apparet quæ sit vera, et quæ sit falsa.

ARTICULUS XLV.

An pœnitentiæ quæ non imponuntur pro qualitate criminum secundum auctoritates canonum, debeant dici falsæ pœnitentiæ ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit Gregorius, ibi, B, post initium : « *Falsas pœnitentias dicimus, quæ non secundum auctoritates canonum* [3] *pro qualitate criminum imponuntur*, etc. »

Videtur enim hoc esse falsum : quia

1. Canon dicit simpliciter fornicationem esse septenni jejunio puniendam [4]. Ergo secundum hoc qui mille vel centies est fornicatus, per totam vitam non posset satisfacere : et hoc traheret hominem ad desperationem : ergo falsum videtur quod dicitur in *Littera*.

2. Adhuc, Pœnitentiæ sunt ad arbitrium sacerdotis. Ergo videtur, quod possunt esse minores quant exigat qualitas criminum.

Ad hoc autem dicendum, quod *Littera* ista non intendit, quod nihil injungatur alicui pœnitenti, nisi quod dicit canon et Solutio.

[1] Cf. de pœnit. Dist. V, cap. *Falsas* (Nota edit. Lugd)

[2] Edit. J. Alleaume, *exercere*.

[3] Littera habet, *Sanctorum*.

[4] Cau. 33, q. 2, c. *Hoc ipsum*

quod exigit qualitas criminum : sed potius dicit, quod canon sit regula injungendi pœnitentiam : sed tamen proportio hujus regulæ ad hunc pœnitentem et illum est secundum arbitrium discreti sacerdotis. Sicut enim auctores dant regulas medicinæ, sed tamen illas moderari competit discreto medico, ita est in præmissis institutis a canone.

Ad 1. QUOD ERGO primo objicitur, solvendum est, quod canon non trahit proportionem adaptationis isti vel illi, sed tantum exemplar regulæ in universali : et hoc non potuit fieri per omnem facultatem et statum pœnitentium : quia ille est secundum particularia quæ infinita sunt : et ideo canon nullum cogit desperare.

Ad 2. AD ALIUD dicendum, quod in arbitrio sacerdotis est proportio pœnitentiæ, ut dictum est.

ARTICULUS XLVI.

An militia, negotiatio publica, vectigalia, et pedagia, sint licita vel illicita?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, B, post initium : « *Ideoque miles, vel negotiator*, etc. »

Et quæritur, Si ista quæ hic tangit, sint negotia illicita?

Videtur quod non : quia

1. Luc. III, 14, Joannes Baptista non interdicit militiam, sed tantum præcipit, quod contenti sint stipendiis suis : ergo videtur, quod militia secundum se non sit illicita.

2. Item, Glossa super illud : *Contenti estote stipendiis vestris*, ita dicit : « Justo moderamine prohibet ne ab eis calumniando prædam exquirant, quibus militando prodesse debuerunt : docens idcirco stipendia constituta militiæ, ne dum sumptus quæritur, prædo grassetur. » Ex hoc idem accipitur, quod militia secundum se non est illicita, sed abusus prædæ qui fit circa illam.

3. Item, Nihil ordinatum ad conservationem civilitatis et reipublicæ, est peccatum : militia potissimum ad conservationem horum duorum ordinatur : ergo non est peccatum. PRIMA patet per se. SECUNDA scribitur in ethicis.

ULTERIUS quæritur de negotiatoribus. Queat.] Videtur enim falsum quod dicit : quia

1. Genes. XLIX, 13, dicitur : *Zabulon in littore maris habitabit, et in statione navium pertingens usque ad Sidonem.* Et secundum litteralem expositionem bene dicitur terra Zabulon a quæstu negotiationum per mare : ergo non sunt illicitæ.

2. Item, Proverb. XXXI, 14, dicitur de forti muliere : *Facta est quasi navis institoris, de longe portans panem suum.* Ubi secundum litteralem sensum idem arguitur.

3. Adhuc, Negotiationes utiles sunt toti terræ, asportando abundantiam in terra aliqua, et reportando deficientia : nihil autem utilitati communitatis deserviens, est peccatum : ergo negotiationes tales non sunt peccatum : non ergo generaliter dicere debuit de negotiatione, quod esset peccatum.

4. Adhuc, Nihil eorum sine quibus dissolvitur civilitas, et cum quibus optime conservatur, est peccatum : sed negotiatio est aliquid tale : ergo ipsa non est peccatum. PRIMA patet ex hoc quod omnis moralitatis laudabile studium est circa conservantia civilitatem. Secunda autem accipitur ex libro V *Ethicorum*, ubi loquitur de justitia commutativa, propter quam etiam ministeria dicit esse inventa : quia tota est in commutationibus negotiationum.

5. Adhuc, Nullo modo potest esse peccatum, quod jus commune judicat esse justum : sed in multis negotiationibus jus commune judicat contractum

esse justum : ergo nullo modo est peccatum : non ergo generaliter negotiatio est peccatum.

Ad contra. Sed contra hoc objicitur per illud Ecclesiastici, XXVI, 28 : *Difficile exuitur negotians a negligentia : et non justificabitur caupo a peccatis labiorum :* ergo qui negotiatur, committit se discrimini difficulter evadendi peccatum : sed nullus debet se committere discrimini : ergo nullus debet negotiari.

Quæst. 2. Ulterius quæritur hic de publicanis, qui

1. Sicut dicitur in Glossa super illud : *Venerunt autem et publicani* [1], dicit sic : « Publicani sunt qui vectigalia exigunt, sive qui conductores sunt vectigalium fisci et rerum publicarum : nec non et hi qui hujus sæculi lucra per negotia sectantur : quos pariter unumquemque in suo gradu ab agenda injuria coercet : ut dum primo ab alienorum se temperant appetitu, tandem ad propria cum proximis communicanda pertingant. » Ex hac Glossa accipitur, quod etiam vectigalia justa et telonea possunt accipi : et publicani qui præsunt talibus, non sunt ab actu, sed ab injustitia restringendi.

2. Adhuc, Videtur etiam hoc per rationem : Pedagia enim et telonea et vectigalia principi solvuntur, ut terra defendatur in pace : ut liceat habitatoribus per eam discurrere, et proprias utilitates procurare : sed juste potest hoc princeps accipere : quia in talibus agit negotiationem omnium in labore et expensis : ergo et illi debent dare : ergo ex neutra parte peccatum est : sed publicani sunt tantum ministri ejus dationis et acceptionis : ergo ipsi dant operam rei licitæ : ergo non peccant.

Sed contra. Sed contra hoc objicitur per Gregorium super illud Joannis, XXI, 3 : *Vado piscari* : qui in quadam homilia quærit, quare licuit Petro ad piscationem redire post conversionem, et non Matthæo ad telonium : et solvit, sic dicens : « Sunt pleraque negotia quæ sine peccatis exerceri vix aut nullatenus possunt : quæ ergo ad aliquod peccatum implicant, ad hæc necesse est ut post conversionem animus non recurrat. » Ergo cum de telonio ibi agatur, videtur quod telonea et vectigalia aliquod peccatum implicent : ergo sunt illicita.

Solutio. Solutio. Dicendum, quod militia secundum quod militia, secundum se non est illicita, sed abusus qui licet multiplex sit, tamen in tribus præcipue est, scilicet, in concussionne innocentium, et exactione salarii amplioris quod deserviri possit militando, et in exercitiis ad ostentationem virium cum nocumento hominum et rerum, sicut inventa sunt torneamenta, et ictus lancearum, et hujusmodi. Sunt tamen quædam exercitia militia militiæ necessaria : sicut cursiones et versiones dextrariorum, et ars percutiendi et defendendi et projiciendi tela, quæ non prohibentur. Et hoc accipitur ex libro II Regum, passim, ubi David præcepit populo, quod filios suos docerent arcum, id est, artem sagittandi.

Quod autem Magister dicit in *Littera*, dictum est ideo, quia secundum usum consuetum difficulter exercetur sine peccato. Et per hoc peccatum solutio ad omnia illa quæ objecta sunt de militia.

Ad quæst. 1 Ad ea autem quæ objecta sunt de negotiatione, dicendum secundum quamdam Glossam quæ est super illud Ecclesiastici, XXVI, 28 : *Difficile exuitur negotians a negligentia*, etc., quæ dicit sic : « Actus pessimus, non res honesta damnatur, qui per immoderatam ambitionem mentem suam onerat plus perjurio quam pretio. » Ex hoc accipitur, quod licitæ negotiationes non sunt prohibitæ.

[1] Luc. III, 12.

Efficiuntur autem illicitæ pluribus modis : sed temporibus modernis tria esse præcipua videntur quæ faciunt negotiationem esse illicitam, scilicet persona, tempus, et modus.

Persona sicut est persona divinis officiis consecrata, ut clericus, et monachus : quia isti emere et vendere non debent, sed suas res sibi datas ex fructibus annualibus sibi provenientes vendere possunt : et tamen non credo, quod illas malo modo vendere debeant, sicut vinum venditur in taberna, nisi alias simul vendere non possent. Et hujus ratio est, quia in taberna conciliabula fiunt malorum, et immoderata consumptio vini : cujus patrocinium præstat tabernarius : et ideo non licet, ut mihi videtur, religioso vel clerico hujusmodi exercere officium.

Tempus autem facit illicitam negotiationem dupliciter, scilicet ratione feriæ, scilicet quando feria est, et in casu quando negotiatio caristiam inducere probabiliter potest, sicut si nimium frumentum ematur in novo, vel nimium vinum in vindemia, ut quando apud alios non habetur, iste vendat quantum voluerit.

Modus autem circa contractum est, sicut si vitiosus est contractus, scilicet cum deceptione et fraude pretii. Justum autem pretium est, quod secundum æstimationem fori illius temporis potest valere res vendita.

Et per hoc patet solutio ad omnia quæ quæsita sunt de negotiatione.

Per hoc etiam patet solutio dubii casus : sicut si aliquis fraudat aliquem re sua, cum plus in foro communi valet, sive sit frumentum, sive vinum, sive aliud : et vult ei restituere eamdem numero vel specie, quando minus valet secundum forum commune : patet enim, quod non satisfecit, nisi lucrum temporis in quo plus valuit, apponat : quia damnificat eum in tanto, scilicet in majori pretio quod tunc pro re illa poterat haberi secundum forum commune.

Ad id quod quæritur de publicanis et vectigalibus et pedagiis, sine præjudicio videtur dicendum, quod quatuor exiguntur ad hoc quod talia lucra justa sint. Unum est, quod de consensu eorum quorum regere terram interest, et ex consensu principis ponantur. Secundum, quod non nisi causa necessitatis vel utilitatis communis ponantur, scilicet quia sine talibus expensis terra pacificari non potest. Tertium est, quod defensio terræ ab accipientibus impendatur. Quartum est, quod non sint immoderata, sed ad æstimationem expensarum et operæ quæ impenduntur a defendentibus terram : et sic loquitur Glossa super Lucam, quæ innuit talia licere. Et hoc est quod dicitur, ad Roman. XIII, 7 : *Reddite omnibus debita : cui tributum, tributum : cui vectigat, vectigal : cui honorem, honorem.* Ad quæs.

Ad id autem quod beatus Gregorius dicit in contrarium, dicendum quod ipse non dicit, quod non possint exerceri sine peccato, sed vix aut nullatenus : vix enim possunt exerceri nisi juste ponantur : et hoc propter ministros qui cogunt invite dantes : et ideo difficile est ut debitum non excedant in exigendo. Nullatenus autem fieri possunt, ubi quatuor prædicta non observantur. Ad object.

Et per hoc patet solutio ad totum.

C. *De tribus actionibus pœnitentiæ.*

Prædictis vero adjiciendum est, quod tribus modis agitur pœnitentia, ante baptismum, scilicet de prioribus peccatis : post baptismum, de gravioribus quæ post committuntur. Est etiam pœnitentia venialium quotidiana : quæ etiam humilium est, et perfectorum. Unde Augustinus [1] : Tres sunt actiones pœnitentiæ, quas mecum eruditio vestra recognoscit. Una est quæ novum hominem parturit, donec per baptismum omnium præteritorum ablutio fiat peccatorum : quia nullus suæ voluntatis arbiter, nisi pœniteat eum veteris vitæ, novam inchoare potest : a qua parvuli sunt immunes cum baptizantur, quia nondum possunt uti libero arbitrio : quibus tamen ad remissionem originalis peccati prodest eorum fides, a quibus offeruntur. Altera est actio pœnitentiæ post baptimum, quæ fit pro illis peccatis quæ legis decalogus continet [2]. Agunt ergo homines pœnitentiam ante baptismum de peccatis prioribus, ita tamen ut etiam baptizentur : sicut Petrus ait, *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi*, etc. [3]. Agunt etiam pœnitentiam, si post baptismum ita peccaverunt, ut excommunicati [4] reconciliari postea mereantur. Est etiam pœnitentia bonorum et humilium fidelium pœna quotidiana, in qua pectora tundimus dicentes : *Dimitte nobis debita nostra*, etc. [5]. Nequè ea nobis dimitti volumus, quæ dimissa nobis in baptismo non dubitamus : sed illa quæ humanæ fragilitati, quamvis parva, tamen crebra subrepunt, quæ si collecta contra nos fuerint, ita nos gravabunt et oppriment, sicut unum aliquod grande peccatum. Quid enim interest ad naufragium, an uno grandi fluctu navis operiatur et obruatur, an paulatim subrepens aqua in sentinam per negligentium culpam impleat navem, et submergatur? Ideo jejunio et eleemosynæ et orationibus invigilent [6] : in quibus cum dicimus, *Dimitte nobis debita nostra*, etc. [7], manifestamus nos habere quod nobis dimittatur : et in [8] his verbis humiliantes animas nostras, quotidianam agere pœnitentiam non cessamus.

[1] S. Augustinus, Homil. de utilitate et necessitate pœnitentiæ, quæ est quinquagesima : et, Lib. de Medicina pœnitentiæ, cap. 2 (Nota edit. Lugd.)

[2] Exod. xx, 1 et seq.

[3] Act. ii, 38.

[4] Edit J. Alleaume habet, *Ut excommunicari et reconciliari postea mereantur.*

[5] Matth. vi, 12.

[6] Habet editio J. Alleaume sic : *Ideo jejunium, et eleemosynæ, et orationes invigilent.*

[7] Matth. vi, 12.

[8] In edit. Joan. Alleaume deest *in*.

D. *De satisfactione venialium.*

Quæ autem pro venialibus sit satisfactio sufficiens, Augustinus insinuat, ita inquiens in *Enchiridion* : De quotidianis et brevibus levibusque peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit. Eorum enim est dicere, *Pater noster, qui es in cœlis*, etc. Delet omnino hæc oratio minima et quotidiana peccata. Delet et illa a quibus vita fidelium etiam scelerate gesta, sed pœnitendo in melius commutata discedit. Sicut veraciter dicitur, *Dimitte nobis debita nostra* : ita et veraciter dicatur, *Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* [1], id est, sic fiat quod dicitur : quia et ipsa eleemosyna est veniam petentibus omnino ignoscere [2]. Ex his aliisque præmissis jam facile est intelligere, quæ pro venialibus sit exhibenda satisfactio. Sufficit enim Dominica oratio cum jejunio et eleemosynis : sic tamen, ut præcedat contritio aliquantula, et addatur confessio, si adsit facultas : de qua confessione post tractabitur. Pro gravioribus vero peccatis hæc etiam in satisfactione adhibenda sunt, sed multo vehementius atque districtius : quia, ut ait Augustinus [3], ad agendam pœnitentiam non sufficit mores in melius commutare, et a malis factis recedere, nisi de his quæ facta sunt satisfaciat Domino per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis.

ARTICULUS XLVII.

An bene dividatur pœnitentia a Magistro ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit in secunda parte hujus distinctionis, ibi, C, « *Prædictis vero adjiciendum est, quod tribus modis agitur pœnitentia,* etc. »

Et quæruntur hic duo, scilicet de divisione pœnitentiæ quam hic ponit, et de pœnitentia ante baptismum.

Ad primum potest sic objici :

1. Commune quod secundum unam rationem manet in omnibus dividentibus, ita quod dividentia nullam formam addant super ipsum, non dividitur nisi per materiam et accidens : sed pœnitentia

[1] Matth. vi, 12.
[2] S. Augustinus, In Enchiridion, cap. 71.
[3] Idem, Lib. de Medicina pœnitentiæ, cap. 5.

ante baptismum et post baptimum penitus est ejusdem rationis : ergo non dividitur nisi per materiam et accidens.

2. Item, *Ante* et *post baptismum* non dicunt nisi differentiam temporis : sed per temporis differentias non dividitur secundum formam et speciem : ergo pœnitentia per hoc quod est ante vel post, non dividitur secundum speciem.

3. Adhuc, Homo qui fuit in præterito, et qui est, et qui erit in futuro, non dividitur in specie : ergo nec pœnitentia ex talibus temporis differentiis.

4. Et si dicas, quod isti sunt modi pœnitentiæ, et non species, ut videtur *Littera* dicere. CONTRA : Modus ille aut est essentialis, aut accidentalis. Si essentialis : ergo fundatur super aliquam diversam essentiam : non autem fundatur super diversam essentiam generis : ergo fundatur super diversam essentiam speciei, et tunc redit primum. Si autem est accidentalis. CONTRA : Modi accidentales rei uniuscujusque multi sunt : ergo non debent esse tres tantum, sed multi, et quasi infiniti.

5 Adhuc, Priora peccata sunt gravia et levia : ergo videtur, quod primus modus sit tanti ambitus, quanti alii duo : et sic videtur, quod divisio sit nulla.

6. Adhuc, Pœnitentia venialium non videtur esse ejudem rationis cum pœnitentia gravium et in genere : quia nec confessio nec satisfactio taxata exigitur de illis : ergo videtur, quod male dividat : quia ponit dividentia, quæ sub eodem communi univoce non continentur.

lio. RESPONSIO. Ista divisio est modorum pœnitendi : quia modi sumuntur ex parte objecti pœnitentiæ, circa quod est, scilicet ex parte peccati : et bene concedo, quod aliquid essentiale respondet eis. Et ad hoc intelligendum, sciendum est, quod pœnitentia sumitur hic prout ipsa integratur et constituitur ex contritione, confessione, et satisfactione, sicut in principio hujus distinctionis dictum est : tunc enim alia essentialiter pœnitentia exigitur ante baptimum, quæ facit non invenire obicem Spiritui sancto in suscipiente baptismum : et alia in eo qui peccat post baptismum : quia in suscipiente non exigitur pœnitentia exterior, nisi forte confessio per quam innotescit ministro, quod non sit fictus : sed in alio exigitur. Similiter, alia est pœnitentia in peccato mortali, et alia in venia-li : quia in mortali exigitur confessio cum expressione circumstantiarum aggravantium, et cum satisfactione taxata : quorum nihil requiritur in pœnitentia venialium, sed tantum dolor cum quotidiana satisfactione. Patet ergo, quod pœnitentia si in ratione totius potestativi consideretur, alia est hinc inde. Unde modus iste triplex super hujusmodi potestativum esse pœnitentiæ triplex fundatur.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod si commune secundum rationem potestativæ medicinæ cum suis partibus accipiatur, non erit idem in omnibus dividentibus, sed in uno unde abundabit ab alio. Ad 1.

AD ALIUD dicendum, quod *ante* et *post baptismum*, hic non solum dicunt differentias temporis, sed etiam status pœnitentis pro uno peccato, ex quo intelligitur diversitas pœnitentiæ secundum quod in suis partibus consideratur, ut dictum est. Ad 2.

AD ALIUD dicendum, quod etiam illa objectio procedit ac si *ante* et *post* non differrent nisi temporis successione, et hoc non est verum, sed potius diversum esse pœnitentiæ, secundum quod est de peccato hoc vel illo. Ad 3.

AD ALIUD dicendum, quod modus fundatur super quoddam esse pœnitentiæ, ut in principio solutionis dictum est. Ad 4.

AD ALIUD dicendum, quod verum est, quod primus modus respicit venialia et mortalia : sed tamen ratione status requiritur ad aliud esse pœnitentiæ. Ad 5.

AD ALIUD dicendum, quod non est ejusdem rationis omnino cum pœnitentia mortalium : et ideo dicit esse duos modos de veniali et mortali : tamen pœni- Ad 6.

tentia communis in genere salvatur in pœnitentia venialium, quia est ibi dolor cum aliqua satisfactione.

ARTICULUS XLVIII.

An pœnitentia sit ante baptismum ?

Secundo, Quæritur de pœnitentia ante baptismum, et quæruntur duo, scilicet an pœnitentia sit ante baptismum ?

Et, An illa, et qualiter sit fundamentum ?

Ad primum sic proceditur :

1. Supra [1] habitum est, quod pœnitentia est sacunda tabula post naufragium : sed prima in naufragio ut baptismus : ergo pœnitentia non præcedit baptismum, sed sequitur : et hoc est contra ea quæ dicuntur in *Littera*.

2. Adhuc, Augustinus dicit, quod « baptismus est janua sacramentorum : » sed ante januam non est aliquid de mansione domus : ergo ante baptismum nihil est de mansione in sacramentis : ergo nullus potest manere in pœnitentia, qui non fuerit baptizatus.

3. Adhuc, Sicut se habet morbus ad morbum in ordine, sic cura ad curam, sive medicina ad medicinam : sed morbus contra quem est baptismus, est primus quam traximus ex nativitate ; secundus autem contra quem ordinatur pœnitentia, est quem facimus ex propria voluntate : ergo videtur, quod baptismus sit omnino ante pœnitentiam.

4. Adhuc, Non alium videtur baptismus habere ordinem ad pœnitentiam, quam ad alia sacramenta, secundum ornem præcedentia pœnitentiam et sequentia : sed ad omnia alia sic ordinatur quod nisi baptismus sit susceptus, nihil agitur in aliis : ergo et ad pœnitentiam : ergo nulla est pœnitentia præcedens baptismum, ut videtur.

5. Adhuc, Beatus Dionysius in *Ecclesiastica hierarchia* dicit, quod « non existens nihil agit : » et ibidem dicit, quod « existere datur per baptismum : » ergo non baptizatus nihil agit spiritualium actionum : sed pœnitentia est de spiritualibus actionibus : ergo non baptizatus non pœnitet : sed sic pœnitentia semper sequitur baptismum.

Sed contra est :

1. Dictum in *Littera* Augustini contra Felicianum, et Glossa quæ ponitur de Actibus II, 38.

2. Item, Augustinus in libro LXXXIII *Quæstionum :* « Finitur vetus vita ad pœnitentiam : » sed ubi finitur vetus, incipit nova : ergo nova incipit a pœnitentia : sed illud est primum, ubi incipit vita nova : ergo pœnitentia est primum sacramentorum omnium.

3. Adhuc, Super illud Actuum, II, 38 : *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum* etc., Glossa : « Dicturus de baptismo, præmisit lamenta pœnitentiæ : ut primum se aqua afflictionis perfunderent, et post sacramento baptismi lavarent. » Ex hoc accipitur, quod pœnitentia est ante baptismum secundum ordinem susceptionis sacramentorum.

4. Adhuc, Matth. III, 2, super illud : *Pœnitentiam agite,* Glossa : « Prima virtus est, per pœnitentiam veterem hominem perimere. » Ergo videtur, quod pœnitentia sit primum sacramentum.

5. Adhuc, Secundum processum peccati in mundo prius fuit actuale, quam originale : quia Adam prius peccavit actualiter, ex quo peccato sicut ex causa corrupta est natura, quæ corruptio vitii et passibilitatis est originale a fomite : ergo etiam medicina actualis debet esse ante medicinam originalis : ergo pœnitentia prior est baptismo.

6. Adhuc, Supra in tractatu de *baptis-*

[1] Cf. Supra, Dist. XIII.

mo habitum est [1] quod est baptismus quidam flaminis, et ille est pœnitentiæ : cum igitur baptismus flaminis sit ante baptismum etiam fluminis, sicut ibidem determinatur, videtur quod pœnitentia generaliter sit ante baptismum.

plio. Solutio. Dicendum videtur hic, quod est prius simpliciter, et prius secundum quid et quoad aliquid. Baptismus autem est primum sacramentum simpliciter : sed secundum quid et quoad aliquid est pœnitentia prior secundum quemdam modum quo ipsa est præparatoria ad interiorem actum compunctionis, et non prout est satisfactoria per vim clavium : quia baptismus de se non exigit luctum vel planctum : sed qui intendit baptizari, si constitutus est arbiter suæ voluntatis, exigit compunctionem, ne Spiritus sanctus disciplinæ qui operatur in baptismo, effugiat fictum [2].

ad 1. Et dicendum ad rationes primo inductas : ad primam quidem, quod hoc verum est secundum ordinem diluviorum generalium : quia primum est diluvium originalis, et secundum actualis.

ad 2. Ad aliud dicendum, quod quædam sacramenta sunt, in quibus nihil est nisi divinum, sicut Confirmatio, Eucharistia, et Ordo, et Extrema unctio : et Baptismus est janua, ita quod nihil agitur in illis, nisi primo percipitatur baptismus. Alia sunt in quibus divinitas operatur circa opera nostra et præsupponit aliquid in nobis, sicut Pœnitentia, et Matrimonium : quia dicit Augustinus de Pœnitentia, quod « qui creavit te sine te, non justificabit te fine te : » quia in talibus oportet nos removere obicem Spiritui sancto operanti : et de his quantum ad id quod est ex opere nostro, Baptismus non est janua, sed tantum quantum ad id quod est divinum : sicut est in Pœnitentia, quod sit satisfactoria per claves Ecclesiæ : et Matrimonio, quod sit omnino indissolubile : quia hi qui contrahunt matrimonium non in fide Ecclesiæ, aliquo casu possunt separari : tamen quantum ad id quod est divinum in eis, præcedit baptismus : unde pœnitentia quæ est ante baptismum, non satisfacit per claves : sed per interiorem gratiam disponitur homo ad suscipiendum baptismum, ne fictus inveniatur.

Ad alia patet solutio per prædicta : quia illa necessario concludunt de ordine sacramentorum simpliciter, quantum ad id quod divinum est in eis. Ad 3, 4 et 5.

Ad primum autem quod objicitur in oppositum, dicendum quod hoc dicitur quantum ad separabilitatem peccati, non in omnibus, sed in adultis, in quibus oportet præcedere pœnitentiæ quemdam modum : et eodem modo intelligitur sequens. Ad object. 1, 2 et 3.

Vel posset dici, quod baptismus in proposito pœnitentis sic deletionem peccati operatur, sicut supra in tractatu de *baptismo* notatum est : sed tamen prima responsio melior est.

Ad aliud dicendum, quod licet sit prima virtus in adulto, non tamen est primum in ordine sacramentorum simpliciter, ut dictum est. Ad object. 4.

Ad aliud dicendum, quod non oportet ut secundum ordinem morbi in persona, sit ordo sacramentorum Ecclesiæ : quia licet in una persona actuale præcesserit originale peccatum, ut causa ipsius : tamen in omnibus generaliter radicatur actuale in originali : et sacramenta non dantur personæ, sed Ecclesiæ, et potius filiis Adæ, quam ipsi Adam : et ideo baptismus simpliciter adhuc est prius, licet pœnitentia sit prius secundum aliquid et in aliquo. Ad object. 5.

Ad aliud dicendum, quod hoc fit per accidens : quia baptismus flaminis sufficit, scilicet ubi non est contemptus religionis, sed articulus necessitatis sacramentum excludit : et ideo ex hoc non Ad object. 6.

[1] Cf. Supra, Dist. IV, Art. 6.

[2] Sapient. I, 5 : *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum.*

potest concludi, quod baptismus simpliciter sequatur pœnitentiam, sed secundum quid tantum et in quodam casu : et illa pœnitentia non est tota integritate sua, sed est ibi aliquid pœnitentiæ quod non habet exteriorem satisfactionem : nec etiam interiori indiget, nisi quantum ad hoc quod removeatur fictio, et non quantum ad dimissionem culpæ vel pœnæ : quia ad hoc sufficit baptismus. Unde licet ibi dimittatur culpa, et quædam pars pœnæ, hoc tamen non exigit baptismus, sed fit gratia quæ datur pœnitenti præparanti se ad baptismum.

ARTICULUS XLIX.

An pœnitentia sit fundamentum, et qualiter sit?

Secundo quæritur, Utrum pœnitentia sit fundamentum, et qualiter sit?

Et circa hoc quæruntur quatuor, scilicet an sit fundamentum, et qualiter sit?

Secundo, Quæ sint in illo fundamento?

Tertio, De numero eorum.

Quarto, Quo ordine in fundamento collocentur?

Videtur autem circa primum, quod pœnitentia non sit fundamentum,

1. Per illud Apostoli, I ad Corinth. III, 11 : *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus* : in uno autem ædificio non est nisi unum fundamentum : ergo videtur, quod pœnitentia non sit fundamentum.

2. Adhuc, Ad Hebr. XI, 1 : *Est autem fides sperandarum substantia rerum*, ubi dicit Glossa, id est, fundamentum : et ex hoc sequitur idem quod prius.

3. Adhuc, Fundamentum est quod primo occurrit in ædificio spirituali : sed fides primo occurrit : ergo fides est fundamentum et non pœnitentia. Probatio minoris est quod dicit Apostolus, ad Hebr. XI, 6 : *Credere oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit.*

4. Adhuc, Nihil est fundamentum in ædificio spirituali, cujus esse aliud spirituale præcedit in eodem ædificio : sed esse pœnitentiæ aliud præcedit in spiritualibus : ergo ipsa non est fundamentum. Probatio minoris est id quod supra habitum est [1], ubi dictum est, quod pœnitentiæ virtus timore concipitur : et quia omnia illa quæ primo disputata inveniuntur, qualiter pœnitentia sit prima virtus, valent ad istud, ideo omnia circa hoc sufficiant pro parte una.

In oppositum autem objicitur :

1. Per illud Apostoli, ad Hebr. VI, 1 ; *Non rursum jacientes fundamentum pœnitentiæ :* ubi dicit Glossa, id est, non jacientes pœnitentiam, quasi pro lapide in fundamento : ergo pœnitentia est fundamentum.

2. Adhuc, In illo primo fundatur nova vita, ex quo deficit prius vetus : sed illa, sicut sæpius habitum est, deficit in pœnitentia primo : ergo ibi primo fundatur nova vita : ergo pœnitentia est fundamentum, ut videtur.

Solutio. Dicendum, quod *fundamentum* multipliciter accipitur in sacra Scriptura, scilicet, primum fundans extra, scilicet in Deo : et hoc est immobilitas divinæ electionis : et de hoc dicitur, II ad Timoth. II, 19 : *Sed firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc.* Unde ibidem Glossa : « Isti stant quos Deus elegit, et immobiliter in fide fundavit. » Solut.

Aliter dicitur *fundamentum* in corpore mystico fundans, et non in membro spirituali : et est fundamentum virtutis in-

[1] Cf. Supra, Dist. XIII.

fusæ de cœlo, de quo, Isa. LIV, 11 et 12 : *Fundabo te in sapphiris : et ponam jaspidem propugnacula tua*, ubi dicit Glossa : « Quia per sapphiros qui cœlestem habent colorem, signantur virtutes. »

Tertio, dicitur *fundamentum* fundans membrum singulariter : et hoc multipliciter, scilicet ex parte intellectus, et ex parte affectus. Ex parte autem intellectus dupliciter, scilicet, secundum quod est ex auditu exteriori, vel secundum quod est per lumen intellectus infusum fundatum in veritate credendorum : et primo modo doctrina prædicationis Apostolorum et Apostolicorum virorum dicitur fundamentum : de quo habetur, Apocal. XXI, 19 : *Fundamenta muri civitatis duodecim*, quæ fundamenta sunt doctrinæ duodecim Apostolorum. Intellectus autem fundamentum dicitur fides. Ex parte autem fundationis in affectu est pœnitentia fundamentum, et alia quædam de quibus infra dicetur in sequenti articulo quæstionis.

II. Ad PRIMUM ergo dicendum, quod ibi loquitur de fundatione venientis ad ædificium, non existentis in ædificio ipso : quia fides venienti primo oculos aperit : sed pœnitentia locat eum, et efficit contrarium ab ædificio spirituali.

ad 2. Ad ALIUD dicendum, quod fides est prima, quæ per cognitionem facit in nobis substare speranda : sed tamen ipsa non non est proximum locans ædificium, sed potius pœnitentia locum purgans, et initians fundamenta in bono.

et 4. Ad ALIUD dicendum, quod non oportet quod hoc sit fundamentum : et hoc ideo, quia fides et timor possunt secundum actus informes præcedere fundamenti substantiam : quia fides est sicut causam ædificandi ostendens, et timor sicut fodiens : pœnitentia autem sicut construens totum ædificium per contritionem, confessionem, et satisfactionem, licet timor et fides habitus informati gratia et charitate, sint de fundamento et ædificio.

Et per hoc etiam patet solutio ad sequens.

ARTICULUS L.

Quæ sint in illo fundamento ? et, An pœnitentia quæ est fundamentum, sit virtus vel sacramentum ?

Secundo quæritur, Quæ sint in illo fundamento ?

Dicit autem Glossa super epistolam ad Hebr. VI, 1, quia sex sunt de fundamento isto : et hæc sunt verba Glossæ : « Hoc autem fundamentum dividit in sex, quæ sunt inchoatio, scilicet pœnitentia, fides, baptismi doctrina, et impositio manuum, et resurrectio, et judicium. » De pœnitentia quidem disputatum est quantum sufficit in quæstione præcedenti.

Quæritur autem, De qua pœnitentia intelligitur, quod sit fundamentum : utrum de illa quæ est virtus, aut de illa quæ est sacramentum ?

Videtur autem, quod de illa quæ est virtus : quia

1. Virtus vitio contrariatur : et pœnitentia virtus est quæ perimit veterem hominem : ergo ipsa primo inchoat novum : et hoc est esse fundamentum primum in ædificio : ergo pœnitentia virtus est illa quæ est fundamentum.

2. Adhuc, Pœnitentia virtus est illa quæ movet ad detestationem peccati, sicut supra habitum est : sed hoc primo faciendum est, scilicet motus in destructionem peccati : ergo pœnitentia secundum quod est virtus, primo est fundans pœnitentem in ædificio spirituali.

Sed contra.

SED CONTRA :

1. Super illud Apostoli, ad Hebr. VI, 1 : *Non rursum jacientes fundamentum pœnitentiæ*, dicit Hieronymus : « Quicumque aliquos ad fidem convertit, prius

docet pœnitere, et baptizari in remissionem peccatorum : » sed pœnitentia secundum quod docetur a ministro Ecclesiæ, sacramentum est : ergo pœnitentia secundum quod est sacramentum, est fundamentum.

2. Item, Alia quædam sacramenta ponuntur in fundamento, scilicet baptismus, et confirmatio : ergo et pœnitentia ibi pro sacramento accipitur.

3. Item, Joannes qui pœnitere docuit [1], docuit confiteri et satisfacere. Unde dicitur ibi, quod exibant ad eum *confitentes peccata sua* [2] : et dedit eis consilium, qualiter dignos pœnitentiæ fructus facerent in satisfactione : sed pœnitentia sic in suis partibus considerata est sacramentum : ergo secundum quod est sacramentum, est fundamentum.

Quæst. 1. DEINDE quæritur de secundo, quod est in fundamento, scilicet de fide.

Videtur enim, quod charitas sit magis fundamentum : quia

1. Fundamentum est radix : sed charitas est radix boni : unde Gregorius : « Non habet aliquid viroris ramus boni operis, nisi manserit in radice charitatis : » ergo charitas est fundamentum.

2. Item, Ad Ephes. III, 17 et 18 : *In charitate radicati et fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis*, etc.

3. Adhuc, Timor videtur esse fundamentum : quia *timor est initium sapientiæ*, ut dicitur, Eccli. I, 16. Alia autem quædam ad hoc valentia, supra notata sunt, ubi quæsitum est, qualiter pœnitentia sit prima virtus [3].

Quæst. 2. DEINDE quæritur de doctrina baptismi.

1. Cum enim neophytus non doceatur tantum baptizari, sed multa alia, quare aliorum doctrina non ponitur in fundamento, sicut doctrina baptismatis ?

2. Adhuc, Non est nisi unum baptisma, ut dicit Apostolus, ad Ephes. IV, 5 : *Unus Dominus, una fides, unum baptisma* : ergo inconvenienter dicit, « Baptismatum. »

DEINDE quæritur de quarto, scilicet de impositione manuum quæ fit in Confirmatione.

Videtur autem, quod Eucharistia magis sit fundamentum : quia

1. In ipsa est Dominus sacramentorum, a quo omne sacramentum contrahit suum vigorem : ergo magis fundat quam confirmatio.

2. Adhuc, Sine fundamento non habetur aliquid de ædificio spirituali : sed sine confirmatione habetur aliquid quoad gratiam et gloriam : ergo confirmatio non est fundamentum. PRIMA patet per se. SECUNDA probatur ex hoc quod multi decedentes non confirmati transeunt ad gloriam, sicut multi parvuli et adulti, cum non sit sacramentum necessitatis.

3. Adhuc, Confirmatio ædificiorum magis est in summo per subtilem clausutam testudinis, quam in fundamento : ergo videtur, quod confirmatio magis pertinet ad perfectionem, quam ad fundamentum.

4. Adhuc, Quod fundatur, non est : quod autem confirmatur, est : ergo quod fundatur, non confirmatur : ergo confirmatio non est fundamentum.

DEINDE quæritur de quinto, quod est resurrectio.

Videtur enim, quod hoc superfluat : quia

1. Intelligitur in fide.

2. Ahuc, Cum omnia peccata remittantur in unitate et communione Ecclesiæ, videtur quod pœnitens in quo fundatur nova vita, magis debet moveri credendo articulum illum qui est, « In sanctam Ecclesiam et sanctorum communionem, » quam illum qui est, « Carnis resurre-

[1] Cf. Matth. III, 1 et seq., et Luc. III, 3 et seq.

[2] Matth. III, 6.

[3] Cf. Supra, Dist. XIII.

ctionem: » ergo ille magis debet poni in fundamento, quam iste.

Ultimo quæritur de sexto, qui est in judicio. uæst. 5.

In judicio enim terror est judicis: ergo inclinatio in desperationem: quia secundus adventus terret, et primus mulcet peccatorem ad spem: ergo cum spes magis expediat pœnitenti, quam timor terrens, magis deberet poni in fundamento articuli incarnationis qui est de primo adventu, quam judicii qui est de secundo.

Solutio. Dicendum, quod sicut dicit Glossa in epistolam ad Hebr. vi, 1, illa sex sunt de fundamento religionis Christianæ, quæ fundatur in adveniente ad ipsam: et quædam istorum sunt sicut fundamenta proxima ædificio: et quædam sunt sicut fundamenta prima locantia fundamentum proximum, ut habebitur in articulo sequenti. olutio.

Ad id ergo quod primo de pœnitentia quæritur, dicendum quod secundum statum adulti venientis ad Christianam religionem, pœnitentia sacramentum secundum aliquid sui, scilicet removens fictionem, est de his quæ primo exiguntur: et ideo est de fundamento, sicut et videtur innuere Glossa, et in contrarium objectio facta.

Ad id autem quod in contrarium primo objicitur, dicendum quod verum est quod vitio virtus contrariatur: sed secundum hoc prius est ab infusione quam ex doctrina: pœnitentia enim hic dicitur rudimenta pœnitentiæ, quæ pœnitenti proponuntur: sicut et fides rudimenta fidei, quæ his qui catechizantur, exponuntur, quando sunt neophyti: et hæc rudimenta sunt potius sacramenti quam virtutis. d 1.

Ad aliud dicendum, quod pœnitentia virtus non est fundamentum primum: quia quædam facienda ad fundationem sunt ante omnem virtutem, sicut illa quæ sunt elementa exordii sermonis justitiæ, et illa sunt quæ vocat Apostolus *fundamentum*, sicut dicit Glossa super epistolam ad Hebr. vi, 1. Ad 2.

Ad aliud dicendum, quod omnia illa fere soluta sunt supra [1]. Dicendum tamen, quod charitas non proprie fundat, sed nectit perfectionem, sicut dicitur, I ad Timoth. i, 5 et seq. Ad quæst. 1.

Ad hoc autem quod objicitur de Gregorio, dicendum quod est fundamentum operis meritorii: quia dat formam essendi meritum: sed non est fundamentum Christianæ religionis, quod proponitur assumenti religionem Christianam: et ideo nihil valet illud ad propositum. Ad 1.

Ad aliud dicendum, quod radicari et etiam fundari non contingit in charitate, nisi quantum ad formam operis meritorii: et hoc non est esse fundamentum Christianæ religionis, ut dictum est, nisi per accidens et secundum quid. Ad 2.

Ad aliud dicendum, quod timor secundum suum actum est quasi fodiens foveam per fugam mali in fundamento, sed non sicut disponens lapides, qui sunt ædificii pars, sed potius pœnitentia. Ad 3.

Ad id quod ulterius quæritur, dicendum quod neophytis non proponuntur nisi primo occurrentia necessaria ad inchoationem: et horum unum est baptismus, qui dat esse spirituale baptizato, ut dicit Dionysius: et ideo sicut esse primo exigitur ante operationem in naturalibus, ita et in gratuitis: alia autem non sunt ita primo congruentia. Ad quæst. 2. Ad 1.

Ad aliud dicendum secundum Glossam, quod pluraliter dicit, « *Baptismatum* : » quia est triplex baptisma: et de hoc multa habita sunt in tractatu de *baptismo*, et requirantur ibi [2], quia hæc valent: unum autem baptisma dicitur, quia una est causa substantialis, et unus character, et non iteratur: tamen effe- Ad 2.

[1] Cf. Supra, Dist. XIII.

[2] Cf. Supra, Dist. VI. Art 6.

ctus ejus multipliciter datur, et propter hoc dicitur pluraliter, *Baptismatum*.

Ad quæst. 3. Ad hoc autem quod quæritur de quarto, dicendum videtur, quod Confirmatio in quantum confirmat in pugna, est de ædificio: ædificium enim non tantum salvat, sed etiam munit in pugna.

Ad 1. Ad primum ergo quod contra est, dicendum quod Eucharistia licet dignissimum sit sacramentorum quantum ad rem contentam, non tamen est necessaria ei qui ædificatur in Christiana religione, sicut confirmatio: quia pugna instat Christiano continua: et ideo necesse est, quod Christianus fundetur in illa.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod verum est, quod Confirmatio non est sacramentum necessitatis: sed quia Christiana religio non tantum attendit ea quæ sunt necessitatis, sed etiam ea quæ sunt perfectionis, ideo necesse est quod sustinentia perfectionem ædificii in fundamento ponantur. Pugna autem persecutionis est de perfectione vitæ et religionis Christianæ: et ideo ut super quod ædificetur, præmittitur Confirmatio in fundamento. Unde in primitiva Ecclesia statim confirmabantur postquam erant baptizati.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod alia est confirmatio ædificii jam facti, quia illa fit per consolationem et augmentum gratiæ: et alia est confirmatio quæ est in fundamento, quia illa nihil aliud est quam collatio gratiæ, in qua multa fundari possunt sine timore ruinæ, et hoc modo confirmat confirmatio in qua Spiritus sanctus datur ad robur, et hæc confirmatio est de fundamento.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod sicut dicitur, ad Roman. VI, 4, resurrectio exemplariter ostenditur in justificatione, quæ est in pœnitentia: et ideo etiam justificatio dicitur *resurrectio prima* [1]: et ideo pœnitentem oportet fundari in resurrectione: resurrectio enim gratiæ præostendit resurrectionem gloriæ, et ordinatur ad illam.

Ad id quod contra objicitur, dicendum quod fides non ponitur in numero illorum sex, nisi gratia rudimentorum fidei, præcipue gratia articulorum de Trinitate et unitate, quæ operatur in sacramentis: et ideo etiam illi quæruntur in exorcismis et catechismis: et non ponitur hoc ratione omnium articulorum: et ideo non superfluit iste, et positio istius.

Ad aliud dicendum, quod aliud est justificatio ipsa, et aliud fundamentum ipsius: fundamentum autem est resurrectio, eo quod ipsa non credita subruit totum, et quia exemplariter ostenditur in pœnitentia.

Ad aliud dicendum, quod judicium inducit timorem qui facit pœnitere, ne incidatur in judicium futurum: et ideo est de fundamento.

Ad id autem quod contra objicitur, dicendum quod spes sequitur timorem: quia timor fugit malum, et ideo judicium per timorem fundat primo. Vel dicatur, quod in judicio secundo utrumque intelligitur movens, scilicet et timor ratione suppliciorum quæ ibi infligentur malis, et spes ratione præmiorum quæ ibi dabuntur bonis: et utrumque horum non est in primo adventu, sed alterum tantum: et ideo non fides primi adventus, sed secundi ponitur in fundamento.

ARTICULUS LI.

An idem sit fundamentum rerum sperandaram Christianæ religionis, et præmii æterni.

Tertio, Quæritur de numero eorum quæ sunt in fundamento.

[1] Apocal. XX, 6.

Videtur autem, quod sit unum solum, per illud Apostoli, I ad Corinth. III, 11 : *Fundamentum aliud nemo potest*, etc. Et cum alicujus ædificii corporalis non sint plura fundamenta : ergo nec ædificii spiritualis.

Solutio. Sed quia hæc disputatio tota fere determinata est per articulum præcedentem, dicendum quod *fundamentum* (ut supra dictum est) multipliciter dicitur, scilicet fidei, rerum sperandarum, et Christianæ religionis, et præmii.

De fundamento fidei intelligitur quod dicitur, I ad Corinth. III, 11, quia tota fides est supra Christi deitatem vel humanitatem : secundum deitatem enim est a Patre, et ab ipso Spiritus sanctus, qui mittitur Sanctis et unit Ecclesiam : secundum humanitatem autem ipse est incarnatus, passus, et resurrexit in causam et argumentum nostræ resurrectionis.

Rerum autem sperandarum per quod scilicet res sperandæ subsistunt in nobis, est fides secundum actum suum fundamentum : quia ipsa primo aperit oculos ad sperandas res videndas, et consentit eis quod sint : et per hoc fundat eas in nobis.

Christianæ autem religionis colligitur fundamentum ex sex, quæ in Glossa in epistolam ad Hebr. VI, 1, numerantur : quia Christiana religio incipit ab occulto rationi nostræ, et difficili, et remotione a peccatis : et ideo fundatur, id est, inchoatur a tribus in genere, scilicet a removente et destruente contrarium, et hoc est quasi faciens locum ædificio : et hoc est pœnitentia vel secundum ordinem in difficile bonum quod incipit, vel secundum conservans in illo. Si secundum ordinem, hoc est dupliciter, scilicet ad esse et ad robur in difficili pugna : et quantum ad esse id adhuc contingit dupliciter, scilicet quantum ad gratiam ipsam dantem esse Christianæ religionis, et quoad ordinem qui est in actibus virtutum : et quoad ordinem actuum fundat fides, sed quoad gratiam dantem esse fundat doctrina baptismatum. Ad pugnam in difficili fundat robur gratiæ datum in impositione manuum : sed conservantia sunt spem et timorem inducentia : et hoc contingit præcipue ex judicio futuro, ad quod duo exiguntur, scilicet judicium ex parte judicis, possibilitas præsentationis in judicio ex parte judicandi : et ex parte judicandi spem et timorem inducit resurrectio, et sic fundat : ex parte autem judicis fundat judicium futurum.

Et per hoc patet solutio de omnibus quæ requiruntur hic.

ARTICULUS LII.

An fides præcedat pœnitentiam ?

Quarto, De ordine horum quæritur.

Videtur enim, quod fides præcedat pœnitentiam : quia

1. Ad Hebr. XI, 6, dicitur, quod *credere oportet accedentem ad Deum quia est*, etc. : sed pœnitens jam accessit : ergo ante hunc accessum fides jam fuit : ergo præordinari habet pœnitentiæ in fundamento.

2. Adhuc, Dicit Augustinus, quod fides est prima virtus, et primum est fundamentum : ergo, et cætera.

3. Ulterius, In catechismis instruuntur prius de resurrectione mortuorum et de judicio, quam baptismum suscipiant : ergo videtur, quod in fundamento ordinari debeant ante baptismum : et contrarium dicit Glossa

Adhuc, Quæritur de Dominica oratione, quæ tangitur in Glossa quadam esse de inchoatione Christianæ religionis : quare non ordinatur inter ea quæ sunt de fundamento ? Quæst.

Dicit enim quædam Glossa sic : « De initio fidei est, quo rudes catechizandi

sunt, ut est symbolum fidei, et Dominica oratio. »

Solutio. Responsio. Ad hoc dicendum videtur, quod ista ordinantur in fundamento per modum illum quo explicantur ab eo qui accedit ad Christianam religionem. Unde quia pœnitentia primo removet a contrario, ideo prima ponitur : fides autem distinguit credenda quæ sunt in Christiana religione, et ideo ponitur secunda : et baptismus dat esse affectui præparato per pœnitentiam, et intellectui præparato per fidem : et ideo ponitur tertio. Corroborans autem ipsum esse est quartum : sicut in naturis post esse sequitur perfectio quantitatis, et post ista conservantia. Sed quia resurrectio facit timere vel amare judicium : quia si non resurgat, non timebit nec amabit : quia nec bonum nec malum ibi recipiet : si autem resurgat, timebit vel amabit : ideo resurrectio ponitur ante judicium.

Ad 1. Ad hoc autem quod primo de fide objicitur, dicendum quod duplex est fides, scilicet indistincta : et hoc modo quoad quemdam actum confusæ cognitionis Dei et peccati præcedit pœnitentiam. Est autem fides distincte assentiens credito articulo, et hæc non est nisi jam data gratia per pœnitentiam, et talis est illa in qua fundatur Christiana religio : et ideo catechumenis articuli fidei explicantur.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod fides est prima virtus et in intellectu, et quoad actum confusæ cognitionis, et non distinctæ : sed distincte assentiens, sequitur destructionem peccati per pœnitentiam.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod resurrectio et judicium ut credita, supponuntur in fide, ut alii articuli symboli fidei, ut dicit Glossa in hoc eodem quæstionis articulo inducta : sed ut conservantia in Christiana religione sequuntur quasi jugiter memorata, sic ordinantur in fundamento.

Ad quæst. Ad aliud dicendum, quod Dominica oratio non est essentialiter de fundamento, licet sit aliquo modo de inchoatione : quia ante essentiam Christianæ religionis aliquis orare potest : sed a Glossa illa ponitur de inchoatione extra, et est sic impetrans fundamentum Christianæ religionis.

Et hæc de modis pœnitentiæ dicta sufficiant.

ARTICULUS LIII.

An omne peccatum exprimatur in decalogo ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, C, sub medio : « *Altera est actio pœnitentiæ post baptismum*, etc. »

Videtur enim ex hoc, quod omne peccatum contineatur in decalogo, quod falsum videtur

1. De superbia, hypocrisi, inani gloria, invidia, et multis aliis, si ad specialia descendatur : cum ergo de his sit pœnitentia, non videtur esse de his tantum quæ legis decalogus continet.

2. Adhuc, Mala voluntas in decalogo prohibita, non est nisi quantum ad peccatum avaritiæ, cum malum verbum ibi prohibitum, non est nisi ratione perjurii et mendacii : cum ergo multis aliis modis fiat peccatum, et corde, et ore, et de omni peccato concedatur venia per pœnitentiam, videtur Augustinus imperfecte distinguere modum pœnitentiæ qui est post baptismum.

Si forte tu dicas, quod sicut in prædicamento aliquid dupliciter est, scilicet ut directe contentum in eo, sicut genus subalternum, vel species, vel individuum : aliquid autem sicut reductum ad ipsum ut primum genus, sicut dicimus materiam et formam esse in genere substantiæ, et punctum et unitatem et nunc in quantitate : ita dupliciter aliquid est pro-

hibitum in decalogo, scilicet ut directe prohibitum, et ut reductum ad prohibitum secundum rationem causæ vel causati. CONTRA: Quando reducitur aliquid ad prædicamentum, non sufficit quod sit qualitercumque primum, sed oportet quod sit primum a quo fluit essentia prædicamenti: ergo similiter erit in præceptis: sed a nullo peccato essentialiter fluit aliud: ergo nullum peccatum ita habet reduci ad prohibitionem alterius peccati.

3. Adhuc, Non sunt tantum prohibitiva præcepta, sed potius affirmativa sunt quædam: ergo secundum hanc solutionem oportet omne bonum quod faciendum est, reduci ad honorem parentum vel conservationem sabbati, sicut principium vel principiatum: et hoc qualiter sit, difficile est etiam fingere volentibus.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quod omne peccatum mortale et veniale prohiberi intelligitur in decalogo, et fieri præcipitur ibi omne bonum faciendum, id est, quod ita faciendum est, quod nisi fiat, non salvabitur omittens. Peccatum autem intelligitur in genere prohiberi dupliciter, scilicet directe, aut indirecte. Directe quidem prohibentur omnia mortalia, et indirecte venialia. Mortalia autem prohibentur tripliciter, scilicet expresse, vel quia sunt causæ scilicet expresse prohibitorum, vel quia sunt effectus eorum. Expresse iterum dupliciter, scilicet ipso nomine et ambitu communitatis ipsius nominis: expresse, sicut sub mœchia prohibetur adulterium: quia cum elargatur, nomine *mœchiæ* sub ambitu nominis prohibetur omnis illicitus coitus, et quælibet illicita effusio seminis: et sic prohibetur fornicatio, defloratio, raptus, incestus, sodomia, et vitium pathicorum. Ut causa autem, gula, et ebrietas, et omnia quæ excitant concupiscentiam carnis ad illicitum. Ut effectus autem, scurrilitas, immunditiæ, choreæ illicitæ, et omnia hujusmodi: et sic planum est etiam intelligere de aliis. In affirmativis autem similiter est: necesse est enim ut nomine *parentis* elargato intelligatur proximus, et proximus est (ut dicit Augustinus) qui nobiscum est ad æterna gaudia possidenda creatus: et nomine honoris intelligitur reverentia debita et subventio, tam in spiritualibus, quam in temporalibus. Sunt autem quædam ut inducentia ad hoc per modum causæ, ut amor sive dilectio proximi: et quidam effectus, ut congratulatio, affatus, et hujusmodi: et sic planum est videre in aliis.

AD ID autem quod objectum est contra istam reductionem, dicendum quod impossibile est in toto invenire simile inter duo: quia sic similia non essent duo, sed unum: sed sicut est in prædicamentis, et in primis essentiis, et in reductis ad illas, sic est in primis faciendis, et vitandis, et reductis ad illa: et sicut illa fluunt a suis principiis essentialiter, ita ista fluunt a suis principiis voluntarie: quia in moribus maximum principiorum est voluntas: et quia natura essentiæ subjacet necessitati, ideo illa necessaria fluunt a suis principiis. Quia vero ista sunt mediante voluntate causantia et causata, et voluntas est libera: ideo ista manent in libertate inclinantia voluntatem.

Et per hoc patet solutio ad totum.

Est autem huic disputationi aliquid addendum ex illo quod disputatum est super tertium *Sententiarum* in fine de *præceptis* [1].

[1] Cf. Sententiarum, Dist. XXXVII et seq. Tom. XXXVIII hujusce novæ editionis.

ARTICULUS LIV.

An bonorum sit pœnitentia ? et, Utrum boni et humiles de venialibus debeant agere pœnitentiam ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi C, in medio : « *Est etiam pœnitentia bonorum*, etc. »

Videtur enim, quod hoc sit falsum : quia

1. Boni et humiles magis habent causam lætitiæ quam pœnitentiæ : ergo non est eorum pœnitentia.

2. Item, De malo est pœnitentia : ergo non est de bonis et humilibus, quia illa sunt optima : ergo non est bonorum et humilium.

Si forte dicas, quod non est bonorum et humilium, secundum quod sunt boni et humiles, sed secundum quod admittunt venialia,

Quæst. QUÆRATUR, Utrum boni et humiles, de venialibus agere debeant pœnitentiam ?

Videtur autem, quod sic : quia cujuscumque est satisfacere, illius est pœnitere : sed bonorum et humilium est de venialibus satisfacere : ergo et illorum est pœnitere. PROBATIO mediæ supra [1] habita est, quod satisfacere est radices peccatorum excidere, et eorum suggestionibus ulterius aditum non indulgere : sed in bonis et humilibus sunt peccatorum radices, quia fomes, et corruptio vitium, et provitas ad peccandum : ergo constat propositum.

Sed contra. IN CONTRARIUM autem hoc est, quod

1. Dicitur locus esse a communiter accidentibus, pœnitet : ergo peccavit.

2. Adhuc, Supra habitum est, quod pœnitentia est de malo perpetrato in quantum perpetratum est : ergo qui malum non perpetravit, non habet pœnitere : et ideo pœnitentia non est bonorum et humilium, ut videtur.

3. Adhuc, Philosophus in IX *Metaphyscicæ*, et Avicenna in VI suæ *metaphysicæ* dicunt, quod a potentia boni vel mali nullus est bonus vel malus : quia in malo actus potentia pejor est, et in bono actus potentia melior est : sed in bonis et humilibus qui non peccaverunt, non est nisi potentia mali : ergo ipsi non peccaverunt : ergo pœnitere non tenentur.

SOLUTIO. Dicendum, quod pœnitentia est bonorum et humilium, ut dicit *Littera* : sed non est in quantum boni et humiles sunt. Est autem duplex talium pœnitentia, scilicet de bono, et de malo : de bono non in quantum bonum, sed in quantum malo permixtum : quia sic dicitur, Isa. LXIV, 6 : *Quasi pannus menstruatæ* sunt *universæ justitiæ nostræ.* Unde negligentia quæ incidit et indevotio cogunt bonos et humiles etiam propria bona timere, et sic de eis quodammodo pœnitere : et hoc est quod dicit Job, IX, 28 : *Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti.* Alio modo pœnitent de veniali quod incidit quotidie in usu vitæ : de cujus pœnitentia habetur in sequenti capitulo. Solut.

AD ID autem quod quæritur, Utrum boni et humiles non peccantes teneantur pœnitere ? Ad quæst.

Dicendum, quod non.

Ad objectum contra, dicendum quod duplex est radix peccati, scilicet contracta et facta, secundum quod ex operibus relinquuntur similes dispositiones et habitus, ut dicit Philosophus. Prima autem radix debilitatur et exsiccatur, non pœnitentia, sed contrario usu benefaciendi : et secunda est quæ per pœnitentiæ satisfactionem eruitur : et de illa radice intelligitur auctoritas inducta.

Et per hoc patet solutio.

[1] Cf. Supra, Dist. XIV.

ARTICULUS LV.

An aliquis non habens debitum, possit dicere orationem Dominicam?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, C, in medio : « *Dicentes :* Dimitte nobis, etc. »

Quæritur enim, Utrum aliquis non habens debitum, possit dicere orationem Dominicam?

Videtur, quod non : quia

1. Non habet debitum : ergo non vere rogabit sibi debitum dimitti : ergo non potest dicere orationem Dominicam.

2. Adhuc, In parabola quadam Matthæi, XVIII, 23 et seq., ubi loquitur Dominus de dimissione debiti, supponit servos illos aliquid debere : ergo qui nihil debet, ille debitum dimitti non potest postulare : ergo orationem Dominicam talis non potest dicere, ut videtur.

Si forte tu dicas, quod ille casus numquam evenit in aliquo : quia sicut dicitur, I Joan. I, 8 : *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.* CONTRA : Augustinus glossat sic locum istum dicens, quod hoc dictum est, quia non diu esse possumus sine peccato : possumus autem esse ad horam sine peccato : ergo videtur, quod illa hora talis dicere non possit Dominicam orationem.

3. Adhuc, Jacobus, V, 15, dubie loquitur de statu peccati dicens : *Si in peccatis sit, remittentur ei :* sic enim loquens innuit, quod possibile est aliquem esse diu sine peccato : et tunc locum habet quæstio supra dicta.

4. Adhuc, Dicit Augustinus, quod hoc facit veniale in viro justo, quod gutta in camino ignis : sed gutta ipso casu in camino, statim consumitur, et non manet: ergo veniale cadens in animam viri perfecti, statim consumitur : ergo ipse manet sine veniali : et constat, quod est sine mortali : ergo talis nullum habet debitum venialis vel mortalis peccati : ergo ipse non potest dicere, *Pater noster.*

SOLUTIO. Dicendum, quod quilibet Christianus homo potest et debet dicere, *Pater noster.* Solutio.

AD HOC autem quod in contrarium objicitur, dicendum quod talis status est rarus, propter tria, scilicet multitudinem venialium, et ignorantiam, et adhærentiam. *Multitudinem* voco in modo peccandi venialiter, quorum magnus est strepitus circa nos, tam in sensibus, quam in corde : *ignorantiam*, quia videtur mihi impossibile omnia advertere : unde Psalmista ratione multitudinis dicit : *Delicta quis intelligit* [1] ? Et ratione ignorantiæ : *Ab occultis meis munda me*, Domine [2]. Ratione autem *adhærentiæ* dicit: *Ab alienis parce servo tuo* [3] : quia quædam adhærent nobis alienanti a fervore charitatis, sed non alienant ab habitu. Si tamen talis status sit, adhuc dico, quod etsi sit, tamen non debet homo præsumere esse in tali statu : quia, sicut dicit beatus Gregorius : « Bonarum mentium est ibi culpam agnoscere, ubi culpa non est. »

Si autem dicas, quod sit ita, quod per revelationem cognoscat sibi dimissa esse omnia peccata : dico adhuc, quod non adhuc sequitur quod ipse sit indebitor alicujus pœnæ, et ratione illius potest dicere, *Pater noster.*

Si autem ponas, quod nec etiam pœnæ debitor sit, et hoc sciat per revelationem : dico adhuc, quod in persona membrorum Ecclesiæ debet dicere : sic enim Christus caput Ecclesiæ ratione membrorum dicit sua esse delicta in Psalmo ubi dicitur : *Deus meus, respice in me*, etc. [4].

[1] Psal. XVIII, 13.
[2] Ibidem.
[3] Psal. XVIII, 14.
[4] Psal. XXIV, 16 et LXXXV, 16.

Ita unum membrum in se transformare debet, quod alterius est: unde docet orare in plurali dicendo: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus*, etc., non, Dimitte mihi debita.

Et per hoc patet solutio ad omnia quæsita.

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, C, paulo ante finem: « *Quid enim interest ad naufragium, an uno grandi fluctu*, etc. »

Ex hoc enim videtur, quod veniale fiat mortale: et de hoc quæratur infra [1].

[1] Cf. Infra, Dist. XX, Art. 10.

DISTINCTIO XVII.

De confessione sacramentali, et de his quæ ad eam spectant prout habet rationem remedii quantum ad necessitatem ex parte confitentis.

A. *Tria proponuntur quærenda : primum, an sine confessione dimittatur peccatum ?*

Hic oritur quæstio multiplex. Primum enim quæritur, Utrum absque satisfactione, et oris confessione, per solam cordis contritionem peccatum alicui dimittatur ?

Secundo, An aliquando sufficiat confiteri Deo sine sacerdote ?

Tertio, An laico fideli facta valeat confessio ?

In his enim etiam docti diversa sentire inveniuntur : quia super his varia, ac pene diversa tradidisse videntur Doctores.

Dicunt enim quidam, sine confessione oris et satisfactione operis neminem a peccato mundari, si tempus illa faciendi habuerit. Alii vero dicunt, ante oris confessionem et satisfactionem in cordis contritione peccatum dimitti a Deo, si tamen votum confitendi habeat. Unde Propheta : *Dixi : Confitebor adversum me injustitiam meam Domino : et tu remisisti impietatem peccati mei* [1]. Quod exponens Cassiodorus ait : *Dixi*, id est, deliberavi apud me, quod confitebor, *et tu remisisti*. Magna pietas Dei, quod [2] ad solam promissionem peccatum dimiserit. Votum enim pro operatione judicatur. Item, Augustinus : Nondum pronuntiat, promittit se pronuntiaturum, et Deus dimittit : quia hoc ipsum dicere, quoddam pronuntiare est corde. Nondum est vox in ore ut homo audiat confessionem, et Deus audit. Item, *Sacrificium Deo spiritus contribulatus : cor contritum*, etc. [3].

[1] Psal. XXXI, 5.
[2] Edit. J. Alleaume, *qui*.
[3] Psal. L, 19.

Alibi etiam legitur : Quacumque hora peccator conversus fuerit et ingemuerit, vita vivet, et non morietur [1]. Non dicitur, ore confessus fuerit : sed, *conversus ingemuerit*. Unde datur intelligi, quod etiam ore tacente, veniam interdum consequimur. Hinc etiam leprosi illi, quibus Dominus præcepit ut ostenderent se sacerdotibus, in itinere antequam ad sacerdotes venirent, mundati sunt [2]. Ex quo insinuatur, quod antequam ora nostra sacerdotibus aperiamus, id est, peccata confiteamur, a lepra peccati mundamur. Lazarus etiam non prius de monumento est eductus, et post a Domino suscitatus : sed intus suscitatus, prodiit foras vivus [3], ut ostenderetur suscitatio animæ præcedere confessionem. Nemo enim potest confiteri, nisi suscitatus : quia a mortuo, velut qui non est, perit confessio [4]. Nullus ergo confitetur, nisi resuscitatus. Nemo autem suscitatur, nisi qui a peccato solvitur : quia peccatum mors animæ est, quæ ut est vita corporis, ita ejus vita Deus est.

His aliisque pluribus auctoritatibus probatur, ante confessionem vel satisfactionem sola compunctione peccatum dimitti : quod qui negant, eas determinare laborant : necnon et hujus sententiæ depressionem, et ad suæ opinionis assertionem, auctorum testimonia inducunt. Ait enim Dominus per Isaiam : Dic tu iniquitates tuas, ut justificeris [5]. Item Ambrosius : Non potest quisquam justificari a peccato, nisi peccatum ipsum antea fuerit confessus. Idem dicit : Confessio a morte animam liberat, confessio aperit paradisum, confessio spem salutis tribuit : quia non meretur justificari, qui in vita sua non vult peccatum confiteri. Illa confessio nos liberat, quæ fit cum pœnitentia. Pœnitentia vera est dolor cordis, et amaritudo animæ pro malis quæ quisque commisit. Item, Joannes Chrysostomus : Non potest quisquam gratiam Dei accipere, nisi purgatus fuerit ab omni peccato per pœnitentiæ confessionem, et per baptismum. Item, Augustinus : Agite pœnitentiam, qualis agitur in Ecclesia. Nemo dicat sibi, Occulte ago, quia apud Deum ago : novit Deus qui mihi ignoscit, quia in corde ago. Ergo sine causa dictum est, Quæ solveritis super terram, soluta erunt in cœlis [6]? Ergo sine causa claves datæ sunt? Frustramus ergo verbum Christi. Job dicit : Si erubui in conspectu populi peccata mea confiteri [7]. Item, Ambro-

[1] Cf. Ezechiel. XVIII, 21 et 27.
[2] Cf. Luc. XVII, 14.
[3] Joan. XI, 44.
[4] Eccli. XVII, 26 : *A mortuo, quasi nihil, perit confessio.*
[5] Vulgata habet, Isa. XLIII, 26 : *Reduc me in memoriam ut judicemur simul : narra si quid habes ut justificeris.*
[6] Matth. XVI, 19 : *Quodcumque solveris super terram erit solutum et in cœlis.*
[7] Job, XXXI, 33 : *Si abscondi quasi homo peccatum meum, et celavi in sinu meo iniquitatem meam.*

sius [1] ; Venialis est culpa, quam sequitur confessio delictorum. Item, Augustinus [2] super illum locum Psalmi : *Non absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum* [3]. Puteus est profunditas iniquitatis : in quam si cecideris, non claudet super te os suum, si tu non claudis os tuum. Confitere ergo et dic : *De profundis clamavi ad te, Domine*, etc. [4], et evades. Claudit super illum, qui in profundum contemnit : a quo mortuo, velut qui non sit, perit confessio [5]. Item, Nullus debite gravioris pœnæ accipit veniam, nisi qualemcumque, etsi longe minorem quam debeat, solverit pœnam. Ita enim impartitur a Deo largitas misericordiæ, ut non relinquatur justitia disciplinæ. Ita Hieronymus : Qui peccator est, plangat delicta propria vel populi, et ingrediatur Ecclesiam, de qua propter peccata fuerat egressus : et dormiat in sacco, ut præteritas delicias per quas Deum offenderat, vitæ austeritate compenset [6].

His aliisque auctoritatibus nituntur asserere sine confessione vocis et aliqua solutione pœnæ neminem a peccato mundari.

DIVISIO TEXTUS.

« *Hic oritur quæstio multiplex*, etc. » Magister in ista distinctione collationem facit inter partes pœnitentiæ sigillatim acceptas, et tangit primo tres quæstiones, ut patet in *Littera* : et secundum prosecutionem illarum trium dividitur tota distinctio in tres partes : et hoc videre cuilibet est facile, et ideo insistendum est disputationi.

ARTICULUS I.

An in sola contritione peccatum dimittatur ?

PRIMO ergo quæritur de quæstione prima, Utrum scilicet in sola contritione peccatum dimittatur ?

Videtur autem, quod sic :

1. Quod enim potest plus, potest et minus : sed sola contritio in casu potest supplere vicem baptismatis : ergo et potest supplere vicem confessionis et satisfactionis.

2. Adhuc, Quæcumque medicina omnia in se claudit quæ opponuntur morbo et causis morbi, illa per se sine alia efficax est ad morbi expulsionem ; sed contritio est hujusmodi medicina contra mortale actuale peccatum : ergo sine confessione et satisfactione expellit morbum. PRIMA patet per se. SECUNDA autem probatur ex eo quod in actuali non est nisi culpa et pœna : et contraria illorum sunt in contritione : quia gratia contrariatur culpæ, et pœna de peccato contrariatur passioni, quæ est delectatio, et sustinentia illius doloris solvit pœnæ obligationem quæ est in reatu.

3. Adhuc, Medicina quæ quandoque datur, et quandoque non datur eisdem causis morborum existentibus, et aliis

[1] S. AMBROSIUS. Lib. de Paradiso, cap. 14.
[2] S. AUGUSTINUS, Super Psal. LXVIII.
[3] Psal. LXVIII, 16.
[4] Psal. CXXIX, 1.
[5] Eccli. XVII, 26 : *A mortuo, quasi nihil, perit confessio.*
[6] S. HIERONYMUS, Super Malachiam.

omnibus similiter se habentibus, non est necessaria, sed de bene esse : sed confessio quandoque datur peccatoribus contritis, et similiter satisfactio, quandoque autem non : ergo confessio et satisfactio sunt de bene esse pœnitentiæ, et non de ipso esse. PRIMA patet : quia ars in quantum potest semper exhibet omnia necessaria curationi. SECUNDA autem probatur in Maria Magdalena, quæ (ut dicit Gregorius) septem dæmonia habuit, quia universis vitiis plena fuit : et tamen, Luc. VII, 37 et seq., per solam cordis contritionem est sanata : ergo constat propositum.

4. Adhuc, Quæcumque sunt de essentia et necessitate alicujus, numquam relinquunt ipsum : sed confessio et satisfactio quandoque non fuerunt de pœnitentia, vel non prout modo sunt, sicut probatur ex disputatione supra de *confessione* habita : ergo non sunt de essentia : ergo cum pœnitentia per essentiam suam sufficiens sit ad morbi expulsionem, et sola contritio sit essentialis, videtur quod ipsa sine confessione oris et satisfactione operis sufficit ad actualis peccati deletionem.

5. Adhuc, In momento infusionis gratiæ solvitur culpa et pœna æterna : sed hoc momentum est in contritione ante confessionem et satisfactionem : ergo videtur, quod confessio et satisfactio non sint necessariæ ad culpæ solutionem.

6. Adhuc, Ponamus, quod aliquis in veritate conteratur : constat, quod in veritate illi peccatum secundum culpam et pœnam æternam dimittitur : sit ergo, quod iste non confessus moriatur : ergo salvabitur, quia in moriendo non peccat, quia nihil incidit inter contritionem et mortem : ergo confessio et satisfactio non sunt de necessariis ad salutem.

7. Si forte tu dicas, quod pœnitentia votum confessionis exigit et votum satisfactionis. CONTRA : Aut hoc exigit, eo quod sit de pœnitentiæ essentia, aut quia præceptum est ut confiteatur : si ideo exigitur, quia est de integritate pœnitentiæ, tunc numquam fuit vera pœnitentia sine illa : quod falsum omnibus esse patet. Si ideo exigitur, quia est præceptum : ergo non exigitur nisi per accidens, et propter aliud : ergo de se sufficiebat contritio.

8. Adhuc, Constitutio Ecclesiæ aut debilitavit vim contritionis, aut nihil contulit ei, nec nocuit ei, nec adjuvit eam. Si debilitavit. CONTRA : Dicit Beatus Bernardus : « Quod charitate institutum est, contra charitatem non debet militare : » sed quidquid Ecclesia statuit, charitate instituit : ergo non debet contra eam militare : sed omne debilitans vim sacramenti, militat contra charitatem : ergo non debet observari : sed contritio est sacramentum, ut infra habebitur in *Littera* : ergo constitutio de confessione non debet observari. Si autem nec contulit, nec nocuit : ergo inutilis fuit : nihil autem inutilium observandum est universaliter in Ecclesia, præcipue contra sacramenta : ergo iterum hæc constitutio servari non debuit. Si autem juvit. CONTRA : Quod per se potest facere aliquem effectum, fortius est quam id quod cum alio et non nisi cum alio quod est in voluntate vel in actu : sed contritio sine proposito confitendi, potuit delere actuale peccatum : et tu dicis, quod modo non potest sine voluntate confitendi propter constitutionem Ecclesiæ : ergo minorata est vis ejus propter constitutionem Ecclesiæ : ergo constitutio illa non est observanda.

9. Adhuc, Constat, quod Deus absolvit in contritione : aut ergo simpliciter absolvit eum, aut cum conditione. Si simpliciter : ergo non sub ista conditione, quod confiteatur et satisfaciat : ergo non tenetur confiteri et satisfacere. Si cum conditione : sed omnis conditio dubitantis est : ergo dubitatio incidit circa Deum absolventem ipsum peccatorem, quod absurdum est : ergo simpliciter absolvit : ergo non tenetur confiteri et satisfacere.

10. Adhuc, In omnibus judiciis sufficit

cognitio causæ et emenda delicti, secundum quod cognoscitur causa : ergo hoc sufficit in judicio Dei, qui judicat pœnitentem : sed delicti causa est in corde quod Deus intuetur, et perfecte cognoscit : ergo si cognoscit emendam secundum idem, sufficit ad omnem peccati correctionem : sed in corde perfectam exhibet emendam contritio : et hoc Deus cognoscit : ergo ipsa sola ad omnem peccati correctionem sufficit.

11. Adhuc, In omni genere morborum obviatur fonti et non membris super quæ fluit rivus morbi : ergo ita debet fieri in medicina spirituali : sed omne peccatum causam habet in corde : et si cor non esset, nihil deformitatis esset in ore, nec in opere : ergo videtur, quod medicina non debet esse nisi in corde : hoc autem fit per solam contritionem : ergo sola contritio cordis sufficit.

12. Adhuc, Quidquid in se continet perfectam pœnitentiæ rationem, hoc per se sufficit sine alio ad morbi expulsionem : sed contritio continet in se perfectam pœnitentiæ rationem : ergo sola contritio sufficit ad perfectam morbi actualis expulsionem. PROBATUR autem prima ex eo quod non nisi pœnitentia datur contra actuale mortale, et non alia medicina spiritualis. SECUNDA autem probatur ex eo quod dicit Ambrosius in *Littera* : « Pœnitentia est verus dolor cordis et amaritudo animæ pro malis quæ quisque commisit : » et constat, quod hoc non convenit pœnitentiæ nisi ratione contritionis.

I contra. SED CONTRA hoc objicitur, et

1. Subjiciuntur omnes auctoritates in *Littera* inductæ, quæ probant sine confessione peccatum non dimitti.

2. Per rationem autem sic objicitur : Nihil potest detestari nisi recognitum : peccatum autem in omni pœnitentia oportet detestari : ergo oportet recognosci : sed recognitio diversificatur secundum ea in quibus est : alia enim est recognitio in intellectualibus, et alia in corporalibus, et alia in sacramentalibus : ergo sicut in intellectualibus exigitur recognitio intellectualis, et in operationibus operativa, ita in sacramentalibus exigitur sacramentalis : hæc autem est in enarratione peccatorum : et hæc est confessio : ergo ad sacramentalem peccati detestationem et pœnitentiam exigitur confessio.

3. Adhuc, Omne sacramentum consistit in dispensatione ministrorum Ecclesiæ : sed nihil dispensatur nisi cognitum : ergo ad hoc quod minister operetur circa pœnitentis peccata, oportet ipsum cognoscere peccata : sed non potest scire nisi per confessionem : ergo ad dispensationem sacramenti pœnitentiæ exigitur confessio.

4. Adhuc, Dolor pœnitentis satisfactivus est per claves : vis autem clavium consistit in discretione peccati, et in absolutione pœnitentis : ergo ante effectum clavium oportet ministrum cognoscere de peccatis : et non potest nisi per confessionem : ergo pœnitenti ad hoc quod absolvatur, necessaria est confessio.

5. Item, Daniel. IX, 4 et seq., et in aliis locis Veteris Testamenti dicitur, quod quando gratiam impetrare volebant, confitebantur peccata sua : ergo multo magis exigitur in Novo Testamento in quo major est gratia.

6. Adhuc, Josue, VII, 19 : *Ait* Josue *ad Achan : Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, et confitere*, scilicet, peccatum tuum, *atque indica mihi quid feceris, ne abscondas*. Ergo non potest glorificare Deum qui de peccatis redit, nisi per confessionem : ergo confessio delicti exigitur in pœnitentia.

7. Item, In omni judicio condemnationis exigitur convictio damnati : sed in pœnitentia judicium quoddam est in quo damnatur pœnitens ad pœnam determinatam : ergo exigitur convictio : sed non potest fieri per testes : ergo oportet, quod fiat per confessionem : ergo in pœnitentia exigitur confessio.

Soluti. Responsio. Dico, sicut supra in principio præcedentis distinctionis habitum est, quod pœnitentia secundum quod est sacramentum ordinatum contra totum morbum peccati, habet tres partes, contritionem, confessionem, et satisfactionem: et hoc modo bene concedendum est, quod numquam fit absolutio peccati sine confessione in voto vel effectu existente.

Qualiter autem operetur contra peccatum, ex superioribus quantum ego possum intelligere, manifestum est.

Si autem accipiatur pœnitentia prout est in ratione virtutis, vel gratiæ, vel passionis tantum, bene puto quod non oporteat adesse confessionem : unde etiam omnes rationes pro illa parte inductæ, quod exigatur confessio, sumptæ sunt ex ratione pœnitentiæ secundum quod sacramentum est, quia aliter nullam videntur habere apparentiam.

Ad 1. Ad hoc ergo quod primo objicitur in contrarium, dicendum quod numquam contritio excludit votum baptizandi in non baptizato, sed effectum : et ita bene concedo, quod in simili articulo necessitatis potest excludere effectum confessionis, sed numquam votum si adsit facultas : dicta autem omnia operantur in voto existentia, quia Deus respicit voluntatem : et sic dicitur, II ad Corinth. VIII, 12 : *Si voluntas prompta est, secundum id quod habet accepta est, non secundum id quod non habet.* Et hoc est quod dicitur a Doctoribus, quod completa voluntas reputatur pro facto.

Ad idem dicendum, quod prima propositio non est vera, nisi sicut omnia continet, ita contineat sufficienter : et hoc non est verum de contritione, quia ipsa non est sufficiens sine confessione in voto, vel in actu et voto existente. Vel dicatur, quod non omnia continet : quia in pœnitentia est ædificatio proximi, et contritio de se non continet satisfacientis ædificationem : et ideo per ministrum in confessione exigitur, quod Ecclesiæ reconcilietur : et hæc ultima solutio est communis, sed tamen prima verior.

Ad aliud dicendum, quod semper exigebatur aliqua peccati recognitio prodens peccatum in genere, vel in specie, vel numero, sicut supra in quæstione de *confessione* habitum est : id autem quod secundum se divinum est, bene potest determinationem diversam accipere processu temporis : et ideo quando veras Ecclesia habuit claves, non figuram tantum clavium, tunc determinatum fuit, quod homo habens peccatum coram homine detestando recognosceret per confessionem : et ideo licet pœnitentia quandoque fuerit sine confessione tali, qualis modo est in Ecclesia, non tamen fuit simpliciter sine confessione quantum ad substantiam confessionis in genere.

Ad aliud dicendum, quod licet non legatur confessio Mariæ Magdalenæ, et Petri, et quorumdam aliorum, tamen facta est : quia multa facta sunt, quæ tamen scripta non sunt. Ad

Aliam tamen solutionem supra habes in præcedenti distinctione, quod aliud fuit de illis qui ab ipso Domino receperunt, et aliud de aliis : quia Dominus cognovit, et rubor cordis coram præsentia ejus secundum humitatem major fuit, quam nobis rubor faciei coram sacerdote cognoscente faciem : et ideo talibus potuit sufficere confessio cordis, nobis autem non : quia non ab ipso, sed ab homine sacerdote vicario Dei pœnitentiam accipimus.

Ad aliud dicendum, quod sicut ad præcedens, scilicet quod fere eadem sunt. Ad 4

Ad aliud dicendum, quod licet in momento solvitur culpa, tamen exigitur motus liberi arbitrii in peccati detestationem : quia in justificatione impii quatuor sunt simul tempore habitualiter, licet non actualiter, et secundum naturam simul sunt : quorum unum est motus liberi arbitrii in peccatum detestando ipsum, et ille motus supponit votum confitendi et satisfaciendi : et ita patet, quod nihil prohibet, quod tria sint in Ad 5

uno et eodem momento : unum in actu, scilicet contritio, et duo in voto supposita, scilicet confessio et satisfactio.

Ad 6. Ad aliud dicendum, quod talis positio bene possibilis est : sed numquam est vera contritio quæ confessionem et satisfactionem, non articulo necessitatis, sed contemptu religionis excludit : unde si vere contritus est, ipse habet votum confitendi et satisfaciendi : et si sic moriatur, operantur in eo confessio et satisfactio in voto existentes.

Ad 7. Ad aliud dicendum, quod confessio in genere divinum habet præceptum, sed in specie determinationem accipit per Ecclesiam, sicut supra in eadem quæstione dictum est.

Ad 8. Ad aliud dicendum, quod institutio Ecclesiæ multum confert pœnitentiæ : quia, sicut dictum est, contritio numquam sufficit sine aliqua confessione : sed modo determinatum est tempus, quod semel in anno : et modus per enarrationem peccati cum quibusdam circumstantiis propter judicium clavium et effectum earum : et hoc plurimum confert pœnitenti ad dimissionem pœnæ peccati, et etiam ad majorem detestationem culpæ : et tamen in nullo debilitat contritionem : nec pejorem facit statum modernorum quam antiquorum, propter magnum emolimentum quod consequuntur ex vi clavium, quod non consequebantur antiqui : sicut non esset status pejor ejus qui dat denarium et obolum, ut accipiat aliquid emptum cum magna additione, quam ejus qui emit illud denario sine additione.

Ad 9. Ad aliud dicendum, quod Deus simpliciter absolvit in contritione : sed aliter accipitur absolutio ex parte absolventis, et aliter ex parte absoluti. Ex parte enim absolventis nulla est conditio et nulla dubietas : sed ex parte absoluti supponitur votum confitendi et satisfaciendi, sine quibus non est contritio. Nec hoc est inconveniens, quod ex parte Dei creantis nihil materiale, nihil temporale, nihil conditionatum est : et tamen ex parte creati incidit materialitas, temporalitas, et conditio secundum naturam rei creatæ : et hoc forte attendit Magister Hugo de sancto Victore, dicens in libro de *potestate ligandi et solvendi* ad beatum Bernardum, quod « Deus solvit ligando, sacerdos autem ligat solvendo : » quia Deus solvit a vinculo damnationis ligando vinculo confessionis et expiationis : sed sacerdos ligat vinculo satisfactionis, et solvit a vinculo confessionis : et hoc non dicit conditionem nisi ex parte pœnitentis et eorum quæ supponuntur in pœnitente.

Ad 10. Ad aliud dicendum, quod hoc verum est secundum formam fori secundum quod procedit judicium : ordo enim judiciarius observandus est, et variatur secundum diversitatem fori. Judicium autem pœnitentiæ non est tantum divinum, sed etiam Ecclesiasticum : est enim divinum per inchoationem, et perfectum per hominem ministrum in Ecclesia : et ideo oportet, quod sit in plus quam id quod est cordis quod intuetur Deus : sed judicium futurum est tantum divinum : et ideo non est ibi necessaria confessio oris, sed tantum testimonium conscientiæ accusantis vel defendentis.

Ad 11. Ad aliud dicendum, quod licet febris semper sit a calore cordis intendente fumum materiæ putrefactæ, non tamen materia febris semper est in corde. Et ita est etiam in morbis spiritualibus : quia licet originaliter sint in corde, tamen materiæ circa quas fiunt, non sunt cordis, sed etiam oris et manus : et ideo ad perfectam curam oportet, quod obvietur morbo in omnibus membris, in quibus materia morbi diffusa est, licet principaliter obvietur ei in corde : et sic est de morbis spiritualibus : unde non sufficit sola cordis medicina.

Ad 12. Ad aliud dicendum, quod illa diffinitio, ut supra [1] patuit, data est de pœni-

[1] Cf. Supra, Dist. XIII.

tentia, secundum quod est in genere passionis non sacramenti : et sic bene conceditur, quod non habet nisi contritionem, et non confessionem, et satisfactionem.

ARTICULUS II.

An votum debeat pro operatione reputari ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, A, § 5, circa initium : « *Votum enim pro operatione judicatur.* »

Videtur enim hoc esse falsum : quia

1. Si duo sunt quorum unum sufficit, alterum superfluit, vel est de bene esse, non de necessariis : sed votum et operatio duo sunt, quorum alterum sufficit, ut dicitur in *Littera* : ergo operatio superfluit, vel non est de necessariis : quod est falsum.

2. Adhuc, Non videtur esse generale quod dicit, quia aliquis dat tres denarios pro Deo, et vult dedisse septem vel centum marcas, et ibi votum pro facto non computatur.

Si forte tu dicas, quod intelligitur de voto actum præcedente, quod est cum impotentia actus. Contra est : quia aliqua vult se perdidisse virginitatem : et quod non perdidit, non impedit nisi impotentia : ergo illa secundum hoc amisisse reputatur : ergo si postea pœnitet, non debetur ei aureola, quod falsum est : ergo non est generale quod dicit.

4. Adhuc, Aliquis habet plenam voluntatem occidendi aliquem : et quod non accidit, non impedit nisi impotentia : ergo reputatur pro facto : ergo ita irregularis est pro voluntate, sicut pro opere, quod falsum est : ergo nec in bono nec in malo tenet hoc quod dicit Cassiodorus hic in *Littera*.

Responsio Dicendum ad primum, quod votum duplex est, scilicet plenum, et semiplenum sive imperfectum : plenum autem in quibusdam actibus impossibile est propter vehementem voliti in actu delectationem. Est autem in omnibus possibile votum esse plenum, quæ non habent vehementum delectationem in carne, sicut est in luxuria : in aliis autem actus non addit multum delectationi, sed potius affert tristitiam, sicut in ira, prodigalitate, miserisordia, compassione, et hujusmodi. Sol

Dicendum ergo, quod quotiescumque voluntas plena est, ita quod nihil excludit opus nisi impotentia sola, quantum ad substantiam meriti vel demeriti reputatur pro facto, sed non quantum ad adjuncta vel consequentia meritum vel demeritum : sicut est nocumentum vel profectus, quæ sunt in actu : et ideo votum homicidii habet eumdem reatum in specie quam homicidii actus, sed tamen magis nocet actus quam voluntas : sicut etiam in bonis propositis idem meritum in substantia habet votum, et actus, licet non tantum in quantitate : et hoc quia non sunt tanti profectus.

Per hoc patet solutio fere ad omnia : licet enim duo sint, scilicet votum confitendi, et confessio : votum numquam tamen est plenum si actum contemptus religionis excludit et non articulus necessitatis : sed si plenum est, nec actum impedit nisi impotentia, sufficit votum quantum ad substantiam indulgentiæ : licet non consequatur omnia illa in quantitate continua vel discreta, quæ consequuntur et adjuncta sunt confessioni secundum actum existenti : sicut est diminutio pœnæ per vim clavium, et deobligatio a debito confessionis simpliciter et hujusmodi : et rubor actualis in actu confessionis etiam aliquid tollit de pœna quod non consequeretur. Ad 1.

Ad aliud dicendum, quod non est plena voluntas si plus potest dare et non vult : sed si non potest plus, tunc eamdem cum dante plus in substantia indul- Ad 2.

gentiam consequitur : licet aliquid accidentale habeat dans plus, quod non habet ille qui dat minus.

Ad aliud dicendum, quod aureola debetur continentiæ non secundum se, sed secundum carnis integritatem : et ideo licet illud accidentale præmium opere carnis non amittatur, substantialiter tamen præmium continentiæ amittitur per plenum votum fornicationis, et restituitur per pœnitentiam, sicut omnia alia spiritualia per pœnitentiam in integrum restituuntur, ut supra superius dictum est.

Per idem patet solutio ad ultimum, quod irregularitas accidentalis pœna est quam secundum consilium divinum Ecclesia non determinat, nisi ad actum homicidii : et ideo licet substantialiter idem sit reatus homidii voluntatis, et actus, modo tamen accidentalis pœna una est utriusque.

ARTICULUS III.

An sufficiat confiteri soli Deo ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, A, § 5, post initium : « *Nondum est vox in ore ut homo audiat confessionem*, etc. »

Et hoc enim videtur, quod

1. Sufficit soli Deo confiteri.

Item, Hoc videtur alia ratione : Adam enim qui est forma omnium peccantium, non reprehenditur, nisi de hoc quod se coram Deo in confessione excusavit : ergo videtur, quod in aliis peccatoribus sufficit coram Deo se accusare.

2. Adhuc, Numquam consurgit duplex tribulatio, sicut supra [1] habitum est : ergo uni peccato in pœnitentia non debetur nisi confessio una : sed hæc facta est Deo, ut dicit hic Augustinus : ergo secundam addere non oportet, quæ homini fiat.

3. Adhuc, Nulla aliarum partium pœnitentiæ geminatur : sufficit enim una contritio sola etiam de omnibus peccatis, et una sola satisfactio injuncta per potentiam clavium : ergo sufficit una sola confessio : sed hæc fit Deo : ergo non est necessaria confessio oris, ut videtur.

Sed in contrarium hujus videtur, quod Sed contra.

1. Ecclesia nihil statuit nisi justum, nec aggravat super filios suos in generalibus statutis : de constitutione autem Ecclesiæ et præcepto est, quod quilibet sacerdoti suo confiteatur semel in anno : ergo hoc est justum, nec est salus sine illo.

2. Adhuc, Si aliquis diceret non esse confitendum sacerdoti, et sufficere confessionem quæ fit soli Deo, pro hæretico condemnaretur : ergo hoc est de necessariis ad salutem, quod homo tenetur homini sacerdoti confiteri : ergo non sufficit illa confessio quæ fit soli Deo : cujus contrarium videtur dicere *Littera*.

Responsio. Dicendum ad hoc, quod si adsit facultas confitendi sacerdoti, non sufficit confessio facta soli Deo : et hoc quod dicitur in *Littera*, intelligitur de remissione peccati quantum ad culpam et pœnam æternam : quæ remissio præcedit actum confessionis, sed non votum. Solutio.

Ad id autem quod primo objicitur, dicendum quod adhuc non erant veræ claves, nec sacerdotes : et ideo tunc Dominus egit per se solum, quod modo facit per se et vicarium : et simul cum illo docuit Adam, qualiter ipse peccatum in confessione accusando recognoscere deberet, et qualiter hoc ipsum alios facere instrueret. Ad 1.

Ad aliud dicendum, quod non consurgit duplex tribulatio, eo quod in peccato est offensa Dei et proximi : et ideo per proximum vicarium Dei habet etiam peccator reconciliari : et iterum ideo, Ad 2.

[1] Cf. Supra, Dist. XVI.

quia lex divinitatis est (ut dicit Dionysius) per media infima reducere : et ideo peccator in quantum hujusmodi, cum sit in statu infimo, habet reduci per eum qui in gradu superiori quoad ordinem et potestatem clavium.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod ista pars non geminatur : quia illa quæ fit coram Deo, non proprie confessio est, nisi in quantum ordinatur ad illam quæ fit coram homine : et ideo confessio illa plena est, quæ est peccati enarratio cum detestatione ex recognitione coram Deo facta procedens.

ARTICULUS IV.

An per gemitum pœnitentiæ ante oris confessionem dimittatur peccatum ?

Deinde quæritur de hoc quod ibi dicitur, ibi, A, § 5, circa medium : « *Non dicitur, ore confessus fuerit : sed conversus ingemuerit*, etc. »

Ex hoc expresse sequi videtur, quod ad nihil necessaria sit confessio.

Solutio. Responsio. Dicendum, quod *gemitus* accipitur ibi pro gemitu contritionis, qui supponit votum confitendi et satisfaciendi secundum canonicam sanctionem, quia aliter proprie non gemit gemitu pœnitentiæ : et non intendit aliud dicere, nisi quod in tali gemitu pœnitentiæ ante oris confessionem et operis satisfactionem, peccatum secundum culpam et reatum æternæ pœnæ dimittatur, sed non ante votum confitendi et satisfaciendi : et hoc planum est secundum supra disputata.

ARTICULUS V.

An omnes teneamur ad oris confessionem ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, A, § 5, post medium : « *Hinc etiam leprosi illi*, etc. »

Ex hoc enim videtur sumi valida argumentatio ad id quod non teneamur ad oris confessionem. Luc. enim, xvii, 14 et seq., dicitur, quod *dum irent, mundati sunt* decem leprosi : et non rediit nisi unus. Et probabile est, quod ille solus in oblatione sacerdoti facta mandatum Christi expleverit, et tamen mundati sunt. Cum igitur reditus significat reditum per gratiarum actionem, et ostensio significat confessionem : videtur, quod sine confessione et gratiarum actione aliquis a lepra peccati mundetur.

Sol. Ad hoc dicendum, quod Dominus in hoc ostendere voluit, quid per se, et quid faceret per sacerdotes. Sacerdotes enim qui in Psalmo [1] dicuntur medici, non suscitant, nec vivificant, nec a culpa sanant : culpam autem significabat lepra, et ideo antequam præsentarent se sacerdoti, mundati sunt, ne crederetur mundatio eorum fieri per sacerdotes : tamen a præsentationis debito et oblationis non absolvebantur, nisi præsentando se sacerdoti, et deobligationem illam manendi extra castra facit Dominus per sacerdotem reconciliantem : non enim reputatur esse in castris spiritualibus Ecclesiæ, qui aberraverit et per sacerdotis ministerium non est reconciliatus. Et non obviat, quod non rediit lepra : quia non in omnibus attenditur similitudo in allegoricis, sed in quibusdam tantum.

[1] Psal. lxxxvii, 11 : *Numquid... medici suscitabunt, et confitebuntur tibi ?*

ARTICULUS VI.

An confessio necessario debet fieri in charitate?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, A, § 5, sub finem : « *Nemo potest confiteri nisi suscitatus*, etc. »

Secundum hoc confessio quæ non fit in charitate, nihil valet. Et hoc etiam videtur,

1. Per id quod inducitur, Eccli. XVII, 26 : *A mortuo, velut qui non est, perit confessio* [1].

2. Adhuc ad idem, Nullum opus mortuum valet ad vitam æternam : sed confessio facta in mortali ante animæ suscitationem, est opus mortuum : ergo non valet ad vitam æternam, nec ad gratiam : quia si valeret ad unum, valeret etiam ad aliud.

Adhuc, Confessio dicitur a *con* et *for*, *faris* : sed ille non simul fatur, qui ore fatur, et non corde : ergo non confitetur : ergo confessio illa non valet.

3. Item, Ambrosius : « Illa confessio reos liberat, quæ fit cum pœnitentia : » pœnitentia vera est dolor cordis et amaritudo animæ pro malis quæ quilibet commisit : sed confessio quæ est extra charitatem, non est confessio cum pœnitentia, licet possit esse cum afflictione : ergo non liberat : ergo non valet, quia non est inventa nisi ad liberandum hominem.

4. Adhuc, Omnis confessio vera et liberalis est cum peccati perfecta detestatione : sed non perfecte detestatur, qui est mortuus adhuc per peccati voluntatem : ergo talis nullam valentem facit confessionem, et tenetur facere valentem : ergo talis adhuc tenetur confiteri.

Sed contra.

Sed contra :

Omne id quod ut causa ordinatur ad aliquid, præcedit illud : sed confessio ut causa ordinatur ad justificationem : ergo præcedit illam. Prima patet per se. Secunda scribitur in *Littera* sequentis capituli, ubi dicit : « Non potest quisquis justificari, etc. »

Inde proceditur sic :

1. Omne illud quod præcedit justificationem, præcedit charitatem : confessio præcedit justificationem : ergo præcedit charitatem : ergo non oportet, quod homo sit vivus per gratiam et charitatem qui confitetur.

2. Adhuc, Confessio fit ut confessor sit instructus de qualitate et quantitate peccatorum : sed hoc æqualiter potest fieri in gratia et extra gratiam : ergo æqualiter valent confessiones in gratia et extra gratiam factæ.

3. Adhuc, Confessio in aliquo differt a contritione et satisfactione : cum enim contritio sit cordis, et satisfactio operis, confessio erit oris : sed os ad pronuntiandum æqualiter est liberum in peccatore et habente gratiam, licet non sint æque liberi ad merendum in opere et corde : ergo videtur, quod confessio æque vere fiat ab habente gratiam et non habente.

4. Adhuc, Nemo tenetur ad impossibile sibi : ad confessionem autem omnis homo tenetur ex præcepto : ergo modus confessionis non est impossibilis sibi : sed impossibile est nobis habere gratiam, quia ad gratiam habendam non possumus ex nobis : ergo non tenemur confiteri in gratia.

5. Adhuc, Quod æqualiter imponitur peccatori et justo, debet et oportet fieri modo qui competat utrique, scilicet et peccatori et justo : sed confessio imponitur æqualiter peccatori et justo : ergo oportet fieri modo competenti utrique : sed iste modus non est ut fiat cum gratia, sed potius ex libero arbitrio : ergo confessio non est actus gratiæ, sed liberi ar-

[1] Vulgata habet, Eccli. XVIII, 26 : *A mortuo, quasi nihil, perit confessio.*

bitrii tantum : ergo non exigitur, quod fiat in gratia.

6. Adhuc, In aliis quibusdam corporalibus actibus injunctis in pœnitentiam absolvitur homo, etiamsi faciat extra charitatem existens : sicut si alicui injungatur dare centum marcas, et dedit eas extra charitatem, non injungitur ei ut det iterum cum habuerit charitatem. Similiter, si injunctum est ei Romam vel ultra mare transire. Cum igitur confessio sit actus corporalis pœnitentiæ, si fit extra charitatem, non debet injungi quod faciat iterum : sed si nihil valet extra charitatem facta, injungeretur ei, quod iterum faceret : ergo, etc.

7. Adhuc, In alio sacramento quod est necessitatis, ut est Baptismus : et aliis quæ non sunt necessitatis, ut Confirmatio et Ordo, potest recipere sacramentum : et incipit valere ex quo recedit fictio. Cum igitur Pœnitentia sit sacramentum necessitatis, videtur habere aliquid tale : non autem potest esse in contritione et satisfactione : ergo hoc erit in confessione : ergo confessio facta in mortali valet, et etiam ad vitam æternam valere incipit ex quo recidit fictio.

8. Adhuc, Eccle. IX, 1, dicitur, quod *nescit homo utrum amore an odio dignus sit* : si ergo tenetur aliquis in charitate confiteri, et non potest hoc fieri nisi sciat se habere charitatem, et non potest hoc scire, sequitur quod nescit se fecisse confessionem : ergo omnis homo perplexus est in hac parte, et tota die erunt repetendæ confessiones : nec homo per totam vitam aliquid facere debet nisi confiteri, ut saltem valeat una : ergo, etc.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quod duo sunt in confessione, unum ex parte confitentis, alterum autem ex parte confessionem audientis. Ex parte confitentis est actus ipse, secundum quod est ab agente, ut rubor et pœna in enarrando. Ex parte autem audientis est notitia morbi latentis et circumstantiarum ejus. Dico ergo sine præjudicio, quod illud quod est ex parte confitentis, nihil valet ad justificationem et meritum vitæ æternæ, nisi confitens sit in charitate : valet tamen ad facilius gratiam impetrandam, et humiliationem confitentis, et ad alia quædam ad quæ dicuntur valere bona illa quæ vocantur de genere bonorum extra charitatem facta. Quantum autem ad id quod est ex parte audientis, videtur mihi, quod simpliciter valet quoad hoc quod præcepta Ecclesiæ solvit, et deobligatur a debito confitendi : et quod ipse non consequitur effectum clavium in diminutione pœnæ, hoc est per accidens, scilicet quia fictus est : et quia effectus clavium fundatur plus super passionem Christi, quam supra meritum humanum, videtur mihi quod recedente fictione, si non intercidat aliud peccatum confessionem et satisfactionem injunctam, valebit ei effectus clavis cui se subdidit, recedente fictione.

AD ID ergo quod objicitur de *Littera* ad omnia illa quæ inducuntur pro parte illa : dicendum, quod omnia illa loquuntur de eo quod est in confessione ex parte confitentis, secundum quod valent ad gratiam et vitam æternam : secundum autem quod valent ad vicinandum se gratiæ, non loquuntur, nec procedunt objectiones, nec valent etiam de eo quod est in confessione ex parte audientis et vis clavium quæ operantur per audientem : et hoc modo vera sunt, et alio modo falsa. Ad 1, 2, 3

AD PRIMUM autem quod objicitur in oppositum, dicendum quod confessio optima est in gratia, nec ordinatur ad justificationem ut causa præcessione temporis, sed nec secundum illum modum prioris quem dicit Philosophus, quod prius causa est prius natura : ordinatur autem sic primo prout in voto supponitur ab actu contritionis, et non prout est in actuali enarratione peccatorum. Ad objecta

AD ALIUD dicendum, quod confessio licet sit ad hoc, non tamen tantum est ad hoc : imo multas causas habet ex parte confitentis, ex quibus ipsa efficitur pars pœnæ, ut in *Littera* præcedentis distin- Ad objecta

ctionis dicit Augustinus : et ideo illud argumentum procedit a diminutione.

Ad object. 3. Ad aliud dicendum, quod pronuntiatio dupliciter consideratur, scilicet in substantia cum forma debita pœnitentis pronuntiationis, in quantum est pœnitens : et primo quidem modo verum est, quod concludit ratio illa : secundo autem modo falsum est. Nec potest concludi per argumentum illud, quia forma totius est in omnibus partibus : et hæc est gratia pœnitentialis, licet in forma partium differant partes inter se.

Ad object. 4. Ad aliud dicendum, quod *impossibile* dupliciter dicitur, scilicet id in quod nullo modo possumus, nec aliquid facere, quo facto illud fiat, sicut subvertere montes impossibile est nobis : et hoc non præcipitur alicui. Secundo modo dicitur nobis *impossibile*, quod in se non possumus, sed possumus aliquid, quo facto illud inevitabiliter fiet : et hoc ratione antecedentis quod est in potestate nostra, et quodammodo possibile est nobis, et hoc est habere gratiam : quia si fecerimus quod in nobis est, Deus inevitabiliter dabit nobis gratiam : et hoc ratione antecedentis potest esse in præcepto : et hoc secundum opinionem eorum qui dicunt, quod forma operis est in præcepto, et non tantum operis substantia.

De hoc invenies multa ante finem tertii hujus operis.

Ad object. 5. Ad aliud dicendum, quod licet æqualiter præcipiatur justo et peccatori : justo, inquam, qui aliquid habet confiteri : non tamen intenditur, quod peccator remanens peccator faciat, sed potius justificatus per confessionem. Si tamen facit peccator existens, valet ei quantum ad ea quæ sunt confessionis ex parte audientis confessionem, ut dictum est : et etiam ad quædam alia, licet non ad meritum vitæ æternæ.

Ad object. 6. Ad aliud dicendum, quod in corporalibus actionibus gravibus etiam distinctio habet locum : talia enim præcipue habent duo, scilicet, actionem et passionem : similis enim actio est exercitium ipsum dandi vel peregrinandi : et hoc attenditur secundum radicem ex qua procedit : et si illa est gratia, opus est meritorium. Si autem est bona de genere bonorum, est ipsum opus de genere bonorum : tamen non facit opus meritorium, sed valet ad vicinandum se gratiæ. Passio autem est effectus actionis, et hanc magis intendit confessor injungens pœnas excidentes petulantiam peccatorum, ex qua lasciviens peccavit : sicut pœna damni efficitur a datione eleemosynæ, et hæc pœna manet in eo qui dedit, etiam postquam datio præterivit : et pœna debilitatis membrorum manet apud peregrinantem, etiam postquam peregrinatio præterivit. Unde sicut diximus, quod passiones martyrum dupliciter considerantur, scilicet, in quantum est passio tantum, et in quantum est voluntas martyrum circa illam : et primo quidem modo non meretur, secundo autem modo meretur : ita videtur dicendum, quod hæc pœna manens dupliciter consideratur, scilicet in quantum est pœna manens, et nihil valet ad meritum, licet valeat ad petulantiæ domationem : et in quantum est voluntas circa eam : et si illa habet gratiam post factum etiam, eo quod pœna manens potest habere voluntatem circa se quæ sequitur opus, tunc dico, quod illa pœna manens sic informata, incipit valere ad vitam æternam : eo quod placet ei damnificatum esse propter Deum, et debilitatum in honore Dei. Sic autem pœnosa non est confessio, quoad pœnam manentem post actum confessionis : et ideo non est simile.

Concedo tamen, quod ex parte audientis valet ad absolutionem debiti confitendi, et ad alia quæ supra dicta sunt.

Ad object. 7. Ad aliud dicendum, quod non est omnino simile de Baptismo, Confirmatione, Ordine, et Pœnitentia : quia in illis imprimitur character qui manet, et gratia cujus operari incipit sacramentum recedente fictione : sed in Pœnitentia nullus omnino character imprimitur spiritualis : et tunc non operatur ipsa præcedens ope-

ratio ut operatio fuit, quia nec intus nec extra mansit : tamen ratione contritionis et pœnitentiæ novæ datur gratia nova, et non tenetur confiteri ratione supra dicta.

Ad object. 8. AD ALIUD dicendum, quod licet nemo sciat se certitudinaliter habere charitatem, tamen hoc opinari potest ex signis, si displicet peccatum, et adest votum confitendi vel satisfaciendi, et peccatum perpetue detestandi : et hoc sufficit nobis in hac vita, quia non potest amplius hic exigi a nobis, quam possibile est nobis solvere.

Et per hoc patet solutio ad omnia quæsita.

ARTICULUS VII.

An sicut anima est vita corporis, ita Deus est vita animæ ?

Deinde quæritur de hoc quod dicitur, ibi, A, §, 5 in fine : « *Quæ ut est vita corporis, ita ejus vita Deus est.* »

Videtur enim hoc esse falsum : quia

1. Ipsa est vita corporis per naturam, quia est actus corporis potentia vitam habentis : hujusmodi autem est quodcumque organicum : Deus autem non est vita animæ nisi per gratiam : ergo nulla videtur esse similitudo.

2. Adhuc, ut dicit Philosophus, egrediente anima, exspirat corpus et marcescit : sed recedente Deo ab anima, adhuc vivit anima : ergo videtur, quod nulla hinc inde sit similitudo vitæ.

Si forte dicas, quod omnia in nihilum caderent, nisi manus Omnipotentis teneret, ut dicit Gregorius : et ita recedente Deo ab anima, decideret in nihilum anima : sicut corpus decidit, anima recedente præsentialiter. CONTRA : Secundum hunc modum contentionis quo ipse essentialiter, præsentialiter, et potentialiter est in omnibus, non magis continet justi animam, quam peccatoris : hic autem loquitur de morte qua moritur peccator : ergo patet, quod illud nihil est ad propositum, et non est instantia.

Præterea, Illo modo continendi non minus continet corpus quam animam, nec animatum quam inanimatum, vel e converso : sed in *Littera* non loquitur nisi de habente gratiam et non habente : ergo patet, quod non est instantia ad objectionem inductam.

ULTERIUS quæritur, Utrum vita qua Deus vivificat animam, conveniat ei secundum essentiam vel potentiam ? Quæ

Videtur, quod secundum essentiam : quia

1. Vivere viventibus est esse : et esse est actus essentiæ potius quam potentiæ.

2. Adhuc, Vita animæ per prius est actus essentiæ corporis, quam organi corporalis. PROBATIO. Quidquid enim ad aliquid se habet ut actus primus, et ad aliquid ut actus secundus, per prius convenit ei quod recipit ipsum ut actum primum, quam ei quod ut actum secundum ipsum recipit : anima autem ad corporis organici essentiam se habet ut actus primus, et ad organum ut actus secundus, quia movet ipsum ad opera : ergo per prius convenit corporis essentiæ quam organo. Sed si sic se habet Deus ad essentiam animæ et potentiam, sicut anima ad corporis essentiam et organum : ergo vita divina per prius convenit essentiæ animæ quam potentiæ.

SED CONTRA : Sed cont.

1. Vita non dicitur nisi dupliciter, scilicet naturæ, et secundum bene esse : bene autem esse est secundum ordinem vivere, et hoc non est nisi secundum ordinem et distinctionem potentiarum : ergo vivere secundum bene esse, per prius convenit potentiæ quam essentiæ : et tale est vivere Dei in gratia : ergo per prius convenit potentiæ quam essentiæ animæ.

2. Adhuc, Vita etiam dicit secundum

bene esse in sensu, secundum quod dicitur vita voluptas : sed voluptas est secundum potentias prius, quam secundum essentiam : ergo in ratione similiter erit vivere secundum esse rationem prius secundum potentiam, quam secundum essentiam.

lutio. 1 et 2. Responsio. Dicendum, quod non in omnibus est similitudo, sed in quibusdam : sicut scilicet in hoc, quod sicut anima indeficiens principium est vitæ corporis quantum est de se : et si corpus non vivificatur indifferenter ab ipsa, quod hoc non est ex parte animæ, sed potius propter corruptionem ipsius corporis : ita et Deus indeficiens principium est vitæ animæ de se : et si anima non semper vivificatur, hoc accidit propter ipsius animæ corruptionem, et a fonte vitæ aversionem.

Item in hoc est similitudo, quod nulla vita est in corpore nisi ea quæ est continuus actus animæ in corpore, cujus esse est fieri continue ab ipsa anima, ut videtur etiam dici in libro de *motu cordis* : ita nulla vita gratiæ est in anima nisi per continuam præsentiam Dei inhabitantis in nobis per gratiam. Dissimilitudo tamen est in hoc, quod Deus non unitur animæ ad constitutionem alicujus tertii, sicut anima corpori unitur. Et in hoc, quod Deus non est actus naturalis animæ, sicut anima corporis : et in plurimis alliis.

Et per hoc patet solutio ad primum et secundum.

Et bene concedendum est, quod instantia inducta licet in se quamdam veri apparentiam contineat, tamen non instat ad propositum.

quæst. Ad id quod ulterius quæritur, dicendum quod vivere illud dupliciter dicitur, scilicet secundum objectum vitæ quod est bonum in statu gratiæ et gloriæ, et secundum habitum vitæ : et objectum quidem prius respicit potentiam, quia anima illius capax est per rationem et voluntatem : secundum habitum autem vitæ per prius est in anima secundum essentiam, et in potentia per consequens.

Ad primum dicendum, quod non est simile de vita naturæ, et vita gratiæ : quia vita naturæ est actus essentialis animæ, vita autem gratiæ per metaphoram, et accipitur secundum bene esse : et hoc est esse optime secundum bonum rationis, et ideo oportet esse per perceptionem illius quod vivificat secundum rationem et intellectum : et hæc perceptio est apprehensio boni quod est Deus, et affectio circa ipsum : hoc autem primo fit secundum potentiam, et per consequens secundum essentiam : et ideo non est simile quod pro simili inducitur. Ad 1.

Ad aliud dicendum, quod non eodem modo anima est actus corporis, et objecti ratio actus potentiæ : quia anima est actus corporis dans sibi esse, quod est vivere in viventibus tantum, vel sentire in sentientibus, et intelligere intelligentibus : sed vivere hoc modo dictum, non est vitam exercere vel sensum vel intellectum, sed potius esse viventis habere, et esse sentientis, vel esse intellectivum : sed quando objecti ratio sive species dicitur actus potentiæ recipientis ipsum, intelligitur actus quidem inferens passionem alicui rei cui infert se, ut color oculo, et sonus auditui secundum actum facto, et sic de aliis. Ad 2.

ARTICULUS VIII.

An in pœnitente confessio præcedit justificationem?

« *Dic tu iniquitates*, etc. »

Ex hoc videtur, quod dictæ iniquitates præcedunt justificationem : sed ante justificationem est homo in mortali peccato : igitur secundum hoc confessio semper fit adhuc existente confitente in peccato mortali.

CONTRA : Homo justificatur in contritione : et confessio sequitur contritionem : ergo sequitur justificationem : ergo confessio est justificati.

Solutio

RESPONSIO, quod confessio operans in voto cum contritione operatur justificationem : et hoc modo procedit eam necessario, non tempore, sed natura. Sed confessio in actu accepta non operatur aliter, nisi absolvendo a debito confessionis, quod justitiæ est.

DIVISIO TEXTUS.

« *Non potest quisquam justificari a peccato*, etc. »

De justificatione impii quæruntur hic novem.

Primo, Quid sit?

Secundo, Quæ exiguntur ad impii justificationem?

Tertio, De ordine illorum.

Quarto, Utrum sit naturalis vel miraculosa?

Quinto, Cujus attributi sit effectus proprius?

Sexto, Quid sit motivum ad ipsam?

Septimo, Utrum sit opus justitiæ, vel misericordiæ, vel utriusque?

Octavo, De comparatione ipsius ad dilectionem, et vocationem, et magnificationem.

Nono, De comparatione ipsius ad sanationem mentis et innovationem imaginis.

ARTICULUS IX.

Quid sit justificatio impii?

DE PRIMO, scilicet quid sit justificatio impii? Bernardus : « Justificatio est revelatio divini consilii. »

Glossa autem super epistolam ad Roman. VIII, 1 et seq. : » Justificatio est remissio peccatorum, et consummatio bonorum operum. »

Quidam autem sic diffiniunt : « Justificatio est effectus justitiæ generalis, qua de impio fit pius.»

CONTRA PRIMAM diffinitionem sic objicitur :

1. Revelatio divini consilii non est nisi secundum intellectum in anima : justificatio autem fit secundum omnem partem ipsius : ergo justificatio non est revelatio divini consilii.

2. Item, Revelatio divini consilii fit in prophetia, et facit donum prophetiæ : donum autem prophetiæ non necessario ponit in gratia gratum faciente : ergo nec revelatio divini consilii : sed justificatio semper ponit hominem in statu gratiæ gratum facientis : ergo, etc.

3. Item, Revelatio divini consilii æqualiter fit bonis et malis : justificatio autem non nisi bonis : ergo, etc. PROBATIO primæ. Revelavit Deus consilium suum Nabuchonodosor, Daniel. II, 29 : *Deus qui revelat mysteria, ostendit tibi quæ ventura erant*, etc. Et Isaiæ revelavit Deus, et etiam multis aliis bonis.

4. Item, Videtur inconvenienter dicere revelationem divini consilii : quia justificatio est effectus prædestinationis, quæ est de gratia in præsenti, et gloria in futuro, et non est effectus consilii quod est immobilis dispositio de futuris sive bonis sive malis : ergo potius deberet dici : Justificatio est revelatio divinæ prædestinationis, quam divini consilii.

CONTRA SECUNDAM sic objicitur :

1. Remissio enim peccatorum est effectus gratiæ, et justitia differentem habet rationem a gratia : ergo justificatio non bene diffinitur per remissionem peccati.

2. Præterea, Proverb. X, 12, dicitur, quod multitudinem peccatorum operit

charitas [1] : ergo remissio peccatorum magis attribui debet charitati, quam justificationi.

3. Item, Multitudo peccatorum dupliciter deleri potest, scilicet per illud quod contrariatur ei in genere, vel per illud quod contrariatur ei in specie. Culpæ autem in genere non contrariatur justitia, sed gratia : ergo deletivum ejus in genere est gratia, non justitia : sed in specie non opponitur ei virtus una, sed multæ, quia alia fornicationi, alia avaritiæ, et sic de aliis : ergo deletivum ejus in specie non est unum, sed multæ virtutes vel omnes : ergo hoc non est attribuendum justitiæ.

4. Item, Cum virtutes theologicæ sint efficaciores quam cardinales, remissio peccatorum potius debet attribui virtuti theologicæ quam cardinali : sed justitia est virtus cardinalis : ergo non debet attribui justitiæ.

5. Similiter objicitur de hoc quod dicitur justificationem esse consummationem bonorum operum. Videtur enim hoc falsum : quia consummatio rei sequitur rem factam secundum ordinem naturæ et rationis : sed justificatio præcedit opera bona ratione et natura : ergo justificatio non est consummatio bonorum operum.

6. Item, Lex præcipit opera : ergo quod est consummatio legis, est consummatio operum : sed charitas est consummatio legis, ut habetur, ad Roman. XIII, 10, et I ad Timoth. I, 5, [2] : ergo charitas est consummatio operum.

CONTRA TERTIAM sic objicitur :

1. Dicit Philosophus in V *Ethicorum*, quod justitia generalis, eadem est quod omnis virtus differens ratione : ergo si justificatio est effectus justitiæ generalis, justificatio est effectus omnis virtutis : sed effectus virtutum sunt divisi, sicut et ipsæ virtutes divisæ sunt : ergo justificatio non est unum solum.

2. Item, In justificatione infunduntur virtutes : et id quod infunditur in alio non est illud : ergo justificatio non est omnis virtus, vel effectus omnis virtutis : et justitia generalis est omnis virtus : ergo justificatio non est effectus justitiæ generalis.

3. Item, De impio facere pium, non est virtutis specialis nisi secundum quid, sed potius gratiæ in genere : ergo hoc non est justitiæ.

Solutio. Ad primam diffini.

RESPONSIO, quod prima non est diffinitio, sed potius, ut dicit Bernardus, quoddam consequens justificationem per accidens. Consilium enim divinum quod est immobilis dispositio futurorum, in quolibet suo effectu propalatur : quia nos non venimus in causam divinam, nisi per effectum : unde cum Deus disposuit alicui dare gratiam, hoc latet antequam fiat : cum autem innotescit per signum, tunc revelatur, et hoc consequitur justificationem per accidens, scilicet in quantum est divinum consilium nobis notum per signa : et ideo non est concedendum, quod sit diffinitio.

Ad 1.

AD PRIMUM ergo, quod objicitur contra primam diffinitionem dicimus, quod duplex est revelatio, scilicet per inspirationem veri occulti, per illuminationem intellectus, et per effectum : et prima fit secundum intellectum : secunda autem cuilibet rei convenit manifestare per opus suum.

Ad 2.

AD ALIUD dicendum, quod in dono prophetiæ est revelatio per inspirationem, et non ostensio divinæ voluntatis sive beneplaciti per opus. Consilium enim hoc restringitur tantum ad ea de quibus est dispositio conferendi gratiam. Et per hoc etiam patet solutio ad sequens.

Ad 3.

AD ALIUD dicendum, quod manifestatio

[1] Proverb. X, 12 : *Universa delicta operit charitas.*

[2] Ad Roman. XIII, 10 : *Plenitudo legis est dilectio.* I ad Timoth. I, 5 : *Finis præcepti est charitas*, etc.

ista qua homo sibi manifestatur, est tantum per effectum gratiæ, et hoc non convenit nisi bonis.

Ad 4. AD ALIUD dicendum, quod *consilium* sumitur hic pro diffinitione in notitia beneplaciti de danda gratia futura : hoc enim consilium et propalatur et revelatur in justificatione, quando gratia apponitur.

Ad secundam diffinit. AD ID quod objicitur de secunda, dicendum quod describitur ibi justificatio per proprium suum effectum : cum enim justificatio dicit factum justum vel justificationem, si sumatur pro facto justo, dicit terminum motus cujusdam, qui est a peccato ad justitiam generalem : et cum termini motus sint contrarii, justitiæ generalis erit delere et remittere peccatum, sicut contrarii formalis : et ideo sic loquendo, remissio peccati proprius effectus erit justitiæ. Si autem dicat ipsum fieri justum vel justificationem : tunc adhuc erit expulsio peccati, et inductio justitiæ : sicut dealbatio est expulsio nigredinis, et inductio albedinis.

Ad 1. AD OBJECTUM autem contra, dicimus quod nihil prohibet idem a diversis considerari in diversa ratione consideratum : peccatum enim tria facit in anima. Primo avertit a bono incommutabili, et secundo pervertit ordinem rectum virium ad invicem, et ad superius, et ad id quod juxta est, et ad id quod infra est. Tertio etiam corrumpit vires in comparatione ad opera specialia et particularia. Et ideo in motu justificationis tria sunt quæ perficiunt animam : quorum primum est gratia contraria peccato avertenti et turbanti imaginem Dei. Secundum autem, justitia generalis reordinans vires in statum rectum et debitum sibi ad invicem, ut ratio regat et aliæ regantur, et ad superius, et ad æquale, et ad inferius. Tertium est infusio omnis virtutis perficientis singulares potentias ad opera singularia.

Quæst. SED TUNC quæritur, Quare potius a medio statu quam ab ultimo vel primo denominatur motus iste ? scilicet, quare potius dicatur *justificatio*, quam gratificatio, vel virtutum infusio, vel perfectio ?

Solut. RESPONSIO. Dicendum, quod gratia de se non dicit nisi gratitudinem ad Deum : sed in conversione multo plus est, et ideo a gratia imperfecte denominaretur. Ab ultimo autem denominari non potest : quia hoc dicit perfectionem ad singulares actus, et justificatio dicit statum rectitudinis in universali.

Ad 2. AD ID ergo quod secundo objicitur de secunda diffinitione, dicimus quod charitas non operit multitudinem peccatorum, ut generale operimentum contrarium peccato formaliter, sed potius sicut forma meriti in quantum meritum : quia quantitas meriti secundum quantitatem attenditur charitatis.

Ad 3. AD ALIUD dicendum, ut prius patuit, quod tres sunt peccati considerationes : et ideo ratio procedit a diminutione.

Ad 4. AD ALIUD dicimus, quod virtutes theologicæ, non sunt generales : et ideo non potest eis attribui pro effectu rectitudo generalis.

Ad 5. AD ALIUD dicendum, quod consummatio operum dicitur dupliciter, scilicet vel in causa, vel in effectu : in effectu quidem sequitur opera, et in causa præcedit. Et illa quæ est in causa, dicitur adhuc dupliciter, scilicet, vel in causa habituali, vel in causa efficienti. In causa quidem habituali perficit opera omnis virtus infusa, sed ex parte efficientis justitia generalis est consummatio operum, quia consummat operantes vires ad superius, et ad se, ad proximum, ut dictum est.

Ad 6. AD ALIUD dicendum, quod charitas est consummatio operum, sicut motivus habitus in terminatione proprii finis ad omnem actum movet charitas : et propter bonum quod est finis ejus : et sic ipsa non est terminus illius motus quo movetur qui de impio fit pius : sed justitia generalis perficit, ut ponens vires animæ in statu recto et debito secundum naturam.

Ad tertiam diffinit. Ad 1 et 2. AD ID quod objicitur contra tertiam diffinitionem dicendum, quod *justitia* multi-

pliciter dicitur. Dicitur enim justitia divina et humana. De divina nihil ad præsens. Humana autem dicitur tripliciter, scilicet genus, et generalis, et specialis. *Genus* autem est idem virtuti in genere : sed dicitur *justitia*, in quantum concordat ordinationi legis, propter quod et Philosophus *legalem* eam vocat. Virtus autem in quantum perficit animam sive potentiam ad actum. *Generalis* autem est habitudo quædam, quæ dicit rectum statum virium, ut dictum est, ex gratia resultantem : et de ista intelligitur, quando dicitur, quod justificatio justitiæ est effectus. Sed *specialis* est, quæ in commutationibus reddit unicuique quod suum est.

1 bi 2. Et per hoc patet, quod nihil est quod objicitur de justitia, quæ est genus : quia non idem est genus et generale.

Et per hoc patet etiam solutio ad sequens : generalis enim justitia potius est habitudo quædam ex gratia resultans, quam sit habitus virtutis.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod de impio fit pius tripliciter, ut in principio solutionis secundæ diffinitionis dictum est : hæc tamen, ut bene intelligantur, dependent a quæstionibus quas alibi de *justitia* disputavimus.

ARTICULUS X.

Quæ sint illa quatuor quæ requiruntur ad justificationem impii ?

Ad secundum sic proceditur :

Dicitur ab omnibus, quod quatuor exiguntur ad justificationem impii, scilicet infusio gratiæ, motus liberi arbitrii in peccatum sive contritio, quod idem est, motus liberi arbitrii in Deum, et remissio peccati. Hæc autem notantur in Psalmo lix, 4 : *Commovisti terram* : ecce primum. *Et conturbasti eam :* ecce contritio. *Sana contritiones ejus* : ecce remissio peccati. *Quia commota est :* ecce motus liberii arbitrii in Deum.

Sed contra hoc objicitur : quia

1. Dicit Bernardus : « Timore vocamur ad Deum, amore autem justificamur : » ergo duo præter dicta quatuor exiguntur, scilicet timor, et amor.

2. Item, Proverb. xv, 27 : *Per misericordiam et fidem purgantur peccata :* ergo plura quam dicta sunt, exiguntur.

3. Item, Act. xv, 9 : *Fide purificans corda eorum :* sed justificatio non est aliud quam cordis a peccato depuratio ; ergo fides ad justificationem exigitur.

4. Item, Videtur quod charitas exigatur : quia dicit Augustinus, quod hæc sola est quæ dividit inter filios regni et filios perditionis : sed filii regni sunt, qui sunt conformes imagini filii ejus : sicut dicitur, ad Roman viii, 29 : ergo, etc.

Item, Luc. vii, 47 : *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Et ex hoc sequitur idem quod prius.

5. Item, Chrysostomus super *Joannem* : « Recogitemus cum diligentia omnia quæ secundum anterius tempus facere præsumpsimus, et studeamus ea abstergere omnifariam : multas enim Deus nobis ad hoc aperuit vias. Dic enim tu (ait) peccata tua ut justificeris [1]. Et rursus, Psal. xxxvii, 19 : *Iniquitatem meam annuntiabo, et dolor meus,* etc. Nec enim parum nobis prodest ad diminuendam peccatorum nostrorum magnitudinem continua eorum accusatio et memoria. Est et hac manifestior via, ut nulli eorum qui in nos peccaverunt, memoriam malorum habeamus. Vis tertiam discere ? audi Danielem, iv, 24 : *Peccata tua eleemosynis redime,* etc. Est utique et alia cum hoc orationum continuitas, et etiam insistere cum exspectatione his quæ ad Deum sunt deprecationibus, quæ non parvam nobis afferunt consolationem. Similiter, et je-

[1] Isa. xliii, 26 : *Narra si quid habes ut justificeris.*

junium, quod cum proximi charitate exstinguit vehementiam iræ Dei : ignem enim inflammatum exstinguit aqua, et eleemosynæ expurgant peccata[1]. » Ex his verbis habetur, quod quinque sunt quibus expellitur peccatum, et induitur justitia : et nullum horum supra est numeratum : ergo diminuta est illa numeratio.

Sed videtur, quod sint pauciora : quia

1. Infusio gratiæ aut per se sufficit ad justificationem, aut non. Si sic : ergo nullum aliorum exigitur. Si non. Contra : Quia albedo sufficit per se ad albationem, et formæ spirituales perfectiores sunt quam corporales in operationibus : ergo multo magis gratia per se sufficit ad justificationem.

2. Item, In corporalibus mutationibus non est alia mutatio subjecti, nisi expulsio unius formæ et inductio alterius : et non oportet ut subjectum moveatur ad artificem vel ad colorem expellendum : ergo similiter in spirituali mutatione non exigitur nisi expulsio peccati et infusio gratiæ : et non oportet quod liberum arbitrium moveatur in Deum, vel in peccatum : et sic duo sufficiunt.

Idem, Quæritur de singulis eorum quatuor :

1. Cum enim justificatio denominetur a justitia, potius debet dici quod exigitur ibi infusio justitiæ, quam gratiæ.

2. Præterea, Ille motus aut est intellectus tantum, aut intellectus simul et affectus, aut affectus tantum. Si intellectus. Contra : Virtus magis est ex parte affectus, quam intellectus : et virtus maxime operatur ad justificationem ergo motus ille maxime debet esse ex parte affectus.

3. Præterea, Motus liberi arbitrii in Deum est meritorius et gratia informatus, aut non. Si sic : omnis talis motus est consequens justificationem et gratiam : ergo ille justificationem consequitur : sed quod essentialiter sequitur ad aliud, non exigitur ad ipsum ut causa : ergo motus liberi arbitrii in Deum non exigitur, ut causa ad justificationem : ergo male ponitur inter justificantia.

4. Item, Motus intellectus in Deum communis est justificatis et non justificatis : ergo non proprie exigitur ut enumeretur inter ea quæ justificant impium.

5. Item, Quæritur de remissione peccati : quia hæc idem videtur esse cum infusione gratiæ : quia, sicut vult Philosophus, generatio unius est corruptio alterius.

6. Similiter objicitur de motu liberi arbitrii in peccatum. Hic enim motus est recognitionis peccati : et hic motus communis est omnibus bonis et malis.

7. Præterea, Est unum argumentum commune supradictæ divisioni et isti membro : quia in quodcumque movetur liberum arbitrium, ipsum potest in illud : si ergo liberum arbitrium sive per intellectum sive per affectum sive per utrumque movetur in Deum et in peccatum, tunc ipsum ex se potest in Deum et in peccatum, quod falsum est : ergo hæc non exiguntur ad justificationem impii.

Sed contra hæc omnia membra simul objicitur :

Ille enim motus liberi arbitrii in Deum et in peccatum, aut est gratum faciens, aut naturalis tantum. Si primo modo : ergo consequitur justificationem, sicut motus gratum faciens consequitur justificationem operantis : quia dicit Augustinus, quod « non operamur jus ut justi simus : sed potius justitiam accipimus a Deo, ut operemur. » Si autem est liberi arbitrii motus naturalis, cum tali non debeatur aliqua justificatio, videtur incongrue poni inter justificantia.

Solutio. Dicendum, quod hæc quatuor exiguntur ad impii justificationem. Solutio

Duo sunt facientia justificationem :

[1] S. Joannes Chrysostomus, Super Joannem, Homil. VI.

unum quod est ut agens per habitum quem creando dat in corde contrarium peccato, et hoc est Deus : et alterum quod est ut disponens et præparans subjectum, et obediens operanti primo quod est Deus. Et ita dico, quod penes operans per habitum quem creando dat, duo accipiuntur : unum scilicet penes terminum ad quem est motus justificationis, et hoc modo est infusio gratiæ : alterum autem penes terminum a quo, quod est remissio peccati.

Penes autem dispositiones duo accipiuntur : unum penes terminum a quo, et hoc est motus liberi arbitrii in peccatum detestando et expellendo ipsum : alterum autem penes terminum ad quem, gratiam recipiendo et amplectendo, et hoc est motus liberi arbitrii in Deum. Si autem quæritur, quare exiguntur hæc duo moventia? Dico, quod ut dicit Augustinus, « Qui creavit te sine te, non justificabit te sine te : » sed te justificabit tecum. Sicut enim in subjecto in quo per gluten aliqua tenetur nigredo, impossibile est induci albedinem, nisi solvatur gluten illud : ita impossibile est in anima induci gratiam, nisi solvatur mala voluntas tenens peccatum : et hæc non solvitur nisi non moveatur in peccatum et in Deum.

Et hæc est causa quare antiqui Doctores hæc quatuor in justificatione impii esse posuerunt.

11. Ad primum ergo dicendum, quod quædam sunt præcedentia justificationem tamquam inclinantia ad illam ut causæ : et illa tangit Bernardus. Sed Magistri non tangunt nisi ea in quibus perficitur ipse motus justificationis.

12. Ad aliud de Proverbiis dicendum, quod illa delent peccatum per modum meriti, et non solum peccatum in culpa, sed etiam in pœna sibi debita.

Ad aliud dicendum, quod illud de Actibus intelligitur de purificatione phantasiarum ab intellectu. Vel potest dici, quod motus fidei comprehenditur sub motu liberi arbitrii in Deum : et similiter motus amoris quem ponit Bernardus, et motus timoris casti comprehenditur sub motu liberi arbitrii in peccatum. Et hoc qualiter sit, infra patebit.

Ad aliud dicendum, quod charitas non requiritur expressa, sed tantum amor suppositus in motu liberi arbitrii in Deum. Et quod dicitur quod charitas remittit peccata, intelligitur per modum meriti, et non per modum de essentia motus justificationis. Ad 4.

Ad aliud dicendum, quod Chrysostomus loquitur de dimittentibus peccata in pœna per modum satisfactionis, et non de remissione culpæ tantum : et hæc quidem multa sunt, sed illa quæ hic enumerat, principalia sunt. Ad 5.

Ad id autem quod objicitur in contrarium, dicendum quod suo modo sufficit infusio gratiæ, sicut forma in natura : illa enim per se sufficit ad materiam perficiendam, sed non ut motus sit : quia plura sunt principia motus quam entis compositi : unde sicut ibi exiguntur dispositiones præparantes materiam, et privatio et forma ad hoc quod sit mutatio ad formam : et hæc non causant imperfectionem formæ, sed potius sunt propter imperfectionem materiæ quæ perficitur a forma : ita et hic. Unde gratia infusa perfectissima est ad perficiendum liberum arbitrium et totam animam : quando tamen anima est sub peccato tamquam sub privatione gratiæ, ipsa est imperfecta : et ideo oportet quærere dispositiones facientes peccatum solubile, et gratiam depellentem privationem : et ideo sicut in motu naturæ, ita et in motu gratiæ plura exiguntur. Ad 1.

Et quod objicitur, intelligitur de perfectione formæ in perficiendo materiam, et non de perfectione ejus in principiando mutationem : quia plura necessaria sunt ad mutationem, quam ad entis compositionem, ut dictum est, tam in corporalibus, quam in spiritualibus.

Ad aliud dicendum, quod in mutationibus corporalibus oportet esse disposi- Ad 2.

tiones, quæ solubiles faciunt privationes a materia sive formas contrarias, in quibus supponitur privatio formæ inducendæ : sicut patet in aere qui dicitur fieri ignis : oportet enim arefacere humidum quod tenet aerem, antequam depellatur aeritas, et induitur igneitas. Et similiter est hic, quod voluntas aversa a Deo, et diligens peccatum, est sibi dispositio tenens peccatum in anima et impediens gratiæ inductionem. Sed voluntas mota in Deum et contra peccatum, est sibi dispositio inclinans ad peccati expulsionem, et introductionem justitiæ et gratiæ.

Ad 1 et 2. Ad aliud dicendum, quod sicut diximus in præcedenti quæstione, infusio gratiæ primum est, quam consequitur rectitudo virium et perfectio ad opera : et cum hic enumerantur tantum principia essentialia justificationis, non tangitur hic nisi gratiæ infusio, et non collatio justitiæ vel virtutum : quia ex infusione gratiæ ista duo resultant, sicut rivus ex fonte, et effectus ex causa. Et hæc imaginatio est secundum quod lumen stellæ est in se, et in sua imagine : et deinde in dilatatione ejus in stellæ corpore : et tertio secundum euntis luminis divaricationem in radiis. Ita est gratia in se, et quasi dilatata in generali rectitudine virium : et tertio divaricata in perfectionibus singularum virium ad opera per virtutes singulas et speciales.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod motus liberi arbitrii dicit ibi motum compositum, sive sit in Deum, sive in peccatum : sunt enim quidam motus animæ simplices, qui sunt virtutis unius secundum se, et unius potentiæ animæ in comparatione ad unum objectum speciale, sicut est intelligere, diligere, vel credere : quidam autem sunt compositi, qui non sunt virtutis unius potentiæ secundum se, sed potius unius secundum quod consequenter se habet ad aliam, cujus actus aliquo modo manet in illa, sicut frui, et uti : et de hoc habetur in primo libro *Sententiarum* [1]. Et ita dico hic, quod motus iste in Deum et in peccatum, compositus est, et est affectus secundum quod consequitur ex intellectu per fidem illuminato, et per timorem casum fugientem et amorem spe elevantia affectum : et ideo motus in Deum est motus affectionis timentis et amantis, qui supponit fidem ex intellectu præcedenti ostendenti quidquid timendum et amandum et sperandum sit.

Similiter, Motus liberi arbitrii in peccatum est ex intellectu illuminante motus affectus conterentis et destruentis peccatum per dolorem compunctionis : sic ut movens in eis immediatum sive proximum est affectus, sed principium ostendens est intellectus, sicut et in frui et uti.

Ad hoc autem quod quæritur, Utrum sit gratia informatus ? dicimus quod sic. Et quod objicitur, quod ille sequitur justificationem, non valet : quia sicut patet in sequenti articulo, omnia ista quatuor simul sunt quidem tempore, sed non natura : unde sequitur, quod licet natura sequatur gratiæ infusionem, tamen justificatio sequitur ipsum : quia justificatio est sicut in quo est quies motus illius : et ille motus est liberi arbitrii sic solvens vel solubile reddens contrarium ex parte subjecti.

Ad id quod objicitur de remissione peccati, dicimus quod licet unum sequatur ad alterum, non tamen unum est alterum. Et quod dicitur, quod generatio unius est corruptio alterius, intelligitur per causam, et non per essentiam.

Ad aliud dicendum, quod motus compositus de quo supra dictum est, non est communis bonis et malis, sed motus cognitionis peccati tantum : et talem non dicimus illum motum esse.

Ad aliud dicimus, quod liberum arbitrium solum non movet motum illum,

[1] Cf. I Sententiarum, Dist. I. Tom. XXV hujusce novæ editionis.

sed potius vi gratiæ moventis : et ideo non sequitur illa objectio.

Ad id quod quæritur, Utrum sit naturalis vel gratum faciens? Patet solutio per prædicta : quia est gratum faciens : et tamen natura præcedit justificationem, licet non præcedat gratiæ infusionem.

ARTICULUS XI.

Quis sit ordo eorum quæ requiruntur ad justificationem impii?

Tertio, Quæritur de ordine illorum quatuor.

Et videtur, quod ista non sint simul : quia

1. Dicit Boetius, quod prius exstirpanda sunt vitia, quam inserantur virtutes : ergo remissio peccati præcedit infusionem gratiæ.

2. Item, In omni mutatione naturæ necesse est amovere privationem, antequam inducatur forma : sed peccatum est in anima ut privatio : ergo prius necessarium est ipsum amovere, antequam gratia inducatur quæ est sicut forma : ergo remissio peccati præcedit gratiæ infusionem.

3. Adhuc, Si anima desinit habere peccatum in justificatione impii, aliquod est instans in quo ultimo habebit : sit ergo illud A : et si ipsa incipit habere gratiam, aliquod instans erit in quo primo habebit : et sit illub B. Aut ergo B et A sunt idem instans, aut diversa. Si idem : sed simul sunt tempore, quæ sunt in eodem instanti temporis : ergo peccatum et gratia sunt in anima simul tempore : ergo contraria et opposita privative sunt simul actu in eodem, quod est absurdum : et homo est simul dignus vita æterna et morte æterna, et simul habitatio Dei et diaboli : et multa talia inconvenientia sequuntur : ergo A et B non possunt esse idem instans. Si autem sint diversa. Contra : Dicit Philosophus, quod inter quælibet duo instantia est tempus medium : ergo inter A et B est medium : sed A est ultimum in quo anima est in peccato : ergo post illud non est in peccato. Item, B est principium in quo anima est in gratia : ergo ante illud non est in gratia. Tempus autem quod est inter duo instantia medium, est post A, et ante B. Ergo in toto illo medio tempore anima non est in gratia, nec in peccato. Cum ergo tunc sit homo mortalis, si tunc moreretur, nec descenderet ad infernum, nec ascenderet ad regnum.

4. Ulterius, Videtur hoc esse falsum, quod simul cum his duobus sint motus liberi arbitrii in Deum, et motus liberi arbitrii in peccatum : sicut enim ex præcedenti articulo quæstionis habitum est, illi motus sunt meritorii : ergo ante motus illos exigitur, quod habeat gratiam. Inde procedo sic : In natura prius est motus ad esse quod est actus formæ alicujus, quam operatio compositi existentis in forma illa : ergo sic est etiam in spiritualibus : ergo prius tempore est infusio gratiæ, quam motus liberi arbitrii in Deum, vel quam in peccatum.

5. Item, Actus secundus pendet ex primo, et præsupponit illum : sicut considerare præsupponit scire : et incidere præsupponit figuram artis quæ est species entis : ergo actum primum necesse est præcedere secundum : sed habitus gratiæ ad moveri secundum habitum illum opere meritorio, se habet sicut actus primus ad secundum : ergo infusio gratiæ tempore præcedere videtur motum in Deum.

6. Ulterius, Videtur quod nec moveri in Deum et moveri in peccatum sint simul : quia unius potentiæ non possunt esse motus ad diversa objecta simul : ergo non sunt simul : sed ibi sunt unius potentiæ motus ad diversa objecta : ergo non sunt simul. Probatio primæ est :

quia potentia est simplex et se tota agit, et tota non potest simul esse conversa ad diversa. PROBATIO autem secundæ est: quia sunt motus liberi arbitrii in Deum, et in peccatum.

Solutio. SOLUTIO. Dicendum, quod hæc quatuor sunt simul tempore, sed non natura. Secundum autem prius et posterius natura diversimode ordinantur, eo quod natura multipliciter dicitur: sicut enim vult Philosophus in secundo *Physicorum*, natura dicitur materia, forma, et via quæ est in natura, scilicet generatio. Et secundum illum modum quo natura dicitur forma, quia forma est finis efficientis, id quod propinquius est efficienti in justificatione impii, prius est: secundum hoc ergo infusio gratiæ est primum. Quia autem esse gratiæ sequitur motus gratiæ, scilicet actus ipsius, ideo motus liberi arbitrii in Deum est secundum: et motus liberi arbitrii in peccatum destruendum est tertium, quia ad destructionem peccati operatur dissensus peccati ne obex ponatur Spiritui sancto. Quartum autem et ultimum est remissio peccati. Si vero incipiamus a natura quæ est subjectum et materia: tunc cum illud subjectum primo avertatur a peccato, et secundo convertatur ad Deum, et tertio adjutorium gratiæ accipiat, et quarto sequatur effectus adjutorii: erit primum in hac via motus liberi arbitrii in peccatum, et secundum in Deum, et tertium infusio gratiæ, et quartum remissio peccati. Et hoc patet de facili cogitanti, qualiter aliquis primo quærit recedere a peccato. Si autem nos incipiamus secundum quod natura dicitur via in natura, scilicet generatio, tunc cum in motu sive mutatione illa primo fit terminus a quo est motus, et secundo via ipsa, et tertio terminus ad quem est motus: erit primum natura remissio culpæ: secundum, motus liberi arbitrii in peccatum: et tertium, motus liberi arbitrii in Deum, qui sunt per modum viæ ad exeundum de peccato: quartum autem est infusio gratiæ.

His autem habitis, respondendum est ad objecta.

AD PRIMUM quidem et secundum dicendum, quod hæc procedunt secundum tertium modum naturæ: et sic concedenda sunt, ut patet in ultimo ordine.

AD ALIUD dicendum, quod sicut in secundo *Sententiarum* notavimus, *tempus* dicitur multipliciter: est enim quoddam tempus physicum, quod est mensura motus primi mobilis, per hoc quod est numerus ipsius secundum prius et posterius, quod est in ipso et in motu: et de hoc tradunt Physici, quod omnis illius motus mensura est, qui ut ad causam reducitur ad motum primi mobilis: et hanc naturam facit moveri secundum alterationem, et augmentum, et diminutionem, et locum et generationem, et corruptionem. Et de hoc dicit beatus Dionysius, quod « tempus est quod cum generatione et corruptione metitur. » Hoc autem tempus non est mensura motus nisi cum subjicitur mobile divisibile, quod partim est in termino a quo, et partim in termino ad quem, quando movetur, propter quod capit actum et potentiam, et prius et posterius, secundum quod motus diffinitur a Philosopho, quod est actus existentis in potentia secundum quod est in potentia: et ideo dicit, quod est imperfectus actus, quia a mobili non tollit totam potentialitatem: forma autem est perfectus actus, eo quod non remanet materia amplius in potentia ad formam illam. Sed in mutationibus divinis, quibus vel nihil subjicitur, vel non subjicitur eis quid divisibile, non mensurat hujusmodi tempus: creationi enim nihil subjicitur: et tamen dicit Augustinus, et ponitur in libro primo *Sententiarum* [1], quod tempus est coævum creaturæ. Et ideo oportet distinguere tempus aliter dictum in moti-

[1] Cf. I Sententiarum, Dist. III. Tom. XXV hujusce novæ editionis.

bus spiritualibus, ubi est motus de actu ad actum, potius quam de potentia : et cui nihil divisibile subjicitur, et in quo formæ ipsæ non sunt remissibiles et intensibiles, et nihil intercipientes de contrario. Similiter non potest dici hujusmodi tempus mensurans : propter quod etiam Philosophus dicit in libro de *Anima*, quod anima non movetur aliquo modo.

Dicendum ergo, si A est ultimum instans in quo est in peccato, quod peccatum non inest ei tunc simpliciter, sed in exeundo et desinendo : gratia autem simpliciter inest : et ideo peccatum corrumpitur in B, et in B est gratia : nec hoc est inconveniens : quia Philosophus vult, quod corruptio rei et mors cujuslibet sit quidem in tempore, sed non esse vel vita : sicut fieri vel deficere est in tempore, sed non factum esse. Si enim ponatur, quod peccatum insit in A, dicendum quod in hac ratione temporis nihil prohibet instans esse post instans. Unde dicit Augustinus, quod « Deus movet creaturam spiritualem per tempus tantum, sed creaturam corporalem per tempus et locum. » Et quod dicit Philosophus, quod inter quælibet duo instantia est tempus medium, intelligitur de tempore primo modo dicto : quia ibi est partim in termino ad quem : et ideo in tali motu non est dare ultimum divisibile in quo toto et solo sit motus, vel etiam primum in tali motu non est dare : sed in omnibus motibus spiritualibus dare contingit meo judicio. Et ideo quia nec vere motus sunt, sed potius vices quædam intellectuum et affectionum : nec tempus habent mensurans ejusdem rationis cum aliis motibus. De hoc tamen require supra [1], et super primam secundi.

Ad 5 et 6. Ad aliud et sequens est solutio una secundum meum judicium, scilicet quod si semper in actu sumuntur illa quatuor, tunc impossibile est simul esse omnia, sicut necessario probant illæ rationes. Si autem habitualiter sumantur, tunc nihil prohibet ea simul esse : et ita dixerunt antiqui. Sunt autem moderni qui dicunt non esse inconveniens simul accipere esse secundum actum primum, et agere secundum formam dantem illud esse in actu secundo : et ideo non est impossibile unam numero potentiam facere diversa simul non ordinata ad invicem, et moveri pluribus motibus simul, et nos posse intelligere plura simul, sicut et scire. Quibus non præjudicans hoc solum dico, quod mirum mihi videtur, si aliquis hoc in se umquam experiri potuit. Et si non probat experimentum, tunc mirum si aliquis intelligit.

Per hoc ergo patet solutio ad totum.

ARTICULUS XII.

An justificatio impii est naturalis vel miraculosa ?

Quarto quæritur, Utrum justificatio sit naturalis vel miraculosa ?

Videtur autem, quod sit *miraculosa* : quia

1. Dicit Augustinus, quod « majus est de impio facere pium, quam creare cœlum et terram : » constat autem, quod creatio cœli et terræ non est naturalis de natura inferiori aliqua : ergo nec justificatio impii, et multo minus.

2. Adhuc, Naturale est illud ad quod movet natura : sed ad id non movet aliqua natura creata : ergo non est naturalis.

3. Adhuc, Quando Philosophus dicit de habitibus quibusdam, utrum sint naturales, scilicet virtutes consuetudinales : ipse determinat, quod secundum quid sunt naturales, et secundum quid non :

[1] Cf. Supra, Dist. XI.

quia innati sumus eas suscipere, perficere autem est ab assuefactione : constat autem, quod si illud perficere assuefactionis non esset in nobis, ipse non dixisset, quod aliquo modo erant naturales. Cum igitur gratiam perficere nullo modo sit in potestate nostra, videtur quod justificatio nullo modo sit naturalis.

4. Adhuc, Naturale dicitur vel causatum a natura, vel datum a natura, vel datum in natura : sed nullo istorum modorum gratia se habet ad naturam : ergo gratia justificationis non est naturalis.

Sed contra :

1. « Miraculum, ut dicit Augustinus, aliquid arduum et insolitum est, præter spem et facultatem admirantis apparens : » sed istud non evenit præter spem, quia speramus justificationem : ergo ipsa non est miraculosa.

2. Adhuc, Miraculi eventus est rarus : quod patet, quia in diffinitione ejus ponitur *insolitum* : sed justificatio impii est frequens : ergo non est miraculosa.

3. Adhuc, Dicit Chrysostomus, quod « cursus miraculorum a sola Dei voluntate causatur : » sed justificatio impii non est a sola Dei voluntate : ergo justificatio impii non est miraculosa. Probatur autem secunda ex dicto Augustini : « Qui creavit te sine te, non justificabit te sine te. »

Solutio. Solutio. Dicendum, quod ut dicunt Magistri, mirabilis est justificatio impii. Et ponunt mirabile quasi medium inter naturale et miraculum. Naturale dico secundum quod naturale large accipitur, scilicet pro omni eo quod fit cursu naturæ inferioris, et prout includit voluntaria a voluntate causata. Dicunt enim, quod in tribus quæ tacta sunt in tribus objectionibus ultimis, deficit a miraculo : sed in aliis excedit cursum naturalium. Melius autem videtur dicendum, quod miraculosa est justificatio impii.

Ad object. 1. Et quod primo objicitur, solvendum est per distinctionem spei : quia, sicut dicit Glossa super epistolam ad Roman. IV, 18, super illud : *Qui contra spem in spem credidit :* « Duplex est spes, scilicet naturæ, et gratiæ. » Unde dicendum, quod spes prout ponitur in diffinitione miraculi, est spes naturæ, et non spes gratiæ : et verum est, quod miraculum evenit præter spem naturæ, licet non præter spem gratiæ.

Ad aliud dicendum, quod *insolitum* dicitur dupliciter, scilicet in causa, et in effectu : et quando *insolitum* ponitur in diffinitione miraculi, dicitur insolitum in causa, scilicet quod non habet stantem causam et ordinatam, ex qua proveniat : quod patet ex hoc, quod si omni die sæpius resurgerent mortui, nihilominus tamen resurrectio mortuorum esset miraculosa, propter causam nobis insolitam et supernaturalem. Respondendum ergo, quod causa justificationis est nobis insolita : et ideo miraculum est. Ad obj.

Ad aliud dicendum, quod non dicitur in diffinitione miraculi quod est *præter facultatem*, eo quod nullo modo ad ipsum concurrat nostra facultas : quia sic etiam partus Virginis non esset miraculosus, cum non sit factus sine Virgine consentiente : sed dicitur *præter facultatem*, eo quod sit non nobis operantibus. Et ita justificat nos Deus non sine nobis consentientibus, sed sine nobis operantibus. Ad obj.

Et per hoc patet solutio ad totum secundum istam viam, quam credo saniorem.

Tenendo aliam viam quæ Doctorum esse consuevit, dicendum ad primum, quod dicitur dupliciter aliquid majus Deo sive in divinis, scilicet quia majoris potentiæ est in substantia effectus, vel quia majoris potentiæ in modo efficiendi. Et creatio quidem cœli et terræ majoris potentiæ est in substantia effectus, quam justificatio impii : sed justificatio impii in modo efficiendi est majoris potentiæ : quia in creatione cœli et terræ nihil obviat voci Creatoris, sed totum obedit : sed in justificatione impii secundum aliquid resistit pecca- Ad 1.

tum quod injacet animæ, et justificationi contrariatur. Alii dicere consueverunt, quod *majus* ibi notat Augustinus, quod majoris misericordiæ est indicativum : sed hæc solutio est rudis.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod bene conceditur, quod non est naturalis, hoc est, sub potestate naturæ existens, sed super naturam.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod licet perficere non sit in nobis, sed in Deo, tamen natura nata est ad gratiam recipiendam, sicut ad finem et complementum. Aliud enim est de perfectione hominis, aliud de perfectione naturarum : quia homo creatus ad imaginem Dei, capax est gratiæ quam non influit ei nisi Deus, et non est perfectibilis nisi a Deo ipso, sicut nec Angelus : unumquodque enim suo superiori movente, naturali quodam motu procedit ad perfectionem.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod si dicatur naturalis gratia justificans, non dicetur aliter, nisi quia a summa natura quæ est Deus, nata est ipsam percipere creatura illa, quæ ex imitatione imaginis Dei est capax, et non aliter. Et bene puto, quod Philosophi hunc modum naturæ ignoraverunt, quia per rationem philosophicam deprehendi non potest : sed potius pia mens vivacitate fidei suæ nititur eum apprehendere.

ARTICULUS XIII.

Cujus attributi sit justificatio impii ?

Quinto quæritur, Cujus attributi sit proprius effectus?

Videtur autem, quod sit *potentiæ*.

1. Per auctoritatem prius inductam, scilicet quod majus est de impio facere pium, quam creare cœlum et terram [1] : constat enim, quod creatio cœli et terræ indicat potentiam : ergo et impii justificatio.

2. Adhuc, Vincere resistens efficienti alicui, potentiæ est : sed justificatione impii vincitur resistens peccatum : ergo est potentiæ.

3. Item, De nihilo aliquid adducere in esse, potentiæ est : sed in justificatione impii de nihilo peccatorum deducitur impius in esse gratiæ : ergo est potentiæ. Probatio minoris. Dicit Augustinus : « Peccatum nihil est, et nihil fiunt homines cum peccant. »

4. Item, Per illud Psalmi L, 12 : *Cor mundum crea in me, Deus :* sed creatur, qui de nihilo educitur in esse.

Sed videtur, quod sit *sapientiæ :* quia,

1. Job, XXVI, 13, dicitur : *Obstetricante manu ejus, eductus est coluber tortuosus :* coluber autem educitur in justificatione impii, et obstetricari est sapientiæ : ergo videtur, quod justificatio impii sit sapientiæ.

2. Item, Eccli. IV, 12 : *Sapientia vitam filiis suis inspirat :* vita autem ista inspiratur in impii justificatione : ergo videtur, quod sit effectus sapientiæ.

3. Adhuc, Ad omnium impiorum justificationem non missa est potentia Patris, vel bonitas Spiritus sancti, sed sapientia Filii : ergo videtur, quod etiam justificatio particularis sit effectus sapientiæ, non potentiæ, nec bonitatis proprie.

Sed contra hoc iterum videtur, quod sit effectus *bonitatis :* quia

1. Dicitur, ad Roman. III, 24 : *Justificati gratis per gratiam ipsius :* gratia autem est effectus bonitatis : ergo et justificatio.

2. Adhuc, Ad Roman. II, 4 : *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit ?* Sed in pœnitentia datur gratia justificationis : ergo benignitas addu-

[1] Cf. Supra, Art. 12, ad 1.

cit ad gratiam justificationis : ergo est effectus bonitatis.

3. Adhuc, Augustinus dicit in secundo de *Trinitate,* quod « Spiritus mittitur ad sanctificandum creaturam rationalem : » et ponitur sententia Augustini in primo libro *Sententiarum* [1] : sed in justificatione creatura rationalis sanctificatur : ergo videtur, quod sanctificare sit in missione in Spiritus sancti : sed Spiritui sancto attribuitur bonitas : ergo est effectus bonitatis.

Solutio. Responsio. In veritate dicendum est, quod justificatio principalis est effectus *bonitatis* : sed tamen quia indivisa sunt opera Trinitatis, aliud est ibi quod attribuitur potentiæ, et aliud quod sapientiæ, licet substantia operis sit attributum bonitatis, et per consequens Spiritus sancti. Quod enim esse fit ibi de nullo cum peccati contradictione aliqua, licet non sit ibi contradictio peccatorum, quia ille consentit ad gratiam recipiendam, et detestatur peccatum : in hoc est ostensio quædam potentiæ.

Et penes illum modum procedunt tres rationes primæ. Et per hoc patet solutio ad illas.

Si autem attendatur modus et ordo ipsius operis, quia scilicet fit convenientissime et optime cum ordine tali, qui movet ad gratiarum actionem, et pœnitentiam ferventiorem, et perseverantiam in bonis, quæ prævidet Deus sic justificando peccatorem : quantum ad hoc apparet in opere illo sapientia : et sic procedunt tres rationes sequentes.

Substantia autem facti tota bona est in se, et bonitatis primæ ut causæ : et sic procedunt ultimæ tres.

Et per hoc patet solutio omnium objectorum.

[1] Cf. I Sententiarum, Dist. XVI. Tom. XXV hujusce novæ editionis.

[2] Hæc verba sunt Augustini, Lib. LXXXIII Quæstionum, Quæst. 68. Et explanantur a Magistro in I Sententiarum, Dist. XLI, Litt. C : et a B. Alberto ibidem. Cf. Tom. XXVI hujusce novæ editionis.

ARTICULUS XIV.

An justificatio impii sit effectus justitiæ vel misericordiæ ?

Sexto quæritur, Utrum sit effectus justitiæ vel misericordiæ ?

Videtur, quod *justitiæ :* quia

1. Dicit Ambrosius : « Præcedit quoddam in peccatoribus, quo digni sunt justificatione : et in aliis quoddam, quo digni sunt obduratione [2]. » Ergo omnes qui justificantur, digni sunt justificatione : sed cum distribuuntur res prout dignum est, hoc est justitiæ, ut dicit Tullius, et hoc etiam vult Aristoteles in V *Ethicorum* : ergo videtur quod sit opus justitiæ, et non misericordiæ.

2. Item, Omnis effectus quem melius est esse quam non esse, simpliciter habet exemplar in Deo : sed esse justum melius est esse simpliciter, quam non esse : ergo exemplar habet in Deo. Probatur autem prima ex illo verbo Anselmi, quod Deo attribuitur quidquid melius est esse simpliciter, quam non esse. Secunda autem patet per se : quia melius est simpliciter esse justum, quam non esse justum. Inde proceditur sic : Deus bonum facit, quia bonus : ergo et capacem justitiæ facit justum, quia ipse justus est : sed in impii justificatione efficitur homo capax justitiæ : ergo fit ab ipso in quantum est justus : ergo est opus justitiæ, non misericordiæ.

3. Item, Origenes dicit, quod « Deus est sapiens in quantum sapientiæ et scientiæ largitor : » ergo a simili justus in quantum justitiæ largitor : ergo nostra

justitia est proprius effectus divinæ justitiæ : non ergo misericordiæ.

Sed contra. Sed contra :

1. Misericordiæ est relevare miseriam : nulla autem miseria major est quam illa quæ est peccati : ergo miseriam peccati relevare summæ misericordiæ est : sed hoc fit in justificatione impii : ergo justificatio impii est misericordiæ opus, et non justitiæ.

2. Item, in Psalmo L, 3 : *Et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.* Ergo deletio iniquitatis est effectus misericordiæ : sed deletio iniquitatis fit in justificatione impii : ergo justificatio impii est effectus misericordiæ.

3. Item, Dicit Augustinus, quod « peccator non est dignus pane quo vescitur : » ergo non est justum, quod ei aliquid boni detur : sed gratia est optimum quod potest dari homini in hac vita : ergo non est dignus, quod conferatur ei gratia : ergo cum datur ei gratia, non est opus justitiæ sed misericordiæ.

Solutio. Responsio. Dicendum, quod in omni opere Domini est misericordia, et veritas, id est, justitia : sed istud opus principaliter est misericordiæ. Secundum enim quod justitia dicitur quod decet Dei bonitatem, prout dicit Anselmus justitiam dici, sic in opere justificationis est justitia. Prout autem dicitur, quod justitia est redditio pro meritis, sic non est ibi opus justitiæ, si accipiantur merita in actu : merita autem in futuro, vel in scientia non possunt esse causa gratiæ præcedentis : et ideo nullo modo est ibi justitia, nisi prout justitia est decentia divinæ bonitatis. Unde Anselmus in fine *Monologii :* « Cum punis malos, justum est : quia convenit eorum meritis. Cum vero parcis malis, justum est : non quia illorum meritis, sed quia tuæ bonitati concedens est. »

Unde argumenta ultimo facta concedenda esse videntur.

Ad 1. Ad id autem quod primo objicitur, dicendum est, quod duplex est justitia, scilicet congrui, et condigni. De justitia autem condigni nihil præcedit in peccatoribus quo digni sunt justificatione : sed de justitia congrui in quibusdam peccatoribus præcedunt opera de genere bonorum, quæ in quibusdam aliis peccatoribus non sunt : et ideo tantum digni sunt reprobatione, id est, reprobationis effectu, qui est obduratio in peccato. Et cum dicitur, quod *digni sunt justificatione*, sensus est, quod magis congruenter vel minus incongruenter se habeant ad justificationem quam alii. Dixerunt tamen antiqui Doctores ad illam auctoritatem, quod esset Ambrosii *adoperti*, et falso libris beati Ambrosii inscripta.

Ad 2 et 3. Ad aliud dicendum, quod justitia facta in exemplo justitiam Dei habet pro exemplari : sed aliud est causa exemplaris, et aliud est causa inclinans efficientem ad actum. Et causa quidem exemplaris justitia est : sed causa inclinans auctorem ad hoc quod justificet impium, misericordia divina est.

Per hoc etiam patet solutio ad sequens : quia unam vim habent, nisi quod unum procedit per rationem, alterum per auctoritatem idem dicentem.

ARTICULUS XV.

Quid sit motivum ad justificationem impii ?

Septimo quæritur, Quid sit motivum ad ipsam ?

Videtur autem, quod *timor* : quia

1. Dicitur, Eccli. I, 16 : *Initium sapientiæ timor Domini :* sed sapientia ibi dicitur sapor gratiæ in justificante : ergo videtur, quod timor initiat ipsam : sed hoc movet ad justificationem quod initiat eam : ergo, etc.

2. Item, Bernardus ; « Experimento

didici, quod nihil adeo valet ad gratiam Dei acquirendam, recuperandam, et conservandam, quam semper non altum sapere, sed timere : » id autem quod acquirit et recuperat, inclinat et movet ad justificationem : ergo timor Dei actu movet ad justificationem.

Sed contra.

SED CONTRA :

I. Act. XV, 9, dicitur : *Fide purificans corda eorum :* idem autem est purificare quod justificare : ergo fides movet ad justificationem.

2. Item, Augustinus dicit, quod « justificatio qua de impio fit pius, est fides ipsa : » et ex hoc sequitur idem quod prius.

CONTRA hoc dicit Hugo de sancto Victore, quod « amore justificamur : » ergo videtur, quod amor moveat ad justificationem.

Solutio.

RESPONSIO, quod justificatio est quidam motus a peccato sive malo culpæ ad bonum gratiæ et rectitudinis : et ideo nihil prohibet diversa esse moventia, scilicet a malo ad bonum : a malo enim quod est terminus a quo justificationis, movet timor in affectu : ad bonum autem multipliciter contingit, scilicet quantum ad intellectum, et quoad hoc movet fides : et quantum ad effectum, et sic movet charitas : et sic sunt tria moventia.

Sciendum tamen, quod si virtus aliqua moveat ad justificationem, quod hoc non est nisi quoad ordinem actuum : quia habitus omnes simul infunduntur : et hoc qualiter sit, dictum est supra in primo articulo hujus quæstionis.

Et notatum est multum de hoc in secundo *Sententiarum* [1].

Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICULUS XVI.

Quomodo habeant se ad invicem dilectio, prædestinatio, vocatio, electio, justificatio, et magnificatio ?

Octavo, Quæritur de comparatione justificationis ad dilectionem, vocationem, et magnificationem, cum quibus conjungitur in epistola ad Roman. VIII, passim.

Videtur autem, quod vocatio sit media inter justificationem et prædestinationem : quia, ad Roman. VIII, 30, ita enumerat Apostolus : *Quos autem prædestinavit, hos et vocavit : et quos vocavit, hos et justificavit*, etc.

SED TUNC quæritur, Utrum *vocatio* dicat gratiam gratum facientem, vel gratis datam ? Quæst.

Et videtur, quod gratis datam : quia

1. Immediatum consequens prædestinationem, sicut effectus sequitur causam, est justificatio : quia prædestinatio est præparatio gratiæ in præsenti, et gloriæ in futuro : ergo quidquid est ante hominis justificationem, videtur esse hominis adhuc existentis in peccato : sed vocatio est ante, ut probatum est : ergo est hominis existentis in peccato : sed hominis existentis in peccato non est nisi gratia gratis data : ergo vocatio est gratis data.

2. Item, Non vocatur nisi distans : cum igitur in spiritualibus non sit distantia loci, sed dissimilitudinis, ut dicit Augustinus super Evangelium de filio prodigo, videtur quod vocatio sit distantis per meritum : et ille est in peccato mortali : ergo vocatio dicit gratiam quæ peccato mortali convenire potest : et illa est gratia gratis data, non gratum faciens :

[1] Cf. II Sententiarum. Dist. XXVII. Tom. XXVII hujusce novæ editionis.

ergo vocatio non dicit gratiam gratum facientem.

3. Item, Quod convenit bonis et malis, non potest esse gratiæ nisi gratis datæ : sed vocatio convenit bonis et malis : ergo in genere gratiæ non dicit gratiam nisi gratis datam. PRIMA harum patet per se cuilibet fideli. SECUNDA autem patet per hoc quod dicitur Proverbiorum, I, 24, de quibusdam : *Vocavi, et renuistis : extendi manum meam*, etc., ubi patet, quod vocatio convenit malis. Matth. autem IV, 19, dicitur de Petro et Andrea, quod vocavit eos Jesus : et ibi convenit bonis.

Si forte tu dicas, sicut dicit Glossa super epistolam ad Romanos, VIII, 30, quod duplex est vocatio : interior, et exterior. Exterior est quæ est per prædicationem : et de illa non loquitur Apostolus. Interior autem est cognitionem de fide a divuare, vel compungere eum quem sciat audire. Et quod de exteriori non loquitur Apostolus, patet : quia hæc et bonorum et malorum est : interior autem est bonorum tantum, et de illa loquitur Apostolus. CONTRA : Cognitio fidei quæ adjuvatur, aut est fidei formatæ, aut informis. Si formatæ. CONTRA : Fides formata non est formata nisi per gratiam et charitatem : sed formatum ex aliquo conveniens est ad id ex quo formatur : ergo fides hæc sequitur gratiam et charitatem : ergo non præcedit justificationem. Et hoc est contra enumerationem Apostoli, qui vocationem enumerat ante justificationem. Si autem est cognitio fidei informis. CONTRA : Hæc est et bonorum et malorum : ergo non est nisi gratia gratis data, ut prius probatum : et ita potest esse hominis existentis in peccato mortali.

Quæst. 2. ULTERIUS quæritur, Quæ est differentia istorum ad *electionem*, de qua facit Glossa mentionem dicens, quod vocatio tantum electorum est ?

Videtur autem, quod hoc sit falsum. Electio enim non est nisi habentium gratiam finalem : vocatio tantum electorum est : ergo vocatio non est nisi habentium gratiam finalem. *Et quos vocavit, hos et justificavit*, ut dicit textus [1] : ergo non justificavit nisi homines gratiam finalem habentes, quod aperte falsum est, cum multi sint justi secundum justitiam præsentem, qui non sunt justi secundum gratiam finalem.

QUÆRITUR etiam de *magnificatione* quam ibi ponit Apostolus in illo ordine [2]. Quæst. 3.

Videtur enim non differre a justificatione : quia dicit Glossa, quod magnificavit omni genere virtutum : omne autem genus virtutum datur in justificatione : ergo in ipsa justificatione magnificavit.

RESPONSIO. Dicendum, quod ista secundum ordinem se consequuntur, dilectio, prædestinatio, electio, vocatio, justificatio, magnificatio. Et prima quidem tria nihil ponunt in homine, sed in Deo, qui est auctor gratiæ justificantis : ponunt tamen aliquid respectu hominis : sed alia tria ponunt in homine justificato gratiam secundum diversas considerationes. In Deo enim est aliquid inclinans voluntatem ad dandum gratiam, et hoc est *dilectio*, et est primum quod convenit bonis tantum, quia prævisio est respectu bonorum et malorum. Consequitur autem voluntatem inclinatam præparatio ejus quod dabitur in gratia et gloria, et hoc dicit *prædestinatio* secundum suum nomen. Ex donatione autem consequitur distinctio ejus cui dandum, ab eo cui non est dandum, et hæc est separatio a massa perditorum et hoc dicit *electio*. In effectu autem donationis, qui est circa hominem, est motus a malo ad bonum et ad perfectionem in illo. Et penes terminum a quo, est *vocatio*, quia Solutio.

[1] Ad Roman. VIII, 30.

[2] Ad Roman. VIII, 30 : *Quos autem justificavit illos et glorificavit*, seu magnificavit.

non vocatur nisi distans : sed penes terminum ad quem, est *justificatio :* et penes perfectionem in illo, est *magnificatio*. Et hæc expresse colliguntur ex epistola ad Roman. VIII,29 et 30, ex textu et Glossa : et patet eorum differentia, et erit clarior in responsione.

Ad quæst. 1. Ad 1. AD OBJECTA ergo dicendum, quod *vocatio* secundum substantiam dicit eamdem gratiam quam justificatio, sed sub alia ratione, scilicet secundum quod avertit a malo. Et quia hoc in motu animæ ejus qui justificatur, prius est, ideo media ponitur inter prædestinationem et justificationem : cum non sit ante justificationem tempore, sed natura, secundum quod natura dicitur via in naturam, quæ est generatio.

Ad 2. AD ALIUD dicendum, quod *distans* dicitur dupliciter, scilicet distans per voluntatem obstinatam, et hic non vocatur interiori vocatione quæ tantum electorum est. Et dicitur *distans* per vicinitatem peccati, scilicet qui jam fugit, et est in fugiendo propinquior peccato : et huic convenit interior vocatio : sed iste non est in peccato mortali, sed potius in gratia : sed est in ea secundum detestationem et fugam peccati.

Ad 3. AD ALIUD dicendum, quod est vocatio exterior, quæ convenit bonis et malis : sed interior convenit bonis tantum : quia homo in illa vocatur practice, quando trahitur per gratiam a peccato. Et concedenda est sequens distinctio.

Ad improbationem autem dicendum, quod Glossa illa loquitur de fide formata. Et hæc juvatur, quando id quod est formale in fide, juvatur, et hoc est attritionis cum trahendo juvat ut fiat quod dictat cognitio, secundum Psalmum CX,10, dicentem : *Intellectus bonus omnibus facientibus eum.*

Ad objectum autem contra, dicendum quod *fides* dupliciter consideratur, scilicet in actu, et in habitu. Et in actu adhuc dupliciter, scilicet in actu tendente in Deum per meritum, et in actu quasi ostendente Deum : de quo dicit Augustinus, quod fides primo oculos aperit : et Apostolus, ad Hebr. XII, 6, quod primum *credere oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* Si igitur consideratur in hoc actu ultimo : tunc ipsa præcedit justificationem, non tempore, sed natura : quia sic est inclinans in illam ex parte ejus qui justificatur, secundum illud Act. XV, 9 : *Fide purificans corda eorum.* Si autem consideretur ut tendens in Deum propter Deum, prout est actus volens obtinere vitam æternam, sic est justificationem consequens secundum tempus. Si vero consideretur in habitu : sic simul infunduntur in ipsa justificatione.

Ad quæst. AD HOC quod ulterius quæritur de *electione*, jam patet ex solutione quæstionis, scilicet quæ sit differentia.

Ad objectum autem dicendum, quod secundum Glossam in veritate vocatio non est nisi electorum, qui habituri sunt gratiam finalem : sed non sequitur, quod justificatio sit tantum illorum : quia licet in ordine justificatio semper sequatur vocationem in electis, non tamen oportet quod in omnibus sit justificatio ordinata ad interiorem vocationem.

Et est instantia : posito quod quatuor homines non dealbentur nisi sint scientes, alii sine scientia possunt dealbari : vere potest dici, quod qui scientes sunt dealbantur : non tamen sequitur, quod nulli dealbantur nisi sint scientes. Et est peccatum secundum locum sophisticum consequentis.

Ad quæst. 3. AD HOC autem quod ulterius de *magnificatione* quæritur, dicendum quod ordo virtutum dupliciter consideratur, scilicet in se, et in efficacia operis. In se non est magnificatio, et sic datur in justificatione. In efficacia autem operis exigitur quantitas virtualis : et vocatur *magnificatio* a Glossa : tamen alia Glossa exponit hoc de magnificentia præmii in pœnitentia.

ARTICULUS XVII.

Quid sit sanatio mentis ?

Nono et ultimo, Quæritur de operatione justificationis ad sanationem mentis, et innovationem imaginis.

Oportet autem hic septem quærere.

Primo quæremus, Quid sit sanatio mentis ?

Secundo, Quid sit renovatio imaginis ?

Tertio, Utrum hæc duo habeant differentiam, an non ?

Quarto, Utrum fiant per gratiam prævenientem vel subsequentem ?

Quinto, Utrum fiant per gratiam sacramenti vel virtutum vel donorum ?

Sexto, Utrum subito fiant, vel successive?

Septimo, In quo differant a justificatione ?

Ad primum horum objicitur sic :

1. Josue, v, 8, super illud : *Postquam autem omnes circumcisi sunt, manserunt in eodem castrorum loco :* in Glossa quæ sic incipit : « Circumcisi vero filii Israel requieverunt in eodem loco, etc. » In hoc ergo tempore velut in dolore circumcisionis nostræ, dicimur *residere*, usquequo cicatrice obducta sanemur, id est, nova instituta absque difficultate impleamus, et in usum vertatur quod prius erat insolitum atque difficile videbatur : et tunc merito dicetur nobis : *Hodie abstuli opprobrium Ægypti a vobis* [1]. Ex hoc colligitur, quod sanatio mentis est perfecta obductio vulneris, quod inflictum est ex peccato. Videtur autem secundum hoc quod mens numquam posset consequi sanitatem, quia vulnus non obducitur in hac vita : ergo sanitas non consequetur. Quod autem vulnus non obducatur, dicit Glossa super Psalmum CII, 3 : *Qui sanat omnes infirmitates tuas*, sic : « Nunc fovendo blandis, nunc secando asperis sanat : omnipotenti enim medico nullus insanabilis languor occurrit. Maxime autem in fine sanabit languores, quando corporale hoc induet incorruptionem. »

2. Item, Constat quod in hac vita numquam falsificabitur illud quod dicitur, I Joan. I, 8 : *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est :* et illud, *In multis offendimus omnes* [2]. Vulnus ergo manet semper in hac vita : sed peccatum in se est infirmitas, et causa infirmitatis pœnæ : ergo videtur, quod in hac vita numquam desinat infirmitas : ergo numquam in hac vita consequetur sanitas.

3. Item, Extrema unctio quæ est sacramentum exeuntium, datur contra reliquias peccati infirmitatis : ergo usque illud remanet peccati infirmitas : sed post illud nihil remanet de vita : ergo videtur, quod sanitas numquam habetur in hac vita.

Sed contra.

Sed contra :

1. Psal. CXLVI, 3 : *Qui sanat contritos corde :* ergo contriti corde sanantur : sed multi in hac vita conteruntur : ergo multi in hac vita sanantur.

2. Item, Hieronymus dicit, quod « nullum Dominus sanavit in corpore, quem non prius sanavit in mente : » sed multos sanavit in hac vita in corpore : ergo multos sanavit in hac vita in mente.

Solutio. Ad 1.

Responsio. Dicendum, quod duplex est infirmitas, et duplex est sanitas : est enim infirmitas animæ, sicut infirmitas corporis. Unde sicut in febre duo sunt, scilicet causa febris, et essentialis substantia et forma ipsius : sic est in anima. Causa enim febris est fumus putrefactæ

[1] Josue, v, 9.

[2] Jacob. III, 2.

materiæ a corde succensus : forma autem inæqualitas humorum in quibus et in membris quæ humoribus illis nutrita sunt, habet formaliter esse febris. Similiter est in anima : causaliter quidem infirmitas est peccatum : formaliter autem est distemperatio virium animæ ad seipsas, et ad actus, et ad corpus quod regere habet. Causaliter autem infirmitas est duplex, scilicet mortalis, et venialis quæ vitam gratiæ non extinguit, sed impedit fervorem.

Dicendum ergo, quod infirmitas causalis mortalis in hac vita sanatur, et veniale secundum omne veniale hoc et illud demonstratum, sed non in universali quin sit aliquod semper infinite. Sed proportio et contemperatio virium, est duplex, scilicet ad vitam meriti, et vitam felicitatis et beatitudinis. Et secundum primum modum fugatur infirmitas, et redit sanitas in hac vita, sed non secundum modum.

Et per hoc patet solutio ad primum ; quia Glossa loquitur de perfecta curatione formali, non causali quæ est gratia, quæ erit in patria cum mortale hoc induerit immortalitatem, sicut dicitur, I ad Corinth. xv, 53.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod semper in hac vita erit infirmitas causalis : sed illa non tollit sanitatem, sed diminuit delectationem aliquam sanitatis : sicut in corporali sanitate diminuitur delectatio sanitatis ex pustula aliqua elevata : non tamen tollitur sanitas. Sicut enim dicit Philosophus, non dicimus aliquem ex infirmitate sanatum, nisi secundum totum, vel partem principalem sit sanatus, sicut est caput, vel cor.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod reliquiæ non causant infirmitatem nisi secundum quid : et contra illam datur extrema unctio, ut delibutus oleo exsultationis transeat ad statum felicitatis : quia quoad hunc statum non sanatur aliquis in hac vita.

Ad object. Ad sequentia patet solutio per prædicta.

ARTICULUS XVIII.

An renovatio mentis fiat per virtutes, et per gratiam ?

Secundo, Quæritur de mentis renovatione.

1. Dicit autem Glossa super epistolam ad Roman. vi, 4, super illud : *In novitate vitæ ambulemus,* quod innovatio a justificatione incipit, et in immortalitate perficitur : ergo videtur, quod innovatio fiat per virtutes et gratiam : et ita non videtur totam pellere vetustatem.

2. Item, Ad Hebr. viii, 13, dicitur: *Quod antiquatur et senescit, prope interitum est.* Videtur igitur, quod interitus effectus est vetustatis : sed interitus vetus manet in nobis, dum vivimus : ergo et vetustas.

3. Item, Job, xvi, 9 : *Rugæ meæ testimonium dicunt contra me.* Sed rugæ illæ manent, quia Job sanctus fuit. Ergo semper manet testimonium vetustatis: ergo vetustas in hac vita non tollitur, ut videtur.

Sed cont. Sed contra :

Renovabitur ut aquilæ juventus tua [1]. Ergo Sancti hic renovantur.

Item, Ad Coloss. iii, 9 et 10 : *Exspoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem ejus qui creavit illum.*

Item, I ad Corinth. v, 7 : *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova aspersio, sicut estis azymi.* Aspersio autem nova non fit nisi per innovationem vitæ hujus. Ergo innovatio potest fieri in hac vita.

Solutio. Solutio. Dicendum quod est vetustas culpæ, et vetustas pœnæ : et renovatio a

[1] Psal. ciii, 5.

vetustate culpæ, id est, a culpa ex veteri culpa Adæ procedente, et vetustam animam reddente per defectum et corruptionem, fit per gratiam in hac vita. Sed vetustas ab omni pœna non perficitur nisi in alia vita, licet hic inchoetur.

Et per hoc patet solutio ad omnia objecta præterquam ad illud quod est de Job inductum[1] : et dicendum, quod litteraliter loquitur de vetustate pœnæ in quantum est indicativa culpæ quæ est meritoria pœnæ : licet enim Job non peccaverit, tamen videbatur peccasse ex tanto flagello quod sustinuit. Allegorice tamen loquitur ibi Christus in persona membrorum : et quidem de membris suis, id est, de his qui per electionem sunt membra, licet non adhuc adhæreant corpori per præsentem justitiam, quia subjacent vetustati.

ARTICULUS XIX.

An sanitas mentis et renovatio imaginis sint idem, vel differant ?

Tertio, Quæritur de differentia horum.

Et videtur nulla esse : quia si consideretur causa utriusque, gratia est : et si consideretur effectus utriusque, videtur esse reintegratio quædam virtutis animæ, quæ corrupta quodammodo fuit ex peccato : ergo nulla est differentia sanationis et renovationis imaginis, ut videtur.

Sed contra :

1. Sanitas attribuitur toti animæ, et renovatio imagini tantum : ergo non sunt idem : formæ enim diversæ sunt, quarum subjecta propria diversa sunt.

2. Item, Omnes bene transferentes, secundum similitudinem aliquam transferunt : sed ea a quibus hæc similitudo accipitur, non sunt eadem : ergo nec ea ad quæ translatio fit, eadem erunt. Probatio mediæ. Sanitas in corpore et juventus non sunt eadem : ergo constat propositum.

Responsio, Dicendum, quod sanitas mentis et innovatio imaginis differunt ratione, sed non substantia : *sanatio* enim dicitur in quantum debilitatem et infirmitatem peccati depellit. Sed *innovatio* dicitur in quantum roborata virtute, depellitur vetustas antiqui peccati et effetus ejus. Unde innovatio dicit roboratam virtutem, quod non facit sanatio. Solutio.

Et per hoc patet solutio ad primam partem objectorum : quia concedimus, quod substantialiter idem sunt.

Ad id autem quod in contrarium objicitur, dicendum quod renovatio non attribuitur imagini, ut quæ sit sola subjectum ipsius, sed ut subjecto in quo præcipue apparet actus ejus : quia efficitur actu imitans exemplar, cum prius tantum potentia imitaretur, et haberet actualem aversionem a ratione imitationis, quando fuit sub peccato. Ad object. 1.

Ad aliud dicendum, quod juventus in corde duplex est, scilicet ex tempore, et effectu quem relinquit tempus circa subjectum : et secundum primum modum non est idem quod sanitas, nec fundatur supra sanitatem. Secundo autem modo, quia juventus est tempus augmenti in statu existentis in quo est vis corroborata, ratione illius fit translatio : et ideo significat corroboratam virtutem ad opera, et ideo fundatur supra spiritualem sanitatem, secundum rationem aliquid addens ipsi, sed substantialiter est eadem. Ad object. 2.

[1] Cf. Job, xvi, 9.

ARTICULUS XX.

An sanitas mentis fiat per gratiam prævenientem?

Quarto quæritur, Utrum fiat per gratiam prævenientem, vel subsequentem ?

1. Augustinus enim dicit in quinto de *Trinitate:* « Quis sanat omnes infirmitates tuas, nisi qui propitiabitur omnibus iniquitatibus tuis ? » Quasi diceret, nullus : sed propitiatio iniquitatis est per gratiam prævenientem : ergo et sanatio infirmitatis.

2. Item, In corporalibus non per aliam medicinam fit depulsio infirmitatis et sanatio, sed per eamdem : ergo similiter suo modo est in spiritualibus : sed infirmitas spiritualis depellitur per gratiam prævenientem : ergo et anima sanatur per eamdem.

3. Item, Gratia præveniens non est impotentior, quam sit forma aliqua corporalis vel naturalis : sed forma naturalis dat esse materiæ et purgat privationem quæ erat in ipsa : ergo multo fortius hoc faciet gratia in anima : sed privatio est infirmitas peccati in anima : ergo gratia dat esse animæ, et etiam abstergit infirmitatem.

Sed contra. SED CONTRA :

1. Vulneris obductio est sanitas, ut supra habitum est : vulnus autem non obducitur statim totum habita gratia : ergo non fit sanitas per gratiam prævenientem.

2. Item, Circumcisio significabat peccati ablationem per gratiam : constat autem, quod circumcisione facta, non statim erat sanus circumcisus : ergo videtur similiter, quod circumcisione spirituali facta per gratiam, non statim reversa est sanitas spiritualis.

RESPONSIO. Dicendum, quod duplex est sanitas, scilicet imperfecta quæ est in causa sanitatis : et perfecta quæ est perfecta habituabilitate consecuta ad bene operandum, purgatis reliquiis malæ consuetudinis. Et prima quidem fit per gratiam prævenientem : sequens autem per gratiam subsequentem : et hæ gratiæ eædem sunt substantia, licet differant ratione : et hoc notatum est in secundo libro *Sententiarum*[1].

Et per hoc patere potest cuilibet solutio ad utramque partem objectorum.

ARTICULUS XXI.

An sanitas mentis fiat per gratiam sacramenti?

Quinto quæritur, Utrum fiat per gratiam sacramenti, vel virtutum, vel donorum ?

Videtur autem, quod per sacramenta.

1. Eccli. XXXVIII, 7 : *Unguentarius faciet pigmenta suavitatis, et conficiet unctiones sanitatis* : sed unctiones illæ, ut dicunt Sancti, significant sacramenta : ergo fiet per gratiam sacramenti sanitas.

2. Item, In principio hujus quarti libri *Sententiarum*, inducit Magister id quod habetur, Lucæ, x, 34, quod Samaritanus vulnerato appropinquans, et infundens oleum et vinum : et exponit de sacramentorum gratia, et infirmitate peccati[2] : ergo videtur, quod gratia sacramentalis proprie faciat sanitatem.

3. Item, Si semper esset sanitas, numquam quæreretur perfectivum sanitatis : ergo id quod quæritur tempore infirmi-

[1] Cf. II Sententiarum, Dist. XXI. Tom. XXVII hujusce novæ editionis.

[2] Cf. Supra, In Prologo hujus libri IV Sententiarum.

tatis, et non nisi gratia sanitatis, videtur esse proprium perfectivum sanitatis : sed hoc est gratia sacramentalis, non virtutum, vel donorum : ergo gratia sacramentorum est proprie perfectiva sanitatis. Quod autem non quæratur gratia sacramentalis, nisi infirmitatis tempore, probatur ex hoc, quod si peccatum non esset, essent tamen virtutes et dona secundum suam substantiam, sed sacramenta non essent.

4. Adhuc, Supra in principio hujus quarti libri [1] probatum est, quod gratia sacramentalis differt a gratia quæ est in virtutibus et donis : quia gratia sacramentalis respicit peccatum, vel morbum peccati : sed gratia quæ est in virtutibus et donis non : ergo videtur, quod proprie loquendo sanitas et justificatio et renovatio fiant per gratiam sacramentalem.

ontra. Ad oppositum autem hujus objicitur :

1. Per hoc quod dicit Glossa super illud : *Qui sanat contritos corde, et alligat contritiones eorum* [2], « Sic pœnitendo et fide Deus alligat contritiones eorum : » sed fides est virtus : ergo æqualiter fit sacramentis et virtute.

2. Item, Contraria contrariis curantur : sed virtutes sunt contrariæ vitiis : ergo morbus vitiorum proprie sanatur per infusionem virtutum : ergo non gratia sacramentorum, quia sacramenta non contrariantur vitiis.

3. Item, Gregorius dicit, quod « dona data sunt in adjutorium virium contra defectus in quos incidit homo ex peccato : » ergo videtur, quod dona curent defectus illos : sed defectus illi sunt infirmitates : ergo curant infirmitates : non ergo fit curatio per solam gratiam sacramentalem.

Ad id ergo quod primo in contrarium objicitur, dicendum quod fides sanat, secundum quod ipsa habet sacramenti effectum, et non per se : unde per accidens convenit fidei sanare : si enim numquam fuisset infirmitas, adhuc esset fides, et melius quam modo sit. Ad object. 1.

Ad aliud dicendum, quod virtutes vitiis contrariantur : sed non sanaretur homo virtutibus politicis solum, sed sanativæ efficiuntur secundum quod eis conjungitur virtus passionis Christi per susceptionem sacramentorum, et tunc sanant vi gratiæ sacramentalis in qua infunduntur. Ad object. 2.

Ad ultimum dicendum, quod dona non sunt data in adjutorium virium contra peccatum, sed potius ad altiores actus, quam perfici possint ex habitibus virtutum : et hoc ajutorio indiget homo, etiamsi non peccasset. Et hoc qualiter sit, inspiciendum est in tertio *Sententiarum*, tractatu de *donis*, ubi hoc notatum invenitur. Ad object. 3.

Ad hoc tamen aliter solutum est per distinctionem, scilicet quod duplex est infirmitas, scilicet peccati in quantum peccatum est, et infirmitas virium ad agendum. Et primam quidem curat gratia sacramentalis, secundam gratia in virtutibus et donis. Et dicat legens quodcumque velit, tamen ego primam solutionem reputo continere veritatem.

ARTICULUS XXII.

An prædicta sanitas fiat subito, vel successive ?

Sexto quæritur, Utrum fiat subito, vel successive ?

Videtur autem, quod subito : quia

1. Super illud Actuum, II, 2 : *Factus est repente*, etc., dicit Glossa : « Nescit

[1] Cf. Supra, Dist. I, Art. 4.

[2] Psal. CXLVI, 3.

tarda rerum molimina Spiritus sancti gratia: » ergo nihil operatur nisi subito: operatur autem sanationem et renovationem: ergo operatur eam subito.

2. Item. Operationes divinæ procedunt a virtute infinita: sed infinita virtus agit subito: ergo omnes illæ operationes fiunt subito: sanatio autem et renovatio sunt operationes divinæ: ergo fiunt subito.

3. Adhuc, In aliquo debet distingui opus divinum a naturali quod significat potentiam: sed opus naturæ est successivum: ergo opus Dei fit subito.

Sed contra. SED CONTRA:

1. Ampliùs renovamur de die in diem: sed de die in diem renovari, est successive renovari: ergo hæc renovatio fit successive.

2. Item, Ezechias, Isa. XXXVIII, 21, non statim sanatus fuit, quando accepit promissionem sanitatis: sed cataplasmatum est super ulcus: ergo videtur, quod sanatio mentis fiat successive.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quod secundum duplicem sanitatem sanitas fit subito, et successive: infirmitas enim causalis præciditur subito: formalis autem quæ adhæret viribus animæ curatur successive, et paulatim per consuetudinem bonorum operum.

Ad 1. AD PRIMUM ergo dicimus, quod hoc dictum est de gratia puniente, non de effectu gratiæ subsequentis.

Ad 2. AD ALIUD dicendum, quod licet Deus operetur infinita virtute, tamen non omnia operatur per seipsum tantum, sed quædam nos operamur secum, scilicet sanitatem, quæ fit reliquiarum peccati purgatione: et ideo ex parte nostri operis accedit temporis successio ad effectum.

Ad 3. AD ALIUD dicendum, quod opus Dei quod ipse tantum operatur, est subito, sicut creatio: et justificatio opus Dei secundum quod est nobiscum, et cum natura, non prævenit nostram facultatem et infirmitatem naturæ: quia aliter ipse destrueret nostram facultatem et naturæ: et ideo non oportet, quod illud opus divinum in hoc ab opere naturæ distinguatur.

ARTICULUS XXIII.

Sanatio et renovatio in quo differant?

Septimo quæritur, In quo differant hæc duo, scilicet sanatio, et renovatio, a justificatione?

Et videtur, quod differant: quia quorum opposita sunt differentia, ipsa sunt differentia: sed opposita horum per se differentia sunt: ergo et ipsa sunt differentia. PROBATIO mediæ, quia prima constat. Opponitur sanctificationi impietas, et renovationi vetustas, et sanitati infirmitas: et ista sunt diversa et nomine, et ratione: ergo constat propositum.

Sol. RESPONDEO, quod differunt ratione, ut prius dictum est: et ut hoc melius videatur, notandum quod in peccato duo considerantur, scilicet turpitudo absoluta, secundum quod est privatio justitiæ, ubi justitia debet esse, secundum quod etiam dicitur injustitia vel iniquitas vel impietas: et secundum id quod relinquitur in subjecto per effectum, vel potius defectum, quia effectus suus est defectus. Primo autem modo opponitur ei justificatio, quæ de impio facit pium, et de injusto justum. Secundo autem modo consideratur dupliciter, scilicet secundum simplicem relationem ad causam omnis peccati et effectum, vel secundum effectum tantum secundum quod est privatio boni naturalis. Et primo quidem facit animam vetustatem primam sapere: et sic vetustas est, et opponitur ei renovatio. Secundo autem modo est infirmitas modi et commensurationis et harmoniæ in habitibus naturalibus animæ: et opposita est ei sanitas mentis sive sanatio.

Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICULUS XXIV.

An confessio liberet animam a morte?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, A, § 6, post initium : *Confessio animam a morte liberat, confessio aperit paradisum, confessio spem salutis tribuit*, etc. »

Tres enim videtur tangere effectus confessionis, quorum nullus videtur ei convenire :

1. Liberans enim a morte peccati, est illud quod tollit peccatum, et primo vivificat : sed hoc est contritio cum gratia : ergo non est hic effectus confessionis.

2. Item, *Numquid medici suscitabunt, et confitebuntur tibi* [1] ? ibi dicit Glossa, quod sacerdotes non resuscitant animam : sed potius resuscitata, eis præsentatur in confessione, jam a Domino resuscitata in contritione : sicut Lazarus intus in monumento suscitatus est, sed discipulis vivus absolvendus præsentatur [2] : ergo cum in confessione homo sacerdoti præsentatur, videtur quod non sit effectus confessionis, quod vivificet animam, sed potius contritionis.

3. Item, Supra in *Littera* habitum est illud Ecclesiastici, XVII, 26, quod *a mortuo, quasi nihil, perit confessio*. Ergo ante vivificatur ut possit confiteri,

4. Item, Isa. XXXVIII, 19 : *Vivens, vivens ipse confitebitur tibi, sicut et ego hodie*. Ergo videtur, quod vivificare non sit effectus confessionis.

Similiter objicitur de secundo effectu qui est, quod confessio aperit paradisum. Hoc enim falsum videtur : quia

1. In genere sacramenti, ut supra habitum est, baptismus aperit paradisum : ergo hoc non est effectus confessionis : effectus enim sacramentorum distincti sunt, sicut et ipsa sacramenta.

2. Item, Passioni Christi datur hic effectus, scilicet apertio paradisi, secundum quod Christus dixit latroni : *Hodie mecum eris in paradiso* [3] : ergo videtur, quod non conveniat confessioni.

3. Item, Quoad quid confessio aperit paradisum, si aperit? Aut enim aperit quantum ad solutionem culpæ claudentis, aut quantum ad solutionem pœnæ differentis. Si primo modo. Contra : Ante confessionem in contritione soluta est culpa : ergo aperire paradisum convenit contritioni potius quam confessioni. Si secundo modo. Contra : Satisfactio totam pœnam differentem paradisum tollit : ergo satisfactioni potius attribuitur aperire paradisum, quam confessioni, ut videtur.

Similiter objicitur de tertio effectu qui est, quod spem salutis tribuit :

1. Hoc enim non videtur proprium confessionis, sed omnium actuum meritoriorum, quia spes innititur omni merito : ergo hoc non debet specialiter attribui confessioni.

2. Item, Gregorius dicit, quod « tanto quis fortior in Deum spe consurgit, quanto fortiora pro nomine ejus pertulit. » Ergo videtur, quod spes salutis generetur a tolerantia passionum potius quam a confessione : quod accipitur in epistola ad Roman. v, 3 et 4, ubi dicitur, quod *tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem*. Non ergo hoc proprie confessioni convenire videtur.

Responsio. Dicendum, quod isti effectus quoad aliquid proprie conveniunt confessioni, et quoad aliquid magis proprie sunt aliorum. Et accipitur penes tria quæ sunt in confessionne. Est enim confessio, ut dicit Gregorius, apertio vulneris : in Solutio.

[1] Psal. LXXXVII, 11.
[2] Cf. Joan. XI, 44.
[3] Luc. XIII, 43.

prima autem vulneris apertione est prima inquisitio medici et medicinæ: secundum hoc autem confessio est recognitio peccati in se, et coram Deo, cum proposito confitendi coram medico sacerdote : et tunc incipit homo vivificari : et sic attribuitur ei primus effectus, qui est animæ justificatio. Quia autem homo adhuc remanet debitor pœnæ purgatoriæ, a qua non absolvitur nisi per vim passionis Christi in clavibus constitutam, quæ passio solvit rumphæam, ideo per enarrationem peccati cum proposito ea cavendi, aperitur ei paradisus. Quia vero spes salutis non est homini, nisi dum conjunctus est capiti Christo et membris suis per reconciliationem Ecclesiæ, et in confessione homo primo Ecclesiæ reconciliatur et incorporatur, ideo tunc primo ostenditur ei dari spes salutis : quia non est salus, nisi in corpore mystico Salvatoris.

Ad 1. DICENDUM ergo ad primum, quod licet in contritione primo vivificetur anima, non tamen hoc est secundum actum contritionis et nomen : quia contritio dicit actum conterentis causam mortis, postquam secundum votum est inquisitiva vivificantis et medicinæ : et hoc facit confessio in origine sua, quia confessio incipit in cognitione peccati in se coram Deo, cum proposito hoc enarrandi coram sacerdote. Unde licet idem sit conterere peccatum et renovare vitam, non tamen ratio una est utriusque, et unum fit in contritione, aliud in voto confitendi.

Ad 2. AD ALIUD dicendum, quod medici non suscitant, nec confessio inchoatur coram medico sacerdote : quia confessio est divinus actus : aliter non differret a confessione quæ est in jure, vel alia humana enarratione : sed potius confessio inchoatur coram Deo, et ibi incipit primo confitens accipere vitam.

Ad 3 et 4. AD ALIUD dicendum, quod ibi loquitur de actu confessionis, qui est enarratio peccatorum : quia ante illum præcessit vivificatio.

Per idem patet solutio ad sequens.

AD ID quod quæritur de alio effectu, Ad 4. dicendum quod aliter convenit baptismo, et aliter confessioni, et aliter passioni Christi apertio paradisi. Baptismo quidem convenit quantum ad solutionem peccati originalis, quod a vitio originis est contractum : et si solvat actuale, hoc est per accidens, quia invenit illud, sicut supra in quæstione de *baptismo* notatum est. Sed confessioni convenit quantum ad remotionem pœnæ purgatoriæ : licet enim aliquis, ut dicit infra Magister, in contritione quæ est cum voto confitendi, a peccato mortali et pœna æterna solutus sit ante confessionem : tamen adhuc pœna temporaliter debita, esset improportionabilis et importabilis, si non diminueret pœna Christi qui satisfecit pro nobis : et hæc pœna conjungitur nobis per fidem clavium in confessione, et quoad illud importabile removendum, quod removet ab ingressu paradisi, quod nullus adhuc debitor pœnæ intret paradisum, dicitur quod confessio aperit paradisum.

Et per hoc patet solutio ad duo prima.

AD ALIUD dicendum, quod aperit quoad absolutionem pœnæ cujusdam, scilicet importabilis viribus pœnitentis, quam homo deberet, si se clavibus et passioni Christi non se subderet : hæc enim non potest deleri per satisfactionem : imo satisfactio non habet locum, nisi illa absolutione facta in confessione, si ipse habet opportunitatem confitendi : et si non habet, tunc necessitas et non contemptus excludit sacramenti actum, et descendit in talem hominem hæc vis clavium merito et unitate corporis mystici, cui per gratiam unitur. Ad 1.

AD ID quod objicitur de tertio, dicendum quod *spes salutis* dicitur hic quoad primam exclusionem causæ desperationis : per confessionem enim recepta medicina, ostenditur Christo et Ecclesiæ reconciliatus : et ideo diabolus potestatem non habet in ipsum, sicut in illos qui Ad 1.

foris sunt : et hoc quoad hanc rationem non convenit omni merito.

Ad aliud dicendum, quod aliud est spes, et aliud firmitas et robur spei. Spes autem salutis est ex primo dante securitatem vitæ, sicut facit confessio uniens confitentem Christo et sacramentis et Ecclesiæ. Sed robur et firmitas spei est ex magnitudine meriti : et per hoc maxime est in magis difficilibus quæ sunt, scilicet sustinentiæ passionum. Propter hoc dicit Gregorius quod « altior spes fortiores consequitur passiones. »

Per idem patet solutio ad verbum Apostoli.

ARTICULUS XXV.

An modi purgationis a peccato secundum Magistrum sint bene distincti ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, A, § 6, circa medium : « *Non potest quisquam gratiam Dei accipere*, etc. »

Hic enim videtur tangere tres modos purgationis a peccato, scilicet per pœnitentiam, per confessionem, et per baptismum.

Et videtur, quod primi duo non differant : quia

1. Pœnitentia tres habet partes, ut supra[1] habitum est : pars autem cum toto non facit numerum : ergo non est diversus modus purgationis per pœnitentiam et per confessionem.

2. Item, Videtur quod tertius præexigat duos præcedentes : quia in præcedenti distinctione habitum est de modis pœnitentiæ, quod adultus accedens ad baptismum debet pœnitere et conteri de peccatis : ergo videtur, quod isti modi conjuncti sunt.

Responsio. Dicendum, quod tres isti modi purgationis peccatorum sunt diversi : aut enim indiget purgatione quæ est cum lamento exteriori, aut non. Si non : tunc est purgatio per baptismum : quia illa non quærit lamentum peccati extra. Si autem indiget : tunc aut est ad solutionem culpæ, aut improportionabilitatis pœnæ. Si primo modo, est pœnitentia purgans : si secundo modo, est confessio. Et hoc patet ex priori disputatione. Solutio.

Si autem quæritur, Quare non ponitur satisfactio ?

Dicendum, quod non ponuntur hic purgantia, nisi illa quæ purgant sine nobis operantibus, licet non sine nobis consentientibus : satisfactio autem non purgat sine nobis operantibus, sed potius purgat nos per opus nostrum gratia informatum.

Ad primum ergo dicendum, quod peccati purgatio dupliciter consideratur, scilicet divisum quantum ad ea quæ sunt in peccato, et conjunctim. Et si divisim consideretur, scilicet culpa, et pœna improportionata, et pœna expiatoria, tunc habebunt purgationes divisas : quia culpa cum æterna pœna purgatur in pœnitentia, prout jam ante in *Littera* diffinita est pœnitentia, ubi dixit : « Pœnitentia vera est, etc. » Et hanc diffinitionem supra[2] habes disputatam. Et hoc maxime convenit contritioni. Si quoad pœnam improportionatam, purgatur in confessione, et pœna expiationis per opus nostrum in satisfactione. Si autem accipiantur omnia conjunctim : tunc per totam pœnitentiam in omnibus partibus suis acceptam conjunctim purgantur. Primo autem modo loquitur hic sanctus. De secundo autem multa habes notata in principio distinctionis XV. Ad 1.

Ad aliud dicendum, quod loquitur hic de purgatione quæ est per lamentum exterius, quod sternit cinerem et cilicium. Et baptismus licet exigat in adultis pœnitentiam et confessionem, tamen hæc Ad 2.

[1] Cf. Supra, Dist. XV.

[2] Cf. Supra, Dist. XIV.

non exigit, nisi ut removeat obicem Spiritui sancto : et ideo etiam nihil injungitur nisi fides baptizantis : quia in illo omnia solvuntur, et nullum lamentum exterius assumitur.

ARTICULUS XXVI.

An pœnitens teneatur aliis a sacerdote suam pœnitentiam manifestare?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, A, § 6, circa medium : « *Nemo dicat sibi, Occulte ago*, etc. »

Ex hoc manifeste concluditur, quod oportet confiteri.

Quæritur autem, Si teneatur aliquis in pœnitentia innotescere, nisi soli sacerdoti ?

Videtur autem, quod debeat innotescere omnibus qui viderunt eum in peccato : quia

1. Quantum aliquis nocuit, tantum tenetur prodesse, si potest. Iste autem peccando aperte nocuit multis per scandalum : ergo in pœnitentia debet innotescere eisdem ad minus, ut prosit per exemplum.

2. Item, Majus est damnum spirituale, quam corporale : sed in damno corporali tenetur aliquis ad restitutionem : et non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum : ergo multo fortius in damno spirituali : iste autem multos damnificavit per malum exemplum : ergo omnibus illis debet restituere per bonum.

3. Item, Dicit Gregorius de malis prælatis, quod « tot animarum rei sunt, quot exemplo perditionis ad inferos transmiserunt : » ergo a simili qui perditionis exemplo deædificant proximum, tenentur ut reædificent per bonum : sed non possunt nisi innotescant : ergo illis illis debent fieri publici in pœnitentia.

Si forte tu dicas, quod hoc ipso quod videmus eos cessare a peccato, et opera de genere bonorum facere, innotescit ipsos in pœnitentia fore. CONTRA : Hæc opera multorum sunt, etiam non pœnitentium : ergo per hæc opera non necessario innotescunt pœnitentes : ergo videtur, quod hoc non sufficit.

SI HOC concedatur procedatur sic : CONTRA : Aliquæ pœnitentiæ taxatæ sunt criminibus : si ergo innotescat pœnitentia, crimen statim scietur : sed nullus tenetur manifestare crimen : ergo nec tenetur innotescere per pœnitentiam, in quantum pœnitentia est.

RESPONSIO. Dicendum, quod non tenetur aliquis propalare suam pœnitentiam alicui, nisi sacerdoti soli.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod quilibet qui fecit scandalum in communi, non tenetur nisi ad ostensionem boni exempli in communi : quia per hoc ipsum quod vident bonum exemplum, cum de quolibet præsumendum sit bonum, debent præsumere de præteritis pœnitentiam et remissionem.

AD ALIUD dicendum, quod licet damnum spirituale majus sit, non tamen est ita injuriosum proximo : et hoc ideo, quia damno spirituali non læditur nisi volens, damno autem corporali læditur etiam nolens : et ideo non tenetur ita directe ad restitutionem : quia damni spiritualis, quod fit per scandalum imitatum, potest esse occasio : sed ille per voluntatem propriam est causa : et ideo restituendo non tenetur nisi ostendere bonum exemplum, quod est occasio boni, licet non sit causa.

AD ALIUD dicendum, quod Gregorius extendit ibi nomen *rei*, scilicet qui reus est dando occasionem perditionis : sed non est adeo reus sicut qui fuit causa.

Ad id autem quod objicitur contra solutionem istam, dicendum quod opera de genere bonorum sufficienter sunt occasio boni, licet non sint causæ : et hoc sufficit ratione potius prius assignata : quia scilicet dando malum exemplum,

etiam non fuit nisi occasio mali, et non causa.

ARTICULUS XXVII.

An teneamur confiteri in conspectu populi ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, A, § 6, post medium : « *Job dicit : Si erubui in conspectu populi,* etc. »

Ex hoc enim videtur, quod in conspectu populi teneamur confiteri :

1. Est enim verbum Job [1] juramentum exsecrationis : et subjungendum est : Si hoc feci, væ mihi, id est, mihi male accidat.

2. Item, Maria Magdalena quia graviter intus erubescebat, nihil quod foris verecundaretur esse crebebat : igitur qui se bene erubescit intus, etiam coram populo debet confiteri.

Sed contra. SED CONTRA hoc est, quod id quod pro charitate institutum est, contra charitatem non debet militare : sed confessio pro charitate instituta est : ergo contra charitatem non debet militare : sed si publice confiteri teneremur, plurimi a confessione retraherentur : et hoc esset contra charitatem militare : ergo videtur, quod non sit publice confitendum.

Solutio. Ad 1. SOLUTIO. Dicendum, quod non est publice confitendum : nec enim præceptum de hoc est, nec consilium, nisi forte esset crimen quod universam commoverit urbem, vel etiam orbem, sicut hæresis Arii vel alterius hæresiarchæ, quod propter majorem confusionem aliorum diceretur publice. Sed tamen generalis confessio non consulitur publice fieri : quia esset ad nocumentum multorum, et numquam consulenda est humiliatio unius, ita ut alteri occasio nocumenti generetur.

Littera autem quæ hic inducitur, est secundum translationem Septuaginta, quæ corrupta est, præcipue in Job, ut dicit Hieronymus : et est sumpta de Job, XXXI, 33, et littera nostra habet sic : *Si abscondi quasi homo peccatum meum, et celavi in sinu meo iniquitatem meam.* Et hæc littera non dicit, quod coram populo sit confitendum.

Si quis autem litteram illam sustinere velit, dicendum quod confiteri coram populo dupliciter dicitur, scilicet confessionis enarratio : et hoc non oportet : vel pœnitentiæ in confessione injunctæ per bonum exemplum manifestatio, et hoc est necessarium, ut prius dictum est : et sic Job non erubuit coram populo peccata confiteri.

Ad 2. AD ALIUD dicendum, quod Maria non fuit confessa publice, sed se pœnitentem manifestavit publice : et ab hoc verecundia eam non retraxit : et hoc intendit dicere Gregorius.

ARTICULUS XXVIII.

Quare dicatur aliquod peccatum veniale ?

Deinde quæritur de hoc quod dicitur, ibi, A, § 6, post medium : « *Venialis est culpa, quam sequitur confessio delictorum,* etc. »

Videtur enim hoc esse falsum : quia dicitur ibi veniale ex genere, aut ex eventu. Si ex eventu : tunc non est veniale nisi quod pœnitentia sequens cum gratia facit veniale, id est, veniam habere : sed hoc primo facit contritio, antequam confessio adveniat : ergo non propter hoc est veniale, quod sequitur confessio : sed propter hoc primo, quod

[1] Job, XXXI, 33.

sequitur contritio. Si autem veniale ex genere. CONTRA : Hoc non tenetur aliquis in numero confiteri, nisi confessione generali, ut prius in præcedenti distinctione habitum est : ergo videtur, quod hoc quod dicit in *Littera*, sit falsum.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quod dicitur hic *veniale* ex eventu sequentis gratiæ. Et quia licet deleat contritio culpam et æternam pœnam, non tamen tollit adhuc pœnæ intolerabilitatem, sed potius hoc facit vis clavium in confessione : post clavium autem effectum efficitur pœna arbitraria, quæ tolerabilis est et levis pœnitenti ad expiationem delicti : et ideo non attribuit hoc contritioni sicut confessioni.

ARTICULUS XXIX.

An desperatio veniat ex contemptu, vel ex timore ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, A, § 6, ante finem : « *Claudit super illum qui in profundum contemnit*, etc. »

Sumitur enim hoc de Proverbiis, XVIII, 3, ubi dicitur : *Impius, cum in profundum peccatorum venerit, contemnit.*

Videtur autem hoc esse falsum : quia

1. Desperatio non provenit ex contemptu, sed ex nimio timore : timor autem nimius humiliat, ut dicit Augustinus. Cum igitur contemptus procedat ex superbia, videtur incongrue ista conjungere, in profundum iniquitatis venire et contemnere.

2. Præterea, Si contemnit, quæritur quid contemnit ? Si dicatur, quod Deum. CONTRA : Nemo contemnit eum quem nimis timet, hic autem nimis timet : ergo Deum non contemnit.

3. Si dicatur, quod contemnit pœnitere et confiteri. CONTRA : Si quis se non subjiciat ei quod sibi nihil valere credit, non est contemptus, sed sapientia, aut apparens tantum, aut existens et non apparens : sed desperans non credit sibi valere pœnitentiam et sacramenta : ergo si non subjicit se illis, non est contemptus, sed sapientia apparens.

Et videtur non esse ad propositum quod hic inducit. Dicit enim parum ante : « Confitere ergo, et dic : *De profundis clamavi ad te, Domine* [1]. » Ex hoc videtur velle, quod non intendit Augustinus nisi de confessione laudis coram Domino : et sic auctoritas illa nihil probabit de proposito.

RESPONSIO. Dicendum, quod omnis impius in consideratione profundissimæ iniquitatis desperans, contemnit in proprio sensu ad minus : quia plus innititur sensui suo, quam verbis Dei et Ecclesiæ consolantis et revocantis ipsum : et hoc est superbia maxima. Unde Gregorius dicit : « Cum judex sic timetur, quod facies judicis non amatur, timor ex timore est, non ex humilitate. » Solutio.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod licet non contemnat Deum in se, tamen contemnit Deum revocantem a peccatis in verbis suis. Ad 1.

AD ALIUD dicendum, quod contemnit Deum in verbis suis et sacramentis, eo modo quo dictum est : quia nisi erroneum suum sensum verbis Dei et Ecclesiæ præferret, ipse rediret ad pœnitentiam. Ad 2.

AD ID quod ulterius quæritur, dicendum quod ad propositum est multum ista auctoritas. Et quod dicit Augustinus : *De profundis clamavi*, non intendit, quod coram Domino clamet tantum, sed coram vicario Domini non tantum peccatum, sed profundum ipsius confiteatur : et hoc vocatur *clamare*. Ad 3.

[1] Vide supra, in hac distinctione, Litt. A, § 6, sub fine.

ARTICULUS XXX.

An verum sit quod dicit Magister, Nullus debite gravioris pœnæ accipit veniam ?

Deinde quæritur de hoc quod dicitur, ibi, A, § 6, ante finem : « *Nullus debite gravioris*, etc. »

1. Ibi enim nulla fit mentio de confessione : ergo nihil valet ad propositum.

2. Eadem autem objectio est de auctoritate Hieronymi sequenti.

3. Præterea, quæritur de hoc quod dicit ibi Hieronymus : « Dormiat in sacco. » Videtur enim multos vere pœnitentes esse, et tamen linteis et non saccis indutos.

Responsio. Dicendum, quod vis est in prima auctoritate in hoc quod dicit : « Etsi longe minorem quam debeat, solverit pœnam : » pœna enim minorata est per effectum clavium in confessione. Solutio. Ad 1.

Item, in hoc est vis quod dicit, *Solverit* : quia non potest pœnam solvere, nisi ad arbitrium Ecclesiæ per vicarium Christi fuerit taxata : aliter enim non solvit, sed sustinet tantum pœnas.

Ad aliud dicendum, quod Hieronymus facit vim in hoc quod dicit, « Ingrediatur Ecclesiam : » quia non potest ingredi, nisi per pœnitentiam corpori mystico quod est Ecclesia, ostendatur reunitus : aliter enim ingreditur numero tantum, et non merito et veritate. Ad 2.

Ad aliud dicendum, quod *saccus* ponitur hic pro humilitate et asperitate pœnitentiæ, per illum tropum loquendi quo species pro genere sæpe solet poni. Ad 3.

B. *Cui sententiæ potius consentiendum sit ?*

Quid ergo super his sentiendum sit, et quid tenendum ? Sane dici potest, quod sine confessione oris, et solutione pœnæ exterioris peccata delentur per contritionem, et humilitatem cordis. Ex quo enim proponit mente compuncta se confessurum, Deus dimittit : quia ibi est confessio cordis, etsi non oris, per quam anima interius mundatur a macula et contagio peccati commissi, et debitum æternæ mortis relaxatur. Illa ergo quæ superius dicta sunt de confessione et pœnitentia, vel ad confessionem cordis, vel ad interiorem pœnam referenda sunt. Sicut illud Augustini [1] : Quod nullus dicitur veniam consequi, nisi prius quantulamcumque peccati solverit pœnam : vel de exteriori pœna accipienda sunt, et ad contemnentes vel negligentes referenda, sicut illud : Nemo dicat sibi [2], Occulte ago, etc. Nonnulli enim in vita peccata confiteri negligunt vel erubescunt, et ideo non

[1] Cf. De pœnit. Dist. I, cap. *Nullus*. Ibidem, cap. *Agite* (Nota edit. Lugd.)
[2] In edit. J. Alleaume deest *sibi*.

merentur justificari. Sicut enim præcepta est nobis interior pœnitentia, ita et oris confessio, et exterior satisfactio si adsit facultas. Unde nec vere pœnitens est, qui confessionis votum non habet. Et sicut peccati remissio munus Dei est, ita pœnitentia et confessio per quam peccatum deletur, non potest esse nisi a Deo, ut Augustinus [1] ait : Jam, inquit, donum Spiritus sancti habet qui confitetur et pœnitet : quia non potest esse confessio peccati et compunctio in homine ex seipso. Cum enim irascatur sibi quisque et displicet, sine dono Spiritus sancti non est. Oportet ergo pœnitentem confiteri peccata, si tempus habeat : et tamen antequam sit confessio in ore, si votum sit in corde, præstatur ei remissio.

ARTICULUS XXXI.

An confessio est virtus ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, B, sub finem : « *Jam donum Spiritus sancti habet*, etc. »

Videtur enim secundum hoc quod confessio sit virtus, quod falsum est : cum sit actus quidam exterior, conveniens bonis et malis.

Responsio. Ad hoc est dicendum, quod loquitur de confessione fructifera, quæ est actus meritorius, et dicitur donum Dei, eo quod non est a nobis ea parte qua meritorius est, licet liberum arbitrium det actum et substantiam. Et de hoc plura notata sunt super secundum *Sententiarum* [2]. Per totum autem istud caput solutio Magistri notabilis est et bona, et concordans hactenus disputatis. Sol

C. *Si sufficit soli Deo confiteri ?*

Jam secundum quæstionis articulum inspiciamus, scilicet utrum sufficiat peccata confiteri soli Deo, an oporteat confiteri sacerdoti ? Quibusdam visum est sufficere, si soli Deo fiat confessio sine judicio sacerdotali et confessione Ecclesiæ : quia David dixit : *Dixi, Confitebor... Domino, et tu remisisti*, etc.[3] : non ait, sacerdoti : et tamen remissum sibi peccatum dicit. Item, Ambrosius [4] : Inde flevit Petrus, quia culpa obrepsit ei : non invenio quid

[1] S. Augustinus, Super Psal. L.
[2] Cf. II Sententiarum, Dist. XXVI. Tom. XXVII hujusce novæ editionis.
[3] Psal. XXXI, 5.
[4] S. Ambrosius, Super Lucam, lib. X in fine commentarii ad cap. XXII Lucæ.

dixerit, invenio quod fleverit. Lacrymas ejus lego, satisfactionem non lego. Sed quod defendi non potest, ablui potest. Lavant lacrymæ delictum, quod voce pudor est confiteri : et veniæ fletus consulit, et verecundiæ. Hoc idem etiam Maximus dicit Episcopus. Item, Joannes Chrysostomus [1] : Non tibi dico ut te prodas in publicum, neque apud alios te accuses : sed obedire te volo Prophetæ dicenti, *Revela Domino viam tuam* [2]. Ante Deum ergo tua confitere peccata, apud verum judicem cum oratione delicta tua pronuntia, non lingua, sed conscientiæ tuæ memoria : et tunc demum spera te misericordiam posse consequi. Si habueris peccata tua in mente continue, numquam malum adversus proximum in corde tuo tenebis. Idem, Peccata tua quotidie dicito, ut deleas illa : sed si confunderis alicui dicere, dicito ea quotidie in animo tuo : non dico ut confitearis ea conservo tuo, ut tibi exprobret : dicito Deo, qui curat ea. Nec enim si non dixeris, ignorat ea : cum faciebas ea, præsto erat : cum admitteres ea, cognoverat. Numquid ea vult a te cognoscere ? Peccare non erubuisti, et confiteri erubescis. Dicito in hac vita, ut in alia requiem habeas : dicito ingemiscens et lacrymans. In codice scripta sunt peccata tua. Spongia peccatorum tuorum lacrymæ tuæ sint [3]. Item, Prosper : Illi quorum peccata humanam notitiam latent, non ab ipsis confessa, nec ab aliis publicata, si ea confiteri vel emendare noluerint, Deum quem habent testem, ipsum et habituri sunt ultorem. Quod si ipsi sui judices fiant, et veluti suæ iniquitatis ultores, hic in se voluntariam pœnam severissimæ animadversionis exerceant, temporalibus pœnis mutabunt æterna supplicia, et lacrymis ex vera cordis contritione fluentibus restringent [4] æterni ignis incendia [5]. Et infra, Facilius sibi Deum placabunt illi, qui aut propriis confessionibus crimen produnt, aut nescientibus aliis ipsi in se voluntariæ excommunicationis ferunt sententiam, et ab altari cui ministrabant, non animo, sed officio separati, vitam suam quasi mortuam plangunt : certi quod reconciliati sibi efficacis pœnitentiæ fructibus, a Deo non solum amissa recipiant, sed etiam supernæ civitatis gaudia recipiant. His auctoritatibus innituntur, qui sufficere contendunt Deo confiteri peccata sine sacerdote. Dicunt enim, quod si quis timens detegit culpam suam apud homines, ne inde opprobrio habeatur, vel alii suo exemplo ad peccandum accingantur : et ideo tacet homini, et revelat Deo, consequitur veniam.

[1] S. Joannes Chrysostomus, Super cap. xii epistolæ ad Hebræos, Homil. 31.
[2] Psal. xxxvi, 5.
[3] S. Joannes Chrysostomus, Homil. 2 in Psal. l.
[4] Edit. J. Alleaume, *restinguent*.
[5] Cf. De pœnit. dist. I, cap. *Porro illi* ; et S. Prosper, In libro de Vita contemplativa, cap. 7. (Nota edit. Lugd.)

ARTICULUS XXXII.

An oporteat confiteri homini?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, C, « *Jam secundum quæstionis articulum inspiciamus*, etc. »

Fiat disputatio primo de principali quæsito, Utrum sufficiat soli Deo confiteri, vel oporteat confiteri homini?

Videtur autem, quod sufficiat Deo confiteri :

1. Ad peccati enim deletionem sufficiunt duo, scilicet Deus, et peccans : sed ex parte Dei non deest misericordia dans gratiam, ex parte autem confitentis coram Deo est recognitio peccati cum detestatione : ergo videtur, quod hæc duo sufficiunt ad peccati deletionem : ergo non oportet confiteri sacerdoti.

2. Adhuc, Peccatum quod per alterum traductum est, etiam sine consensu et opere nostræ voluntatis deletur, sicut patet de originali in parvulis : ergo peccato quod per nos factum est, sufficit si nos cooperamur Deo in delendo ipsum : sed hoc sufficienter fit, quando aliquis Deo confitetur recognoscendo peccatum suum coram Deo cum detestatione : ergo videtur, quod non sit necessarium homini confiteri.

3. Adhuc, Non debet plus exigi in emenda quam commissum est in culpa : quia Dominus præcepit, quod secundum mensuram delicta fiat etiam plagarum modus [1] : sed in actu peccati in quantum peccatum est, non læditur nisi Deus et peccans : ergo in deletione ipsius non debet quæri aliquis, nisi Deus, et ipse qui peccavit : ergo sufficit coram Deo solo confiteri. Quod autem non lædatur in peccato, nisi solus Deus et peccans, hoc patet ex hoc, quia si divinum separetur a peccato, non læditur in peccato proximus : et sic constat propositum.

Præterea, Propter quid adhibetur homini confessio? Si dicatur, quod propter consilium. CONTRA : Unum est substantiale consilium in omni confessione, scilicet, *Vade, et jam amplius noli peccare* [2]. Et si nihil adjungitur aliud, illud servatum salvat hominem : ergo videtur, quod aliud non sit nisi de bene esse. Cum igitur substantiale consilium sit unum, hoc potest innotescere pœnitenti omni per publicam prædicationem et doctrinam : ergo non est necessaria confessio quæ fit homini.

4. Item, Rex terrenus ideo habet vicarium, et indiget illo, quia personaliter non potest esse ubique in regno suo : igitur rex qui per seipsum ubique est in suo regno, non indiget vicario : sed Deus est hujusmodi rex, qui vicario non indiget : ergo non est necessarium, ut vicario Dei, loco Dei confiteatur aliquis.

5. Item, Quod aliquis artifex pluribus concurrentibus operetur, illud non potest esse nisi aut propter imperitiam artis, aut propter impotentiam artificis, quia non potest per unum operari totum : dicit enim Philosophus, quod melius est operari uno multa si fieri potest, quam multis multa : sed Deus qui summus artifex est, scit et potest operari remissionem peccatorum per seipsum : ergo videtur, quod superflue adhibet sibi hominem vicarium : ergo sufficit coram Deo peccatum confiteri, et detestari : et non oportet ut quis confiteatur homini.

6. Adhuc, Judicium confessionis, judicium divinum est, et ideo non eget testibus nisi conscientia sola : sed in omni judicio sufficit, quod causa innotescat judici soli : et non oportet, quod innotescat alii : ergo in confessione sufficit quod peccatum innotescat soli Deo, nec oportet confiteri peccatum homini.

[1] Deuter. XXV, 2.

[2] Joan. VIII, 11. Cf. etiam, ibidem, V, 14.

Sed contra. SED CONTRA :

1. Pœnitentia cum suis partibus sacramentum est, ut supra sæpe habitum est : esse autem sacramenti consistit in dispensatione ministrorum : ergo et illud : nihil autem dispensatur ab alio, nisi cognitum ab illo : ergo oportet, quod minister qualitatem pœnitentium agnoscat in eo quod pœnitentes sunt : non autem potest illa cognosci, nisi cognito peccato : ergo oportet ministrum agnoscere peccatum : et non potest nisi per confessionem : ergo oportet confessionem fieri homini.

2. Item, Satisfactio non est nisi post vim clavium, ut prius habitum est : claves autem operantur in confessione facta homini : ergo necessarium est ut confessio fiat homini.

3. Item, Pœnitentiæ sunt arbitrariæ, ut dicunt Sancti et Doctores : sed numquam potest pœnitentia arbitrari, nisi sciatur quantitas delicti per confessionem : ergo oportet pœnitentem qui vult pœnitentiam facere, confessionem facere homini.

4. Præterea, Si confessio non requireretur propter hominem, tunc non oporteret fieri aliquam confessionem : ei enim qui omnia novit, non est necessaria confessio : sed Deus omnia cognoscit : ergo non est ei confessio necessaria : si ergo quæritur confessio a pœnitente, constat quod hoc fit propter hominem, et non propter Deum.

Auctoritates autem ad utramque partem istius disputationis multæ sunt in *Littera*.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quod absque dubio confessio facienda est homini, et non soli Deo, sicut Magister determinat in *Littera*.

Ad 1. AD ILLUD ergo quod primo objicitur, dicendum quod licet in peccato non habeat culpam nisi peccans, non tamen sufficit solus ad deletionem : plura enim exiguntur ad reconciliationem, quam ad recessum per peccatum : oportet enim adesse meritum Christi in clavibus, et etiam intercessionem Ecclesiæ per suum ministrum : sicut enim in primo peccato unus homo solus peccavit, et tamen solus pro omnibus nec etiam pro se pœnitere potuit, nisi meritum Christi suffragaretur, ita etiam est in peccatis aliorum quoad hoc quod plura oportet concurrere ad reconciliationem.

Ad 2. AD ALIUD dicendum, quod illud peccatum non omnino deletur per alterum : quia ad minus oportet suscipere sacramentum Ecclesiæ : et ita fit ibi aliquid per Ecclesiam. Et similiter necesse est in peccato actuali, quod per Ecclesiam in suo ministro conjungatur illi meritum Christi, quod est in potestate Ecclesiastica in clavibus.

Ad 3. AD ALIUD dicendum, quod jam patet per prædicta : quia non sequitur, quod plura multa exiguntur in emenda, quam commissa sint in culpa. Ne tamen credamur fugere argumentum, dici potest, quod in peccato est quoddam nocumentum peccatoris, scilicet quod dividitur a corpore Christi mystico per peccatum, et a capite Christo : et sic ordinavit Deus, ut non revertatur, nisi per ministrum in voto et opere, si habet facultatem : et sic ei quod est in emenda, respondet aliquid in culpa.

Ad 4. AD ALIUD dicendum, quod rex terrenus benignus triplici ex causa utitur ministro, scilicet propter imperfectionem sui, et propter utilitatem subditorum, et propter ordinis pulchritudinem. Propter sui indigentiam, quia ubique esse non potest, nec per seipsum omnia dijudicare. Propter utilitatem autem subditorum dupliciter, scilicet inferiorum, et superiorum. Superiorum : quia vult, quod superior hac honoretur dignitate, et sibi in hoc deserviat ut inferiorem perficiat. Inferiorum autem : quia forte inferior magis audacter habet accessum ad inferiorem aliquem, quam ad ipsum regem. Et his duabus ultimis de causis Deus vicarium habet. Et prima causa est Augustini et Gregorii per simile loquen-

tium de Angelis, quibus Deus utitur in perficiendis hominibus. Secunda autem est Magistri Hugonis. Propter seipsum autem non utitur vicario : quia et ubique est, et omnia per seipsum potens dijudicare. Tertia causa est ordo : et ista est beati Dionysii : quia etsi Deus omnia per seipsum possit perficere, et illuminare, et consummare, tamen propter pulchritudinem ordinis lex divinitatis est per prima media, et per media ultima deducere ad purgationem, illuminationem, et perfectionem : et ideo in Ecclesiastica hierarchia constituuntur gradus sicut in cœlesti.

Ad 5. Ad aliud dicendum, quod Philosophus intelligit de eo quod est omni modo melius, tam ex parte facientis, quam ex parte ejus circa quem operatur : et si ita Deus esset, tunc Deus per seipsum operaretur : sed in præcedentis argumenti solutione ostensum est sic non esse.

Ad 6. Ad aliud dicendum, quod aliud est de judicio convictionis ad condemnationem, et aliud de judicio reconciliationis rei ad perfectionem, per purgationem et illuminationem : in primo enim non exigitur nisi quod judex causam cognoscat quantum ad substantiam judicii : et si aliis innotescat, hoc fit ut justior esse videatur condemnatio : et tale erit judicium in futuro, quod Deus faciet per seipsum. Sed judicium confessionis est judicium reconciliationis et reductionis : et ideo illa exiguntur, quæ supra dicta sunt.

ARTICULUS XXXIII.

An verum sit hoc dictum Magistri dicentis, Lavant lacrymæ delictum, quod voce pudor est confiteri ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, C, post initium : « *Lavant lacrymæ delictum, quod voce pudor est confiteri*, etc. »

Aut enim hoc intelligitur, quod cum pudore confitetur aliquis : aut sic, quod pudor esset si confiteretur. Si primo modo : tunc nihil esset, quod sequitur : « Veniæ fletus consulit, et verecundiæ : » non enim consulit verecundiæ, si verecundiam confitendo subire oportet. Si autem secundo modo : tunc erit contra hoc quod dixit idem Ambrosius : « Lacrymas Petri lego, satisfactionem non lego. »

2. Præterea, Quid est quod dicit : « Quod defendi non potest, ablui potest : » si enim absolvitur, tunc videtur quod ad notitiam veniat absolventis : et ideo non valet ad propositum.

3. Præterea, Videtur nihil esse quod dicit : quia si peccatum non potest defendi, in nullo judicio debet absolvi reus : ergo si absolvitur peccator, potest defendi : et ita nihil dicit, « Quod defendi non potest, ablui potest. »

Præterea quæritur ulterius hic, Utrum hæc opinio sit hæretica vel possit sustineri? Quæst.

Videtur autem, quod possit sustineri : quia

1. Tam hic quam etiam in Decreto recitatur tantum pro opinione, et non pro errore : ergo videtur, quod Ecclesia opinionem et non errorem judicat illud.

2. Item, Non semper fuit hic usus, quod homo homini confiteretur : ergo videtur, quod non sit de moralibus quod homo homini confiteatur, quia moralia semper tenent : et constat etiam quod non est de credendis, cum etiam non sit articulus fidei, nec etiam reductum ad articulum aliquem : ergo nec de credendis est, nec de necessario faciendis : in omnibus talibus autem dicunt Magistri, quod possumus opinari pro utraque parte : ergo illud est de opinabilibus, et non est judicandum hæreticum quod illi dicunt.

3. Item, Augustinus et Bernardus distinguunt credenda et intelligenda et opinanda, dicentes, quia quod credimus, de-

bemus auctoritati : quod intelligimus, rationi : quod opinamur, errori sive incertitudini dubitationis : sed in ista quæstione certam canonis Bibliæ non habemus auctoritatem, ergo non est de credendis : nec habemus firmam ac stabilem rationem, ergo non est de intelligendis : ergo relinquitur, quod sit de opinandis : sed in talibus non culpatur oppositum dicens : ergo ista opinio non est condemnanda, ut videtur.

contra. SED CONTRA :

1. Quidquid dissolvit ordinem Ecclesiasticum et potestatem Ecclesiasticam, illud est hæreticum : hæc assertio dissolvit : ergo est hæretica. PROBATIO primæ est : quia hæc est contra articulum, « In sanctam Ecclesiam et Sanctorum communionem. » SECUNDA probatur ex hoc, quod qui negat actum, negat per consequens potestatem : sed actus purgationis, illuminationis, et perfectionis, negatur procedere secundum ordinem potestatis Ecclesiasticæ in reducendis inferioribus : ergo constat propositum.

2. Adhuc, Quod sacræ Scripturæ contradicit est hæreticum : sed illud sacræ Scripturæ contradicit : ergo est hæresis pura. PRIMA patet per se : quia non habemus regulam credendi aliquam, nisi Scripturam. SECUNDA constat : quia cum mysterio sacræ Scripturæ, quæ in Veteri Testamento dicit quod leprosus non redit ad castra, nisi per judicium sacerdotis[1], contradicat ista assertio, constat quod sacræ Scripturæ contradicit : et ita constat propositum probatum.

RESPONSIO. Dicendum, quod intelligitur *Littera sic :* « Quod voce pudor est confiteri, » hoc est, quod cum pudore aliquis confitetur.

AD OBJECTUM autem contra, dicendum quod *Littera* non tantum innuit, quod non legit confessionem : sed etiam expresse dicit, quod non legit satisfactionem : et tamen naturale jus non permittit quin satisfecerit, si peccavit : et ita etiam intelligendum est de confessione : licet alibi duas solutiones alias super hoc notaverimus in præcedentibus, quas hic non repetimus, ne fiat prolixitas.

AD ALIUD dicendum, quod peccatum quod defendi non potest, est peccatum in judicio confessionis manifestatum sacerdoti : quia tale est judicium illud, quod accusantem absolvit, et defendentem peccatum suum condemnat. Ad 2.

Ad objectum autem dicendum, quod verum est de judicio convictionis, et de judicio condemnationis, et non de judicio reconciliante reum : et bene concedo, quod non valet ad propositum pro ista assertione : quia falsitas bonum auctoritatis testimonium habere non potest. Ad 3.

AD ID quod ulterius quæritur, dicendum videtur, quod duplex est hæresis, scilicet aperta, et implicita. *Aperta* hæresis, quæ expresse contrarium prædicat, vel quod antecedit articulum, vel sequitur illum : ut quod Deus non sit trinus et unus, est hæresis contra articulum : quod fornicatio non sit mortale peccatum, est hæresis contra consequens articulum : quod sacra Scriptura falsum dicat, est hæresis contra antecedens articulum. *Implicita* autem hæresis, est assertio ex qua sequitur hæresis, sicut est ista : quia licet modo non teneamur confiteri Episcopis tribus vel duobus, si tamen præcipiatur ab Ecclesia, tunc tenemur. Unde si ego dico non esse confitendum Episcopis illis, ex hoc sequitur, quod non sit obediendum potestati et ordinationi clavium : et ideo hæresis est. Et talem judico assertionem istam : quia licet quandoque homo non confiteretur homini enarrando peccatum ore, sicut modo, tamen ex præcepto Ecclesiæ tenetur ad illud. Ad quæst.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod nec Magister hic, nec Gratianus in decreto Ad 1.

[1] Cf. Levit. XIII, 44 et seq.

recitat hoc approbando, sed potius condemnando, et errorem in oppositum disputando manifestat.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod ex illa ratione non potest haberi, quod sit de opinabilibus, sed potius quod non omnino sit morale, sed disciplinale secundum aliquid : sicut supra [1] per disputationem habetur, quod substantialiter quidem morale est, sed determinatio ipsius est disciplinalis, et per Ecclesiam facta : et hoc ad utilitatem hominum, et Ecclesiasticæ unitatis tota die fieri potest.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod licet auctoritas canonis non sit de tota determinatione, tamen innuit canon hoc fieri posse, et esse utile tam in Veteri quam in Novo Testamento : in Veteri enim præcipit diligenter agnosci vultum pecoris : in Novo autem in canonica Jacobi expresse dicens : *Confitemini alterutrum peccata vestra* [3].

Multa autem de modo illius præcepti notata sunt supra : et ideo hic transeundum.

Expositio textus.

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, C, post initium : « *Revela Domino viam tuam* [4]. »

Ex ista enim auctoritate Chrysostomi, habetur quod non tenemur confiteri nisi ante Deum.

Solutio. Responsio. Dicendum, quod alia est confessio sacramentalis, et alia supplicationis : sacramentalem necesse est fieri homini, et de hac non loquitur Chrysostomus. Confessio autem supplicationis est, quando aliquis in oratione se humilians accusat, ut sic facilius exaudiatur : et hoc fit coram Deo solo : et de hac loquitur Sanctus : sicut et Daniel. IX, 20, ubi dicitur, quod confitebatur in oratione peccata sua, et peccata parentum suorum, ut humiliatus facilius exaudiretur.

ARTICULUS XXXIV.

An recognoscens peccata sua potest aliquid adversus proximum in corde suo tenere ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, C, circa medium : « *Si habueris peccata tua in mente*, etc. »

Videtur enim hoc non esse necessarium : multos enim videmus sua mala recognoscere, qui tamen proximo non indulgent, et multa mala recogitant.

Responsio. Dicendum, quod intelligitur de tentione in memoria cum detestatione perfecta : qui enim peccatum memoratum perfecte detestatur, sicut facit vere pœnitens, non multiplicat suum peccatum, malum proximo cogitando. Si

ARTICULUS XXXV.

An aliquis potest confiteri suo conservo ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, C, circa medium : « *Non dico ut confitearis ea*, etc. »

Conservus enim hominis est quilibet homo : ergo nulli homini debet confiteri : et sic totum falsum est, quod supra disputatum est.

[1] Cf. Supra, Dist. XV.

[2] Proverb. XXVII, 23 : *Diligenter agnosce vultum pecoris tui.*

[3] Jacob. V, 16.

[4] Psal. XXXVI, 5.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quod potest fieri vis in conservo : quia conservus potest dici æqualis conditione et gradu, et sic sacerdos non est conservus : et tunc non intelligitur hic nisi confessio laici et popularis, quæ sæpe fit ad exprobrationem : quia laici non habentes discretionem sigilli confessionis, exprobrant audita confitenti.

Vel aliter potest dici, quia vis est in hoc quod dicit, » Ut tibi exprobret : » quod licet sacerdos conservus sit, non tamen debet confiteri ut homini, quia sic posset exprobrare confitenti, sed debet confiteri ut Deo : quia sic prohibetur ab exprobratione sacerdos sigillo confessionis : quia novit hoc ut secretum Dei, et non ut narrationem humanam.

ARTICULUS XXXVI.

Qualis debet esse confessio ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, C, circa medium : « *Dicito ingemiscens et lacrymans*, etc. »

Hic ponenda est quæstio utilis, Qualis debeat esse confessio ? Et dicunt Magistri, quod decem et sex dant ei debitam qualitatem, quæ his versibus notantur :

Sit simplex, humilis, confessio pura, fidelis,
Et frequens nuda, discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, lacrymabilis, accelerata,
Fortis, et accusans, et sic parere parata.

Istæ enim sunt sedecim qualitates, quæ assignantur confessioni a Magistris.

Quæritur autem, Qualiter dicatur *simplex ?*

Videtur enim, quod multiplex esset melior : quia alia conditio sua est, quod sit frequens.

Si autem dicatur, quod dicitur *simplex* quantum ad peccati enarrationem. CONTRA : Non simpliciter debet enarrari peccatum, sed potius peccatum cum circumstantiis : ergo videtur, quod non debet esse simplex.

Si vero dicas, quod intelligitur de simplicitate confitentis. CONTRA : Ad Roman. XVI, 19 : *Volo vos esse sapientes in bono, et simplices in malo :* sed unum optimorum est confessio : ergo in ipsa non debet aliquis esse simplex.

2. Deinde quæritur, Qualiter sit *humilis* confessio ?

Non enim videtur humilitas qualitas esse confessionis, sed potius confitentis.

Præterea, Videtur, quod omnis confessio sit humilis : omnis enim actus humilians agentem, humilis est : sed nihil adeo ut confessio humiliat agentem : ergo videtur, quod omnis confessio sit humilis.

3. Deinde quæritur de hoc quod dicit, *Pura.*

Hoc enim non videtur differre a simplicitate. Purum enim est, quod nihil alieni habet permixtum, et similiter idem est simplex : ergo videtur, quod hæc duo in confessione sint unum.

Si autem tu dicas, quod puritas refertur ad confitentem. CONTRA : Quia secundum hoc nullus impurus confiteretur, id est, habens peccatum mortale : et hoc supra est improbatum : ergo videtur, quod non debet poni, quod sit pura.

4. Deinde quæritur de hoc quod dicit, *Fidelis.*

Aut enim intelligitur de fide confitentis, aut confessionis. Si primo modo : tunc non est proprium confessionis, quia nihil placet Deo sine fide. Si autem de fide confessionis, ut communiter dicitur : tunc idem est confessionem esse fidelem, quod veram : et veritas ista supponitur in simplicitate et puritate : et ideo illud membrum superfluere videtur.

5. Ulterius quæritur de hoc quod dicit, *Frequens.*

Hoc enim non est necessarium : quia sufficit semel bene facta confessio.

Item, Omnis actus frequenter iteratus,

efficitur levis, et fit cum majori negligentia agentis, quia non ponitur studium nisi circa difficile : ergo frequens confessio negligentior efficitur : sed hæc est qualitas mala : ergo frequentia non est bona qualitas confessionis.

6. Objicitur etiam de hoc quod dicitur debere esse *nudam*. Quia hoc nihil differre videtur a simplicitate, quæ supra assignata est : ergo pro qualitate diversa poni non debet.

7. Objicitur etiam de hoc quod dicitur, *Discreta*.

Si enim intelligitur discretio quoad hoc quod omnia computet, tunc idem re, etsi non ratione, est esse discretam, quod esse integram : et sic alterum illorum superfluit. Si autem intelligitur discreta quoad confitentem, qui debet esse discretus. CONTRA : Confessio obligat et discretum et indiscretum æqualiter : ergo est discreti et indiscreti æqualiter : ergo non debet dici discreta a discretione confitentis.

8. Item de hoc quod dicit, *Libens*.

Impossibile enim est, quod aliquid sit libens et amarum simul : sed confessio debet esse cum amaritudine, sicut dicitur, Isa. XXXVIII, 15 : *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*. Ergo non potest esse libens, ut videtur.

9. De hoc autem quod dicitur debere esse *verecundam*, videtur falsum : quia nihil retrahens a confessione est bona qualitas confitentis vel confessionis : verecundia autem est retrahens quantum est de se, nisi aliquis dominetur ei : ergo non est bona qualitas confessionis.

Item, In naturis quidquid impedit de se actum aliquem, non est bona qualitas agentis, in quantum agens est : ergo et in sanctis moribus sic erit : sed verecundia de se retrahit a confessione, ut cuilibet patet : ergo, etc.

Item, Beatus Gregorius laudat Mariam Magdalenam ex hoc quod ipsa inter convivantes non erubuit in confessione dicens : « Quia semetipsam graviter erubescebat intus, nihil quod verecundaretur credebat esse foris : » ergo et aliis est audabilis qualitas non erubescere.

Item, Paulo ante habitum est in *Littera* : « Si erubui peccatum meum coram populo confiteri [1]. » Ergo si Job dicit laudando se non erubuisse, erubescentia laudabilis qualitas confessionis esse non potest.

10. Deinde objicitur de hoc quod dicit, *Integra*.

Hoc enim videtur impossibile : quia dicit Psalmus XVIII, 13 : *Delicta quis intelligit?* Ergo integre nullus confitetur.

Si autem tu dicas, quod recordatum integre confitendum est cum suis circumstantiis. CONTRA : Supra habitum est [2], quod circumstantias non oportet confiteri, nisi trahant ad aliud genus : ergo hæc non est essentialis qualitas confessionis.

Si autem dicas, quod *integra* dicitur, quia totum uni confitendum est. CONTRA : Ponamus, quod duo injungant duas medietates veræ pœnitentiæ : in qualibet autem re duæ medietates rei æquipollent integro : ergo illæ duæ medietates sufficiunt : ergo potest sic dimidiari confessio : et insuper melior videtur, quia major est verecundia coram duobus, vel tribus, quam coram uno.

11. *Secreta* autem non videtur debere esse : quia jam ante in *Littera* laudata est confessio quæ fit coram populo.

Item, Magdalena est confessa opere ad minus, scilicet flendo, coram populo : et laudatur multum ejus confessio : ergo videtur, quod non debeat esse secreta.

Item, Jam diximus ante, quod debet esse verecunda : ergo melior est magis verecunda : sed magis verecunda est, quæ fit coram pluribus, quam secreta.

12. *Lacrymabilis* etiam esse non vide-

[1] Job, XXXI, 33. Vide dicta supra super hunc textum Job in art. 27 hujus distinctionis.

[2] Cf. Supra, Dist. XIII.

tur. Ex quadam enim disputatione supra habita [1], habetur, quod quandoque minus dolens plus lacrymatur : et magis dolens, minus vel nihil : cum igitur laudabilior sit confessio quæ fit cum majori dolore, videtur quod laudabilior sit non lacrymabilis.

Item, Supra dixit Augustus [2], quod pœnitens debet gaudere de dolore : sed impossibile videtur simul gaudere et lacrymari præ angustia : ergo videtur, quod confessio non debet esse cum lacrymis, sed potius cum gaudio.

13. *Accelerata* autem non videtur esse simul et discreta : quia nihil quod in sui factione requirit magnam discretionis deliberationem, potest esse acceleratum : sed confessio sic requirit præcognitionem et deliberationem : ergo non potest esse accelerata.

Si autem dicas, quod debet esse accelerata ratione temporis, quia non debet differri. Contra : Ecclesia non obligat, nisi quod semel in anno fiat : ergo ultra hoc tempus non oportet confiteri : ergo non oportet esse acceleratam hoc modo. Sed de hoc infra erit quæstio specialis.

14. *Fortis* autem non videtur aliquo modo esse confessio : quia nihil difficile est in enarratione peccatorum : fortitudo autem non requiritur nisi in difficili : ergo videtur, quod fortitudo non sit qualitas debita confessioni.

15. *Accusans* quidem confessio est : sed hoc videtur supponi in hoc quod dicitur *verecunda* : quia non est verecunda, nisi de accusatione divina : ergo quando verecunda esse ponitur, illud videtur superfluum esse.

16. Videtur autem, quod non oporteat quod sit *parere parata* : quia etiamsi non sit parata, adhuc confessio est, sicut supra probatum est.

Item, Qui confitetur, et non emendat, nihilominus tamen implet mandatum Ecclesiæ : ergo non oportet, quod sit parata semper obedire.

Item, Aliqui sacerdotes nituntur injungere quod non oportet facere pœnitentem : ergo in tali casu non oportet, quod sit parata parere.

17. Adhuc, Videtur quod iste numerus non competat dictis beati Bernardi super Cantica : « Nequaquam judicetur de eo quod non sit vox, neque sensus : si tamen de corde humili fidelique processit confessio : omne ergo quod remordet conscientiam, confitere humiliter, pure, et fideliter, et has vices implesti [3]. » Ex hoc accipitur, quod non sunt nisi tres confessionis qualitates : et sic aliæ videntur superfluere.

Responsio. Dicendum ad hoc, quod illæ conditiones confessionis, sunt confessionis non cujuslibet, sed perfectæ secundum statum meritorium : et ideo non omnibus confessionibus conveniunt. Solutio.

Accipiuntur autem conditiones istæ partim ex consideratione confitentis, partim autem ex consideratione confessionis.

Ex parte quidem confitentis accipiuntur septem, scilicet quod sit humilis, libens, lacrymabillis, accelerata, fortis, discreta, et parere parata : aliæ autem omnes circumstant actum confessionis. Confessio enim in confitente consideratur quadrupliciter, scilicet in quantum est actus sacramenti, et in quantum est a virtute pœnitentiæ procedens, et in ordine ad sequentem satisfactionem, et in quantum est enarratio peccatorum : et hoc est considerare eam in specie propria. Et primo quidem modo est *libens* : quia sic voluntas pœnitentis assentit ei, eo quod sacramentum purgat peccatum, et ipse summe purgari desiderat. Si autem consideratur ut actus a virtute pœnitentiæ elicitus, sic est cum difficultate : et quoad hoc exigitur, quod pœni-

[1] Cf. Supra, Dist. XIV.
[2] Cf. Supra Dist. XIII.
[3] S. Bernardus, Super Cantica, serm. 16.

tens sit *fortis*. Si autem consideratur in ordine ad satisfactionem sequentem, sic convenit ei quod sit *parere parata*. Si autem consideratur prout est peccatorum enarratio, dupliciter consideratur, scilicet in genere mali, et in specie : et in genere dupliciter, scilicet secundum quod peccatum est turpe perpetratum, et sic est *verecunda :* et secundum quod est malum, et sic est *lacrymabilis*. In specie similiter dupliciter, scilicet secundum ea de quibus est secundum speciem et numerum, quæ multa sunt, et sic exigit, quod sit *discreta :* et secundum quod præceptum est de ipsa, et sic debet esse *accelerata*, quia celeritas implendi est præceptum ne occupet transgressio.

In ipsa autem confessione sunt omnia alia hoc modo. Confessionis actus habet in se tria, scilicet objectum, modum, et actum. Objectum autem est peccatum ipsum, quod est in multitudine turpi, vestitum circumstantiis malis, habens adjunctum delectabile trahens. Si autem consideratur objectum ut in multitudine, sic quærit *integritatem* ne dividatur : si autem ut circumstantiis vestitum aggravantibus, sic quærit *accusationem* sui : si autem consideretur ratione delectabilis adjuncti, sic debet esse *secreta*, ne aliquis inficiatur auditu, et pertrahatur vi delectationis ad similia. Si autem accipitur actus qui est declarativus peccati, aut comparatur ad dicentem, aut audientem : et ad dicentem dupliciter, scilicet prout est meritorius, vel prout est impletivus præcepti tantum. Si primo modo : tunc debet esse *frequens*. Si secundo modo : tunc debet esse *simplex*, id est, simpliciter sine excusatione aliqua factum enarrans, qua intendit obligare Ecclesia confitens. Si autem comparatur ad audientem, debet confessio esse *nuda*, ut aperte sacerdos totum intelligere possit cor pœnitentis et confitentis. Modus proprius confessionis est duplex, scilicet quod sit impermixta actui contrario, qui est peccatum, et sic dicitur *pura :* et quod sit vera sicut dicitur, et sic dicitur *fidelis*, id est, verax.

Ad primum ergo dicendum, quod *simplicitas* quæ opponitur additioni, non opponitur frequentiæ actus ejusdem, sed potius interpositioni fabularum et factorum quæ non sunt peccata : sicut multi confitentur totam historiam suæ vitæ recitantes, contra quos dicitur, Isa. xliii, 26 : *Narra si quid habes ut justificeris*, scilicet dic tu iniquitates tuas, ut justificeris : non dic fabulas vitæ tuæ omnes.

Ad aliud dicendum, quod non opponitur enarrationi peccatorum et circumstiarum, sed tantum illi quod jam dictum est.

Ad aliud patet solutio per idem : quia non negatur per hoc quin debeat esse valde sapiens ipse confitens : quia quanto est sapientior, tanto simplicius sine interruptione aliorum actuum confitetur.

Ad hoc quod objicitur de *humilitate*, dicendum quod humilis debet esse : et bene concedimus, quod hoc confitenti convenit, sed tamen quia convenit ei secundum quod est in actu confessionis, ideo assignatur confessioni pro qualitate.

Ad aliud dicendum, quod omnis confessio bona est humilis : sed tamen non omnis confessio humilis est : quidam enim jactando peccata sua confitentur, de quibus, Isa. iii, 9 : *Peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt*. Et contra istam conditionem præcipue peccant quidam, qui peccatum ignominiosum, sicut furtum, vel aliquid tale, demisso capite confitentur : aliud autem quod sonat sæculi vanitatem, sicut torneamentum, vel in disputando victoriam, vel audaciam pugnandi, confitentur erecto capite et ore ridente.

Ad iii quod objicitur de hoc quod debet esse *pura*, dicendum quod *pura* dicitur, quia confitendo non multiplicat impurum : sicut quidam qui ipso actu confessionis multiplicant peccatum, jactando, vel mentiendo, vel desperando, vel præsumendo, vel ab aliquo hujusmodi actu.

Ab objectum autem contra, dicendum quod ex prædictis patet, in quo differt puritas a simplicitate : quia puritas dicit immixtionem peccati, et simplicitas excludit admixtionem historiæ, non peccati existentis.

Ad aliud dicendum, quod bene conceditur, quod puritas non dicit ibi immunitatem a peccato ex parte confitentis.

Ad hoc autem quod objicitur de quarto, scilicet qualiter sit *fidelis*, patet responsio per antedicta : quia fidelis est per veritatem dicti, secundum quod conscientia di o attestatur : et per hoc patet solutio ad primam partem objectionis, quia non intelligitur de fide confitentis.

Ad aliud dicendum, quod vera confessio, non semper est simplex : quia dicitur *vera*, eo quod res se ita habeat ut dicitur : et quandoque multa vera de historia vitæ interponuntur, quæ tollunt ejus simplicitatem.

Ad aliud dicendum, quod *frequens* confessio non est necessaria : nec assignantur tantum conditiones essentiales confessionis, sed etiam conditiones confessionis secundum optimum sui statum : et hæc est una illarum : quanto enim frequentius confitetur, tanto melius, licet non sit necessarium : quia verecundia semper tollit aliquid de pœna, et etiam vis clavium, et oratio confessoris.

Ad id quod contra objicitur, dicendum quod quidam actus sunt, qui tamen habent gravitatem adjunctam, quod frequentia numquam inducit delectationem, licet aliquo modo gravitatem diminuat : sicut patet in actibus fortitudinis : et quod fortitudo habet ratione gravitatis in sustinendo, hoc habet confessio ratione verecundiæ in se manifestando diversis : et tunc sicut manet semper actus gravis, ita numquam subrepit negligentia, sed semper fit cum attentione et dolore : bene tamen concedo quod verecundia diminuitur : et hoc supplet devotio frequenter se coram diversis confundentis.

Ad id quod sexto quæritur de hoc quod dicit eam esse *nudam :* dicendum, quod ex diffinitione patet in quo differt a simplicitate : quia nudum sonat apertum, non involutum circumlocutionibus, ut aperte intelligatur ab audiente : sed simpliciter dicit privationem historiæ ad peccatum non pertinentis. Ad 6.

Ad hoc quod objicitur de *discretione*, dicendum quod dicit modum confitentis in actu confessionis, secundum quod est de multis confessio : quia peccata diversa sunt : debet enim discretus confitens majus peccatum dicere cum majori detestatione, et minus cum minori : et sic patet, quod differt ab integritate : quia integritas dicit ne dividatur in duos audientes, sed discretio dicit ut quodlibet per se debito pondere ponderetur : unde integra confessio potest esse indiscreta, et discreta potest esse non integra. Unde patet, quod ista sunt separata a se invicem. Ad 7.

Ad aliud dicendum, quod *libens* potest esse confessio et amara, sed non secundum idem : consideratur enim ut actus sacramentalis purgans, et sic est libens et volita cum magna devotione facta : consideratur etiam secundum quod est rememorativa peccatorum perpetratorum et sic est facta cum amaritudine, tamen facta per voluntatem, sicut supra in præcedentibus de dolore voluntario notavimus. Ad 8.

Ad id quod objicitur contra nonum, scilicet quod debet esse *verecunda*, dicendum quod laudabilissimarum conditionum confessionis illa est una, si sit moderata. Ad 9.

Ad id autem quod contra objicitur, dicendum quod duplex est verecundia : una scilicet coram Deo de turpitudine actus, et altera coram hominibus. Et prima est bona et incitans ad confessionem ut purgetur turpe verecundum. Secunda est mala et retrahens : et de illa procedunt tres primæ objectiones. Et de illa quæ est coram Deo, dicit Bernardus : « Quanam fronte attollo jam oculos ad

vultum tam boni patris tam malus filius ? Pudet indigna gessisse genere meo, pudet tanto patri vixisse degenerem [1]. » Item dicit : « Quid caduca, vana, et prope nulla, et quorum finis mors est, infelix et insanus præferre non erubui æterni Patris amori et honori ? Confundor, confundor audire, Si ergo pater, ubi honor meus ? Sed etsi pater non esset, obrueret me beneficiis. Instaurat contra me testes (ut alia innumera taceam) hujus corporis victum, et usum temporis hujus, et super omnia sanguinem dilecti Filii clamantem de terra. Pudet ingratitudinis, quamquam ad confusionis cumulum arguar etiam reddidisse mala pro bonis, et odium pro dilectione. » Et parum infra : « Erubesce et doce nihilominus, anima mea, quoniam etsi illum non repetere et non improperare decet, nos tamen omnino dedecet ingratos immemoresque exstitisse. »

Ad ultimum autem dicendum, quod sicut patuit superius, ubi distinctum fuit de verbo illo, quod coram populo non debeat confiteri gratia proprii actus confessionis, sed gratia sequentis, quod est exemplum ex injuncta satisfactione : ut sicut coram populo peccavit, ita bonum exemplum ostendat, et verecundia ab his non retrahat, sed potius incitet verecundia quæ est coram Deo.

Ad 10. Ad DECIMUM quod objicitur de *integritate*, dicendum quod integritas opponitur divisioni quantum ad audientem : et ideo primæ argumentationes non faciunt aliquid contra.

Sed ad ultimum dicendum, quod quantitas peccati, scilicet est in actu, et in radice actus : et licet in divisa confessione innotescat quantitas actus, tamen non innotescit quantitas radicis, quia vices illæ multæ indicant magnum habitum, et magnam radicem, et difficulter solubilem, et hanc quantitatem intendit principaliter excidere sacerdos per injunctam satisfactionem : et ideo est, quod dimidiata confessio numquam est sufficiens, nec potest esse : et etiam ratione supra assignata, quia neutri apparet ita malus sicut est : et hoc est se excusare, et ad hypocrisim tendere, et semper venia carere, sicut dictum est in præcedenti distinctione.

Ad IN quod undecimo quæritur de *secreta* confessione, dicendum quod bonum est secretam esse propter scandalum. Ad

Ad id quod objicitur primo in contrarium, patet solutio per dicta.

Ad id quod de Maria Magdalena objicitur, dicendum quod ipsa non exposuit peccatum in publico, sed peccatricem in genere se ostendit in publico : et hoc non incitat nec instigat ad peccatum nescientes : et tamen etiam hoc ipsum non oportet, nisi aliquis velit in criminibus magnis.

Ad ultimum dicendum, quod intelligitur de verecundia quæ est coram Deo discreta, ne alicui procuret nocumentum vel scandalum.

Ad IN quod objicitur duodecimo, quod debet esse *accelerata*, dicendum quod in actu nulla debet esse celeritas, sicut probat objectio prima : imo mora exigitur propter deliberationem, et singultus pœnitentium : sed accelerata tollit procrastinationem pœnitentium, ne tardent converti ad Dominum, et ne differant *de die in diem*, sicut præcipitur, Eccli. v, 8. Ad

Ad objectum autem contra, dicendum quod licet Ecclesia præceperit tempus, non tamen exclusit consilium : quia quanto citius, tanto melius : unde securum est accelerare quantum potest : et sicut dictum est, hic assignantur conditiones confessionis secundum optimum statum sui.

Ad HOC quod decimotertio objicitur de *lacrymabili*, dicendum quod lacrymosa ponitur pro gemebunda, sicut hic dicitur in *Littera* : et sicut dicit beatus Gregorius in quadam homilia de Maria Magdalena sic : « Quæ dum lacrymosa ad eum Ad 13.

[1] S. BERNARDUS, Super Cantica, Serm. 16.

medullitus ingemuerat, a peste mox curatur, qua misere languerat. » Et beatus Bernardus super *Cantica* : « Non tibi, o quæcumque talis es anima, non ille locus vilis aut despicabilis videatur, (scilicet ante pedes Domini qui sunt judicium et misericordia) ubi sancta peccatrix peccata deposuit, induit sanctitatem. Ibi Æthiopissa mutavit pellem, et in novum restituta candorem, jam tunc fiducialiter veraciterque respondebat exprobrantibus sibi verbum : *Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem* [1]. Miraris quanam id arte potuit, vel quibus obtinuerit meritis ? Paucis accipe. Flevit amare, et de intimis visceribus longa suspiria trahens, salutaribus intra se succussa singultibus, felleos humores evomuit [2]. »

Ad id autem quod contra objicitur, dicendum quod dicitur lacrymosa magis a lacrymis rationis et spei, quam spiritus et corporis.

Ad aliud dicendum, quod Augustinus non intendit, quod gaudium illud excludat dolorem et lacrymas : et hujus ratio sæpius supra assignata est.

Ad 14. Ad id quod objicitur de quartodecimo, quod sit *fortis*, dicendum sicut patuit in divisione, quod difficillimorum operum est confiteri. Sicut enim supra in *Littera* dicit Augustinus, quod perfecte videtur purgare qui erubescentiæ dominans, nihil eorum quæ fecit, nuntio et vicario Dei abscondit : et ratione difficultatis quam ingerit confusio humana, exigitur fortitudo in confitente : et hoc petiit Psalmista, Psal. LXVIII, 16 : *Neque urgeat super me puteus os suum :* sicut supra patuit in *Littera*, ubi hoc inducitur ab Augustino.

Ad 15. Ad hoc quod quintodecimo objicitur, scilicet de *accusatione*, dicendum quod non supponitur ibi verecundia : quia accusans est, quando culpam in se non in alium refundit, sicut fecit Adam : et hoc petiit Psalmista, Psal. CXL, 4, dicens : *Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis.* Verecundia autem dicit confusionem passivam coram Deo, accusans vero sibi facit verecundiam activam coram homine sacerdote : et ideo patet, quod unum supponitur vel relinquitur in alio.

Ad 16. Ad id quod sextodecimo objicitur, quod sit *parere parata*, dicendum quod hæc conditio est fructuosæ confessionis : et per hoc patet solutio ad duo prima.

Ad ultimum dicendum, quod intelligitur de his debere esse obediens quæ necessaria sunt ad salutem : et de hoc in superioribus habita est quæstio specialis, Utrum scilicet injungi possint consilia et opera supere rogationis [3] ?

Ad 17. Ad id quod objicitur de conditionibus Bernardi, dicendum quod ipse non assignat nisi necessarias et essentiales, in quibus confessio sacramentalis differt ab aliis peccatorum enarrationibus. Et *humilitas* quidem est motus ejus secundum considerationem sui objecti quod est humilians, quia est peccatum. *Puritas* vocatur hic exclusio omnis alieni, tam historiæ quam etiam peccati cumulantis peccatum per jactantiam, vel aliquid hujusmodi : et *fidelitas* est veracitas in dicto.

Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICULUS XXXVII.

An temporalibus pœnis mutantur æterna supplicia ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, C, ante finem : *Temporalibus pœnis mutabunt æterna supplicia*, etc. »

[1] Cantic, I, 4.

[2] S. Bernardus, Super Cantica, Serm. 3.

[3] Cf. præcipue, Dist, XV, Art. 40, et ea quæ dicuntur de *satisfactione*, in principio ejusdem distinctionis.

Videtur hoc esse falsum :

1. Primo quidem, quia passione non meremur : sed pœnæ temporales quædam sunt passiones : ergo eis non meremur : ergo non merendo pœnis temporalibus mutamus æterna incendia.

2. Adhuc, Posito etiam, quod pœnis mereamur, videtur impossibile dicere : quia nullum temporale potest in æternum : sed pœnæ corporales sunt temporales : ergo non possunt in pœnas æternas : ergo non debent eas mutare : ergo falsum est quod dicit in *Littera*.

3. Item, Adhuc communiter Doctores tradunt, quod pœna æterna adjuncta est culpæ mortali, et soluta ipsa solvitur : sed culpa mortalis non solvitur pœna, sed gratia gratum faciente quæ infunditur contrito : ergo et pœna æterna : ergo deletivum pœnæ æternæ non est pœna corporalis.

4. Adhuc, Omne delens et destruens aliquid, potentius est eo : sed, sicut dicit *Littera*, pœna temporalis delet pœnam æternam : ergo potentior est illa : ergo temporale potentius est æterno ejusdem generis, quod est impossibile.

Solutio. Responsio. Dicendum, quod pœna temporalis delet æternam, sicut dicit *Littera :* sed hæc pœna temporalis incipit et radicatur in dolore contritionis primo informato per gratiam in prima gratiæ infusione : quia quatuor sunt simul in justificatione impii, sicut supra determinatum est.

Ad 1. Ad primum ergo dicendum, quod pœna secundum quod est passio tantum, non meremur : quia, sicut dicit Auctor *sex principiorum,* passio est effectus illatioque actionis : et sic ab alio est, et non a nobis. Omne autem laudabile, remunerabile, et meritorium opus, est a nobis. Sed est considerare pœnam a nobis factam, et volitam, qualis pœna est pœnitentiæ : et secundum hunc modum est meritoria vitæ æternæ, et diminutionis pœnæ.

Ad 2 et 4. Ad aliud dicendum, quod temporale per hoc quod est temporale, non potest in æternum, sed temporale informatum forma habente vim æterni, sicut est gratia, quæ est similitudo divinæ bonitatis : et per hanc vim divinam, habet vim delendi æternum contrarium sibi.

Et per hoc patet etiam solutio ad ultimum.

Ad aliud dicendum, quod peccatum cum pœna deletur gratia et dolore : sed dolor immediate agit in pœnam, et per consequens in culpam, et gratia e converso : et hoc sæpissime supra in hujus quarti *Sententiarum* disputatione dictum est : et sic dicendum est hic, quod gratia sola delet peccatum : et si aliquid aliud delet peccatum, hoc est a virtute gratiæ, quia scilicet ipsum est gratia informatum.

ARTICULUS XXXVIII.

An aliquis potest agere pœnitentiam nescientibus aliis ? et, An seipsum aliquis potest excommunicare ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, C, ante finem : « *Nescientibus aliis ipsi in se voluntariæ excommunicationis ferunt sententiam*, etc. »

Videtur enim duo falsa hic dicere, vel supponere.

1. Unum est, quod nescientibus aliis aliquis possit agere pœnitentiam, quod falsum est, cum oporteat peccatum suum scire confessorem ad minus.

2. Secundum est quod videtur supponere, quod aliquis seipsum excommunicare possit : quod iterum falsum videtur : quoniam excommunicatio est de jurisdictione superioris : nullus autem sibi est superior : ergo nullus seipsum potest excommunicare.

3. Tertio, videtur inconveniens quod dicit, « Et ab altari cui ministrabant, non animo, sed officio separari. »

Altaris enim participatio confert maximam gratiam : ergo indigens gratia, maxime quæret altaris participationem : sed nullus tantum indiget gratia ut peccator pœnitens : ergo maxime debet se altari conjungere, et ita non debet se ab altari animo separare.

4. Item, Nulli redeunti interdicitur via redeundi : sed non est reditus a peccato nisi per sacramenta : ergo sacramenta interdici non debent, sed potissimum sacramentorum est altaris participatio : ergo illa interdici non debet : ergo ab altari non debet animo separari : et sic nihil videtur esse quod dicitur in *Littera*.

ullio. d l. Responsio. Dicendum ad primum, quod non dicitur, « *Nescientibus aliis*, » propter exclusionem confessoris : sed quia scit nullus modo hominis, sed modo Dei solus novit confessor : et hoc est quod supra dictum est, quod confessionis una conditio est, quod sit secreta.

Ad aliud dicendum, quod excommunicatio ponitur hic pro similitudine effectus excommunicationis, et non pro ipsa excommunicatione : effectus autem quidam est suspensio a locis sacris, et participatione Eucharistiæ : et hoc quandoque aliquis ex se facit ex humilitate : et tunc notat eum se excommunicatione ferire. Ad 2.

Ad aliud dicendum, quod licet Eucharistia sit dignissimum sacramentum, ratione supra in tractatu de *Eucharistia* notata, non tamen est necessarium, et ideo ex humilitate bonum est quandoque se elongare : et rationes hujus plurimæ dictæ sunt supra. Ad 3.

Ad ultimum dicendum, quod via redeundi nulli negatur : quia compendiosior via est humilitas pœnitentis : et Eucharistia non est via necessaria, sed expedit ad viam idoneam accipere. Ad 4.

D. *Quod non sufficit soli Deo confiteri si tempus adsit, si tamen homini possit.*

Sed quod sacerdotibus confiteri oporteat, non solum illa auctoritate Jacobi, *Confitemini alterutrum peccata vestra*, etc. [1], sed etiam aliorum pluribus testimoniis comprobatur. Ait enim Augustinus : Judicet seipsum homo voluntarie dum potest, et mores convertat in melius : ne cum jam non poterit, præter voluntatem a Domino judicetur : et cum in se protulerit severissimæ medicinæ, sed tamen utilissimæ, sententiam, veniat ad antistites per quos illi claves ministrantur Ecclesiæ : tamquam bonus jam incipiens esse filius, maternorum membrorum ordine custodito, a præpositis sacramentorum accipiat satisfactionis suæ modum, in offerendo sacrificio contriti cordis devotus et supplex [2]. Id tamen agat quod non solum sibi prosit ad salutem, sed etiam ad exemplum cæteris : ut si peccatum ejus non modo in gravi ejus malo, sed etiam in tanto

[1] Jacob. v, 16.

[2] S. Augustinus, Homil. 50 ; et habetur de Pœnitentia, dist. I, cap. *Judicet* (Nota edit. Lugd.)

scandalo aliorum est, atque hoc expedire utilitati Ecclesiæ videtur antistiti, in notitiam multorum vel totius plebis agere pœnitentiam non recuset : ne lethali plagæ per pudorem addat tumorem, cum tanta est plaga peccati et impetus morbi, ut medicamenta corporis et sanguinis Domini differenda sint, auctoritate antistitis, debet se quisque removere ab altari ad agendam pœnitentiam, et eadem reconciliari [1]. Item, Leo Papa : Multiplex misericordia Dei ita lapsibus subvenit humanis, ut non modo per baptismum, sed etiam per pœnitentiam spes vitæ reparetur : sic divinæ voluntatis præsidiis ordinatis, ut indulgentiam Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequeant obtinere. Christus enim hanc præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut confitentibus pœnitentiæ satisfactionem darent, et eosdem salubri satisfactione purgatos, ad communionem sacramentorum per januam reconciliationis admitterent [2]. Item, Augustinus [3] : Quem pœnitet, omnino pœniteat, et dolorem lacrymis ostendat : repræsentet vitam suam Deo per sacerdotem, præveniat judicium Dei per confessionem. Præcipit [4] enim Dominus mundandis, ut ostenderent ora sacerdotibus [5] : docens corporali præsentia confitenda peccata, non per scripta manifestanda. Dixit enim, Ora monstrate et omnes : non unus pro omnibus, non alium statuatis nuntium, qui pro vobis offerat munus a Moyse statutum : sed qui per vos peccastis, per vos erubescatis. Erubescentia enim ipsa partem habet remissionis. Ex misericordia enim hoc præcepit Dominus, ut nemo pœniteret in occulto : in hoc enim quod per seipsum dicit sacerdoti, et erubescentiam vincit, timore Dei offensi fit venia criminis. Fit enim veniale per confessionem, quod criminale erat in operatione : et si non statim purgatur, fit tamen veniale quod commiserat mortale. Multum enim satisfactionis obtulit, qui erubescentiæ dominans, nihil eorum quæ commisit, nuntio Dei negavit. Deus enim qui misericors ac justus est, sicut servat misericordiam in justitia, ita et justitiam in misericordia. Opus enim misericordiæ est peccanti peccata dimittere : sed oportet ut justus misereatur juste. Considerat enim si dignus est, non dico justitia, sed et misericordia. Justitia enim sola damnat : sed dignus est misericordia, qui spirituali labore quærit gratiam. Laborat enim mens patiendo erubescentiam. Et quoniam verecundia magna est pœna, qui erubescit

[1] Idem, De pœnit. dist. III.
[2] Leo Papa, et habetur de Pœnit. dist. I, cap. *Multiplex* (Nota edit. Lugd.)
[3] S. Augustinus, Lib. de vera et falsa pœnitentia, cap. 12.
[4] Edit. J. Alleaume, *præcepit*.
[5] Cf. Luc. xvii, 14.

pro Christo, fit dignus misericordia. Unde patet, quia quanto pluribus confitebitur in tempore spe veniæ turpitudinem criminis, tanto facilius consequetur gratiam remissionis. Ipsi enim sacerdotes plus possunt proficere, plus confitentibus parcere. Item, Leo Papa [1] : Quamvis plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubescere non veretur : tamen quia non omnium sunt hujuscemodi peccata, ut ea qui pœnitentiam poscunt, non timeant publicari : removeatur improbabilis consuetudo, ne multi a pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubescunt, aut timent inimicis sua facta reserare, quibus possunt legum percelli constitutione. Sufficit enim confessio, quæ primum Deo offertur, et tunc etiam sacerdoti, qui pro deliciis pœnitentium precator accedit. Tunc enim plures ad pœnitentiam poterunt provocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis. Ex his aliisque pluribus indubitanter ostendit [2], oportere Deo primum, et deinde sacerdoti offerri confessionem : nec aliter posse perveniri ad ingressum paradis, si adsit facultas.

ARTICULUS XXXIX.

An soli sacerdoti sit confitendum, vel confessio facta cuilibet homini valeat?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, D, « *Sed quod sacerdotibus confiteri oporteat*, etc. »

Hæc est enim principalis quæstio primo tractanda, scilicet utrum confitendum sit sacerdoti, vel cuilibet homini?

Deinde, An proprio sacerdoti oporteat confiteri?

Tertio, An plures possint esse proprii?

Quarto, Si aliquo modo sint plures confessores, utrum uni facta confessione, teneatur confessus confiteri etiam alii, si ille præcipiat sibi fieri confessionem?

Quinto, Si aliquis ex privilegio potest audire confessiones eorum qui sunt subditi alterius?

Sexto, Utrum postea quando confessi sunt privilegiato, etiam proprio sacerdoti confiteri tenentur?

Septimo et ultimo, Quid absolutionis ab eo qui habet privilegium consequitur?

Ad primum horum sic proceditur :

Videtur quod cuilibet homini facta confessio, valeat : quia

1. Jacobi, v, 16, super illud : *Confitemini alterutrum peccata vestra*, dicit Glossa : « Majora majoribus, et minora minoribus : » sed minores non sunt sacerdotes : ergo videtur, quod aliqua confessio valeat quæ non fit sacerdoti.

2. Item, In confessione duo attenduntur, scilicet confitens, et ille cui fit confessio : et constat, quod ex parte confitentis non est impedimentum quin possit fieri confessio, et sacerdoti et non sacer-

[1] Habetur de pœnit. dist. I, cap. *Quamvis* (Nota edit. Lugd.)

[2] Edit. J. Alleaume, *ostenditur*.

doti. Videtur autem, quod nec ex parte ejus cui fit : quia in illo præter hoc quod operatur Deus, non requiritur nisi consilium satisfacientis : sed hoc consilium quandoque etiam plus invenitur apud non sacerdotem : ergo videtur, quod possit fieri non sacerdoti.

3. Item, Pœnitentia necessitatis sacramentum est ei qui peccat : sed in sacramentis necessitatis, et materia et minister debet esse communis, ut patet in baptismo, ubi commune elementum est materia, et potest minister esse et vir et mulier, et etiam proprius pater et mater pueri : ergo videtur, quod etiam talis minister debet esse communis in pœnitentia : ergo non solus sacerdos : ergo potest confessio fieri cuilibet.

4. Adhuc, Si confessio fit sacerdoti soli, aut hoc fit propter hoc quod in confessione operatur Deus, aut hoc fit propter id quod operatur homo. Si propter id quod operatur Deus : aut hoc ideo quod operatur Deus secundum quod est in omnibus essentialiter, præsentialiter, et potentialiter : aut secundum quod inest rationali creaturæ per inhabitantem gratiam : aut secundum quod inest homini Christo per unionem. Si primo modo : tunc æqualiter inest bono et malo sacerdoti, et non sacerdoti : ergo videtur, quod æqualis sit confessio omnibus his facta. Si secundo modo : tunc non est nisi in bonis et sanctis viris et mulieribus : ergo confessio facta omnibus his valet æqualiter. Si tertio modo : tunc confessio facta non valet, nisi fieret homini Christo. Si autem fieret propter illud quod operatur ibi homo : sed hoc non est nisi pro intellectu, vel pro affectu : et secundum illuminationem intellectus non est nisi consilium, quod æqualiter invenitur in sacerdote, et non sacerdote : et secundum bonitatem et charitatem in affectu, adhuc æqualiter invenitur in sacerdote et non sacerdote : ergo confessio facta sacerdoti et non sacerdoti, valet æqualiter.

5. Adhuc, Confessio erat, quando non erat sacerdos, qui vere characterem sacerdotalem haberet : sed quæ tempore divisa sunt, essentialiter ad se invicem dependentiam non habent : ergo videtur, quod confessio non essentialiter dependeat ad hoc quod fiat sacerdoti : ergo potest confiteri cuilibet.

6. Adhuc, Jacob. v, 16, non fit mentio de sacerdote : sed indifferenter videtur loqui ad omnes qui sunt in Ecclesia dicens : *Confitemini alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem ut salvemini.* Ergo videtur, quod non oportet confessionem fieri sacerdoti.

In contrarium autem hujus sic objicitur : Sed q

1. Actus egreditur ab aliqua propria potestate ipsius actus : absolvere in confessione est actus : ergo egreditur a propria potestate ipsius : constat autem, quod iste actus non est in homine per naturam, quia sic homo posset absolvere seipsum : ergo est in homine ex aliqua perceptione potestatis superioris, scilicet Dei : hæc autem potestas non percipitur, nisi in ordine sacerdotali : ergo non potest absolvere nisi sacerdos : sed non fit absolutio nisi in confessione : ergo non potest fieri confessio nisi sacerdoti.

2. Adhuc, Omnis actus ordinatus ad justificationem, fit aliquo modo ad justificantem ordinatus : sed non justificat nisi Deus : ergo oportet, quod ordinetur ad Deum : sed ad Deum ordinatur quod sit vicarius Dei ut est vicarius Dei : ergo videtur, quod talis actus semper debet fieri Deo, vel vicario ejus : sed non Deo in se : ergo vicario : sed confessio est talis actus : quia dicitur, Isa. xlin, 26 : *Narra si quid habes ut justificeris.* Ergo videtur, quod debet fieri sacerdoti soli qui est vicarius Dei.

3. Item, Constitutio dicit, quod confessio debet fieri sacerdoti proprio : ergo non potest fieri cuilibet.

4. Adhuc, Joan. xx, 23, non dixit Dominus omnibus, sed discipulis qui jam sacerdotes erant : *Quorum remiseritis peccata,* etc. : ergo videtur, quod

aliis non dedit potestatem absolvendi nisi sacerdotibus.

5. Adhuc, Joan. XI, 11, cum suscitavit Lazarum, non dixit alicui, quod solveret Lazarum, nisi discipulis sacerdotibus existentibus : ergo cum soli sacerdotes quantum ad successionem officii sint loco discipulorum, soli sacerdotes habent potestatem absolvendi : sed confessio non fit nisi propter absolutionem : ergo soli sacerdotes habent potestatem audiendi confessiones.

Solutio. Solutio. Dicendum, quod soli sacerdotes potestatem audiendi confessionem habent : potestas enim confessionem audiendi, est potestas officii : et ordo, ut dicit Isidorus, est nomen dignitatis et officii : ideo nullus habet potestatem, nisi qui habet ordinem sacerdotalem : quia non habet potestatem ligandi et solvendi corpus mysticum, nisi ille solus qui accipit potestatem dispensandi corpus verum, quod *communio* vocatur, quia absoluti illo communicant. Hi autem non sunt nisi soli sacerdotes.

Ad 1. Ad primum ergo dicendum, quod Beda in Glossa super illum passum loquitur de confessionis distinctione. Est enim duplex confessio, scilicet generalis, et privata. *Generalis* est quæ fit in Prima et Completorio de venialibus, sine quibus hæc vita non ducitur : et quia illa non nisi in generali confiteri tenemur, hæc omni tempore cuilibet fieri potest : licet melius sit, quod fiat sacerdoti quando haberi potest. *Privata* autem est, quæ est de peccatis mortalibus, et hæc non potest fieri nisi sacerdoti præterquam in necessitate, ubi necessitatis articulus non contemptus religionis sacramentum excludit : potest tamen talis decedere in voto confitendi, et non tenetur confiteri alteri nisi habenti claves : et si facit, illa humilitas et rubor minuunt pœnam.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod ex parte ejus cui fit confessio, requiritur aliud quam confessor, scilicet auctoritatis absolutio, quam Dominus dedit discipulis, et illam non habet quilibet : et hæc auctoritas per vim clavis partem pœnæ dimittit.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod pœnitentia est sacramentum necessitatis : sed differens necessitas est in adulto, et in parvulo : quia parvulum qui non potest significare defectus suos, potest quilibet baptizare, licet non confessiones audire.

Et si forte aliquis objiciat, quod si vetula etiam adultum baptizet, baptizatus est, et nullus audet eum rebaptizare : sed non sic est de confessione. Dicendum, quod hoc fit propter plures causas : quarum una est impressio characteris quem imprimit baptismus, et non pœnitentia : et ideo iterari non potest.

Alia autem differens causa necessitatis est : quia causa baptismi est ab alio, et per naturam vitiatam, scilicet per originale quod tantum semel contrahitur : et ideo tantum semel in illo Christo commoritur, et sepelitur in baptismo : sed in confessione necessitas magis est ab institutione Ecclesiæ, et pro peccato personali : et ideo determinatus datur ei minister, nisi in articulo necessitatis excusetur : et tunc si evadit, tenetur iterare confessionem apud sacerdotem qui habet claves.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod ideo non potest fieri confessio non sacerdoti, quia fit ei in quo Deus aliquo modo operatur, quo non operatur in alio. Est enim Deus in homine per gratiam dupliciter, scilicet gratum facientem et gratis datam : et secundum quod est in homine per gratiam gratum facientem tenet objectio facta : secundum autem quod est in homine per gratiam gratis datam, quæ est officium et potestas in clavibus, objectum non tenet : quia sicut illæ gratiæ differunt, ita etiam differunt illæ operationes divinæ quas operatur per hominem : et hoc est quod dicit Apostolus, I ad Corinth. XII, 11 : *Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.*

Ad 5. Ad aliud dicendum, quod sacerdote non existente, non erat confessio sacramentalis, non tantum significans, sed et causans peccati secundum pœnam diminutionem : hoc enim modo intelligitur causatio sacramentorum Novi Testamenti. Et per hoc non habetur, quod confessio sacramentalis qualis modo fit, non debeat fieri sacerdoti.

Ad 6. Ad aliud dicendum sicut ad primum, quod innuit ibi Apostolus distinctionem duplicis confessionis, quæ in Glossa Bedæ super eumdem locum magis explicatur.

ARTICULUS XL.

An sacerdoti proprio sit confitendum? et, An valeat confessio facta cuilibet sacerdoti?

Secundo quæritur, Utrum proprio sacerdoti sit confitendum? vel cuilibet sacerdoti facta confessio valeat?

Videtur autem, quod proprio quia

1. Ita dicit Urbanus secundus : « Placuit ut nulli deinceps sacerdotum liceat quemlibet commissum alteri sacerdoti ad pœnitentiam recipere, nisi ejus consensu cui se prius commisit, nisi per ignorantiam ejus cui pœnitens prius confessus est. » Ex hoc accipitur, quod non cuilibet, sed proprio sacerdoti est confitendum.

2. Item, Extra in *Decretalibus*, libro V de *pœnitentiis et remissionibus*, dicit Innocentius tertius in concilio generali : « Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio sacerdoti, et injunctam sibi pœnitentiam pro viribus suis studeat adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ sacramentum. » Ex hoc accipitur idem quod prius.

3. Item, Dicit Hieronymus scribens ad Heliodorum Episcopum : « Alia est causa monachi, alia clerici. Clerici oves pascunt, ego pascor : illi de altari vivunt, mihi securis quasi ad radicem arboris infructuosæ ponitur : si munus ad altare non defero, mihi ante presbyterum sedere non licet : illi si peccavero, licet me tradere Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini. » Ex hoc accipitur, quod monachis non licet curam impendere gregi : ergo nullus debet eis confiteri : et eadem est ratio de aliis sacerdotibus quibus non est commissum : ergo nullus debet confiteri nisi proprio sacerdoti.

4. Ad idem, Hieronymus ad Villicum scribens dicit sic : « Ecclesia habet senatum cœtum presbyterorum, sine quorum consilio monachis nihil agere licet : Roboam, filius Salomonis, ideo perdidit regnum, quia audire noluit presbyteros suos [1]. Senatum quoque Romani habebant, cujus consilio cuncta agebant : et nos habemus senatum nostrum cœtum presbyterorum. » Ex hoc arguitur sic : Magis videtur, quod monacho qui scit aliquo modo dirigere seipsum, liceat aliquid agere sine consilio sui sacerdotis, quam laico qui se dirigere non potest et nescit : et non licet monacho : ergo nec laico : ergo non potest se dirigere in confessione sine consilio proprii senatoris qui est sacerdos suus.

5. Adhuc, Eugenius Papa sic dicit : « Placuit communi nostro consilio, ut nullus monachorum pro lucro terreno de monasterio exire nefandissimo ausu præsumat, neque pœnitentiam dare, neque filium de baptismo accipere. » Ex hoc accipitur, quod non cuilibet sacerdoti liceat audire confessiones : ergo non licet confiteri cuilibet : ergo oportet confiteri proprio. Ad idem sunt multa

[1] Cf. III Reg. xii, 6 et seq.

decreta quæ in Decreto videri possunt [1].

6. Adhuc objicitur : Sicut se habent subditi Episcopi ad Episcopum in juribus episcopalibus, ita parochiani ad proprium sacerdotem in juribus parochialibus : sed subditi Episcopi ad alium non possunt recurrere nisi ad proprium Episcopum : ergo nec subditi sacerdotis nisi ad proprium sacerdotem.

Quod autem subditis Episcopi non liceat ad alium episcopum recurrere, per multa decreta probatur [2], ut est illud Calixti Papæ : « Nullus alterius terminos usurpet, nec alterius parochianum judicare vel ordinare aut excommunicare præsumat : quia talis judicatio vel ordinatio aut excommunicatio vel damnatio, nec rata erit, nec vires ullas habebit : quoniam nullus alterius judicis nisi sui sententia tenebitur, aut damnabitur. »

Item, Ibidem : « Nullus Primas, nullus Metropolitanus, nullus reliquorum Episcoporum alterius adeat civitatem, aut ad possessionem accedat quæ ad eum non pertinet, et alterius Episcopi parochiam super ejus dispositione, nisi vocatus ab eo cujus juris esse cognoscitur : ut quidquam ibi disponat vel ordinet aut judicet, si sui gradus honore potiri voluerit : sin aliter præsumpserit, damnabitur, et non solum ille, sed etiam cooperatores et consentientes ei. »

Ibidem, Ex concilio Antiocheno : « Nullum Episcopum audere debere ex alia provincia ad aliam transitum facere, et ordinare aliquos in Ecclesia, aut præferre ad sacrum ministerium : nec ab aliis trahatur illuc Episcopus, nisi forte per litteras rogatus abierit, non solum a Metropolitano, sed et ab his qui cum eo sunt omnibus ipsius provinciæ Episcopis. »

Item, Ex eodem concilio : « Episcopum non debere irruere in alienam civitatem, quæ illi probatur non esse subjecta, neque in regionem quæ ad ejus curam minime noscitur pertinere, ad aliquid ordinandum. »

Ibidem, Ex Constantinopolitano concilio : « Episcopi qui extra diœcesim sunt, ad Ecclesias quæ extra terminos eorum sunt, non accedant, neque confundant et permisceant Ecclesias secundum regulas statutas. » Alia etiam plurima de eodem sunt in Decret. 9, quæst. 2, quæ ibi legi possunt.

Per rationem objicitur ad idem sic :

1. Quilibet qui tenetur rationem reddere de aliquo sibi commisso, totum debet in dispositione habere commissum : sed sacerdos tenetur rationem reddere de subdito : ergo, etc. Probatur autem prima. Si detur oppositum, quod non totum debeat habere in dispositione, injustum erit rationem exigere ab eo de illo quod non habuit in plenæ obedientiæ dispositione. Inde sic : Subditus totus existens in obedientia et dispositione proprii sacerdotis, non potest habere recursum nisi de licentia ad alium : sed quilibet est ita subditus proprio sacerdoti : ergo in confessione non potest recurrere ad alium nisi de licentia sui sacerdotis.

2. Adhuc. Ecclesia militans descendit a triumphante, et ordines ab ordinibus : sicut dicitur, Apocal. xxi, 2 : *Vidi sanctam civitatem, Jerusalem novam, descendentem de cœlo a Deo*. Sed in triumphante unusquisque subditus habet recursum et reductionem ad proprium superiorem, et non ad alium. Ergo sic etiam debet esse in Ecclesia militante : ergo necesse est, quod quilibet in acceptione pœnitentiæ recurrat ad proprium sacerdotem.

3. Adhuc, III Reg. x, 4 et 5, mirata est regina Saba ordinem ministrantium Salomoni, ita quod non habuit ultra spiritum : sed constat, quod nullus ordo est, quod quilibet recurrat in sacramentis ad quemlibet : ergo oportet, quod

[1] Pro omnibus istis decretis, vide 16, quæst. 1.

[2] Cf. 9, quæst. 2.

recursus sit ad unum proprium : sed ille est sacerdos proprius : ergo in confessione tantum recurrendum est ad sacerdotem proprium.

4. Adhuc, Dionysius scribens Demophilo monacho dicit, quod correctio laicorum ad sacerdotes proprios, sacerdotum autem ad Episcopos, Episcoporum autem pertinet ad Hierarcham : sed ad quem pertinet correctio criminis, ad illum etiam pertinet ejusdem criminis cognitio : ergo sacerdos proprius habet cognoscere uniuscujusque subditi peccatum, et non alius : sed non potest cognosci nisi per confessionem : ergo in confessione non ad alium, sed ad proprium debet recurrere sacerdotem.

5. Adhuc, Quæcumque in rationum prædicabilibus reducuntur ad unum simpliciter primum, prius reducuntur in proximum sibi proprium immediatum, et non in aliud : sicut individua in speciem, species in genus subalternum, et subalterna in generalissimum : ergo ratio sic reducit, et similis fit reductio militantis Ecclesiæ in gradus regentium, et oportet quod multitudo populi inferior in proximum gradum spiritualis potestatis reducatur, et per illum in superiorem, et tandem in supremum : sed proximum superiorem super populum constat esse proprium sacerdotem : ergo in omnibus sacramentis percipiendis non habebit recurrere populus nisi ad illum : ergo non ad alium.

6. Adhuc, Hoc videmus in naturis rerum quæ procedunt a suis causis. Si enim reducantur metallica (ut dicit Philosophus) in causam materialem primam, habent reduci in argentum vivum, et sulphur, et argentum vivum in subtile aqueum et subtile terreum fortiter commixta, et hoc ulterius in aquam. Et idem est in causis efficientibus, formalibus, et finalibus. Cum ergo regimen hominum sit a natura profectum, ut dicit Tullius, talis debet esse etiam reductio regiminis in gradus proximos : ergo populus non habebit recursum ad alium, quam ad proprium sacerdotem.

7. Adhuc, In officiis habetur illud. Sicut enim dicit Philosophus in I *Ethicorum* : « Quicumque sunt talium actuum et doctrinarum sub una quadam incidunt virtute, quemadmodum sub equestri frænorum factura, et quæcumque aliæ equestrium instrumentorum sunt : hoc autem modo et omnis bellica operatio sub militari. Secundum eumdem utique modum aliæ sub alteris. » Ergo a simili hoc etiam debet esse in ordine fidelium in ministris Ecclesiæ : ergo videtur, quod populus non debeat habere recursum nisi ad sacerdotem proprium.

8. Item, Dionysius dicit : « Lex divinitatis est per prima media, et per media infima reducere. » Cum igitur gradus reductionis determinati sint, non erit reductio infimorum nisi per gradum proprium superiorem : sed in illo gradu est sacerdos proprius : ergo subditus proprius in confessione in divina reduci non potest, nisi per proprium sacerdotem.

9. Adhuc, Ordo universi est, quod inferiora reducantur in propria moventia superiora, ut dicunt Philosophi : sicut humidum aquæ in orbem Lunæ, et humidum complexionale in orbem Veneris, et sic de aliis : et hoc ulterius in orbem signorum stellatum, et hoc in orbem non stellatum, et per hoc omnia in motorem primum : ergo oportet, cum hominum reductio in divina naturali ordini non contrarietur, quod hoc modo inferior populus in proximos gradus superioritatis reducatur, et per illos tandem in summum unum gradum : in gradu autem proximo super populum non sunt nisi sacerdotes distincti in propriis parochiis : ergo necesse est, quod subditi tantum ad hos, et non ad alios habeant recursum in divinis.

SED CONTRA hoc objicitur sic : Sed con

1. Primo per auctoritates :

Joan. xx, 22 et 23, sic dicit Dominus : *Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Et non distinguit vel ordinat inter eos : ergo videtur, quod indistincte quilibet ha-

bens potestatem discipuli ex ordine suscepto potest remittere peccata in confessione : ergo etiam sibi indistincte potest fieri confessio.

2. Item, Dicit Ambrosius [1] : « Doctos ac probos monachos presbyteri honore dedicatos prædicare, baptizare, pœnitentiam dare, debita miseris relaxare, decimarum, primitiarum, oblationum vivorum et mortuorum portione justa perfrui debere moderata dispensatione commendamus. » Ex hoc accipitur, quod monachi presbyteri possunt dare pœnitentias : ergo sibi facta valet confessio : sed monachi non sunt sacerdotes proprii, ut patet ex auctoritatibus Hieronymi prius inductis : ergo non oportet semper fieri confessionem proprio sacerdoti.

3. Item, Gregorius : « Moderamine Apostolicæ sedis (vel auctoritatis) decernimus, ut monachi si presbyteri honore dedicati sunt, cum ligandi solvendique potestate, decimarum, primitiarum, oblationum, donationum quæ fiunt pro vivis et pro defunctis, portionem juxta canonem ad suam proximorumque utilitatem merito perfectioris justitiæ non minus quam cæteri sacerdotes laudabiliter sibi vindicent. » Ex hoc accipitur idem quod prius.

4. Item, Gregorius : « Apostolico moderamine et pietatis officio a nobis est constitutum, Sacerdotibus monachis Apostolorum figuram tenentibus liceat prædicare, baptizare, communionem dare, pro peccatoribus orare, pœnitentiam imponere, atque peccata solvere. » Ex hoc iterum idem accipitur quod prius.

5. Item, Bonifacius Papa : « Sunt tamen nonnulli nullo dogmate fulti, audacissime quidem zelo magis amaritudinis quam dilectionis inflammati, asserentes monachos qui mundo mortui sunt, et Deo vivunt, sacerdotalis officii potentia indignos, neque pœnitentiam, neque christianitatem largiri, neque absolvere posse per sacerdotalis officii divinitus sibi injunctam potestatem : sed omnino labuntur : neque enim beatus Benedictus, monachorum præceptor almificus, hujus rei aliquo modo fuit interdictor. » Ex hoc iterum accipitur idem quod prius.

Alia plura ad idem facientia quærantur in textu 16, quæst. 1.

Per rationem objicitur sic :

1. In quocumque est completa potestas ad actum aliquem, in illo est exsecutio et exercitium actus illius, quando voluerit : sed in omni sacerdote est completa potestas ad actum absolvendi in foro pœnitentiæ : ergo potest exercere illum actum quandocumque voluerit : ergo in quolibet potest eum exercere : ergo et quilibet potest ei facere confessionem, quia plenam consequitur absolutionem. Prima patet per se, et per inductionem si negatur. Secunda patet per hoc quod non est gradus spiritualis potestatis supra sacerdotium : ergo sacerdos completissimæ est potestatis.

2. Item, Confectio corporis veri et absolutio communicantis in sacramento sunt actus conjuncti in sacerdotio : constat autem, quod perfectior est confectio, quam absolutio : sed video, quod quilibet sacerdos indifferenter potest conficere : ergo multo magis quilibet quemlibet potest absolvere : ergo et quilibet potest sibi facere confessionem, quia confessio præcedit absolutionem.

3. Adhuc, Spiritualis gratia sacramenti semper efficit quod in sacramento significatur : sed video, quod in omnis sacerdotis ordinatione significatur potestas ligandi atque solvendi per collationem stolæ longæ : ergo omni sacerdoti datur potestas illa : ergo quicumque vult, potest ad alterum progredi sine dispensatione proprii vel non proprii : ergo et quilibet potest eidem facere confessionem.

4. Adhuc, Beneficia Dei larga sunt et

[1] Cf. 16, quæst. 1.

multis modis in omnes homines provenientia : ergo non sunt aliquo modo restringenda : sed constat,quod restringuntur si per unum et proprium dicitur fieri, quod per quemlibet habentem ordinem fieri posset : ergo non est dicendum, quod confitens absolvi non possit nisi per sacerdotem proprium.

5. Adhuc, Non minus sunt potentia spiritualia, quam corporalia : sed in corporalibus potestatibus video, quod corpus habens potestatem, agit in quodlibet sibi appropinquans, sicut patet in igne, qui comburit quodlibet combustibile sibi appropinquans : ergo multo fortius hoc est in spirituali potestate : ergo videtur quod quemlibet ad se venientem possit absolvere quilibet sacerdos.

6. Adhuc, Unius modi seram omnis clavis ejusdem figuræ existens, reserat, et recludit : sed peccatum est sicut sera claudens cœlum, et unius modi, quia claudit non in quantum est conversio ad bonum commutabile, sed prout est aversio ab incommutabili, sicut vult Augustinus [1].

7. Item, Potestas ordinis in omni sacerdote unius speciei est : ergo sicut clavis unius figuræ : ergo videtur, quod quælibet potestas cujuscumque sacerdotis potest aperire et claudere peccata cujuscumque, scilicet peccatoris sibi confitentis : ergo ad hoc non exigitur sacerdos proprius, ut videtur.

8. Adhuc, Quodcumque luminosum pellit tenebras materiales, et non exigitur determinatum et proprium luminosum ad pulsionem harum vel illarum tenebrarum : cum igitur lumen spirituale sit potentius corporali, quodcumque lumen spirituale tollit quascumque tenebras spirituales : hæc potestas est sicut lumen, quia sacerdos est illuminator et perfector et purgator, sicut dicit Dionysius : ergo quæcumque potestas ordinis quascumque tenebras pellit spirituales : sed peccatum est tenebra spiritualis, ut dicit Damascenus : ergo quilibet sacerdos habens ordinem, potest absolvere quemlibet : ergo quilibet peccator potest confiteri cuilibet sacerdoti, ut videtur.

Solutio. Dicendum, quod prima pars istius disputationis continet veritatem : sed secunda pars inducta in contrarium, falsitatem habet conclusionum : non enim potest absolvere nisi sacerdos proprius, et non potest aliquis confiteri nisi proprio sacerdoti.

Ad auctoritatem ergo primam quæ primo objicitur de Evangelio, dicendum, quod Dominus præsupposuit ordinem in discipulis quem ante fecerat, scilicet Petrum super omnes esse, et super omnes alios. Matthæi enim, x,1 et seq., elegit duodecim et sub illis designavit alios septuaginta duos [2]. Petrum omnibus præposuit, Matth. xvi, 19, ubi dixit : *Tibi dabo claves regni cœlorum*. Et, Luc. xi, 32, ubi dixit : *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*. Cum igitur hic ordo jurisdictionis a Domino prius institutus fuerit, præposuit illum ut secundum illum conferret exsecutionem officii quod dedit, quando insufflavit, et dixit : *Accipite Spiritum sanctum*, etc.

Ad omnia autem decreta Patrum inducta est una solutio, scilicet quod alius est presbyter, et alius habens honorem presbyteri secundum canones Patrum. Presbyter enim est, qui habet ordinem, non honorem sacerdotii vel presbyterii. Honorem autem sacerdotii vel presbyterii habet, qui electus a populo vel ab aliis quorum interest eligere ipsum, et confirmatus a superiori, constitutus est in jurisdictione plebani. Et de hoc, scilicet qui habet honorem sacerdotii, loquuntur canones, et non de primo, decernentes quod monachus et alius quicumque bonæ vitæ litteratus possit eligi et confirmari in promotionem talis honoris : et tunc per talem jurisdictionem efficitur ipse

[1] S. Augustinus, Lib. II de libero arbitrio.

[2] Cf. Luc. x, 1.

sacerdos proprius : et ideo nihil contrarium dicunt canones.

ject. 1. Ad id quod primo objicitur per rationem, dicendum, quod prima vera est, et media falsa : quia duo sunt quæ complent potestatem absolvendi, scilicet ordo, et jurisdictio. Et sacerdos ex ordine non habet nisi unum illorum, et jurisdictione caret, nisi ei committatur : et hoc est quod dicitur, quod « licet sacerdos habeat alas, tamen habet eas ligatas, et volare non potest, nisi laxentur per jurisdictionem. »

ject. 2. Ad aliud dicendum, quod secundum aliquid illi actus coordinati sunt sicut major et minor, et secundum aliquid non. Si enim consideretur objectum sive materia circa quam operantur, non est dubium actum consecrationis et confessionis majorem esse, quam actum absolutionis : et hoc modo procedit objectio. Si autem consideretur jurisdictio, quæ potius officii est, quam ordinis, eo quod ordo ad hanc est dispositio imperfecta, et officium injunctum est formale : tunc major est actus absolvere, quam confiteri : et hoc modo non oportet semper, quod qui potest in unum, possit in alium, eo quod sacerdos habet ex ordine completam potestatem in unum, sed non habet completam potestatem in alium.

ject. 3. Ad aliud dicendum, quod forma visibilis in sacramento non mentitur, sed efficit quod figurat : sed non figurat jurisdictionem, sed tantum dispositionem ad illam potestatem ex ordine acceptam : et ideo licet sacerdos in ordine accipiat potestatem quamdam, non tamen accipit jurisdictionem : et ideo non omnia quæ exiguntur, habet : et ideo non potest absolvere et ligare.

ject. 4. Ad aliud dicendum, quod beneficia Dei numquam sunt in ministris eorum sine ordine : optimum enim vel optimorum unum est ordo. Et hoc significatur in Psalmo CXXXII, 2, ubi unguentum descendit in caput, et de capite in barbam, et de barba in vestimentum, et de vestimentis in oram vestimenti.

Ad id autem quod objicitur, quod restringatur, dicendum quod non : quia quod fiat per proprium, non diminuit abundantiam gratiæ : quia ita abunde fluit per proprium, sicut per omnes simul : sicut non dicerentur beneficia regis terreni restricta, si omnia darentur potius per unum quam per multos.

Ad aliud dicendum, quod non est simile de corporalibus potestatibus et spiritualibus : quia corporalia agunt per necessitatem naturæ, et talia per eamdem necessitatem patiuntur, et hæc necessitas est impotentiæ et ignobilitatis : sed spiritualia licet potentiora sint, sunt libera et majorem habentia ordinem : et ideo non appropinquant his in quæ agunt, nisi secundum ordinem et libertatem : tamen potentius agunt quam corporalia, quia in toto consumunt contrarium, scilicet peccatum, et non destruunt naturam : quod non faciunt corporalia, et quanto sunt potentiora, tanto liberiora et ordinatiora : quia ordo est pars potestatis. Ad object. 5.

Ad aliud dicendum, quod simile adductum non usquequaque bene adaptatur, et ideo non procedit objectio : clavis enim per se applicata seræ, nec claudit, nec aperit : quia non habet motum quo seram moveat, sed in manu mota aperit. Et constat, quod non est idem motus manus in claudendo et aperiendo in diversis : et jurisdictio in ordinato est sicut vis motiva clavis, et illa non est una in uno sacerdote et in alio, sed differt per distinctiones plebis : et ideo qui solvit istam, non propter hoc solvit illam. Ad object 6 et 7.

Si autem objicitur, Hæc jurisdictio non est nisi unius speciei : dicendum, quod species jurisdictionis est species officii, et non agit nisi conjuncta materiæ : et ideo inseparabilis est a materia sua circa quam est : et ideo dignitas invisibilis sufficit ibi ad hoc, quod qui potest unum, non propter hoc potest aliud : sicut videmus in officiis humanis, quod qui est pincerna in curia una, non propter hoc pincerna est in curia alia : eo quod talia

committuntur super materiam determinatam, a qua non licet ea separare, quia semper talium species cum materia propria concepta est : sicut dixit Aristoteles se habere speciem naturalium ad materialia et divina.

Ad object. 8. Ad ultimum dicendum, quod ordo non est similis lumini cuilibet, sed lumini immixto naturæ corporis luminosi : sicut enim dicunt Mathematici, ad multos pervenit lumen Jovis vel Saturni, ad quos non pervenit utilitas stellæ, eo quod non unius modi angulo respicitur a stella illuminante : et sub angulo est diffusio utilitatis et nocumenti. Et ita ordo est in se quasi quoddam lumen indistinctum, sed in jurisdictione est sicut lumen immixtum, et tunc determinatur utilitas ipsius ad specialiter ipsum respicientes, ex jurisdictione. Et ideo licet ædificari possunt alii ab exemplo vel doctrina, non tamen in ipsos diffunditur utilitas absolutionis, vel etiam nocumentum excommunicationis, vel alicujus hujusmodi.

ARTICULUS XLI.

An plures possunt esse proprii sacerdotes ?

Tertio quæro, An plures possunt esse proprii sacerdotes ?

Et videtur, quod non, et hoc

1. Ex ratione proprii : quia proprium est, quod convenit uni soli : ergo non possunt plures esse proprii.

2. Adhuc, In nulla multitudine fit reductio in duo æque immediata : ergo nec multitudo populi sic debet reduci : ergo videtur, quod non sint plures æque proprii sacerdotes.

3. Item, In nullo genere graduum sunt duo æque alti. Centurio enim est sub chiliarcha, et quinquagenarius sub centurione, et sub hoc decanus, et sub illo sunt decem qui ad illum et non ad alium habent respectum, eo quod non constituuntur duo decani super illos eosdem decem : ergo videtur, quod etiam illi qui sunt sub eodem sacerdote, non habeant respectum ad diversos tamquam ad sacerdotes proprios.

4. Adhuc, In ordine universi ita videmus, quod multitudo quæ ordinatur ad unum ut motivum, non ordinatur ad aliud in ordine eodem : sicut generatio et corruptio ad motum stellarum in circulo obliquo, et hic motus ad divinum in circulo recto : et sic ascenditur in primum motorem : ergo videtur, quod sic etiam debet esse in gradibus Ecclesiæ : ergo non sunt plures proprii, ad quos una multitudo respectum habeat.

5. Adhuc, In ordinibus exercitus videmus, quod respicientes unum sibi proprium ducem assignatum, non respiciunt ad alium : ergo cum Ecclesia sit ut castrorum acies ordinata, ut dicitur, Cantic. VI, 3, videtur quod ordinati sub uno sacerdote, non habent respicere ad alium proprium, nisi ad illum.

6. Adhuc, Confusio videtur induci si plures sint proprii : non enim illi necessario conveniunt in præceptis : ergo tunc populus tenetur obedire duobus contraria imperantibus, quod est contra Evangelium, quia dicit Dominus, Matth. VI, 24 : *Nemo potest duobus dominis servire.* Et dicit ibi Glossa : « Contraria imperantibus. »

7. Adhuc, Sic se habet populus ad sacerdotem, ut sacerdos ad Episcopum, et Episcopus ad Archiepiscopum, et ille ad Primatem, id est, Papam : sed numquam unus sacerdos est sub duobus Episcopis, nec Episcopus sub duobus Archiepiscopis, et ita de aliis : ergo numquam eadem multitudo populi est sub duobus sacerdotibus propriis : ergo non possunt esse plures proprii.

In contrarium autem objicitur sic : Sed

1. Cuicumque sacerdos proprius prælatus, eodem jure est alius ab eodem Epi-

scopo constitutus : sed ab eodem Episcopo super eumdem populum plures possunt constitui : ergo plures possunt esse sacerdotes proprii. Probatio primæ est, quod sacerdotes non habent jurisdictionem, nisi a superiori Episcopo sibi collatam, et qui confert uni, potest conferre et alteri.

2. Item, Hoc tota die videmus, quod unus audit confessionem jure parochiali, et alius auctoritate Episcopi, et tertius auctoritate Legati, et quartus forte vice Papæ, et ita multi funguntur officio proprii sacerdotis : ergo videtur, quod multi possunt esse proprii sacerdotes vel viceproprii.

3. Adhuc, Videtur quod ita secundum rationem esse debeat. Plura enim debet Ecclesia habere suffragia, quam diabolus pro se impedimenta : sed, ut dicunt Glossæ Sanctorum, unum hominem multi dæmones nituntur infirmare : ergo multi sanctitatis perfectiores esse debent : sed sacerdotes sunt sanctitatis perfectiores, ut dicit beatus Dionysius : ergo plures eidem homini debent esse ordinati sacerdotes : ergo multo magis erunt in eadem plebe plures immediati sacerdotes.

4. Item, Sicut Ecclesia triumphans perficit militantem, ita ministri Ecclesiæ militantis debent sanctitatem perficere, quantum possunt : sed multi Angeli custodes ordinantur eidem homini : ergo et multi sacerdotes proprii. Prima probatur ex hoc quod militans, quantum potest, imitatur triumphantem. Secunda autem per hoc quod habetur, IV Reg. VI, 14 et seq., ubi totus mons plenus equorum et curruum igneorum erat in circuitu Elisei : de quibus ipse dixit puero : *Noli timere : plures enim nobiscum sunt, quam cum illis.* Similiter habetur per illud II Machab. x, 29 et 30, ubi scilicet quinque viri apparuerunt circa Machabæum, *ex quibus duo Machabæum medium habentes, armis suis circumseptum incolumem conservabant : in adversarios autem ejus tela et fulmina jaciebant, ex quo et cæcitate confusi, et repleti perturbatione, cadebant.*

5. Adhuc, In Ecclesia triumphante non ponitur tantum unus perfector et illuminator et purgator inferiorum : sed quilibet superior ordinis sui vel superioris hoc facere potest, ut dicunt Doctores : cum igitur Ecclesia militans descendat a triumphante, videtur quod in Ecclesia militante plures esse debent perfectores et illuminatores unius : igitur plures sacerdotes proprii erunt, cum hoc sit officium proprii sacerdotis.

Solutio. Solutio. Non possunt esse plures proprii, sed unus solus est proprius : possunt tamen alii cooperari uni proprio, sicut jam patebit in solutione argumentorum.

Ad object. 1 Dicendum ergo ad primum, quod Episcopus non potest potestate juris constituere plures proprios : quia sic una Ecclesia haberet multos qui æquum jus haberent in illa, et unus æqualiter adstrictus esset duobus, ex quo posset oriri perplexitas : sed Episcopus adjutores potest dare sacerdoti proprio : et hoc tripliciter, ut mihi videtur, scilicet in casibus gravibus, in quibus, ut magis abhorreantur, reservat sibi Episcopus potestatem absolvendi, et illam potest committere uni vel pluribus qui absolvunt ad se venientes, et in hoc portant onus sacerdotis proprii : quia in illis casibus tenetur obedire pœnitens habentibus vicem Episcopi plus quam sacerdoti proprio, si contrarii inveniantur.

Alio etiam modo potest dare aliquos, qui prædicando et exemplum dando, generaliter moveant populum, et eos audiant quos moverunt in prædicatione : sed tamen ab obedientia sacerdotis non excipiant subditos suos, et ideo in pœnitentia ab illis jam constituta debent innotescere sacerdoti proprio, et per approbationem illius pœnitentiam peragere illam.

Tertio modo quando plebs multa est, et unus non potest totam audire, vel etiam sacerdos debilis est et impotens

audire : tunc enim iterum aliqui possunt constitui a superiori qui audiant et absolvant, et non tenentur recurrere ad sacerdotem alium : omnes tamen illi potius coadjutores sunt propriorum prælatorum, quam propri prælati. Et ideo si prælati proprii rationabiliter aliquid præcipiant, illi contradicere non possunt : et ideo prælati non sunt, sed sicut dictum est, coadjutores.

Ad object. 2. Ad aliud dicendum, quod illi qui audiunt auctoritate superiorum prælatorum, audiunt ut coadjutores, et non ut sacerdotes proprii.

Ad object. 3. Ad aliud dicendum, quod secundum rationem esse non potest, quod plures sint proprii : nec homo proprium dæmonem habet ad exercitium nisi unum, et alii omnes veniunt ut coadjutores. Et tamen si plures dæmones haberet exercitatores, non propter hoc sequeretur, quod plures deberet habere proprios sacerdotes : quia aliud remedium haberet contra hoc, scilicet plures Angelos adjuvantes.

Ad object. 4. Ad aliud dicendum, quod cum singuli custodes ordinantur, unus est custos, et alii sunt vel prælati illius, vel coadjutores : et coadjutores fuerunt qui circa Eliseum apparuerunt [1] : prælati autem, qui circa Machabæum [2] : Machabæus enim princeps erat gentis Judæorum, et ideo Angelus princeps erat secum : Machabæus etiam homo erat singularis, et sic habuit custodem : et illi duo tenebantur eum circumseptum. Potestatum autem erat arcere virtutem inimici in contrario exercitu, et Virtutum occurrere miraculis excæcatione, et Archangelorum revelatione machinationis adversariorum, et illi significantur per alios tres qui erant circa eum : et ideo nihil probatur contrarium per illud.

Ad object. 5. Ad aliud dicendum, quod hoc secundum beatum Dionysium falsum est : quia nulli duo Angeli in cœlo secundum eum sunt ejusdem altitudinis : et ideo unus non habet duos æque principales supra se.

Sed tamen aliter quidam Doctorum, non fulti aliqua auctoritate dicunt, quod multi sunt æquales in suprema, media, vel infima hierarchia, vel etiam in uno ordine : tunc dicendum, quod non est simile de ordinibus Angelorum confirmatorum, et de ordinibus hominum : quia in ordinibus Angelorum non potest fieri perplexitas et confusio ex contrarie imperantibus, sed concordia illuminationum est a primo fronte luminis descendentium : sed imperia quæ procedunt ab hominibus, sunt frequenter permixta diversis opinionihus : et ideo induceretur confusio et perplexitas ex pluribus, quod non potest fieri in cœlo, ubi omnia ad concordiam reducuntur per lumen Dei : et hoc est quod dicit Job, xxv, 2 et 3 : *Qui facit concordiam in sublimibus suis. Numquid est numerus militum ejus ? et super quem non surget lumen illius ?*

ARTICULUS XLII.

Utrum, posito quod unus proprius sacerdos habeat plures coadjutores, facta confessione uni, teneatur confessus confiteri alteri si ille præcipiat ?

Quarto quæritur, Si sic est, quod unus proprius sacerdos potest habere coadjutores, utrum uni facta confessione, teneatur confessus etiam alteri confiteri si ille præcipiat ?

Videtur autem, quod sic :

1. Per illud quod habetur diffinitum ab Innocentio III in concilio generali : « Si quis autem alieno sacerdoti justa de causa voluerit confiteri sua peccata, licentiam prius postulet et obtineat a proprio sacerdote, cum aliter ille ipsum non possit absolvere vel ligare. » Constat enim, quod dando licentiam ut confitea-

[1] Cf. IV Reg. VI, 14 et seq.

[2] Cf. II Machab. X, 29 et 30.

tur alteri, non excipit eum ab obedientia sua : ergo adhuc tenetur obedire, sicut prius : sed prius tenebatur sibi semel in anno confiteri : ergo et postea si præcipiat sibi, tenetur facere confessionem.

2. Item, Esto, quod Episcopus mittat coadjutorem vel etiam Papa : constat, quod subditos per hoc non intendunt extrahere extra curam vel obedientiam proprii sacerdotis. Cum igitur ex obedientia teneatur se ei ostendere in confessione, videtur quod si millies aliis confessus sit, adhuc tenetur confiteri illi, si ille præcepit.

3. Adhuc, Ille qui sacerdos proprius est, tenetur ei ministrare sacramenta : sed sacramentorum ministrationem præcedit absolutio : ergo tenetur eum scire absolutum esse : et hoc non potest scire nisi audiat eum, et signa pœnitentiæ prius videat : ergo cum hoc non fiat in confessione, ille tenetur ei confiteri si præcipiat.

4. Adhuc, Videtur quod periculum oriretur si non teneretur : quia multi prætextu latendi possent dicere se esse confessos, et inconfessi permanentes communicare : et tunc sacerdos proprius eos arcere non posset : ergo videtur, cum illud quod pro charitate instituitur, non debeat militare contra charitatem, ut dicit Bernardus : et pro charitate inducuntur adjutores, quod propter hos non absolvitur homo quin oporteat eum confiteri proprio sacerdoti si ipse præceperit.

5. Adhuc, In ordinibus Angelorum licet unus Angelus ab alio alterius ordinis quandoque illuminetur, ut patet per beati Dionysii expositionem Isaiæ, VI, 6, ubi dicitur : *Volavit ad me unus de Seraphim :* ubi dicit sanctus Pater, id est, alius quidam de inferioribus vice Seraphim, et a Seraphim illuminatus. Licet, inquam, ita sit, non tamen excipitur ab illuminatione proprii superioris, sed adhuc, sicut prius, recipit illuminationes etiam ab illo : ergo cum militans Ecclesia descendat a triumphante, videtur quod licet unus homo confiteatur alteri, et absolvatur ab alio coadjutore proprii sacerdotis, non tamen propter hoc absolvitur a suo proprio sacerdote, quin teneatur confiteri illi si voluerit.

In contrarium autem hujus objicitur : Sed contra.

1. Ponamus enim, quod nesciat proprius sacerdos discernere inter lepram et non lepram : cum igitur Dominus dicat, Luc. VI, 39 : *Numquid potest cæcus cæcum ducere ? Nonne ambo in foveam cadunt ?* videtur, quod ille non tenetur ei confiteri etiamsi præcipiat.

Si forte tu dicas, quod debet licentiam petere et obtinere. Contra : Ponamus, quod petat et obtinere non possit, sicut multoties contingit : aut tunc obediet proprio sacerdoti, aut non : si obediet, in præcipitio erit et periculo, quia cæcus est : si non obediet, habetur propositum.

Si forte tu dicas, quod licentiam potest petere a superiori, potest esse quod longe habitet, et non possit accedere ad eum vel propter viæ dispendium, vel periculum : potest etiam esse, quod non vult dare licentiam, nec semper homo in tali casu potest adire curiam : ergo videtur, quod non semper sacerdoti proprio in confessione facienda semper tenetur obedire.

2. Adhuc, Ponatur, quod sacerdos proprius sit malitiosus, sicut multi sunt, et nitatur in confessione tentare de consensu peccati, sicut sacerdotes plerique faciunt, fœminis comminantes proditionem confessionis, nisi eis consentiant, et intendentes tangere impudice in secreto confessionis, etiam superiores, scilicet Archiepiscopi et Episcopi, faciant similiter, sicut certissime scio, quod in pluribus locis multi faciunt : videtur, quod in talibus licentiam petere est periculosum, quia negabunt, et tunc magis peccant : ergo videtur, quod in tali casu etiam prælato proprio non debet obedire de confessione facienda.

3. Adhuc, Ponamus, quod sacerdos sit hæreticus occultus, et in confessione nitatur pertrahere ad hæresim : ergo cum

hoc maxime vitandum sit, videtur quod in tali casu etiam ex contemptu proprii sacerdotis, potest confiteri alii, et non tenetur proprio.

4. Adhuc, Ponamus, quod aliquis qui est parochianus unius, peccet in parochia alterius: constat, quod sacerdos judex quidem est spiritualis: sed ratione delicti efficitur de jurisdictione alterius judicis, qui alias de jurisdictione sua non esset: ergo et iste efficitur in tali casu de jurisdictione alterius sacerdotis: ille autem qui est de jurisdictione et deliquit, judici ad emendam tenetur: ergo et iste. Emenda autem est per confessionem et injunctam pœnitentiam: ergo videtur, quod teneatur illi confiteri etiam reclamante proprio sacerdote.

5. Adhuc, Ponamus, quod ipse mutaverit domicilium et in alterius parochia habitet: videtur, quod tunc non teneatur proprio sacerdoti confiteri: quia percipit sacramenta in Ecclesia illius in cujus parochia habitat: sed ille nosse eum tenetur per confessionem: ergo tenetur illi confiteri, et non proprio sacerdoti, ut videtur.

6. Adhuc, Ponamus, quod sit vagabundus per terras: ille enim per magnam loci distantiam removetur a proprio sacerdote in cujus parochia est natus: cum igitur nulli debeat generari difficultas salutis in sacramentis necessitatis, videtur quod ille omni sacerdoti possit confiteri, et non teneatur alii quantumcumque contrarium præcipienti.

7. Adhuc, Ponamus, quod sit infirmus in articulo necessitatis: cum nulli negetur salus, videtur quod ille sine licentia sacerdotis proprii possit proximo confiteri quem invenerit: ergo non tenetur proprio confiteri, ut videtur.

8. Generalius autem objicitur de eo sic: Sacramentum baptismi si datur ab alio quam a proprio sacerdote, etiam contra obedientiam sacerdotis proprii, in redeunte ad sui sacerdotis obedientiam non reiteratur: ergo videtur, quod nec pœnitentia debet iterari.

9. Item, Infra [1] dicitur quod nullum sacramentum iteratur super eamdem materiam: ergo de eodem peccato non debet fieri bis confessio: est autem semel facta coadjutori vel alteri de licentia proprii: ergo non debet iterari: ergo si sibi præcipiat confiteri proprius, videtur quod confessus obedire non tenetur nisi voluerit.

10. Item, Confessio, ut supra habitum est ex verbis Augustini, maxima pœna est propter verecundiam quam habet adjunctam: sed, sicut dicitur, Nahum, 1, 9: *Non consurget duplex tribulatio:* ergo videtur, quod de eodem peccato etiamsi sacerdos proprius præcipiat, non oportet bis confessionem facere.

11. Adhuc, Si Episcopus dat licentiam clerico ut ab altero ordinetur: et ille ordinatus redeat ad ipsum, non potest ei præcipere ut etiam a se recipiat ordinem: ergo a simili, si sacerdos det licentiam confitendi alteri, cum redierit, non potest ab eo exigere ut etiam sibi confiteatur.

Adhuc, Dando licentiam utitur potestate quam habet semel in anno: ergo cum sua non teneatur confiteri nisi semel in anno, et sacerdos suus jam usus sit sua potestate quam habuit in eo, videtur quod non potest eum cogere ut confiteatur iterum.

Quæst. Ulterius quæritur de superioribus prælatis, ut sacerdotibus, Archidiaconis, Episcopis, et hujusmodi, qui sint eorum proprii sacerdotes?

Videtur, quod nulli: quia

1. In nulla natura motus est motus, vel quietis quies: ergo nec sacerdotis sacerdos: ergo nulli tenentur confiteri.

Item, Alius est gradus superioris et inferioris, et non sunt permiscendi: ergo natura in spiritualibus superior, non descendit sub inferiori: igitur per hoc ad

[1] Cf. Infra, Dist. XXXI. Tom. XXX hujusce novæ editionis.

minus Papa non habebit aliquem confessorem, quod falsum est.

2. Adhuc, Superiores Angeli numquam descendunt propter acceptionem sanctitatis sub inferiores: cum igitur Ecclesia militans descendat a triumphante, nec in militanti hoc debet fieri, ut videtur.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum sine præjudicio videtur, quod si aliquis de licentia sacerdotis confitetur alicui, quod illo anno nisi periculum infirmitatis incurrat, et aliquid novum confiteri habeat, sacerdoti suo non teneatur confiteri: si autem confiteatur alii coadjutori ordinato ipsi sacerdoti a superiori, et non de licentia sacerdotis, quod ipse tenetur etiam proprio sacerdoti confiteri: nec ille debet ei imponere pœnitentiam nisi indicando ei, quod quam citius poterit, se proprio exhibeat sacerdoti, nisi in casibus exceptis qui sunt quinque, ut infra dicetur.

Ad 1 et 2. AD PRIMUM ergo dicendum, quod licet non eximat eum a sua potestate per hoc quod licentiam dat, tamen licentiam dando privatus est sua jurisdictione quoad illum annum. Secus autem esset si alius daret licentiam, scilicet prælatus sacerdotis: quia ille nec intenderet impedire jurisdictionem sacerdotis, nec etiam eximere subditum sacerdoti a potestate sua.

Et per hoc patet solutio ad sequens.

Ad 3. AD ALIUD dicendum, quod sacerdos proprius ministrat sacramenta, et in tali casu quando ipse dat licentiam rationabili de causa, ipse cognoscit pecoris sui vultum per alium fide dignum, et hoc sufficit ad hoc quod ministret ei sacramenta.

Ad 4. AD ALIUD dicendum, quod nullum periculum oritur ex hoc quod ipsemet dat licentiam, quia scit quibus dat, et ad quos: sed si sufficeret alterius quam proprii sacerdotis licentia, tunc posset oriri periculum.

Ad 5. AD ALIUD dicendum, quod in veritate Angelus inferior non illuminatur nisi a superiori proximo vel remoto: et ita etiam fieri potest in Ecclesia: quia quod potest sacerdos, potest etiam Episcopus, et multo amplius, et sic de aliis ascendendo. Nec propter hoc excipitur ab obedientia proximi prælati: sed si sacerdos daret licentiam, non subderetur ei illo anno quoad hoc præceptum: sicut etiam postquam semel confessus est sacerdoti, non tenetur iterum confiteri, nec propter hoc eximitur ab obedientia ipsius.

Et sic patet solutio primæ partis objectionum.

Hæc autem quæ dicta sunt, intelligenda sunt de eo tantum qui habet auctoritatem imponendi pœnitentias a superiori Episcopo, scilicet vel Legato, vel Papa: quia ad alium eundi non potest dare sacerdos proprius licentiam. Et causa hujus est, quia licet sacerdos posset subditum relaxare ut alii confiteatur, non tamen potest transferre jurisdictionem in eum qui habet alas ligatas, sed superior tantum: et ideo licet subditus in tali casu posset alii confiteri, non tamen quilibet alius potest eum audire.

AD EA autem quæ objiciuntur in oppositum, salva meliori sententia, videtur mihi dicendum, quod in quinque casibus, secundum quod Jurisperiti dicunt, debet quærere licentiam alii confitendi quam proprio sacerdoti, scilicet primo, si sacerdos sit deficiens in scientia, vel etiam malitia impediente confessionem, sicut si sollicitet ad peccatum. Secundo, si peccet in parochia alterius. Tertio, si habitet in parochia alterius. Quarto, si vagatur per longum iter. Quinto, in articulo necessitatis. Et in hoc ultimo casu unicuique habenti alas ligatas sive solutas, sive clerico sive laico confitendum est, dummodo sit fidelis.

Ad objectum 1. AD OBJECTUM ergo primum dicendum, quod in tali casu de licentia potest alium quærere.

Ad objectum contra, dicendum quod credi debet obtenta licentia: quia rationabiliter est obtenta, scilicet quando sacerdos vel prælatus ejus audit et probat causas rationabilies, vel dicitur probasse: tunc enim etiamsi negetur licen-

tia, meo judicio, potest et debet quæri alter : quia alias fatuitas judicatur : quia ordinationibus Ecclesiæ omnibus contradicentibus, possum cavere periculum in corpore, et fatuum esset dicere, quod aliquo casu tenerer sequi me volentem præcipitare in mente.

Ad object 2. Ad aliud dicendum quod etiam in illo casu quando tentat, debet significari suo superiori, et probabile est, quod compescat eum : si autem non facit, sicut, heu ! frequenter fit, tunc debet occulte alii discreto confiteri, ne scandalum generetur : et hoc dico sine præjudicio sententiæ melioris.

Ad object. 3, 4, 5. 6 et 7. Ad hoc quod objicitur de hæretico, dicendum videtur, quod nec etiam in articulo necessitatis tali confitendum est : sed potius cum dolore sine confessione moriendum, si alius cui confessio fiat, non inveniatur.

In sequentibus autem quatuor casibus in quatuor objectis, patet solutio per antedicta.

Ad object. 8. Ad hoc autem quod objicitur generaliter, dicendum quod non est simile de baptismo et pœnitentia, quia baptismus iterari non potest : et hujus causa superius sæpe notata est. Sed pœnitentia tanto melior, quanto sæpius iteratur in contritione, confessione, et satisfactione.

Ad object. 9. Ad aliud dicendum, quod pœnitentia et confessio, secundum quod subsunt clavibus jurisdictionis, sunt consequentes ordinem : et ideo quando fiunt coram non habente jurisdictionem, interpretantur non esse facta : et ideo non bis fit quando iteratur, quia prior non fuit confessio sacramentalis.

Ad object. 10. Ad aliud dicendum, quod illud quod dicitur, Nahum, I, 9, non intelligitur sic, quod nulla pœnitentia duplex fiat pro eodem peccato, cum scriptum sit, Isa. XL, 2 : *Suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis :* sed hoc modo intelligitur, si debitam sustinet pœnam, quod illam iterare non oportet. Dictum est autem, quod non credimus debitam, nisi fiat coram sacerdote proprio, nisi in casibus supra assignatis.

Ad object 11. Ad aliud dicendum, quod non est simile : quia ordo datur bene extra Ecclesiam, tamen in forma Ecclesiæ, sicut et baptismus : sed non sic est de confessione in qua non imprimitur character, et est ibi actus hominis pœnitentis : et ideo non valet nisi coram ministro proprio, vel eo qui licentia superioris et consensu sacerdotis habet vicem proprii, ut dictum est.

Ad quæst. Ad id quod ulterius quæritur, videtur dicendum cum quibusdam Jurisperitis, quod potest sacerdos et Episcopus, et præcipue Episcopus, eligere sibi confessorem quem vult juxta se : quia propter periculum salutis non est sibi hoc negandum, cum sit difficile pro confessore quo semper ad manum indigent Prælati propter sacramenta quæ non nisi mundi tractare possunt, longe discurrere.

Ad 1. Ad objectum contra, dicendum quod sicut dicit Philosophus, quod medicus sanat seipsum, non in quantum medicus, sed in quantum laborans : ita etiam sacerdotem contingit esse sacerdotis, scilicet in quantum sacerdos est vice subditi in infirmitate peccati, et non in quantum sacerdos existens de gradu altiori. Quod autem dicit Philosophus, non esse motum motus, dicendum quod sic intelligitur, quod non est motus ad motum ut generatio ad generationem, etc.: et sic sacerdos non est sacerdotis, sed infirmi peccatoris, cui accidit esse sacerdotem.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod hoc negaverunt quidam antiqui dicentes, superiores ab inferioribus quasdam percipere illuminationes, propter illud Apostoli ad Ephes. III, 10 : *Ut innotescat principibus et potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam*, etc. Et de hoc super secundum *Sententiarum* est disputatum. Tamen ego puto, quod verum est sicut dicit objectio. Unde dicendum, quod in superioribus hominibus invenitur peccati infirmitas, ratione cujus indigent quandoque auxilio infe-

riorum : sed non sic est in Angelo : et hoc est quod dicit Apostolus, ad Hebr. v, 2 et 3 : *Quoniam et ipse circumdatus est infirmitate, et propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam et pro semetipso offerre pro peccatis.* Et loquitur de infirmitate peccati.

ARTICULUS XLIII.

An aliquis ex privilegio potest audire eos qui sunt alterius subditi ?

Quinto quæritur, Utrum aliquis ex privilegio potest audire eos qui sunt subditi alterius ?

1. Videtur autem, quod sic : quia

1. Ex privilegio principis aliquis qui est subditus alicujus, potest eximi ab ipso sine præjudicio ejus cujus est subditus : ergo ex privilegio etiam potest conferri jurisdictio quantum ad confessionem in subditum alterius.

2. Adhuc, Inferior prælatus non habet jurisdictionem aliquam in subditum aliquem nisi ex auctoritate superioris : ergo si superior limitet vel minuat actoritatem, non facit præjudicium aliquod : ergo si alium mittat qui etiam audiat subditos, non est præjudicium.

3 Adhuc, Principi licet quod vult facere, dummodo voluntas sua communitati sit utilis : constat autem, quod utile est multos constituere qui audiant multitudinem, et dubia expediant et absolvant : ergo videtur, quod multis privilegium confessionis alios audiendi conferri possit sine cujuscumque præjudicio.

4. Adhuc, Quoscumque potest audire inferior, potest etiam audire superior : sed non convertitur : ergo de potestate sua potest alios mittere ad audiendum, et privilegium eis de hoc dare.

5. Adhuc, I Paralip. XXIV, 1 et seq. legitur, quod David ampliavit cultum Domini, qui laudatus est ex hoc quod constituit viginti quatuor summos sacerdotes, ut magis posset populus expediri : ego videtur, quod etiam illud laudabile sit, quod privilegium audiendi multis conferatur.

6. Adhuc, XVII, 13, misit Ezechias nuntios discurrentes, qui monerent populum ut reverteretur ad Dominum Deum patrum suorum. Et constat, quod non erant levitæ : ergo et in Novo Testamento debent aliquid nuntii esse sacerdotibus subordinati, qui audiendo populum, moneant ipsum ut revertatur ad Dominum Deum patrum suorum.

7. Adhuc, Esther, VIII, 10, Assuerus misit veredarios, celeres nuntios præferentes, qui subordinabantur præpositis centum et viginti septem provinciarum, qui nuntiabant liberationem populi Dei. Ergo in Novo Testamento sine omni præjudicio debent esse hujusmodi nuntii, ad populi liberationem in audiendis confessionibus ordinati.

Aliis etiam infinitis modis hoc probari posset : ergo videtur, quod constitui possint et debeant aliqui ex privilegio prædicantes et confessiones audientes : et in hoc nulli videtur præjudicium generari.

SED IN CONTRARIUM hujus objicitur sic : sed contra.

In injuriam alicujus non sunt conferenda privilegia : sed subditos alicujus sine voluntate ejus ad alium ire, est in injuriam ejus qui prælatus est eis : ergo de hoc non debet alicui conferri privilegium.

ITEM, Esto quod aliquis habeat privilegium audiendi : quæritur utrum sacerdotes et Episcopi possunt prohibere suis ne confiteantur ei ? Quæst.

Videtur, quod sic : quia

1. Per privilegium illud non eximuntur a potestate suorum sacerdotum : ergo sicut ante tenebantur ei obedire, ne alii confiterentur, ita et modo : ergo si prohibet sacerdos, non debent confiteri ei qui habet privilegium.

2. Item, Cui incumbit sollicitudo de curandis ovibus in sacramentorum administratione, et reddendi rationem, illi etiam incumbit cui et quando confiteantur: ergo sine sua licentia non debent ire ad aliquem: ergo etiam licet sit aliquis privilegiatus, non tamen potest audire subditos alterius, si ille prohibeat.

3. Adhuc, Licet iste sit privilegiatus audire, tamen subditus sacerdotis non est privilegiatus suo sacerdoti non obedire: ergo si prohibet ei ne privilegiato confiteatur, ipse debet obedire non confitendo: et ex hoc sequitur, quod ille qui privilegium habet, non audiet, licet sit privilegiatus.

Sed contra. SED CONTRA:

1. Beneficium privilegii non est rejiciendum, ita ut sit inutile ei cui datur: sed si retrahi possunt confitentes ne privilegiato confiteantur, quod etiam in inhibitione sacerdotis retrahi non possunt ne confiteantur alicui privilegium de hoc habenti.

2. Item, Cui conceditur beneficium aliquod ac principale, ei conceditur etiam accessorium, sine quo principaliter concessum exerceri non potest: sed auditus confessionis non potest esse nisi aliquis confiteatur: ergo videtur, quod cui conceditur confessiones audire, conceditur etiam subditis ut illi possint sine licentia alterius confiteri.

Solutio. SOLUTIO. Videtur sine præjudicio dicendum, quod privilegium audiendi confessiones religiosis et honestis personis utile est concedere. Et confirmatur Veteris et Novi Testamenti auctoritate. Et Veteris Testamenti plura inducta sunt. De Novo autem, Luc. XIV, 23, habetur, ubi paterfamilias misit servos suos, qui exirent in vias et sepes, et ducerent et compellerent intrare ut impleretur domus Dei. Et hoc præcipue temporibus novissimis necessarium est, quando instant tempora periculosa propter abundantiam malitiæ. Et si conferatur privilegium, possunt audire privilegiati omnes quos moverint verbo et exemplo ad pœnitentiam in prædicatione: unde concedo partem primam hujus disputationis.

AD ID autem quod objicitur in contrarium est dicendum, quod nullum præjudicium in hoc fit alicui: quia etiam sacerdos, vel alius prælatus, non habet aliquam jurisdictionem in subditos, nisi in quantum descendit a capite: et ideo si alii vocantur et privilegiantur in adjutorium ejus, non est præjudicium, sed solatium, præcipue cum fructus proventuum ex hoc sibi in nullo diminuatur. Ad obj.

AD HOC quod ulterius quæritur, dicendum quod si privilegium tale concederetur, meo judicio, privilegiatus debet inducere subditos ut sibi confiteantur de conscientia et licentia sui sacerdotis. Si autem sacerdos hoc malitiose impedire vellet, non posset: quia in hoc non tenentur subditi sui ei obedire. Qui enim dat privilegium, per consequens dare videtur subditis potestatem confitendi privilegiato: quia aliter gratia quam facit frustraretur. Ad quæ. Ad 1.

AD ALIUD dicendum, quod sollicitudinem non habet sacerdos nisi ex voluntate superioris, et ideo debet præsumere, quod missi ab ipso bene disponant populum ad salutem, nec reddet rationem de illo. Ad 2.

AD ALIUD dicendum, quod isto privilegiato ad audiendum, permissum est alii sibi confiteri: quia qui concedit principale, concedit et accessorium sine quo illud principale fieri non potest, sicut dictum est in objectionibus quæ in contrarium adducuntur. Ad 3.

ARTICULUS XLIV.

An aliquis privilegiato confessus, teneatur etiam confiteri proprio sacerdoti ?

Sexto quæritur, Utrum postquam confessi sunt privilegiato, si aliquis talis est, teneatur etiam proprio sacerdoti confiteri?

Et videtur, quod sic :

1. Præceptum est enim sacerdoti proprio, *Diligenter agnosce vultum pecoris tui*[1] : sed non potest agnosci nisi per confessionem vultus spiritualis pecoris : ergo sacerdos proprius tenetur audire confessiones eorum : ergo et illi tenentur ei confiteri.

2. Adhuc, Jerem. XXXIII, 13, dicitur, quod *transibunt greges ad manum numerantis :* sed manus numerantis tangit singulas : ergo manus probantis sacerdotis debet tactu confessionis et cognitionis singulas oves mensurare : sed hoc non potest esse nisi per confessionem : ergo tenetur ei confiteri.

3. Item, Joan. x, 3 et 4, dicitur, quod bonus pastor *proprias oves vocat nominatim,... et ante eas vadit.* Et infra, ℣. 14 : *Ego sum pastor bonus, et cognosco meas, et cognoscunt me meæ.* Hæc autem omnia nullo modo sine confessione fieri possunt : ergo cuicumque confessi sint subditi, videtur quod adhuc tenentur confiteri proprio sacerdoti.

4. Adhuc, Actuum, xx, 28, dicit Paulus : *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Sed non parvæ æstimationis est, quod emitur sanguine Christi : ergo cum omni sollicitudine videndæ et noscendæ a suo pastore sunt oves : tales autem nullo modo sufficienter noscuntur, nisi per confessionem in qua homo totum cor et conscientiam monstrat sacerdoti : ergo videtur, quod tenetur ei confiteri.

5. Adhuc, I ad Thessal. v, 14, dicit Apostolus : *Corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes.* Sed hoc nullo modo potest fieri, nisi noscantur tales vel tales esse : ergo nosci debent : sed nosci congrue non possunt, nisi per confessionem : ergo omnes suo sacerdoti tenentur confiteri, etiam cuicumque confessi sint alii.

Si autem tu dicas, quod noscit per alium. CONTRA : Hoc non generat nisi opinionem : et opinio non sufficit ad judicium humanum : ergo multo minus sufficiet ad judicium divinum : et hoc est in pœnitentia : ergo non sufficit in pœnitentia.

6. Adhuc, Ad Hebr. XIII, 17 : *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis : ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Sed video, quod qui rationem reddere debet, etiam de temporalibus, per seipsum quærit cognoscere computum : ergo multo magis in divinis hoc exigitur : ergo sacerdos per seipsum habet cognoscere de confessione.

IN CONTRARIUM autem hujus sic objicitur. Sed contra.

1. Si aliquis confiteatur privilegiato, constat quod est absolutus, quia aliter nihil valeret privilegium : sed absolutus non tenetur confiteri : ergo iste nec sacerdoti, nec alii confiteri tenetur plus illo anno.

2. Adhuc, Magister Hugo de sancto Victore in libro de *Potestate ligandi et solvendi* dicit, quod « inter cætera vincula quæ solvit sacerdos audiens confessionem, unum et primum est, quod solvit a debito confitendi quo Deus eum

[1] Proverb. XXVII, 23.

ligavit, cum eum in contritione absolvit a debito mortis æternæ : » sed absolutus a debito confitendi non tenetur alicui confiteri : ergo cum iste sit confessus, non tenetur confiteri proprio sacerdoti.

3. Adhuc, Si aliquis confiteatur pœnitentiario superioris, non postea tenetur confiteri etiam inferiori : sed privilegiatus est quasi quidam pœnitentiarius particularis Domini Papæ : ergo sibi confessus non tenetur alicui amplius confiteri.

4. Adhuc, Numquam sunt duo remedia omnino ejusdem speciei contra morbum unum : ergo nec in spiritualibus sic debet esse : sed istæ duæ confessiones essent remedia omnino similia et ejusdem speciei contra morbum unum : ergo videtur, quod non esse debeant : ergo confessus uni, non tenetur confiteri alteri.

5. Adhuc, Natura non abundat in superfluis, nec deficit in necessariis : et hoc est ideo, ut dicunt Philosophi, quia inordinatissima est : sed opus divinum ordinatius est, quam opus naturæ : ergo nec ipsum abundat superfluis : sed superfluum est ponere duo, cum unum sufficiat : ergo videtur, quod cum uni facta confessio valeat, non teneatur confiteri alteri.

olutio. Respondeo sine præjudicio, quod si privilegium audiendi confessiones per modum supra dictum daretur alicui, sicut datum est privilegium audiendi eos quos movent aliqui verbo suæ prædicationis : firmissime credendum est, quod propter nimiam sacerdotum negligentiam hoc summus Pontifex dedit : quia peccatis nostris crescentibus in hoc fine sæculi, etiam perpauci inveniuntur sacerdotes qui veri sint pastores, sed potius vicarii conducti pretio vili : et quod abominabilius est, nec sunt perpetuati in multis terris, sed conducti ad annum, vel etiam ad dimidium, vel mensem. Et hæc omnia scio, quia vidi : ita ut videatur impleri illud Ezechielis, XIII, 19 : Pro fragmento panis et pugillo hordei corrumpebant me, et meum populum [1]. Et ideo satis necessarii sunt, qui vita et scientia populum audiant et absolvant : tamen propter officium pastorale et reverentiam sacerdotum, et quia non est detrahendum eis coram subditis, videtur quod absolvens privilegiatus deberet injungere confesso sibi, quatenus ad minus in generali ostendat se proprio sacerdoti si pastor est, vel etiam perpetuus vicarius. Si autem conductus est ad tempus, tunc videtur, quod non oportet.

Ad objecti Ad id autem quod contra objicitur, dicendum quod talis confessus absolutus est : sed tamen absolutus debet innotescere suæ Ecclesiæ gubernatori qui est sacerdos proprius, et ideo debet se ostendere sacerdoti ad minus in genere peccatorum in quibus fuit ; et etiam propter conscientiam sacerdotis, et ut sit securus de ipso : quia debet ei ministrare sacramenta, et rationem reddere pro ipso.

Ad objecti Ad aliud dicendum, quod sicut dictum est, ille absolutus est coram Deo : sed tamen multa exiguntur ab ipso : quia nullus est adeo absolutus, quin propter contemptum ministrorum Ecclesiæ possit iterum incidere in peccatum mortale : et ideo ut assecuret suum gubernatorem, tenetur ei se in genere ostendere si ille voluerit.

Ad objecti Ad aliud dicendum, quod etiamsi confiteatur pœnitentiario superioris, adhuc utile est, ne pœnitentiarius dissolvat ordinem Ecclesiæ et officii sacerdotum ad populum, et in aliquo remittat eum ad proprium sacerdotem. Et crederem graviter peccare pœnitentiarium, qui hoc non faceret : tamen si non remittit, tunc dicendum, quod secus est in illo, quia pœnitentiarius superioris vice superioris

[1] Vulgata habet de mulieribus fatidicis, Ezechiel. XII, 19 : *Et violabant me ad populum meum propter pugillum hordei, et fragmen panis, ut interficerent animas quæ non moriuntur, et vivificarent animas quæ non vivunt, mentientes populo meo credenti mendaciis.*

imponit pœnitentias, et ita est sufficiens præsumptio sacerdotis, quod bene omnia facit, nec habet de facto superioris judicare : sed alii ex privilegio audientes, sunt vocati quasi in sublevamen negligentiæ sacerdotum : et illorum magis est cavere ne dissipent officium sacerdotum ad populum, et reverentiam populi ad sacerdotes : et ideo non est simile quod pro simili inducitur.

ject. 4. Ad aliud dicendum, quod multiplicata remedia valent ad morbum latentem et gravem : quia etiamsi non curant morbum, tamen faciunt ad sanitatis confirmationem : sed hic non est aliud : quia obligabatur sacerdoti, et propter cautelam abundantem vadit ad privilegiatum.

bject. 5. Ad aliud dicendum, quod etiam natura multa facit ad confortationem speciei, ut possit resistere alterationibus sequentibus, et illa non sunt superflua : et ita est etiam in operibus gratiæ : unde etiam ab eo qui præsidet utilitati Ecclesiæ, tales quandoque mittuntur propter abundantem cautelam ad confortationem populi in pœnitentia et confessione.

Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICULUS XLV.

An aliquid utilitatis consequatur si quis confiteatur privilegiato ?

Septimo quæritur, Quid utilitatis consequitur a privilegiato ?

tio. Licet jam fere determinatum sit ex præcedentibus, tamen sine disputatione ad hoc dicendum, quod tres utilitates consequuntur ad minus. Una est absolutio perfecta, quæ duplicata facit pœnæ debitæ diminutionem et gratiæ confortationem. Secunda est abundantia consilii, ex qua efficitur pœnitens securior de pœnitentiæ sibi injunctæ sufficientiæ. Tertia est multiplicitas orationum et testium coram Deo : quia quanto pluribus confitetur, tanto plures apud Deum habet intercessores et testes.

ARTICULUS XLVI.

An diffinitiones scandali sint bonæ ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit ibi, D, post initium : « *Sed etiam in tanto scandalo*, etc. »

Quæremus autem de scandalo, primo quid sit ?

Secundo, De scandali divisione.

Tertio, Utrum sit peccatum speciale divisum ab aliis peccatis, vel conjuntum aliis semper ?

Quarto, Utrum sit mortale peccatum vel non ?

Quinto, Utrum scandalizaze aliquo modo conveniat bonis ?

Sexto, Quorum sit scandalizari ?

Septimo, Quæ sunt dimittenda propter scandalum, et quæ non ?

Ad primum horum sic proceditur :

Matth. xviii, 7, super illud : *Væ mundo a scandalis !* dicit Glossa : « Scandalum est dictum vel factum minus rectum, aliis præbens occasionem ruinæ. »

Alia autem notificatio scandali habetur super illud Numerorum, xxxi, 2 : *Ulciscere prius filios Israel*, etc., sic, « Scandalum est, ubi recte ambulanti deceptio submittitur ad ruinam. »

Objicitur autem sic contra primam : quia

1. Omne peccatum quod est in dictis vel factis, est occasio ruinæ alteri : ergo omne peccatum in dictis et factis existens, est scandalum, quod falsum est.

2. Adhuc, Omne peccatum procedens ad notitiam proximi, est obex positus

recte ambulanti : sed omne peccatum in dictis vel factis existens, est procedens quantum est de se ad notitiam proximi : ergo omne peccatum in dictis et factis existens, est obex positus recte ambulanti, quod falsum est, quia multi peccant, et non scandalizant.

3. Si forte dicatur, quod peccatum quod est in dictis vel in factis, efficitur scandalum quando aliquis ruit exemplo ipsius. CONTRA : Accidit peccanti, quod aliquis ruit ad exemplum ipsius vel non ruit : ergo scandalum per accidens est in scandalizante, et per se in scandalizato : sed in quo per se est, illius est et illi imputatur : ergo scandalum magis est in scandalizato et sibi imputatur, quod est contra totam Scripturam quæ semper culpat scandalizantes.

Quæst. ULTERIUS quæritur, Quare non ponitur peccatum cordis ?

Videtur enim illud posse esse occasio ruinæ : quia cor prodit ad notitiam per signa : ergo potest esse occasio obicis : ergo est scandali occasio : ergo ipsum poni debet, ut videtur.

OBJICITUR etiam contra secundam diffinitionem :

1. Non tantum recte ambulantes scandalizantur, sed etiam alii : ergo male dicitur, « Ubi recte ambulanti. »

2. Adhuc, Non semper est deceptio in scandalo : sed etiam iste scit, quod male facit imitando : ergo male dicit, « Deceptio submittitur. »

3. Item, Non interest ad casum ad obicem, utrum occultus sit obex, an manifestus, dum dejiciat ambulantem : ergo similiter est in via morum : ergo non oportet semper esse deceptionem.

Solutio. Ad primam diffin. RESPONSIO. Dicendum, quod scandalum est Græcum [1], et tantum sonat in Latino, quantum *impactio* vel *casus* : unde in scandalo spirituali quod transsumptive dicitur *scandalum*, oportet aliquid esse ad quod fiat impactio vel casus : et hoc est peccatum obvians recte ambulanti in quantum obvians. Dico autem *recte ambulantem*, omnes et illum qui in illo opere in quo est, non deviat, ut dicatur rectum esse illud quod recedit a curvitate peccati vel devio : et ita comprehenduntur omnes actus sub recto qui liciti sunt, id est, qui nullo præcepto prohibentur : sic enim diffinitur *licitum* in Glossa super illud Apostoli, ad Corinth. VI, 12 : *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.* Dico autem *obvians in quantum obvians* : quia si peccatum haberet circumstantiam facientem ipsum non obviare recte ambulanti, non esset scandalum, sicut est circumstantia occultationis. Circumstantia autem faciens ipsum obviare pedibus recte ambulantis, est illa quæ ponit peccatum ante eum : et hæc est illa quæ dicitur manifeste. Hæc enim coram recte ambulante in via morum ponit peccatum obicem impedientem gressus operum.

Ad 1. AD PRIMUM ergo dicendum, quod hoc est falsum, « Omne dictum vel factum, etc., » quia non omne dictum vel factum est manifestum in spectaculo recte ambulantium, et non de se prodit ad notitiam, quando est occultum.

Ad 2. AD ALIUD dicendum eodem modo, quod nondum se prodit, quando occultatur et clauditur : subtrahitur enim quasi de via morum, quando subducitur notitia proximorum.

Ad 3. AD ALIUD dicendum, quod circumstantia non est omnino accidentalis actui : et hoc patet in moralibus, ubi species recti et obliqui distinguuntur per quando oportet, et quantum, et ubi, et quibus auxiliis, et cur, etc. Patet etiam in locis rhetoricis a quibus trahuntur argumenta accusationis vel defensionis rei a circumstantiis : et ideo non per accidens convenit omni peccato, quod ei convenit per circumstantiam. Est autem una cir-

[1] Σκάνδαλον a σκάζω [ΣΚΑ, r.]

cumstantiarum aperta : et ideo de se habet, quod est scandalum quando est apertum. Quod autem alius cadat, vel non, hoc est illi contingens : quia scandalum non est sola causa ruinæ, sed exigit etiam causam ex parte alterius imitantis ipsum in peccato. Unde sive ille cadat sive non, iste tamen dedit quantum est de se occasionem ruinæ : occasio autem dicitur imperfecta causa, quæ secum exigit aliam principaliter causantem, quam excitat et invitat ad causandum, et hujusmodi in scandalo est voluntas imitantis scandalizantem in peccato quod ante oculos ejus ponit.

Ad 1. Ad aliud dicendum, quod peccatum cordis de sua ratione occultum est : quia peccatum cordis est discretive dictum, quod ita est cordis, quod non est oris vel operis.

Ad objectum autem dicit, quod signum multiplex est, scilicet commune, et convertibile signum : commune non certificat : sed facit existimationem debilem, et ideo non est scandalum. Signum autem convertibile æquipollet causæ, ut dicit Philosophus : et tale non est manifestum in peccato cordis. Si autem esset, inveniretur aliquid quod ipsum peccatum in specie propria ostenderet, et coram oculis poneret recte ambulantis : ideo non esset peccatum cordis tantum, sed ad peccatum oris vel operis reduceretur.

Ad id quod objicitur contra secundam, dicendum quod non recte ambulans in quantum hujusmodi, non scandalizatur, quia invitans ad peccatum non accipit extra in peccato, sed causam sui peccati habet intra : sed recte ambulans et non distorte ambulans, ille enim ad peccatum invitans cum non habeat intra, extra accipit in peccato proximi sibi obvianti in via morum.

Ad aliud dicendum, quod *deceptio* large hic sumitur pro non præviso : subito enim et præter spem objicit se peccatum scandali invitantis ad peccatum ex parte scandalizati : et hoc dicitur hic *deceptio*, quia cum proximus in quantum est imago Dei ad bonum debeat invitare, præter prævisionem objicit occasionem ruinæ.

Sed tunc objicitur : quia secundum hoc si prævideatur peccatum publicum futurum, non erit scandalum, et ita iterum sequeretur, quod accideret ei scandalum esse ex parte scandalizati, ex hoc quod prævideretur, vel non prævideretur. Responsio, quod est prævidentia duplex, scilicet speculativa, et practica. *Speculativa* non invitat ad peccatum : quia sic omnes præmeditantes peccata aliqua, ad peccatum moverentur, quod falsum est. Unde si talis præcedat ex parte scandalizati, non minus est scandalum sive peccatum alterius, quia est primum invitans ipsum ad peccatum de se. Si autem præcedit *practica* prævidentia : tunc est consensus vel placentia peccati illius, quod movet ad visum peccati. Et tunc est quidem adhuc de se scandalum : sed tamen hoc scandalum non primo scandalizat ipsum, sed potius primum inclinans ad peccandum attulit secum in voluntate peccandi : unde iste peccat ac si non esset scandalizatus, quia si subduceretur sibi peccatum proximi, adhuc moveretur ad peccandum.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod multum interest in via morum, licet non intersit in via pedum : quia numquam dejicit ut primum invitans ad peccandum, nisi procedat in notitiam alterius : et hoc est esse manifestum alteri. Dictum est autem jam, quoniam de essentia scandali proprie est, quod sit primum invitans ad peccandum alios, non peccantes illo genere peccati.

ARTICULUS XLVII.

An scandalum bene dividatur in activum et passivum?

Secundo, Quæritur de scandali divisione.

Dividitur autem in activum et passivum. Et *activum* dicitur esse quod agit in scandalo, *passivum*, quod patitur in eodem. Verbi gratia, si do occasionem ruinæ, ego ago in scandalo : si autem tu accipis, tu pateris : et in me est scandalum activum, in te autem passivum.

Sed contra sic objicitur :

1. Agens enim principalissimum, est agens immediatum facto vel operi : sed agens immediatum operi, est voluntas imitantis peccatum manifestum : ergo ipsa est agens principalissimum : ergo in imitante non est scandalum passivum, sed activum, quod est contra omnes de scandalo loquentes.

2. Adhuc, Occasio non agit, eo quod non est causa, sed minus quam causa etiam per accidens : ergo videtur, cum peccatum manifestum non sit nisi occasio peccati alterius, quod non debeat dici scandalum activum.

3. Adhuc, Dicit Augustinus, quod omne peccatum adeo est voluntarium, quod si non sit voluntarium, non est peccatum ; constat autem, quod non dicitur actuale peccatum mortale voluntarium, nisi voluntate agentis ipsum : sed video, quod peccatum imitatione peccati perpetratum, dicitur *voluntarium* voluntate scandalizati, et non voluntate scandalizantis : ergo videtur, quod scandalizatus sit agens in ruina scandali, et non scandalizans.

4. Adhuc, Causa per occasionem, est causa aliquo modo disponens : hæc autem aliquo modo reducitur ad causam materialem, cum dicat materiæ præparationem, ut dicunt Philosophi : ergo dans occasionem in scandalo, est causa reducta ad materialem : sed ille est scandalizans : ergo non causat in scandalo, nisi sicut materia vel dispositio : et illius est pati, non agere : ergo scandalizanti magis convenit pati in scandalo, et scandalizato agere, quam e converso.

Responsio. Dicendum, quod diffinitio scandali inducta stat, et bona est.

Ad solutionem autem objectorum dicendum, quod est agens primum, quod est tantum agens : et agens secundum, quod est agens passum, et movens motum, quia movetur a primo motore. Exemplum hujus est desideratum et desiderium, ut dicit Philosophus. Desideratum enim de se, id est, de sua specie, quæ delectabilis est, movet desiderium : desiderium autem motum a specie desiderati movet ad opus, et in conjunctionem desiderati. Et hoc modo dicitur scandalum activum, quod est primum movens desiderium videntis ipsum : desiderium autem motum a viso peccato, est secundum movens ad actum peccati, et est movens motum, et agens passum. Cum igitur peccatum scandalizantis sit primum objectum oculis recte ambulantis, ipsum est tantum agens : et ideo dicitur scandalum activum. Desiderium autem sive voluntas scandalizati, est movens jam motum, et agens jam passum : et sequitur moventia passionem, qua passum est ab alio : et ideo est penes ipsum scandalum passivum.

His habitis, facile est respondere objectis.

Dicendum enim ad primum, quod agens principalissimum dicitur dupliciter, scilicet quod plus habet de ratione agentis, et quod est causa actionis. Et primo modo primum agens in quolibet ordine, est agens principalissimum : et sic dicitur principalissimum agens in scandalo activo. Secundo autem modo immediatum agens, est agens principalissimum, licet non agens secundum speciem agentis

primi, qua ipsum jam passum est : et hoc modo voluntas scandalizati est causa principalis peccati, quod fit in scandalo.

Ad aliud dicendum, quod *occasio* dicitur, eo quod non est perfecta causa passionis illius, quæ fit in voluntate ruentis per exemplum illius : quia desideratum per se movet desiderium.

Ad aliud dicendum, quod Augustinus loquitur de voluntate quæ est proxima causa peccati, et non de causa prima.

Ad ultimum dicendum, quod non est dispositio occasio, sed potius sequitur causam efficientem, ut patet per Aristotelem in II *Physicorum*, ubi causam per accidens ponit juxta efficientem.

Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICULUS XLVIII.

An scandalum sit speciale peccatum distinctum ab aliis peccatis ?

Tertio quæritur, Utrum sit peccatum speciale divisum ab aliis, vel aliis conjunctum ?

1. Videtur autem, quod sit generale per diffinitionem supra inductam, quæ dicit : « Omne dictum vel factum, etc. : » hoc enim est in omni peccato publico : ergo videtur, quod non sit peccatum speciale.

2. Adhuc, Hic in *Littera* videtur innuere, quod sit circumstantia peccati potius quam peccatum, cum dicit, « Si peccatum ejus fuit non modo in gravi ejus malo, sed etiam in tanto scandalo aliorum, etc. » Circumstantia non omnino separatur a peccato, cujus est circumstantia : ergo videtur, quod scandalum non separetur ab aliis peccatis, cujus est circumstantia : ergo videtur, quod scandalum non separetur ab aliis peccatis : ergo non est species peccati secundum se.

3. Adhuc, Omnis corruptio ordinabilis ad actus diversorum peccatorum in specie, est corruptio circumstantiæ communis, et non proprii actus secundum speciem : sed scandalum dicit hujusmodi corruptionem : ergo est corruptio circumstantiæ communis, et non proprii actus alicujus secundum speciem. Prima patet per hoc quod differentiæ specificæ ultimæ et completivæ, non sunt ordinabiles ad diversa peccata. Secunda probatur per hoc quod corruptio scandali invenitur in omni peccato publico. Inde sic : Quidquid conjunctum est speciebus diversorum peccatorum, est quoddam commune, quod secundum se speciem non constituit : scandalum est hujusmodi : ergo scandalum est quoddam commune conjunctum cum aliis peccatis, secundum se speciem non constituens.

4. Adhuc, Ad idem potest argui per secundam diffinitionem : Per omne peccatum publicum datur occasio ruendi recte ambulanti : ergo scandalum conjunctum est omni peccato publico.

In contrarium hujus objicitur : Sed contra.

1. Speciale peccatum est a speciali voluntate mala, et speciali nocumento, et fine : sed specialis voluntas mala est quæ vult ruere alium, et speciale nocumentum quod est ruina alterius, et intentum speciale, quia scandalizans intendit alterius casum. Cum igitur ista sint in scandalo, videtur quod scandalum sit peccatum speciale.

2. Adhuc, Numer. xxxi, 2 et seq., expresse apparet, quod speciale fuit : quia ibi intenderunt per expositionem puellarum diis servientium dejicere ad idola [1] : ergo videtur, quod speciale sit peccatum.

Responsio. Dicendum, quod scandalum quandoque dicitur peccatum conjunctum, quandoque separatum. *Conjunctum* est, quando non habet voluntatem et inten- Solutio.

[1] Cf. Numer. xxv, 1 et seq.

tionem separatam a parte agentis ab alio peccato, sed tantum habet nocumentum separatum. Verbi gratia peccat aliquis publice, et non intendit nocere alii, nec vult : et tamen nocet, quia trahit eum ad ruinam malo suo exemplo, et tunc conjungitur alii peccato, et non est speciale peccatum secundum se : et hoc modo loquuntur Sancti de scandalo, quia raro aliter committitur scandalum. Alio modo dicitur scandalum, quando aliquis specialiter intendit et vult ruinam præstare per dictum vel factum suum : et tunc in una actione habet duas intentiones : unam quasi instrumentalem ad aliam, quia peccato quod facit, non utitur nisi ut instrumento ad aliud peccatum, quod est dejicere proximum ad peccatum : et hoc modo accipitur in Numeris, ubi Madianitæ scandalizaverunt filios Israel [1].

Per hanc autem distinctionem patet solutio ad utramque partem objectionum : quia directe super partes distinctionis procedunt objectiones.

ARTICULUS XLIX.

An scandalum semper sit peccatum mortale ?

Quarto quæritur, Utrum semper sit mortale peccatum ?

Videtur autem, quod sic.

1. Matth. XVIII, 7 : *Væ mundo a scandalis !* Glossa : « Imminet æterna damnatio mundanis propter scandala : » sed æterna damnatio non imminet nisi pro peccato mortali : ergo scandalum est peccatum mortale.

2. Adhuc, Ibidem dicitur, ℣. 6, quod *qui scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris :* sed hoc non diceretur, nisi esset peccatum mortale : ergo videtur scandalum semper esse mortale peccatum.

3. Adhuc, Minus nocumentum est nocere corporaliter ad subtractionem rerum vel vitæ corporalis, quam nocere spiritualiter ad perditionem animæ : sed illud est peccatum mortale, ut patet in rapina, furto, et homicidio : ergo et scandalum.

4. Si forte dicatur, quod scandalum non tollit. Jam hoc est contra diffinitionem : quia non est ruina nisi per casum mortalis peccati, quæ sit ruina simpliciter.

Si forte aliquis dicat, sicut antiquorum quidam solvebant, quod scandalum est mortale quando conjungitur mortali, et veniale quando conjungitur veniali. CONTRA : In se comedere carnes idolothytas, vere veniale est, et tamen propter offendiculum est scandalum mortale : ergo non ex hoc est mortale, quia conjungitur actui mortalis peccati. MEDIA probatur, ad Roman. XIV, 15, ubi dicitur : *Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est.* Et, I ad Corinth. VIII, 11 : *Et peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est ?* Et ibidem, ℣. 12 : *Sic autem peccantes in fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis.* Non perditur autem frater, nisi per peccatum mortale : ergo illi peccabant mortaliter in scandalizando in actu secundum se licito : ergo habetur propositum.

SED IN CONTRARIUM hujus objicitur, Sed

1. Per hoc quod dicitur, Matth. XVI, 23, ubi dixit Christus petro : *Vade post me, Satana, scandalum es mihi : quia non ea sapis quæ Dei sunt* [2]. Et tamen Glossa dicit ibi, et est Glossa Bedæ : « Sed mihi error Apostoli de pietatis affectu veniens, numquam incentivum videbitur diaboli : » ergo Petrus scandalizavit, et tamen non mortaliter peccavit.

[1] Cf. Numer. XXV, 1 et seq.

[2] Cf. Marc. VIII, 23.

Sed tamen alia Glossa dicit ibi : « Non putat posse fieri ut Dei Filius occidatur. » Sed hoc non est contra propositum : quia etiamsi detur peccasse mortaliter per infidelitatem, quod tamen non est verum, non tamen peccavit mortaliter per scandalum, ut videtur prima Glossa innuere.

2. Adhuc, Peccata quædam sunt in genere suo mortalia : quædam autem in genere suo venialia. Cum igitur scandalum adjunctum aliis peccatis, videatur quandoque esse veniale et quandoque mortale, videtur quod scandalum sit quandoque veniale et quandoque mortale.

3. Adhuc, Unum peccatum est unius voluntatis et unius actus : sed scandalum est adjunctum eidem actui peccati, et eidem voluntati, et non habet voluntatem et actum divisa, ut supra patuit : ergo videtur, quod non sit differentia peccati secundum se : vel si est, quod non incidat in aliam differentiam, quam illam ad quam peccatum per actum suum veniale vel mortale determinatur : sed non omne tale est mortale : ergo nec scandalum semper est mortale.

Responsio. Dicendum, quod scandalum quandoque est mortale, et quandoque veniale : mortale autem est triplex, ut mihi videtur, scilicet ex conjunctione cum mortali : et hoc patet cuilibet per se. Et quandoque habet divisionem specialis voluntatis et intentionis dejiciendi proximum in mortale : et hoc iterum patet. Tertio etiam quando conjungitur actui, qui ex circumstantia potest credi mortalis probabiliter, licet non sit quoad agentem, quia tunc negligentia et inconsideratio agentis facit illum actum esse peccatum mortale : sicut fuit peccatum Corinthiorum qui in idolo recumbebant ad manducandum idolothytum tempore quo in honore idolis talis ritus observabatur[1] : tunc enim omnis infirmus, ignorans fidem manducantis, secundum commune judicium nihil aliud poterat judicare, quam quod comederet ad honorandum idolum : et cum Doctor fidei esset, ædificabatur etiam discipulus ad manducandum in honore idoli : et ideo suo fratri active dedit causam ruinæ per peccatum infidelitatis. Alio autem modo quocumque fiat, est peccatum veniale. Et hoc dico sine præjudicio : quia forte alteri plures modi mortalis scandali occurrent, sed mihi modo non subveniunt plures.

Ad duo ergo prima dicendum, quod loquuntur ibi Sancti tantum de scandalo mortali, et non veniali. Ad 1 et 2.

Ad aliud dicendum, quod verum est, quod qui directe agit ad læsionem animæ, plus nocet quam si noceat corporaliter : non tamen sequitur, quod plus peccet, quia peccati quantitas non attenditur ex quantitate nocumenti, sed potius ex quantitate deformitatis in actu et radice et voluntate peccantis. Quod autem ita sit, plane patet, quia nocumentum est in altero, et non in peccante frequenter, et quantitas peccati accipitur ex his quæ sunt in peccante. Si tamen detur, quod etiam penes nocumentum sumatur deformitas quædam actus, sicut verum est, tunc dicendum est, quod adhuc non valet argumentum : quia ad nocumentum corporale agit quis directe intendens per voluntatem nocendi : sed ad nocumentum spirituale in scandalo conjuncto alii peccato, non agit directe intendens, sed coincidit cum peccato suo. Si autem esset scandalum specialiter intentum, et esset ad mortale peccatum, tunc non esset ratio concedenda. Ad 3.

Ad aliud dicendum, quod cum diffinitur scandalum per ruinam, accipitur ruina communiter ad ruinam absolute quæ est mortale peccatum, et ad ruinæ occasionem quæ est veniale : et ita diffinitio convenit utrique, tamen per prius convenit peccato mortali. Ad 4.

Ad aliud quod objicitur de Petro di- Ad object. 1.

[1] Cf. I ad Corinth. VIII, 7 et seq.

cendum, quod *scandalum* sumitur ibi æquivoce in comparatione ad scandalum de quo nos loquimur : est enim obex viris in recta via morum scandalum, de quo quæritur hic a nobis. Scandalum autem quandoque dicitur obex lætitiæ vel æqualitatis affectus : et sic quodlibet conturbans dicitur *scandalum* : et hoc modo Petrus dicitur scandalum Christi : quia quantum est de se, turbabat iter salutis nostræ. Et hoc modo Christus conturbans Scribas et Pharisæos, dicitur scandalizasse eos in vita : et dicit, Matth. XVII, 26, ad Petrum de accipientibus censum : *Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare*, etc., id est, ne conturbemus eos.

Quidam tamen hoc aliquantulum distinguunt, scilicet quod est scandalum materiale, et formale. *Materiale* vocant in quo aliquis sua culpa, non facientis vitio, ruendi accipit occasionem : et hoc modo dicunt Christum scandalizare. *Formale* autem quando suo vitio dat ruendi occasionem. Et utræque distinctiones conjunctæ, puto quod veriores sint, quam altera tantum per se.

Quidquid autem sit, dicendum quod Petrus non peccavit mortaliter scandalizando : quia impedimentum redemptionis quod nitebatur objicere, non prodiit nisi ex pietate : quia Christum nolebat pati, et tamen genus humanum redimere : et hæc quidem compossibilia fuerunt : sed etiamsi non essent compossibilia, tunc unum eorum poterat per actum animæ separari ab altero.

Ad aliud dicendum quod Glossa dicit, quod Petrus non erat infidelis : quia subito tertitus ad verbum Dei, non pertractavit nec contulit : et ideo statim a Domino correptus accepit disciplinam.

Ad object. 2. Ad aliud dicendum, quod in veritate scandalum et est mortale, et veniale, diversis modis ut dictum est : et tamen non sequitur, quod peccatum scandalizantis sit duo peccata : sed Magister Præpositivus dicebat talia peccata duplicia vel composita, quando in uno actu sunt duæ vel plures deformitates ex corruptionibus diversis diversarum circumstantiarum : et ideo etiam scandalizanti pœna separata non injungitur, sed tantum ut exemplo pœnæ injunctæ proximum ædificet. Et hoc trahitur hic de *Littera*, ubi dicitur : « Id tamen agat quod non solum sibi prosit ad salutem, sed etiam quod sit exemplum cæteris. »

Et per hoc patet solutio omnium objectorum.

ARTICULUS L.

An scandalizare aliquo modo conveniat bonis ?

Quinto quæritur, Utrum scandalizare aliquo modo conveniat bonis ?

1. De Christo enim dicitur, Luc. II, 34 : *Ecce positus est hic in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel :* occasio autem ruinæ est scandalum : ergo Christus scandalizavit multos : ergo et alii Sancti poterant scandalizare.

Item, Matth. XV, 12 : *Scis quia Pharisæi, audito verbo hoc, scandalizati sunt?* ergo Christus scandalizavit Pharisæos : ergo et alii Sancti possunt hoc facere.

Item, Isa. XXVIII, 16 : *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem*, etc., et sequitur : *Qui crediderit, non festinet* [1]. Quasi diceret : Si festinat, impingit et cadit. Constat autem, quod Christus loquitur : ergo Christus fuit occasio ruinæ in Judæis : ergo scandalizavit.

Item, I Petr. II, 8, dicitur, quod Christus erat *lapis offensionis et petra scandali* : ergo, etc.

2. Adhuc, De beato Antonio legitur,

[1] Cf. I Petr. II, 6.

quod quidam venator scandalizatus fuit in eo quod remissius se haberet deambulando cum fratribus per silvam : ergo bonis quandoque accidit alios scandalizare.

Sed contra. SED IN CONTRARIUM objicitur sic:

Quia contraria sunt provocare exemplis ad bonum, et per exempla a bono retrahere, et ad malum provocare : sed Sancti tenentur exemplis revocare a malo, et ad bonum provocare : ergo non competit eis alios a bonis retrahere, et ad malum provocare. PROBATIO primæ est : quia contrariis fiunt, scilicet bono, et malo. PROBATIO secundæ est, quod dicit Dominus, Matth. v, 16 : *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.*

Solutio. Ad 1. RESPONSIO. Dicendum ad hoc, quod scandalum est materiale, et formale. Materialiter autem facti sunt Sancti quibusdam scandalum, sed formaliter nulli. Et quid sit scandalum materiale, et quid formale, dictum est supra [1].

Et per hoc patet solutio ad ea quæ objiciuntur de Christo.

Ad 2. AD ALIUD quod objicitur de Antonio dicendum, quod in veritate non fuit nisi materia scandali : quia non illicito actu malum exemplum dedit, sed post nimium rigorem eduxerat fratres ad recreationem : unde ille venator non scandalizabatur ad aliquid illicitum, sed putabat aliquid minus esse de bono religionis in eis quam crediderat : et ideo curavit eum beatus Antonius per tensionem arcus, qui si ultra quam curvabilis sit tenderetur, frangeretur. Et ita dixit esse de virtute et robore hominis, cui si plus imponatur, quam ferre potest, frangetur virtus ejus, et robur non poterit sustinere.

ARTICULUS LI.

Quorum est scandalizari?

Sexto quæritur, Quorum sit scandalizari?

Videtur autem, quod omnium :

1. Quod enim eodem modo se habet agens, si patiens eodem etiam modo se habet (ut dicit Philosophus in X *Ethicorum*) semper idem facit : malum autem exemplum uno modo se habet quantum ad speciem mali, et omnis intuens secundum quod intuens, eodem modo se habet : ergo videtur, quod si unus scandalizatur, et omnes scandalizentur : ergo omnium est æqualiter scandalizari.

2. Item, Constat, quod omnis malum exemplum dans, scandalizat hoc ipso, ut patet ex præhabitis : ut igitur grammatice quis objiciat, cum sit verbum transitivum, et non est quo transeat actus ejus nisi in passivum, necesse est, quod aliquis scandalizetur : non autem scandalizatur nisi intuens eum : ergo omnium intuentium per hoc quod intuentes sunt, est scandalizari : sed illi sunt indifferenter omnes : ergo omnium est scandalizari.

Sed contra. SED CONTRA :

1. Matth. XVIII, 6, ubi loquitur Dominus de scandalo, non videtur loqui nisi de scandalo pusillorum : ergo pusillorum est scandalizari : sed non omnes sunt pusilli : ergo non omnium est scandalizari.

2. Adhuc, Glossa ibidem dicit, quod « pusillorum est scandalizari, non provectorum et perfectorum. »

3. Adhuc, I ad Corinth. VIII, 10, videtur Apostolus velle, quod infirmorum sit scandalizari : dicit enim sic, *Si quis vide-*

[1] Cf. Supra in hac distinctione, Art. 49, ad object. 1.

rit eum qui habet scientiam, in idolio recumbentem, nonne conscientia ejus, cum sit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta? Et peribit infirmus in tua conscientia frater, propter quem Christus mortuus est.

4. Adhuc, Provocari ad malum alterius exemplo, non est habentis habitum confirmatum ad bonum : ergo non est ipsorum inclinari ad malum alio exemplo.

5. Adhuc, In secundo *Ethicorum* dicitur, quod aliter sapientes plebis passi sunt ad Helenam, et aliter juvenes in concupiscentia viventes : sapientes enim visam fugerunt magis ab ea, sed juvenes attrahebantur : ergo multo magis hoc competit perfectis ad visum malum : ergo videtur, quod ipsorum non sit scandalizari.

Solutio. Ad 1. QUOD CONCEDIMUS, dicentes ad primum, quod passiva non sunt eodem modo disposita, nisi quantum ad extrinsecus rationem, hoc est, quantum ad solum videre : sed quia visus non est causa scandali passivi, nisi adjuncta concupiscentia mali et consensu, ideo non sequitur, quod scandalizentur illi, licet alii agant ad scandalum. Et est simile, quod ignis comburit, et tamen aliter et aliter comburitur ab igne aridum, et aliter viride.

Ad 2. AD ALIUD dicendum, quod in grammaticis sufficit modus, etsi quandoque res desit. Sicut lapis grammatice dicitur lædens pedem, etsi numquam lædat : sic dicitur verbum transitivum, quia quantum est de se, transit, sed tamen realiter non semper ex activo potest inferri passivum, scilicet quando nihil suscipit de actione agentis a sua immutatione : et ita est hic : et ideo non sequitur secundum rem, iste scandalizat : ergo ille scandalizatur, vel aliquis scandalizatur. Nec e contrario etiam valet, iste scandalizatur : ergo aliquis scandalizat eum : sicut patet in scandalo materiali, quia scandalizati sunt Judæi, et tamen Dominus noster Jesus Christus non scandalizavit eos.

ARTICULUS LII.

Quæ sunt illa quæ dimittenda sunt propter scandalum?

Septimo quæritur, Quæ dimittenda sint propter scandalum passivum, quia active nullus debet scandalizare?

Videtur enim, quod omnia ad salutem non pertinentia :

1. Omnibus enim talibus melior est tranquillitas proximi : ergo omnibus talibus præeligenda : ergo antequam turbetur, omnia ad salutem non pertinentia debent dimitti.

2. Adhuc, De beato Bernardo legitur in vita sua, quod moriens dixit : « Nulli umquam scandalum feci, sed quando accidit, sedavi ut potui : » ergo videtur, quod pro nulla re non pertinente ad salutem, debet quis facere scandalum.

3. Adhuc, Proximum debemus diligere ut nosipsos : sed nosipsos ita diligimus, quod pro re temporali nolumus ab aliis conturbari vel scandalizari : ergo nec alium pro re temporali scandalizare debemus.

4. Sed secundum hoc videtur, quod non liceat repetere sua cum scandalo : quia sine repetitione suorum est bene salus.

Item, Videtur hoc ex verbis Apostoli, I ad Corinth. VI, 7, ubi dicitur : *Quare non magis injuriam accipitis?* ergo videtur, quod injuria sit potius sustinenda, quam litigandum in judicio ad rehabendum sua.

Item, Ad Hebr. X, 34 : *Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem et manentem substantiam.* Ex hoc enim sequitur idem.

Sed contra. SED CONTRA hoc iterum videtur esse : quia nulli præstandum est incentivum

delinquendi : sed si sua non repetuntur, dabitur incentivum semper aliena detinendi : et hoc pessimum est : ergo sua sunt repetenda, etiam quantumcumque ille perturbetur.

Quæst. JUXTA hoc ulterius quæritur, Cum opera misericordiæ sint meliora, quam justitiæ : opera autem misericordiæ aliquando propter scandalum dimittuntur, ne credantur ea fieri intentione vanæ laudis : quare opera justitiæ similiter non intermittuntur?

Solutio. Ad quæst. AD HOC sine præjudicio videtur mihi dicendum, quod bene facit injuriam patiens, si sustinet damnum sine repetitione suorum, sed non tenetur. Et quod Dominus dicit, tollenti tunicam etiam pallium relinquendum esse [1], consilium reputo.

Ad object. AD HOC autem quod objicitur, quod non est præstandum incentivum delinquendi : dicendum, quod iste non præstat, sed ille habuit, quando aliena rapuit : sed iste per patientiam sustinendi plus eum provocat ad bonum, quam per repetitionem suorum. Et hoc patet ex hoc quod dicitur, ad Roman. XII, 20 et 21 : *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum : si sitit, potum da illi. Hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus. Noli vinci a malo : sed vince in bono malum.* Et per plura alia quæ in textu et in Glossa dicuntur.

Quod autem non teneatur, patet per Gregorium dicentem sic super illud Job, XXXIX, 16 : *Frustra laboravit*, etc. « Cum curam rerum nobis itineris necessitas imponit, quidam dum eas rapiunt, solummodo tolerandi sunt : quidam vero conservata charitate sunt prohibendi, non tamen sola cura ne nostra subtrahant, sed ne rapientes non sua, semetipsos perdant. Plus quippe ipsis raptoribus debemus metuere, quam rebus irrationabilibus defendendis inhiare. Ista namque etiam non rapta morientes amittimus : cum illis vero et nunc conditionis ordine, et si corrigi studeant, post perceptionem muneris unum sumus. Quis autem nesciat, quia minus ea quibus utimur, et plus debemus amare quod sumus? Si ergo et pro sua utilitate raptoribus loquimur, jam non solum nobis quæ temporalia, sed ipsis etiam quæ sunt æterna vindicamus. Qua in re illud est solerter intuendum, ne per necessitatis metum, cupiditas subrepat rerum : et zelo succensa prohibitio, et impetu immoderantiore distensa, usque ad odiosa verba et turpitudinem contentionis erumpat. Dumque pro terrena re pax a corde cum proximo scinditur, liquido apparet, quia plus res quam proximus amatur [2]. » Ex his colligendo dicimus, quod omnibus licet repetere : sed tamen et omnibus licet dissimulare, nisi in casu aliquo probabiliter æstimari posset, quod plus raptor timore judicii, quam exemplo patientiæ corrigeretur : quia ita loquitur Gregorius.

Ad 1. AD PRIMUM ergo dicendum, quod aliquo modo reducitur ad salutem, ita scilicet in quantum compatientes proximo magis quam rebus propriis volumus eum judicio corrigi : sic enim Dominus etiam præcepit maleficos cædi. Vel si corrigi desperantur per judicium, deberet intendi vitæ tranquillitas in aliis : quia sine hac Deo servire non possumus : et sic repetitio suorum reducitur ad ea quæ faciunt salutem.

Ad 2. AD ALIUD dicendum, quod hoc perfectorum fuit quod fecit Bernardus : et forte scivit illos plus corrigi patientia, quam judicii districtione.

Ad 3. AD ALIUD dicendum, quod nos debemus velle, quod conturbemur ad pœnitentiam vel ad vitæ tranquillitatem rehabendam, quam rapientes aliena conturbavimus : et quod nobis debemus velle, sufficit impendere proximo.

[1] Cf. Matth. V, 40 ; I ad Corinth. VI, 7.

[2] S. GREGORIUS, Lib. XXXI, cap. 10.

Ad 4. Ad id quod in contrarium objicitur, jam patet solutio. Tamen quidam distinguunt, quod perfectis non licet cum scandalo, sed imperfectis licet cum scandalo repetere sua. Sed non videtur ita dicendum, quia scandalum non est hic nisi materiale, quia licitus actus est repetere sua. Et ex parte facientis est conturbatio justa, et vexatio potest sibi dare intellectum. Unde puto, quod omnibus liceat si velint, vel nomine suo, vel nomine capituli sui, vel sui procuratoris sua repetere.

Ad objecta autem alia patet solutio per antedicta.

ARTICULUS LIII.

An indulgentia percipiatur in contritione vel confessione?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, D, paulo ante medium : « *Indulgentiam Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequeant obtinere,* etc. »

Videtur enim ex hoc, quod indulgentia non percipiatur in contritione : quia

1. Supplicatio sacerdotum non est in contritione, sed potius in confessione, quod falsum est.

2. Si dicatur, quod intelligitur quantum ad totius culpæ dimissionem, non in culpa tantum, sed etiam in pœna debita. Contra : Constat, quod contritio aliquid delet de pœna : pœna autem debita finita est, ex quo dimissa est culpa : et contritionis dolor est aliquantus qui delet pœnæ aliquotam, et sit decima : ergo si decupletur dolor contritionis, delet totam : possibile est autem decuplari dolorem contritionis : ergo possibile est totam pœnam dimitti in contritione : ergo in tali casu non est necessaria supplicatio sacerdotum : non ergo generaliter verum est quod dicit.

Quæst. Ulterius videtur sequi ex dicto in *Littera*, quod forma absolutionis facta a sacerdote in confessione, est per modum supplicationis : ergo videtur, quod erret Ecclesia quæ absolvit per enuntiationem communem judicativam, quod falsum est.

Adhuc, Certissime sacramenta consequuntur finem suum : sed certe non exprimitur consecutio finis, nisi per indicativum : ergo forma absolutionis debet fieri per indicativum, et non per supplicationem sacerdotis, sed potius per absolutionem indicative significatam peccator consequitur veniam.

Sed contra. In contrarium videtur esse primo modus loquendi in *Littera* : quia

1. Supplicatio sacerdotum per quam consequitur peccator veniam, non potest esse per indicativum modum, sed potius per deprecativum modum : ergo videtur, quod forma absolutionis debet fieri deprecative, et non indicative.

2. Item, In sacramentis non est alligata virtus divina, ut dicit Augustinus : ergo videtur, quod si debeat ibi operari, quod oporteat operari per supplicationem : ergo per supplicationem debet fieri forma.

3. Adhuc, Pœnitentia ordinatur contra actuale : et illud non curat Deus sine nobis : sed nos impotentes sumus et indigentes gratia : ergo supplicatio debet fieri in sacramento ad gratiam illam obtinendam : ergo supplicationis modo debet fieri absolutio a peccatis, ut videtur.

Solutio. Ad 1. Responsio. Dicendum ad primum, quod ut supra sæpe diximus, in contritione partes etiam aliæ pœnitentiæ, per hoc quod sunt in proposito contriti, operantur, et dant virtutem contritioni : sicut dicit Augustinus, quod fides Redemptoris etiam valuit ante quamesset Redemptor : quia licet non fuerit per naturam assumptam, fuit tamen in fide credentium. Cum igitur confessio sit in voto vere contritorum, operatur in voto ad pecca-

ti dimissionem : et per consequens ibi operatur supplicatio sacerdotum.

Et per hoc patet solutio ad primum.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod numquam fit peccati dimissio sine supplicatione hoc modo existente : sed bene potest esse, quod dimittatur quandoque, ita quod actu supplicatio non accedit, ubi scilicet articulus necessitatis, non contemptus religionis excludit confessionem.

Ad quæst. Ad id quod ulterius quæritur, dicendum quod forma absolutionis propter sacramenti certitudinem debet fieri per indicativam enuntiationem : sed quod præcedit deprecatio, de bene esse est sacramenti, et non de esse.

Ad 1. Ad id autem quod contra objicitur, dicendum quod supplicatio dicitur hic supplex et devotum ministerium sacerdotum in foro pœnitentiæ.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod licet non sit violentia alligata gratia Dei sacramentis, tamen inevitabilitate promissionis divinæ et honestatis veritatis divini dicti, sacramentum semper consequitur effectum, nisi sit fictus qui recipit : et gratia istius inevitabilitatis pronuntiatur indicative : aliter enim omnia Ecclesiæ sacramenta sub dubio ponerentur.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod gratia Dei invocanda est super conversionem voluntatis, quia illa dubia est : sed super effectum sacramenti non est umquam gratia Dei invocanda : quia hoc esset signum dubietatis totius fundamenti Ecclesiæ : potest tamen invocari gratia ad præparationem recipientis sacramenta, et ad sanctificationem materiæ sacramentorum. Sed quod ipsum sacramentum in debita materia et debita forma celebratum, habeat effectum plenum quantum est de se, ab omni debet pro constanti relinqui Christiano : nec aliquo modo Deus orandus est pro hoc, ne sub dubio fidem nostram ponere videamur.

ARTICULUS LIV.

An per signa sive scripta possit fieri confessio ? et, An per interpretem ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, D, circa medium : « *Non per scripta manifestanda*, etc. »

Secundum enim hoc homines ignotæ linguæ non possent confiteri.

Item, Nec muti, qui loqui non possunt.

Quæst. Adhuc autem quæritur, Quando aliquis per intrepretem confitetur, utrum interpres tenetur celare confessionem sicut sacerdos?

Videtur enim, quod sic : quia aliter retraheret homines multos a confessione : et celatio confessionis, ut infra habebitur, fit ideo ne retrahantur homines a confessione : ergo interpres tenetur celare confessionem.

Sed contra. Sed in contrarium hujus objicitur : quia ipse non est sacerdos, et soli sacerdotes audita recipiunt sub forma confessionis : ergo iste non recipit nisi sicut aliam rem mundanam : sed aliam rem non tenetur celare, nisi velit vel promiserit : ergo nec istam.

Solutio. Responsio. Dicendum, quod loquitur de his qui communicant cum sacerdotibus in potentia loquendi et idiomate. Alii enim per scriptum vel per signum per se, vel per interpretem possunt confiteri.

Et per hoc patet solutio ad primum quæsitum.

Quæst. Ad aliud dicendum, quod interpres debet per sacerdotem obligari ad retinendum : et si non obligetur, tamen tacere tenetur.

Ad objectum contra, dicendum quod ipse est ibi ut auris sacerdotis : et ideo communicat in actu sacerdotis per aliquem modum propter necessitatem : et ideo non recipit hoc sicut alium rumorem, sed potius ut confessionem, quæ omnino celanda est : et ideo puniendus est acriter si revelaverit : et tamen revelanti non est credendum in aliquo præjudicio confitentis.

ARTICULUS LV.

An peccata aliquando dimittantur in contritione, aliquando in confessione?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, D, paulo post medium : « *Et si non statim purgatur, fit tamen veniale*, etc. »

Videtur enim falsum quod dicitur : quia multi sunt, qui etiam in contritione a toto absolvuntur, et multi qui in confessione : et hujus signum est, quod Mariæ Magdalenæ non est injuncta aliqua pœnitentia a Domino : ergo multi statim purgantur in confessione.

Quæst. Ulterius quæritur de hoc quod dicit, quod fit veniale, quod commiserat mortale : dicit enim Avicenna, quod sciunt artifices alchimiæ species transmutari non posse : sed diversæ species sunt peccati, mortale, et veniale : ergo unum non transmutatur in aliud.

Solutio. Responsio. Dicendum ad primum, quod loquitur ut frequenter : quia ut frequenter exiguntur omnes tres pœnitentiæ partes.

Vel melius dicatur, quod loquitur ut semper : sed tunc redeundum est ad solutionem sæpe supra notatam, scilicet quod partes pœnitentiæ operantur, scilicet prout sunt in voto, non in actu tantum : quia tunc verum est, quod peccatum quod commiserat mortale, efficitur veniale per taxationem pœnitentiæ consequente venia.

Ad quæst. Ad id quod ulterius quæritur, dicendum quod *veniale* dicitur tribus modis, sicut in secundo *Sententiarum* libro notavimus [1], scilicet ex genere, ut otiosum verbum : ex eventu, sicut quando mortali remisso per contritionem, etiam per claves injungitur pœnitentia dans veniam in toto per satisfactionem. Tertio dicitur *veniale* quodlibet in se mortale : si tamen habet aliquid in circumstantia, quare potest excusari per veniam. Et hoc opponitur peccato ad mortem, quod est in Spiritum sanctum. Est enim hoc modo veniale peccatum, peccatum ex ignorantia vel infirmitate procedens, quod dicitur in Patrem vel in Filium.

Ad argumentum autem dicendum, quod veniale et mortale non sunt diversæ species peccati : et hujus probationem quære super finem secundi libri *Sententiarum*.

Si tamen hoc non fiat, videtur hic tunc dicendum, quod mortale non mutatur in veniale, prout veniale dicitur alia species peccati, dividens peccatum cum mortali : sed deletur mortale, et nullum veniale succedit : sed quia reatus non totus deletur, imo manet debitum pœnæ temporalis, ideo dicitur mutari in veniale : et hoc est ex eventu veniale. Et est simile sicut si aliquis gratia judicis vel senatus absolvitur a judicio mortis, et commutatur ei in judicium satisfactionis pecuniæ vel alicujus alterius.

[1] Cf. II Sententiarum, Dist. XXXIV. Tom. XXVII hujusce novæ editionis.

ARTICULUS LVI.

An sola justitia utatur Deus, vel etiam misericordia in condemnatione ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, D, ante finem : « *Justitia enim sola damnat*, etc. »

CONTRA :

1. Statim infra dicit, quod servat misericordiam in justitia, et justitiam in misericordia : ergo videtur, quod non sola damnat justitia.

2. Adhuc, Communiter dicunt Sancti, quod in omni opere divino est misericordia et veritas : et Magister probabit infra [1] : ergo falsum videtur, quod hic dicit.

Quæst. UTERIUS quæritur de hoc quod statim adjungit : « Et quoniam verecundia magna est pœna, qui erubescit pro Christo fit dignus misericordia. »

Secundum hoc enim videtur, quod prima gratia cadit sub merito accipientis eam : quia erubescere ad peccata nostra, est in potestate nostra : et hoc falsum esse probatum est in fine primi libri *Sententiarum* [2], et etiam in secundo libro [3].

Resp. RESPONSIO. Dicendum ad primum, quod Magister recitat hic verba Augustini, qui loquitur sub hypothesi quadam, scilicet quod si Deus sola ad peccatores uteretur justitia, tunc enim verum esset quod omnes damnaret : et hoc absque dubio videtur esse sententia *Litteræ*. Alii autem hoc aliter solvunt, scilicet quod in puniendo Deus principaliter utitur justitia : et quod præit misericordia, aut quasi sequitur, quia non est misericordia in toto liberans, sed quasi aliquid de pœna relaxans : et est non impediens justitiam, sed quasi tenens ne tantum vindicet in peccatorem, quantum meruit : et ideo attribuitur totum justitiæ. Sed prima solutio veritatem *Litteræ* dicit, non secunda.

Ad 1. AD ID quod ulterius quæritur, dicendum quod prima gratia non cadit sub merito condigni, quantum ad ipsum qui accipit eam, sed sub merito congrui ; congruum enim est ut accipiat gratiam, qui per attritionem, confessionem, et ruborem verecundiæ se ad accipiendum gratiam præparavit. Cadit tamen potius gratia sub merito alterius, quam accipientis : quia unus alteri bene mereri potest primam gratiam, licet idem sibi mereri non possit. Et de hoc supra in tractatu de *reprobatione* disputatum est.

ARTICULUS LVII.

An semper necessarium sit confiteri suo sacerdoti ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, D, sub finem : « *Sufficit enim confessio, quæ primum Deo offertur*, etc. »

Videtur enim ex hoc, quod necesse sit semper suo sacerdoti confiteri.

1. Ponamus ergo, quod probabiliter sciam, quod revelet confessionem, tunc incidam in consuetudinem improbabilem quæ hic damnatur.

2. Adhuc, Ponamus, quod aliquis fornicatus sit cum filia vel sorore vel matre vel concubina sacerdotis, et probabiliter sciat, quod si dixerit ei in confessione, quod semper odiat eum : videtur, quod

[1] Cf. Infra in tomo sequenti, Dist. XLVIII.

[2] Cf. I Sententiarum, Dist. XLII. Tom. XXVI.

[3] Cf. II Sententiarum. Dist. XXI. Tom. XXVII.

tunc non oporteat eum confiteri sibi, quia scandalizabit eum.

3. Adhuc, Ponamus, quod fœmina debeat confiteri, et probabiliter æstimet, quod sacerdos inclinabit eam ad malum per preces vel tactum impudicum, videtur quod in tali casu non debeat confiteri.

Solutio. Responsio. Dicendum, quod in omnibus his casibus, si commode potest, debet recurere ad superiorem, vel aliquem qui vim habet superioris. Si autem non potest propter viæ periculum, vel sexus qualitatem, quia forte fœmina est, et timet corrumpi in via : debet hoc rogare per alium, ut concedatur sibi licentia confiteri alii, ne ordo qui est in præpositis Ecclesiæ contemnatur. Si autem nec hoc potest, quod tamen raro contingit : tunc sub spe ratihabitionis, eo quod talem licentiam non debet denegare superior, potest alteri confiteri quousque veniatur ad præsentiam superioris, et licentiam possit impetrare.

Et per hoc patet solutio ad totum.

Idem etiam dico de ignorante sacerdote vel nesciente distinguere inter veniale et mortale.

In isto autem capitulo superius habitum est de verecundia et erubescentia, et ideo nihil quærimus hic de ipsa : et supra multum est de ea disputatum, et ibi requiratur.

E. *De tertio articulo, scilicet an sufficiat confiteri laico ?*

Nunc priusquam præmissis auctoribus quæ his contradicere videntur, respondeamus, tertiam quæstionem intueamur. Quod enim secunda quæstio continebat, scilicet an sine confessione et judicio sacerdotis soli Deo confiteri sufficeret, expeditum est : et certificatum præmissis testimoniis, quod non sufficit confiteri Deo sine sacerdote, nec est vere humilis et pœnitens, si non desiderat et requirit sacerdotis judicium. Sed numquid æque valet alicui confiteri socio vel proximo suo, saltem cum deest sacerdos ? Sane ad hoc potest dici, quod sacerdotis examen requirendum est studiose : quia sacerdotibus concessit Deus potestatem ligandi atque solvendi [1] : et ideo quibus ipsi dimittunt, et Deus dimittit. Si tamen defuerit sacerdos, proximo vel socio est facienda confessio. Sed curet quisque sacerdotem quærere, qui sciat ligare et solvere. Talem enim esse oportet, qui aliorum crimina dijudicat. Unde Augustinus [2] : Qui vult confiteri peccata ut inveniat gratiam, quærat sacerdotem qui sciat ligare et solvere : ne cum negligens circa se exstiterit, negligatur ab eo, qui eum misericorditer monet et

[1] Cf. Matth. xvi, 19.

[2] S. Augustinus, Lib. de Vera et falsa pœnitentia, cap. 10.

petit : ne ambo in foveam cadant, quam stultus evitare noluit. Tanta itaque vis confessionis est, ut si deest sacerdos, confiteatur proximo. Sæpe enim contingit, quod pœnitens non potest verecundari coram sacerdote, quem desideranti nec tempus, nec locus offerret [1]. Et si ille cui confitebitur potestatem non habeat solvendi, fit tamen dignus venia ex sacerdotis desiderio, qui crimen confitetur socio. Mundati enim sunt leprosi, dum ibant ora vel se ostendere sacerdotibus, antequam ad eos pervenirent [2]. Unde patet Deum ad cor inspicere, dum ex necessitate prohibentur ad sacerdotes pervenire. Unde Augustinus [3] : Sæpe quidem quærunt eos sani et læti : sed dum quærunt, antequam perveniant, moriuntur. Sed misericordia Dei ubique est : qui et justis parcere novit, et si non tam cito, sicut si solverentur [4] a sacerdote. Qui ergo confitetur sacerdoti, omnino meliori quam potest confiteatur : et si peccatum occultum est, sufficiat referre in notitiam sacerdotis. Nam in resurrectione filiæ archisynagogi puellæ, pauci interfuerunt qui viderunt [5] : nondum enim erat sepulta, nondum extra portam delata, nondum domum in notitiam portata. Intus resuscitavit, quam intus invenit, relictis solis Petro et Jacobo et Joanne, et patre et matre puellæ, in quibus figuraliter continentur sacerdotes Ecclesiæ. Quos autem extra invenit, advertendum est quomodo suscitavit. Flebat enim turba post filium viduæ [6] : flevit Martha et Maria supplicantes pro fratre [7] : flebat et turba Mariam secuta. In quo docemur, publice peccantibus non proprium, sed Ecclesiæ sufficere meritum. Laboret ergo pœnitens in Ecclesia esse, et ad Ecclesiæ unitatem tendere [8]. Nisi enim unitas Ecclesiæ succurrat, nisi quod deest peccatori sua oratione compleat, de manibus inimici non eripietur anima mortui. Credendum est enim, quod omnes orationes et eleemosynæ Ecclesiæ et opera justitiæ et misericordiæ succurrant recognoscenti mortem suam ad conversionem. Ideoque nemo digne pœnitere potest, quem non sustineat unitas Ecclesiæ. Ideoque nemo petat sacerdotes per aliquam culpam ab unitate Ecclesiæ divisos. Ex his satis aperitur et absolvitur præmissæ quæstionis articulus. Quærendus est enim sacerdos sapiens et discretus, qui cum potestate simul habeat judicium : qui si forte defuerit, confiteri debet socio. Beda vero

[1] Edit. J. Alleaume, *offert.*
[2] Cf. Luc. XVII, 14.
[3] S. AUGUSTINUS, Lib. de Vera et falsa pœnitentia, cap. 10.
[4] Edit. J. Alleaume, *solveretur.*
[5] Cf. Matth. IX, 23 et seq. ; Marc. V, 40.
[6] Cf. Luc. VII, 12 et 13.
[7] Cf. Joan. XI, 21 et seq.
[8] S. AUGUSTINUS, Lib. de Vera et falsa pœnitentia, cap. 12.

inter confessionem venialium et mortalium distinguit super illum locum, *Confitemini alterutrum peccata vestra*[1]. Ait enim : Coæqualibus quotidiana et levia, graviora vero sacerdoti pandamus, et quanto jusserit tempore purgare curemus : quia sine confessione emendationis peccata nequeunt dimitti. Sed et graviora coæqualibus pandenda sunt, cum deest sacerdos, et urget periculum. Venialia vero, etiam sacerdotum ablata copia, licet confiteri coæquali, et sufficit, ut quibusdam placet : si tamen ex contemptu non prætermittatur sacerdos. Tutius est tamen et perfectius utriusque generis peccata sacerdotibus pandere, et consilium medicinæ ab eis quærere, quibus concessa est potestas ligandi et solvendi.

ARTICULUS LVIII.

An aliquis potest confiteri suo socio, et ad quid valeat illa confessio ?

Deinde transeundum est ad illud capitulum E, « *Nunc priusquam præmissis auctoritatibus*, etc. »

Et quærendum est primo de hoc quod dicit, ibi, post initium : « *Sed numquid æque valet alicui confiteri socio ?* etc. »

Secundo, Utrum illa confessio sit sacramentum, vel non ?

Ad primum autem sic objicitur :

1. Confessio fit propter absolutionem : sed absolvendi potestatem non habet laicus : ergo confessio laico facta, nihil valere videtur.

2. Adhuc, Virtute clavium dimittitur pars pœnæ : sed laicus non habet claves : ergo videtur, quod confessio sibi facta, nihil conferat.

3. Adhuc, Reconciliatio Ecclesiæ fit per ministrum Ecclesiæ : sed laicus non est minister Ecclesiæ : ergo non debet fieri laico.

Sed quia de hoc plura habita sunt, sufficiant ista.

Solutio. Dicendum autem ab objectum, quod valet confessio facta laico, Solu ubi articulus necessitatis non contemptus religionis excludit proprium vel alienum sacerdotem.

Ad objecta autem responderunt patres nostri in scientia ista, dicendo multiplicem esse absolvendi potestatem. Est enim potestas absolvendi ex auctoritate quæ est Dei. Et est potestas superexcellentiæ : et hæc est Christi hominis, qui sine confessione extra facta, et injunctione taxatæ satisfactionis peccatores pœnitentes absolvit. Tertia potestas est ex vitæ merito, et suffragiis orationum : et hæc est sanctorum in Ecclesia, qua unus alii primam gratiam meretur quæ absolvit a peccatis. Alia autem potestas est ex officio ministrorum, concessa sacerdotibus. Et ultima ex unitate fidei et charitatis, et hæc pro necessitatis articulo descendit in omnem hominem ad proximo subveniendum : et hanc potestatem habet laicus in articulo necessitatis, et mulier similiter.

Et per hoc patet solutio ad totum.

[1] Jacob. v, 16.

ARTICULUS LIX.

An confessio facta laico socio sit sacramentum ?

Secundo quæritur, Utrum hæc confessio sit sacramentum?

Et videtur, quod non : quia

1. Omne sacramentum est in dispensatione ministrorum Ecclesiæ : sed hic non est Ecclesiæ minister : ergo non est sacramentum.

2. Adhuc, Formam absolutionis quæ est sacramentum, præcedit potestas clavium : iste autem laicus non habet claves : ergo non dat sacramentum.

Intra In contrarium est, quod baptismus a quocumque detur, est sacramentum : ergo similiter et pœnitentia, ut videtur.

Solutio. Dicendum, quod antiqui dixerunt, quod contritio et confessio non sunt sacramentum, sed absolutio sola. Sed hoc nihil esse infra in *Littera* probabitur[1]. Unde dicendum, quod habet sacramentum confessionis.

Ad primum ergo dicendum, quod minister duplex est, scilicet verus, et est vicarius, et talis minister vicarius pro articulo necessitatis sufficit hic.

Ad aliud dicendum, quod absolutio per claves, est illud in quo abundat vera confessio a confessione facta in necessitate : sed tamen absolutio quædam est hic, scilicet quæ fit merito unitatis Ecclesiæ. Licet ergo non tantum effectum consequatur, sicut si confiteretur sacerdoti, tamen consequitur absolutionem in communi, et ad hanc non est necessaria vis clavium, ubi non potest sacerdos haberi.

[1] Cf. Infra, Dist. XXII.

ARTICULUS LX.

Qualis sacerdos est quærendus ? et, Quæ sint conditiones sacerdotis confitentis ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, E, post initium : « *Sed curet quisque sacerdotem quærere, qui sciat ligare et solvere.* »

Videtur enim nullus talis esse : quia quædam in genere peccatorum adeo perplexa sunt, quod etiam magni clerici per maximas distinctiones vix enodare possunt, et dubia multa adhuc post discussionem eorum remanent : ergo videtur, quod vix vel numquam possit talis inveniri.

Ulterius hic quæritur de conditionibus sacerdotis confessoris, quas quidam versifice dicunt : Quæst.

Confessor dulcis, affabilis, atque suavis,
Prudens, discretus, mitis, pius, atque benignus.

Vix enim umquam talis invenitur, qui omnia hæc in se habeat,

Præterea, Istæ conditiones non videntur esse necessariæ, sed potius tantum illæ quæ faciunt ad actum confessionis : hæ autem sunt discernere audita, et extrahere occulta, et medicare salubriter inventa : ergo videtur, quod in audiente confessiones non exigantur plura : discernere enim audita fit per scientiam discernendi inter lepram et non lepram, extractio autem occultorum fit per discretam inquisitionem, et medicatio inventorum vulnerum fit per discretam pœnitentiæ sive satisfactionis injunctionem.

Solutio. Solutio. Dicendum, quod sacerdos non tenetur scire discernere nisi in communi, scilicet quæ sint capitalia mortalia communia, et quæ venialia ex genere : et hoc valde leve est. Dubitatio enim quæ contingit inter sapientes, utrum veniale aliquid sit vel mortale, contingit ex delectatione morosa adveniente, vel ex contemptu, vel hujusmodi, et non ex genere actus. Sciens ergo illa quæ dicta sunt, sufficiens est vel reputatur pro temporis hujus necessitate ad confessiones audiendas. Sed tamen puto, quod hæc nesciens, peccet mortaliter audiendo confessiones, et eum instituens adhuc plus peccet, quam ipse. Et permittens institutum ministrare, etiam mortaliter peccat, si sua interest talem prohibere.

Ad quæst. Ad aliud dicendum, quod Magistri non ponunt tantum conditiones confessoris ex dispositione ad actum confessionis audiendæ, sed etiam quæ adducere possunt et allicere homines ad confitendum : et ideo non sunt de esse confessoris ut confessor est, sed potius de bene esse : sed tres dictæ, sunt sine quibus sine peccato esse non potest.

ARTICULUS LXI.

An volenti confiteri, sed morte prævento, votum reputetur pro facto ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, E, ante medium : « *Ne cum negligens circa se exstiterit*, etc. »

Sint enim duo, quorum uterque habet votum æquale confitendi, et unus moritur inconfessus, eo quod necessitate prævenius sacerdotem habere non potuit : alter autem confitetur sacerdoti : et in omnibus aliis sunt pares : quæritur ergo quis citius liberabitur, et evolabit ?

Videtur autem, quod æqualiter : quia votum reputatur a Deo pro facto, qui cor respicit : ergo ita cito evolat unus sicut alter.

Contra : Aliquid impenditur uni ex vi clavium, quod non percipit alius : ergo videtur, quod ratione illius etiam ille citius evolabit. Sed

Responsio. Dicendum, quod citius evolat confessus sacerdoti, sicut probat ultima objectio. Sed

Ad primum ergo dicendum, quod votum pro facto reputatur in omnibus quæ ab ipso fieri deberent, et quantum ad meritum substantiale : sed quantum ad ea quæ fiunt per alium, impossibile est quod votum pro facto reputetur : fit autem diminutio pœnæ per claves quæ sunt in ministerio sacerdotis, et virtute passionis Christi : et ideo in illo non reputatur votum pro facto : sed diminutio pœnæ nec est de substantiali merito, nec de substantiali præmio. Et in talibus valent opera exteriora plus quam voluntas : et quoad hoc sunt in æquales.

ARTICULUS LXII.

An diversa sollicitudo sit habenda penes pœnitentes ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, E, circa medium : « *Intus resuscitavit, quam intus invenit*, etc. »

Quæritur enim hic de diversa sollicitudine sacerdotum habenda circa pœnitentes.

1. Intus enim mortuus, est cujus peccatum latet apud se, vel in solo corde : sed ille suscitatur per pœnitentiam : ergo illi non debet injungi aliquid exterioris operis, sed tantum aliquid occultum : ergo peccant injungentes jejunia, eleemosynas, peregrinationes, et hujusmodi, quod falsum est.

Adhuc, Præsentia trium discipulorum,

scilicet Petri, Jacobi, et Joannis, aliquid importat [1]. Videtur autem ex hoc quod sacerdos possit secum adhibere ad audiendas confessiones occultas bonas personas quæ prodesse possunt, et non obesse, ut orent pro pœnitente. Et hoc condemnatur ab Ecclesia : non enim licet sacerdoti aliquem adhibere ad auditum confessionis alicujus.

2. Adhuc, Ex secundi mortui suscitatione [2] videtur, quod confessio et injunctio pœnitentiæ faciendæ sint coram multitudine : ergo videtur, quod omnis ille qui manifeste peccavit, manifeste confiteri debet, et publicam pœnitentiam subire : et hoc etiam non legitur.

3. Item, Objicitur de tertio qui clamore Domini suscitatus est [3], in quo videtur signari, quod peccatum obstinati in aures etiam nescientium sit clamandum : et hoc falsissimum est : ergo videtur, quod hæc tria ad factum sacerdotum in confessionibus audiendis, male adducuntur.

Responsio. Dicendum, quod puella de qua loquitur Matthæus, IX, 23 et seq., et Marcus, V, 37 et seq., quæ intus suscitabatur, in veritate significabat peccatum occultum : sed quod discipuli adhibiti sunt, factum est propter discipulos qui futuri sacerdotes erant, et doctores, et sacerdotum instructionem, ut in figura mysterium deprehendendo discerent velare peccata hominum occulta.

Quod autem objicitur de pœnitentia occulta et manifesta, dicendum quod dupliciter dicitur pœnitentia *manifesta*, scilicet aut quæ manifesta est ut pœnitentia talis peccati, aut quæ manifesta est, non ut pœnitentia, sed ut factum meritorium ex devotione a stola sacerdotis susceptum. Et primo quidem modo pro occulto numquam debet imponi pœnitentia manifesta, quia hoc esset quodammodo prodere confessionem. Alio autem modo potest fieri pœnitentia manifesta, quia ex hoc nullum deprehenditur peccatum : cum etiam sine confessione peccatorum sæpe talia opera a fidelibus a stola sacerdotum suscipiantur.

Dicunt tamen quidam, quod moraliter significantur per tres discipulos virtutes quæ esse debent in sacerdotibus : per Jacobum constantia pugnæ contra diabolum, ut eripiat oves sibi commissas : per Petrum potestas et scientia : et per Joannem gratia in visceribus misericordiæ : et hoc non curamus, quia hic est locus disputandi magis, quam prædicandi.

Ad aliud dicendum, quod peccatum publicum, quod omnes vel multos in scandalum traxit, debet publica pœnitentia puniri, ut supra in auctoritate Augustini habitum est in hac eadem distinctione. Ut si peccatum ejus non modo in gravi ejus malo, sed etiam in tanto scandalo aliorum est, atque hoc expedire utilitati Ecclesiæ videtur Antistiti, in notitiam multorum vel totius plebis agere pœnitentiam non recuset. Ad 2.

Ad objectum autem dicendum, quod hoc non est publicare confessionem, sed potius peccatum emendatione condigna punire : ut sicut Ecclesiam deædificavit peccando publice, ita emendet publice satisfaciendo.

Ad aliud dicendum, quod clamor non significat præconizationem, sed potius devotam a Deo postulationem suffragii, et petitionem intercessionis ab Ecclesia, qnæ signatur per turbam adductam ad monumentum [4]. Porta autem in qua suscitatur juvenis [5] significat apertionem notitiæ eorum quos scandalizavit. Ad 3.

[1] Cf. Marc. v, 37.
[2] Cf. Luc. vii, 12 et seq.
[3] Joan. xi, 43 : *Jesus voce magna clamavit : Lazare, veni foras.*
[4] Cf. Joan. xi, 33.
[5] Cf. Luc. vii, 12.

ARTICULUS LXIII.

An excommunicatus ab Ecclesia, et non a Deo, sit vitandus ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, E, ante finem : « *Nemo petat sacerdotes per aliquam culpam ab unitate Ecclesiæ divisos*, etc. »

Videtur sæpe errare Ecclesia excommunicando eos qui non sunt excommunicati : si igitur talis petatur qui non est excommunicatus quoad Deum, sed quoad Ecclesiam, videtur quod non debeat nocere pœnitenti.

Solutio. Solutio. Dicendum, quod eo ipso quod scit divisum, nocere incipit si petit : quia Deus approbat et præcipit, quod homo secundum faciem judicet [1], eo quod homini non nisi de facie fides fieri possit. Unde licet erret Ecclesia, tamen Deus approbat, quod iste se gerat pro excommunicato, et alii vitent eum. Et qui non vult vitare, vinculum Ecclesiæ contemnit, et ideo peccat. Et tamen *Littera* videtur eos excusare ab objectione : quia dicit, *per aliquam culpam*, etc., si tamen etiam sine culpa reali, sed tantum pro opinata culpa dividatur ab Ecclesia, tunc solutio prima habet locum.

ARTICULUS LXIV.

An teneamur ad confitenda venialia ? et, An reiteranda est confessio eorum quæ dicta sunt ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, E, ante finem : « *Coæqualibus quotidiana et levia*, etc. »

Videtur enim, quod non teneamur ad venialium confessionem : quia

1. Illa sunt quæ nostram effugiunt notitiam, de quibus dicitur : *Delicta quis intelligit* [2] ? ergo videtur, quod non teneamur, quia impossibile est confiteri ignotum.

2. Adhuc, Veniale et mortale non habent proportionem : ergo nec medicinæ : sed aliqua medicina est confessio pro mortali : ergo nulla erit pro veniali.

Licet de hoc supra habitum est, et solutum, quod, ut puto, non tenemur ad confessionem venialium nisi in generali, scilicet confessione Primæ et Completorii et ante altare : tamen pro duobus casibus incipimus obligari quantum possumus, scilicet quia non bene certum est quid veniale, quid mortale a parte nostra, licet in genere facile sit distinguere : et secundus casus est propter securitatem.

Ad id autem quod primo objicitur, dicendum quod ignorata non tenemur, sed scita tenemur confiteri modo prædicto, et non alio, nisi sit nobis dubium quanta sint propter adhærentiam et consuetudinem.

Ad aliud dicendum, quod non sequitur, si peccatum mortale et veniale sint improportionabilia, quod medicinæ sint improportionabiles : quia ex parte aversionis sunt peccata quædam improportionabilia, sed ex parte conversionis proportionabilia : et medicina pœnitentiæ respicit ea ex parte conversionis, non aversionis, ut supra in quæstione de *satisfactione*, et in quæstione *qualiter veniale fiat mortale*, habitum est.

[1] Et tamen, Joan. vii, 24 : *Nolite secundum faciem judicare*, etc.

[2] Psal. xviii, 13.

F. *Hic aperit qualiter supradictæ auctoritates intelligendæ sunt.*

Cum ergo ex his aliisque pluribus testimoniis perspicuum fiat et indubitabiliter constet, peccata primum Deo, deinde sacerdoti esse confitenda : et si ipse defuerit, etiam socio : illud Joannis Chrysostomi superius positum [1] non est ita intelligendum, ut liceat alicui, si tempus habeat, sacerdoti non confiteri : sed quia sufficit ubi crimen occultum est, soli Deo per sacerdotem dicere, et semel. Nec oportet publicari coram multis, quod occultum est. Quod notavit dicens : Non tibi dico ut te prodas in publicum. Sicut enim publica noxa publico eget remedio, ita et occulta, secreta confessione et occulta satisfactione purgatur. Nec necesse est ut quod sacerdoti semel confessi sumus [2], iterum confiteamur : sed lingua cordis, non carnis, apud verum judicem id jugiter confiteri debemus. Unde item Joannes ait [3] : Nunc autem si recorderis peccatorum tuorum, et frequenter ea in conspectu Dei pronunties, et pro eis depreceris, citius illa delebis. Si vero obliviscaris, tunc eorum recordaberis nolens, quando publicabuntur, et in conspectu omnium amicorum et inimicorum, sanctorumque Angelorum proferentur. Ita etiam illud Ambrosii : Lacrymæ lavant delictum, quod voce pudor est confiteri [4] : ad publicam pœnitentiam referendum est. Ibi enim virtutem lacrymarum et confessionis ostendens, significare voluit, quod lacrymæ occultæ et confessio secreta, sicut quæ fit soli sacerdoti, lavant delictum quod pudet aliquem publice confiteri. Quia vero dicit se lacrymas Petri legisse, non satisfactionem vel confessionem : per hoc non excludit illa. Multa enim facta sunt, quæ scripta non sunt : et forte nondum facta erat institutio confessionis, quæ modo est. Similiter et illud Prosperi : Si sui judices fiant, mutabunt æterna supplicia. Et illud : Facilius Deum placabunt sibi, qui aut propriis confessionibus crimen produnt, aut nescientibus

[1] Cf. de Pœnit. Dist. I, cap. *Quod aliquando* (Nota edit. Lugd.)
[2] Cf. de Pœnit. Dist. I, cap. *Nunc autem* (Nota edit. Lugd.)
[3] Loco prius citato.
[4] Cf. de Pœnit. Dist. I, cap. *Lacrymæ* (Nota edit. Lugd.)

aliis in se sententiam excommunicationis ferunt : ad publicam confessionem et satisfactionem referri oportet. Non enim solis sacerdotibus jus ligandi atque solvendi datum est, si cuique suo arbitrio se pœna vel excommunicationis sententia ligare, et absque sacerdotali judicio seipsum Deo vel altari reconciliare licet : quod ecclesiasticæ institutioni et consuetudini penitus repugnat. Potius ergo si publice peccasti, publice confitere te reum, et emenda. Si vero occulte deliquisti, etiam sic non taceas : nec tamen dico, ut publices. Taciturnitas enim peccati ex superbia nascitur cordis [1]. Ideo enim peccatum suum quis celat, ne reputetur foris, qualem se jam divino conspectui exhibuit : quod ex fonte superbiæ nascitur. Species enim superbiæ est, se velle justum videri qui peccator est : atque hypocrita convincitur, qui instar primorum parentum, vel tergiversatione verborum peccata sua levigare contendit, vel sicut Cain peccata sua reticendo supprimere quærit [2]. Ubi ergo superbia regnat et hypocrisis, humilitas locum non habet. Sine humilitate vero alicui veniam sperare non licet. Ubi est ergo taciturnitas confessionis, non est speranda venia criminis. Jam certissime liquet, quam sit detestabile peccati silentium, et e converso quam sit necessaria confesssio. Est enim confessio testimonium conscientiæ Deum timentis. Qui enim timet judicium Dei, peccatum non erubescit confiteri. Perfectus timor solvit omnem pudorem : confessio peccati pudorem habet, et ipsa erubescentia est gravis pœna. Ideoque jubemur confiteri peccata, ut erubescentiam patiamur pro pœna : nam hoc ipsum pars est divini judicii.

Si ergo quæritur, An confessio sit necessaria, cum in contritione jam deletum sit peccatum? Dicimus quia quædam punitio peccati est, sicut satisfactio operis. Per confessionem etiam intelligit sacerdos, qualiter debeat judicare de crimine. Per eam quoque peccator fit humilior et cautior.

Expositio textus.

Deinde accipiendum est illud capitulum F, « *Cum ergo ex his aliisque*, etc. »

Et quærendum est de hoc quod dicit, ibi, « *Nec necesse est, ut quod sacerdoti semel confessi sumus, iterum confiteamur*, etc. »

Ponamus enim quod passus sit recidivum : tunc enim oportet iterum confiteri : ergo falsum est quod dicit.

Responsio. In hoc casu non loquitur : Solutio.

[1] Hesychius super Levit., et allegatur de Pœnit. Dist. I, cap. *Non sunt ad fidem* (Nota edit. Lugd.)

[2] Cf. Genes. IV, 9. et seq.

sed potius cum aliquis implet pœnitentiam injunctam.

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, F, ante finem : « *Quod ex fonte superbiæ nascitur*, etc. »

Secundum enim hoc superbia videtur esse fons aliorum malorum : quod est contra Apostolum, I ad Timoth. VI, 10, ubi dicitur : *Radix omnium malorum est cupiditas.*

Solutio.

Et hujus solutio quæratur in secundo libro *Sententiarum* [1], ubi disputatum est de *radicibus peccatorum*.

Hæc autem de hac distinctione sufficiant.

[1] Cf. II Sententiarum, Dist. XXI. Tom. XXVII hujusce novæ editionis.

DISTINCTIO XVIII.

De confessione sacramentali in se quantum ad potestatem absolventis virtute clavium in foro pœnitentiali.

A. *De remissione sacerdotis.*

Hic quæri solet, Si peccatum omnino dimissum est a Deo per cordis contritionem, ex quo pœnitens votum habuit confitendi, quid postea dimittatur ei a sacerdote? Video enim quo vinculo eum ligat, scilicet temporalis pœnæ, sed non a quo eum absolvat. Et ideo quæro. Ante pœnitudinem quippe cordis, anima rei maculam habet et fœtorem peccati, atque æternæ ultionis vinculo ligata existit. Si vero ante confessionem per cordis contritionem Deus per seipsum sine ministerio sacerdotis et debitum omnino relaxat, et animam interius purgat a contagione et fœtore peccati, quid erga mundat? quid dimittit sacerdos? ubi sunt claves illæ quas Dominus tradidit Petro et successoribus ejus, dicens : *Tibi dabo claves regni cœlorum : et quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in cœlis : et quodcumque solveris super terram erunt soluta et in cœlis* [1]. Ut autem præmissa quæstio plenius explicari valeat, quasi altius ducto rete [2], de his clavibus et usu earum disseramus.

DIVISIO TEXTUS

« *Hic quæri solet, Si peccatum omnino*, etc. »

Hic agitur de confessione ex parte absolventis, scilicet a parte potestatis sacerdotis.

Dividitur autem in duas partes : in quarum prima agit de potestate clavium et essentia et usu. Et in secunda, de clavibus ex parte recipientis claves, ibi, Dist. XIX, A, « *Postquam ostensum est*, etc. »

Adhuc, Prima subdividitur in tres par-

[1] Matth. XVI, 19.

[2] Cf. Luc. V, 4.

tes : in quarum prima agit de potestate solvendi et ligandi in foro pœnitentiæ : in secunda, de potestate ligandi in foro causarum, ibi, G, § 2 : « *Est et alius modus ligandi et solvendi*, etc. » In tertia vero, ad hos duos adaptat verba Evangelii, ibi, H, « *Secundum hos ligandi et solvendi modos*, etc. »

Adhuc, prima harum habet tres. Primo enim quæritur, an sit clavis? Secundo quæritur, Quæ et quot sint? ibi, B, « *Claves istæ non sunt corporales*, etc. » Tertio, agit de usu earum, etc., ibi, C, « *Usus harum clavium*, etc. »

ARTICULUS I.

An in Ecclesia claves aliquæ sint necessariæ ?

Secundum autem hæc tria nos etiam quæremus de clavibus.

Primo, super primum capitulum ratione illius verbi quod dicit : « *Ubi sunt claves illæ*, etc., » quæremus, An sint claves ?

Videtur autem, quod non : quia

1. Culpa et pœna annexæ sunt : ergo remittens culpam, necessario absolvit a pœna : ergo non sunt necessariæ claves : et si non sunt necessariæ, non sunt, quia nihil vanum est in operibus gratiæ : ergo videtur, quod non sint claves.

2. Adhuc, Vis contritionis sæpe solvit totum ante omnem actum sacerdotis : sed actus sacerdotis sunt in clavibus : ergo non sunt necessariæ claves.

3. Si forte tu velles dicere, quod in contritione relaxetur tota culpa, sed non tota pœna : et partem pœnæ dimittat clavis. Contra : Id quod est dimissivum majoris, potest etiam in minus : sed pœnam æternam solvit contritio : ergo et temporalem partem pœnæ quæ remanet, remittere potest : ergo inutiliter datur clavis : quia melius fit quod per unum, quam quod fit per duo, dummodo per unum fieri possit, ut vult Philosophus.

3. Adhuc, Pœnæ non est debitor aliquis nisi ex culpa : si ergo nihil remaneat de culpa, nihil videtur remanere de pœna : sed post contritionem nihil manet de culpa : ergo nihil manet de pœna : ergo inutiliter datur clavis.

4. Adhuc, Probatur hoc per simile : quia si non fit albedo in aliquo, nisi quæ causatur in candore lactis, vel a calido, vel frigido : si nihil remanet de causa albedinis, nihil remanebit de albedine : sed constat, quod nullius pœnæ est iste debitor, nisi ex culpa sicut ex causa : ergo si nihil post contritionem remanet de culpa, nihil remanet de pœna : et inde sequitur ut prius, claves esse inutiles.

5. Si forte tu velles dicere, sicut dicit Magister Hugo de sancto Victore ad Bernardum quærentem istam quæstionem, quod est multiplex vinculum, quo ligatur peccator ex peccato, scilicet obdurationis, captivitatis diabolicæ, servitutis, quæ usuras cogit dare mortis æternæ, et obligationis ad confessionem. Et a primis quidem quatuor absolvit Deus per seipsum, ligando ad quintum, a quo absolvit per sacerdotem ligando ad unum, scilicet pœnam expiationis in satisfactione peragendam : dicit enim, quod a vinculo obdurationis solvit per emollitionem cordis ad pœnitentiam : a vinculo autem captivitatis diabolicæ quo tenetur ne per se resurgere possit, absolvit per adjutotium erigentis gratiæ prævenientis : a vinculo autem servitutis per adjutorium gratiæ cooperantis, qua possit bona operari : a vinculo vero mortis æternæ per absolutionem a reatu pœnæ æternæ. Si, inquam, sic dicas : quæro primo, Quid necesse habeat Deus solvere a quatuor dictis vinculis ligando ad quintum? Cum enim dicatur, Deuter. xxxii, 4 : *Dei perfecta sunt opera*, videtur perfectius esse Dei opus si in nullo maneret ligatum, quam quod absolvit a quatuor, et ligat ad vinculum quintum.

6. Adhuc autem videtur esse conditionatum opus Dei, in hoc scilicet, quod non absolvit hunc, nisi ille obligetur ad confessionem : sed conditio inducit dubium et tempus : ergo videtur Dei opus potius dubietati et temporalitati subjacere : et hoc maximum omnis sapiens reputat inconveniens : nullius enim opus certum est, si Dei intemporalis et æterni potius incertum est opus et temporale.

Sed contra. Si forte propter hoc dicas, quod non sunt claves istæ Ecclesiæ. Contra :

1. Matth. xvi, 19, dicitur : *Tibi dabo claves regni cœlorum*, etc. Ergo sacerdotes habent claves.

2. Adhuc, Aditus paradisi significat aditum ad Ecclesiam : video autem, quod ille aditus reclusus est potestate Angeli ministrantis : ergo et aditus sacramentorum Ecclesiæ recludi debet potestate ministrorum Ecclesiæ : sed illa potestas dicitur *clavis* : ergo claves sunt in ministris Ecclesiæ.

Multæ autem aliæ auctoritates ad hoc inducuntur in *Littera* : et ideo hæc sufficiant.

Solutio. Solutio. Dicendum, quod absque ambiguitare claves Ecclesiæ sunt, quas habet Ecclesia (ut dicit Hieronymus) in suis Episcopis, et sacerdotibus : quibus dignis non solum sacramenta, sed etiam cœlum aperitur, et clauditur indignis.

Ad 1. De solutione autem objectorum dicendum ad primum quod clavis dupliciter aperit regnum operando ad remotionem peccati impedientis : et unus modus sæpe dictus est, et est bonus, scilicet quando conteritur aliquis, dolor suus vim habet a gratia informante, et a voto confitendi et satisfaciendi, quod habet in proposito. Sicut igitur est in medicinis compositis, quæ totum expellunt morbum, ita tamen quod quælibet simplex medicina ibi posita operatur contra aliquam partem morbi et causam : ita dico quod in peccato est culpa et pœna, et est pœna æterna improportionabilis viribus pœnitentis, et acerba pro debito reatus : et gratia quidem habet effectum contra culpam, et dolor contra acerbitatem pœnæ : dolor autem passionis Christi contra æternitatem : et votum submittendi se clavibus habentibus vim ex passione, habet solvere improportionem illam, qua major est viribus pœnitentis : et satisfaciendi votum quandoque solvit totum residuum, quandoque autem solvitur per satisfactionem sequentem in actu. Unde nihil prohibet operari clavem ante actum sacerdotis extra : sicut et gratia mediatoris operata est antequam esset mediator in natura vera medietate. Alio modo operatur clavis in absolutione confessionis dimittendo partem pœnæ debitæ per gratiam ministerii sacerdotum Christi, quod non est credendum gratia carere, sed potius per maximam habere gratiam. Licet ergo solvatur pœna et culpa in contritione, non tamen fit hoc virtute solius contritionis, sed potius etiam virtute clavium : sicut licet in medicina aliqua solvatur morbus aliquis, non tamen fit hoc virtute unius receptorum in medicina, sed virtute cujuslibet solvitur aliquid morbi.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod vis contritionis numquam ita totum solvit, quin effectus sit ibi, ut patet per antedicta : et etiam postea actu tenetur se submittere, quia aliter per contemptum religionis inciperet adeo malignare sicut prius.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod quandoque tota pœna dimittitur in contritione, sed numquam virtute solius contritionis : et ideo ut impleatur votum quod in contritione habuit, et habere tenebatur, postea etiam debet se submittere confessori et satisfactioni : sed verum est quod si sacerdos sciret talem in voto absolutum, non imponeret ei pœnitentiam in satisfactionem præteritorum : sed vel nullam imponeret, sicut nec Dominus fecit Mariæ Magdalenæ : vel si imponeret aliquid, faceret hoc in medicinam futurorum, sicut dantur medicinæ præservativæ : quia autem sacerdos hoc scire non potest, ideo omnibus venialibus pœnitentiam injungit.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod secus est in effectu et causa conjunctis per naturam, et causa et effectu conjunctis per voluntatem in conversatione hominis: in natura enim propter hoc soluta tota causa, solvitur totus effectus, quia natura agit necessario: et ideo remoto agente, nihil manet de effectu ipsius. Sed in voluntate, quia voluntas deliberativa est, cadit in vituperium et laudem ex opere suo: et ideo transeunte causa, non transit effectus, imo manet: sicut cum culpa transit actu, non transit reatu, imo manet. Et similiter quoad debitum satisfaciendi, bene potest manere post recessum culpæ in toto. Unde talia argumenta in moribus etiam civiliter loquendo, nihil valent, sicut jam patuit.

Ad 5 et 6. Ad id quod objicitur de Hugone, dicendum quod in veritate illud est tota scientia illius libelli, et intelligitur, non ita quod Dominus sub conditione solvit, sed Dominus simpliciter absolvit: tamen quia in contritione votum est confessionis, et sine illo non esset contritio, propter hoc tenetur ad confessionem. Et quia votum conjunctum est absolutioni a quatuor vinculis dictis, ideo dicit Magister Hugo, quod Deus absolvit ligando: sed sacerdos e contra ligat solvendo: ligando enim ad pœnitentiam expiationis absolvit a voto confessionis, dimittendo partem pœnæ debitæ si qua manserit post contritionem. Et per hoc patet, quod in opere Dei secundum quod Dei est, nulla conditio est, nec temporalitas, sed necessitas illius obligationis est ex voto confitendi et satisfaciendi ad arbitrium ministrorum Ecclesiæ, sine quo non potest esse vera contritio.

Et per hoc patet solutio ad ultimum.

Iterum Ad 3. Ad tertium autem iterum dicendum, quod licet in eo sint omnia æque possibilia, tamen non omnia sunt nobis æque utilia: utile enim nobis est, ut adstringamur talibus votis propter erubescentiam et expiationem, quæ non tantum valent ad expiationem præteritorum, sed etiam ad cautelam futurorum. Et quæcumque sunt nobis magis utilia, hæc ordinavit Deus in sacramentis.

B. *De clavibus,*

Claves istæ non sunt corporales sed spirituales, scilicet discernendi scientia, et potentia judicandi, id est, ligandi et solvendi: qua dignos recipere, et indignos debet excludere a regno Ecclesiasticus judex: qui sicut habet jus ligandi, ita et solvendi [1]. Unde Ambrosius: Dominus par jus et solvendi esse voluit, et ligandi, qui utrumque pari conditione permisit. Ergo qui solvendi jus non habet, nec ligandi habet. Et infra: Certum est, quod Ecclesiæ utrumque licet, hæresis utrumque non habet. Jus enim hoc solis permissum est sacerdotibus. Recte ergo Ecclesia hoc sibi vindicat, quæ veros sacerdotes habet: hæresis vindicare non potest, quæ veros sacerdotes non habet.

[1] Cf. De pœnit. dist. I, cap. *Verbum Dei* (Nota edit. Lugd.)

ARTICULUS II.

An diffinitio clavis posita a Magistro sit bene data?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, B, « *Claves istæ non sunt corporales, sed spirituales*, etc. »

Et quæruntur quatuor, scilicet quid sit clavis?

Secundo, Quot sunt claves numero?

Tertio, De clave quæ dicitur *scientia discernendi.*

Et quarto, De clave quæ dicitur *potestas ligandi et solvendi.*

Ad primum autem extrahatur diffinitio clavis ex *Littera*, ubi ex verbis Hieronymi dicit Magister, quod « claves sunt discernendi scientia, et potentia judicandi, id est, ligandi et solvendi: qua dignos recipere, et indignos debet excludere a regno Ecclesiasticus judex. » Hæc verba omnia etiam sunt in Glossa super Matthæum, XVI, 19, et sunt Hieronymi.

Formatur autem diffinitio in communi sic: « Clavis est potestas judicis Ecclesiastici, qua dignos recipit, indignos vero potest excludere a regno. »

1. Cum autem judex Ecclesiasticus sit a jurisdictione, non ab ordine, videtur quod non habet claves, nisi habens jurisdictionem in foro causarum: et hoc falsum est.

2. Hoc videtur etiam alia ratione: quia omnis potestas, quæ tota perficitur aliquo uno, habito illo potest reduci ad actum: si igitur potestas quæ dicitur *clavis*, perficeretur ex illo uno quod est ordo sacerdotalis, habito ordine sacerdotali, posset reduci ad effectum: quod est falsum, quia secundum hoc omnes monachi sacerdotes possent absolvere et ligare, quod falsum est: ergo videtur, quod judex Ecclesiasticus sit habens jurisdictionem. Ex hoc arguitur ut prius.

3. Ulterius, Objicitur de hoc quod dicit, « Qua dignos recipere, etc. » Digni enim eo ipso quod digni sunt, merito suæ dignitatis sunt recepti: et ideo vane recipiuntur postea a sacerdote, vel nullo modo recipiuntur.

Si autem dicas, quod recipere eos, est receptos ostendere: tunc secundum hoc nihil esset potestas clavis, nisi quoad homines, quod inconveniens infra esse ostendetur.

4. Ulterius, Objicitur de hoc quod dicit ibi, « A regno: » quia videtur potestas hominis non esse super regnum. Probatio. Potestas hominis in ministerio est super illud, quod traditur dispensationi ministerii sui: sed non nisi sacramenta traduntur ministerio sacerdotum dispensanda, et non regnum: ergo videtur, quod non debet dicere, *a regno*, sed a sacramantis.

Responsio. Dicendum, quod diffinitio illa optima est: quia ponitur in ea genus quod est potestas, et subjectum proprium illius potestatis, quod est judex ecclesiasticus: et differentiæ pertinentes ad specialem et substantialem actum, qui est recipere dignos, et excludere indignos: et finis per omnia intentus, qui est introductio in regnum. Solutio.

Ad primum ergo objectum, dicendum quod ecclesiasticus judex sumitur hic in foro pœnitentiali, et non in foro causarum, nisi elargiatur sibi potestas: et non oportet, quod habeat jurisdictionem super subditos, sed quod sit aptus habere ex ordine, et nihil desit ei nisi commissio: non enim ponitur in diffinitione actus dicendo, qua recipit: sed, qua valet vel potest recipere, ut notetur facultas ex habitu: et quod non operatur, non est nisi quia materiam subjectam non habet, quam non potest habere nisi per jurisdictionem. Ad 1.

Ad aliud dicendum, quod habito ordine nihil deest quantum ad operantem: et ideo nulla perfectio additur operanti Ad 2.

amplius quam ordo : et hoc patet ex hoc, quod si sacerdoti committitur plebs, non recipit aliquam consecrationem propter hoc. Constat autem, quod omnis potestas datur per consecration emin spiritualibus : et ideo patet, quod habens ordinem, in toto perfectus est quantum est ex parte agentis : sed quia omnis facultas exigit materiam, suspenditur ab operatione ita diu donec materia sibi per jurisdictionem determinetur.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod digni fiunt magis digni : dignitas enim Dei præcedit, tollens indignitatem culpæ : et opus ordinis et clavis sequitur, tollens aliquid de indignitate pœnæ : et ideo non tantum ostendunt solutos a Deo, sed etiam absolvunt ab aliquo quo ligati venerunt, et ita imbuunt sacramentis.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod ponitur ultimus finis actus ordinis : quia non fit reconciliatio ad sacramenta, nisi propter regnum.

Ad argumentum autem dicendum, quod ministerium sacerdotis, non est super regnum immediate, sed per medium, scilicet per susceptionem ad sacramenta : et hoc modo bene committitur eis dispensare regnum.

ARTICULUS III.

Quot sint claves ?

Secundo quæritur, Quot sunt claves numero ?

Videtur enim, quod una sola :

1. Dicit enim Glossa super Matthæum, xvi, 19, quod « claves sunt scientia discernendi, et ligandi et solvendi potestas : » sed scientia discernendi constat, quod est informans et dirigens ad actum solvendi et ligandi : et talia quorum unum est dirigens, et alterum exsequens, non sunt duo, sed unum in actu : ergo claves non sunt duæ, sed una.

2. Adhuc, In nobis ad perfectum opus exiguntur tria, scilicet scire, velle, et posse : et tamen opus egrediens ab his est unum : constat autem , quod scientia judicandi habet se sicut scire in nobis : ergo videtur, quod una clavis sit secundum actum, et unus actus clavis.

3. Adhuc, In materialibus non est ad unam seram nisi clavis una : sed in omnibus spiritualibus non est nisi una sera quæ est peccatum in communi : ergo videtur, quod non requiritur nisi clavis una : et ita videtur, quod non sint duæ claves.

Item, Unius effectus non est nisi una potestas : sed unus est effectus, scilicet ligare et solvere : ergo non est nisi una potestas : ergo una clavis.

Ulterius videtur, quod sint duæ claves : quia.

1. Ita per multas auctoritates tam Bibliæ, quam sanctorum Patrum, probatur in *Littera* : et illæ sufficiant.

2. Per rationem arguitur idem sic : Duo sunt in libero arbitrio facientia peccatum, scilicet ratio, et voluntas : sed faciens peccatum clauditur per peccatum ut non intret regnum : ergo utrumque indiget reseratione : cum igitur differant hæc inter se, videtur quod claves reserantes differant : sunt autem hæc duo differentia : ergo claves duæ different reserantes.

3. Adhuc, Peccatum aliter impedit cognitivam, et aliter affectivam : quia cognitivam impedit, ut tenebra interior spiritualis : affectum autem impedit per inclinationem deorsum, et aversionem ab incommutabili bono : sed constat, quod quidquid est in anima rationali, ad hæc duo reducitur : ergo videtur, quod his solutis, omnia alia sint absoluta : sed aliter ligatur cognitiva, et aliter affectiva : ergo alio et alio indigent reserante : cum igitur ipsa sint duo, videtur quod reserantia sint duo.

4. Adhuc et est magis ad propositum : Opus sacerdotis in confessione ubi utitur

clave, est duplex, scilicet eductio peccati, et absolutio rei : sicut patet per illud Job, XXVI, 13 : *Obstetricante manu ejus eductus est coluber tortuosus :* ecce opus primum. Et, Joan. XX, 23 : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* : ecce opus secundum. Constat autem, quod utrumque opus exigit potestatem in sacerdote, quia omne opus egreditur ab aliqua potestate : sed eductio peccati non fit nisi per judicium discretionis, quæ ostendit, quam vile sit peccatum, quam detestandum, quantum unum vilius alio, et hujusmodi : ergo ad hunc actum exigitur clavis scientiæ discernendi. Constat autem, quod post contritionem sequitur absolutio, vel retentio peccatorum : et hoc opus similiter non fit nisi ab aliqua potestate quæ vocatur *clavis*. Ergo cum non sint plura opera substantialia, nisi hoc unum super peccatum, et alterum super peccatorem, videtur quod sint duæ et non plures claves. Hæc autem objectio notanda est : quia concludit veritatem ex propriis, et ex his penes quæ proprie accipitur diffinitio clavium.

VIDETUR autem ulterius, quod sint tres claves : quia

1. Tres personæ sunt a quibus fluit omnis potestas sacramentalis : sed una illarum est penes appropriatum Patri, scilicet potestas ligandi et solvendi : altera penes appropriatum Filio, scilicet scientia discernendi : ergo restat adhuc tertia penes appropriatum Spiritui sancto.

2. Adhuc, In omni creatura rationali libera ad agendum, tria concurrunt ad opus, scilicet scire, velle, et posse : ergo cum penes duo illorum sit accepta clavis, videtur quod eadem ratione accipiatur una clavis penes tertium : ergo erunt tres claves.

3. Adhuc, Scire et posse imperfecta sunt ad actum : sed si adveniat velle, tunc operabuntur. Cum igitur clavis sit potestas perfectissima ad actum, videtur quod necessario debeat aliquid esse ibi respondens voluntati operanti : et præter illud sunt duæ : ergo cum illo erunt tres, ut videtur.

ULTERIUS videtur, quod sint quatuor :

1. Quilibet enim modus aperiendi vel absolvendi, requirit aliud et aliud instrumentum : sed quatuor a Magistro in *Littera* determinantur modi ligandi et solvendi : ergo quatuor erunt instrumenta : ergo quatuor claves : dicit enim, quod solvit et ligat, quando absolutum vel ligatum demonstrat. Item, Quando Ecclesiæ reconciliat et restituit, et quando partem pœnæ dimittit, et quando excommunicationem fert, vel absolvit ab ea.

2. Adhuc, Quando Dominus loquitur Petro de clavibus, non nominat tantum *claves regni cœlorum*, sed etiam *portas inferi* : si ergo duæ sunt portarum regni, eadem ratione duæ erunt portarum inferni : ergo erunt quatuor.

3. Adhuc, Videtur, quod plures sint quam quatuor : quia sunt portæ inferni, paradisi, limbi, purgatorii, et cœli : sed constat, quod omnes istæ portæ aperiuntur : ergo videtur, quod distinctas et determinatas exerceant claves : ergo cum uni portæ aptentur duæ claves, videtur quod ad minus sint decem claves.

RESPONSIO. Dicendum, quod sicut habetur, Isa. XXII, 22, ubi dicitur : *Dabo clavem domus David super humerum ejus. Et aperiet, et non erit qui claudat : et claudet, et non erit qui aperiat* : Filius Dei est vera clavis regni cœlorum, quia ipse aditum regni nobis reseravit, quem Adam suo peccato recluserat : unde legitur in oratione paschali : « Omnipotens « Deus, qui per Unigenitum tuum redem« ptorem nostrum, æternitatis nobis adi« tum, devicta morte, reserasti. » In Filio autem divino duo sunt, sicut dicitur, I ad Corinth. I, 24, scilicet, *Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam*. Et ideo quia ipse his duobus reseravit regnum, in his duobus dedit suis sacerdotibus reserandi potestatem. Et penes hæc duo, duæ claves accipiuntur. Solutio

Huic autem rationi conjungantur tres quæ in tribus objectionibus pro hac parte inductis, positæ sunt, et præcipue tertia : et erunt quatuor penes quæ distinguuntur duæ claves quas dicunt Sancti.

Ad id ergo quod primo objicitur, quod non sit nisi una clavis : dicendum, quod claves non distinguuntur penes finem ultimum, sed potius penes actus proximos substantiales et necessarios. Constat autem, quod actus necessarius est distinctio peccatorum in confessione, quæ est super peccata : et etiam actus necessarius est absolutio. Et ideo penes illos, licet unus dirigat ad alterum, sunt tamen duæ claves. Et est simile : quia licet prudentia virtus sit auriga virtutum, ut dicit Bernardus ad Eugenium, et dirigat alias, tamen quia habet actum proprium, dicitur et est una virtus cardinalis distincta ab aliis quas dirigit.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod illa tria quæ sunt in nobis, licet referantur ad unum actum ultimum, tamen proprios et proximos actus habent differentes, penes quos etiam distinguuntur, et sunt distinctæ facultates : et ideo etiam actus proprii et proximi clavium differentes sunt, licet finis sit unus : et hoc sufficit ad divisibilitatem potestatis et facultatis, ut Solutio jam tactum est.

Ad aliud dicendum, quod in materialibus ad unam seram uno modo se habentem et uno modo reclusam, est una clavis : sed ad unam seram habentem duas clausuras, nihil prohibet esse duas claves, quia tunc una sera est ut duæ : et sic est hic, quia sera quædam est ex eo quod peccatum non discernitur et distinguitur, et altera est ex reatu qui innascitur peccatori ex peccato : et ideo necessario sunt duo modi reserandi et aperiendi, sicut jam dictum est.

Ad id quod objicitur, quod sunt tres claves, dicendum quod non sunt necessariæ nisi duæ tantum propter causam dictam.

Ad objectum autem primum dicendum, Ad 1. quod voluntas sive bonitas appropriata Spiritui sancto non est æqualis ad ligare et solvere : sed clavis dicit talem potestatem quæ claudat et aperiat æqualiter : sed Dei voluntas sive bonitas semper est ad aperiendum, ut *qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire*[1] : et hoc verum est quantum est de se : et si aliud vult, ut dicit Damascenus, hoc vult ex nostra causa : et ideo in clavibus non potuit esse aliqua potestas respondens Spiritui sancto : sed ipse dat donum, per quod peccatum dissolvitur.

Aliter posset dici et minus bene, scilicet quia duæ claves non accipiuntur penes attributa Patris et Filii, sed penes attributa Filii tantum, quia primus clausit et aperuit : et hoc supra probatum est per auctoritatem Isaiæ.

Ad aliud dicendum, quod sicut dixit Ad 2. Altisiodorensis, non oportet de clavibus aliquid respondere voluntati hominis, quia in clavibus non debet homo sequi voluntatem suam, sed voluntatem Dei primo absolventis per gratiam : et hæc solutio optima esse videtur.

Alii subtilius et pejus dixerunt, quod isti actus, aperire et claudere, non sunt ex parte nostra : et ideo facultates eorum non debent omnino sumi ex parte nostra : sed voluntas est ex parte nostra, et ideo penes voluntatem nulla sumenda est clavis.

Ad aliud dicendum, quod verum est Ad 3. quod ubi prima duo sequuntur voluntatis libertatem, ibi sunt imperfecta ad opus, nisi adveniat voluntas : quia confessione facta et potestate habita, adhuc libera est voluntas agere vel non agere si vult. Sed quia in divinis sequitur operatio ex divini præcepti necessitate, ideo habitis primis duabus facultatibus, sufficienter habetur perfectio ad opus.

[1] I ad Timoth. II, 4.

Ad id quod ulterius quæritur, Utrum sint quatuor? Dicendum, quod non.

Ad 1. Ad objectum dicendum, quod prima est falsa : quia omnes modi illi reducuntur ad duos : quod enim absolutum et ligatum ostendit, non fit nisi per pœnæ dimissionem, sicut in *Littera* patebit : et per hoc ipsum Ecclesiæ reconciliat. Sed ligare et solvere anathema est alius modus : sed quia non est nisi per culpæ cognitionem vel religationem vel solutionem, in forma convenit cum eo, qui est in foro confessionis et pœnitentiæ : et ideo non requirit alias claves : et ita patet, quod illa objectio nulla fuit.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod licet sint portæ inferi, non tamen ad illas determinantur claves Ecclesiæ : unumquodque enim, ut dicit Philosophus, determinatur et de nominatur per diffinitionem ad optima sui : clausio autem et apertio januarum inferni sequitur ad clausionem et apertionem portarum cæli, et portæ cœli sunt intentæ et finales clavium, et ideo ab illis dicuntur : et sunt duæ claves, quia ex quo clauditur cœlum alicui, hians est super eum apertis portis infernus : et eo ipso quod aperitur cœlum, clauditur aditus inferni.

Ad 3. Ad aliud patet solutio per idem, præterquam de paradiso, et purgatorio, et limbo.

Et ad hæc dicendum, quod non est nobis aditus ad beatitudinem vitæ animalis quam in Adam amisimus : et ideo per claves non datur nobis via veniendi ad locum corporei paradisi, ubi Adam in animali vita semper vixisset : et ideo claves ad illum locum non recipit Ecclesia. Quare autem non sit nobis aditus ad paradisum, alibi determinari habet, scilicet super secundum *Sententiarum*, ubi agitur de ejectione Adæ de paradiso, et reclusione paradisi.

De purgatorio autem et limbo dicendum, quod non habent firmacula perpetua, sed continue sunt aperta ad evolandum determinato tempore : patres quidem de limbo cum Adæ debitum per Christum fuit solutum, animæ autem de purgatorio cum quælibet purgatur ad plenum : de limbo enim patrum hic loquimur, non de limbo puerorum qui perpetuo clausus est.

Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICULUS IV.

An scientia discernendi inter lepram et non lepram, sit clavis Ecclesiæ ?

Tertio, Quæritur de hac clave quæ dicitur esse *scientia discernendi inter lepram et non lepram.*

Videtur enim non esse clavis.

1. Omne enim quod non semper sequitur habentem claves, videtur non esse clavis, cum clavis semper sequatur habentem clavem : sed scientia discernendi inter lepram et non lepram, non semper sequitur habentem claves, ergo non est clavis. Prima patet per se. Secunda probatur ex hoc quod omnis sacerdos habet claves : non tamen omnis sacerdos habet scientiam discernendi inter lepram et non lepram.

2. Adhuc, Nullum indifferenter habitum præter ordinem et post ordinem et ante, est clavis : scientia discernendi est tale quid : ergo non est clavis. Probatur prima per hoc quod claves dantur in ordine sacerdotii, et numquam sine ipso. Secunda probatur ex hoc quod multi ante sacerdotium habent hujusmodi scientiam, et non sacerdotes aliqui plus quam sacerdotes.

3. Adhuc, Sicut dicit Philosophus in IV *Ethicorum*, scientia est virtus intellectualis : igitur generatio ipsius est per experimentum et tempus : non ergo est data in ordine : sed omnis clavis datur cum ordine : ergo scientia non est clavis.

Si forte dicas, quod scientia infusa est

clavis, non acquisita : et acquisita est illa de qua loquitur Philosophus. CONTRA : Videmus expresse, quod infusam non recipiunt sacerdotes in ordine : ergo nec infusa est clavis, ut videtur.

Adhuc, Infusa certior est in judicio, quam acquisita : ergo si scientia infusa esset clavis, quilibet sacerdos claves habens, certius judicaret quam Doctores, qui diu per studium scientiam acquisiverunt : et hoc non videmus : imo vel male judicant, vel in dubiis ad eos qui studuerunt, recurrunt.

contra. SED SI hoc dicatur, erit

1. Contra *Litteram*, ubi Hieronymus dicit, quod « duæ claves sunt scientia judicandi, et auctoritas absolvendi. »

2. Adhuc autem quatuor rationes supra adductæ sunt, quod scientia debet esse clavis.

3. Adhuc, Omnis actus potentiæ motivæ puræ, indiget regente aliquo, vel quandoque erit perversus : sed ligare et solvere est actus potentiæ motivæ : ergo indiget regente, ut non quandoque sit perversus : non potest autem esse regens, nisi scientia judicandi quis absolvendus, non et quis : non ergo illum præcedere debet : ergo clavis est scientia judicandi.

Multo. RESPONSIO. Dicendum, quod multi hic multa dixerunt, quorum dicta, qui non intelligo, transcurro usque ad tres opiniones, quarum una est Magistri in *Littera*, scilicet quod concedi potest, quod non omnes habent clavem scientiæ judicandi : sed qui carent, ad damnationem suam carent, si habent jurisdictionem utendi clavibus, et in ipsa velint permanere. Sed hanc opinionem puto esse falsam, nisi dicatur *clavis* materia clavis, ut infra patebit : bene enim conceditur, quod non omnes habeant materiam hujus clavis, id est, id quod est materiale in clave.

Alii dicunt, quod sunt qui habent scientiam ut clavem : et sunt qui habent eam ut claviculam : habentes enim scientiam acquisitam vel infusam de bono et malo discernendo secundum differentias peccatorum quas necessarium est scire, habent hanc scientiam ut clavem : sed habentes minus, et sequentes industriam naturalem, habent claviculam tantum in se : et hoc etiam reputo falsum, nisi eodem modo ut præcedens intelligatur, scilicet quantum ad id quod est materiale in clave, dicantur quidam habere clavem, et alii claviculam : quantum autem ad formale omnes dicuntur habere clavem qui sacerdotes sunt.

Tertii dicunt, de quorum numero ego sum, quod scientia non sit clavis, sed potius discernendi et judicandi auctoritas : et hanc in Ordine recipit omnis sacerdos, licet scientiam non recipiat : si autem habet scientiam cum aliis quæ exiguntur, bene recipit Ordinem. Si autem non habet scientiam, etiamsi omnibus aliis sit decoratus, et recipit curam pastoralem, ad damnationem recipit.

Secundum hoc igitur planum est respondere objectis.

Ad 1. AD ID enim quod primo objicitur, dicendum quod scientia non est clavis : sed dicitur quandoque clavis, eo quod materia est in clave : et clavis non est in actu nisi per eam, quia ipsa est dispositio quam vult invenire clavis in subjecto : et dato quod non invenerit, tunc clavis frustratur ab actu. Et est simile in naturis et gratia : vis enim motiva vult invenire sensibilem in subjecto : et si non invenit, non movebit. Similiter Ordo sequens ut diaconatus vult invenire præcedentem subdiaconatum in subjecto : et si non inveniat, non erit actu : imo suspenditur donec recipiat ordinem quem transilivit. Similiter vis visiva vult invenire humidum crystallinum purum et illuminatum in oculo : et si non inveniat, ipsa suspenditur ab actu videndi, donec humor crystallinus purificetur. Quod autem ita sit in sacerdotio, patet per illud : *Quia tu scientiam repulisti, repellam te,*

[1] Osee, IV, 6.

ne sacerdotio fungaris mihi [1]. Et illud, *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est* [1]. Et illud, *Porro filii Heli, filii Belial, nescientes Dominum, neque officium sacerdotum ad populum.* Et hujusmodi alia quæ multa per totam Scripturam inveniuntur.

Ad 2. AD ALIUD dicendum penitus eodem modo : quia auctoritas discernendi numquam datur nisi in Ordine : sed dispositio quam necesse est invenire in subjecto, indifferenter habetur ante et post.

Ad 3. AD ALIUD dicendum, quod Philosophus in veritate loquitur de scientia acquisita consuetudine moralium, et experientia et doctrina circa illa : tamen responsio inducta contra hoc etiam meo judicio nihil valet : sed solutio ad eam et residuum, patet per antedicta.

ARTICULUS V.

De secunda clave quæ est ligandi et solvendi potestas, an sit communicabilis ?

Quarto, Quæritur de secunda clave, quæ est ligandi et solvendi potestas.

Videtur enim, quod hæc potestas incommunicabilis sit : quia

1. Dicit Augustinus : « Interius mundandi potestatem in baptismo noluit dare servo, ne spes poneretur in homine. » Cum igitur idem sit absolvere quod est interius mundare ab aliquo spiriualiter obligante, videtur quod non debuit communicari ministro talis potestas, ne spes ponatur in ipso.

2. Adhuc, In Evangelio Marci, II, 7, ubi Christus se dixit in terra dimittere peccata : putantes eum solum hominem, dixerunt : *Quid hic sic loquitur ? blasphemat. Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus* [3] ? Ergo nullus nisi Deus potest dimittere peccata : ergo potestas ligandi et solvendi a peccatis non est concessa homini qui est minister Ecclesiæ : ergo hæc potestas non est clavis.

3. Si autem tu dicas, quod non dimittunt peccata, sed pœnam peccatorum. CONTRA : Joan. XX, 23, dicitur expresse : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis : et quorum retinueritis, retenta sunt.* Ergo intelligitur de remissione peccatorum.

SED IN CONTRARIUM hujus objicitur : Sed c quia omni illi cui committitur principale, committitur et accessorium secundum regulas juris : sed committitur sacerdoti, quod sacram communionem consecret, et ministret populo : ergo et committitur ei præparatio populi ad sacram communionem illam : sed præparatio non potest esse nisi per absolutionem : ergo potestas absolvendi committitur sacerdotibus : ergo ipsi habent clavem istam.

Hoc idem in *Littera* probatur multorum sanctorum auctoritatibus : et ideo ista sufficiant.

DICENDUM igitur absque dubio, quod Soli Ecclesia in suis sacerdotibus habet plenam absolvendi potestatem : et hæc est clavis ministrorum sacerdotum : quis autem usus ejus sit, postea loco proprio patebit.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod non Ad propter hoc ponitur spes in homine : quia homo non operatur nisi ut minister : unde bonus et malus æqualiter habent : sed Deus operatur ut auctor et largitor doni absolutionis per omnem modum, sicut in baptismo facit, scilicet per gratiam suam quam dat in ministerio, sive sit per bonum, sive per malum.

AD ALIUD dicendum, quod homo non Ad 1 remittit peccatum ex parte culpæ : quia hoc solius Dei est facere : sed per mini-

[1] Malach. II, 7.
[2] I Reg. II, 12.
[3] Cf. Matth. IX, 3 ; Luc. V, 21.

sterium suum remittitur ei pars pœnæ, quandoque in actu, quandoque etiam clave existente in voto, ut supra dictum est : et hoc virtute passionis Christi, quæ est in clavibus, et non virtute ministri.

Ad 3. Ad hoc quod objicitur de Joanne, dicendum quod intelligitur de remissione peccati ex parte pœnæ.

ARTICULUS VI.

An hæreticus habens ordinem, etiam habeat clavem?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, B, « *Certum est, quod Ecclesiæ utrumque licet, hæresis utrumque non habet.* »

Videtur enim hoc falsum : quia

1. In tractatu de Ordine probatur, quod veri ordines sunt etiam qui ab hæreticis in forma Ecclesiæ suscipiuntur : ergo sunt ibi ea quæ consequuntur verum ordinem : sed claves sunt de consequentibus verum ordinem : ergo videtur, quod hæresis habeat claves jurisdictionis.

2. Adhuc, Verus lapis dicitur, ut verus homo, et verus asinus, qui habet actum lapidis et hominis et asini : et mortua hæc dicuntur, quando carent actibus suis : sed supponatur modo, quod verus Ordo in forma Ecclesiæ suscipiatur inter hæreticos : ergo ille ordo habet actum ordinis : sed actus ordinis presbyteri est actus clavis : ergo videtur, quod habeat actus clavis vel clavium.

Sed contra. Sed contra :

Vadens ad hæreticum scienter, peccat mortaliter : ergo non absolvitur : ergo ex parte confitentis non fit in eo actus finalis clavis. Item nec ex parte audientis confessionem : quia ille non habet jurisdictionem, et suspensus est, et etiam mortaliter peccat se intromittendo. Ergo ex neutra parte potest ibi salvari actus ordinis : ergo videtur, quod hæresis non habet usum clavium : ergo nec claves, ut videtur, nisi falsas et mortuas : sicut mortuus homo non est homo simpliciter, etsi homo dicatur.

Responsio. Dicendum in ista quæstione, quod est potestas clavis ex ordine, et est potestas ex jurisdictione : sicut enim supra patuit, omnis actus quærit materiam circa quam sit, et illi in clavibus sunt subditi, qui non nisi per jurisdictionem a summo Pontifice descendentem haberi possunt. Dicendum ergo, quod hæresis in forma Ecclesiæ habens ordines, habet claves, secundum quod potestas sumitur ex ordine : sed non habet ex jurisdictione, et ideo exsequi nihil omnino potest : et si de facto quidem absolvit, nihil facit omnino : et tamen insuper mortaliter peccaverunt et absolvens, et absolutus, si scienter ad talem accessit : et hoc modo intelligitur hoc quod dictum est in *Littera*. Solutio.

Ad id quod primo objicitur, dicendum quod Ordinem non consequitur exsecutio clavis, sed tantum potestas in habente potestatem, sed non potentem agere propter materiæ defectum : quia materia non est homo auditus, sed potius subditus per jurisdictionem a summo Pontifice descendentem sibi determinatus : et quoad ultimum hæresis dicitur in *Littera* non habere claves : quia exsecutionem non habet. Ad 1.

Ad aliud dicendum, quod sunt actus essentiales, de quibus hoc verum est quod dicitur in objiciendo, et illi sunt qui consequuntur substantiam, et talem actum bene habet clavis in omni habente ordinem : hic autem actus est perficere habentem secundum potestatem illam, sicut actus lucis lucere, et actus essentiæ esse, et est actus scientiæ scientem esse, et potestas clavis potestatem secundum clavem : sed non est hoc intelligendum de actu, qui est operatio super materiam extra : lapis enim verus, extra etsi numquam agit, in aliquid esset, et similiter homo verus, et hujusmodi. Ad 2.

C. *De usu clavium.*

Usus vero harum clavium multipliciter [1] est, dicernere scilicet ligandos et solvendos, ac deinde ligare vel solvere. Qui enim, ut ait Gregorius, indignos ligat vel solvit, propria potestate se privat, id est, dignum privatione se facit.

ARTICULUS VII.

An sacerdos valeat absolvere a culpa et a reatu pœnæ æternæ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, C, « *Usus vero harum clavium*, etc. »

Ratione enim hujus quæritur de *usu clavium:* et quia hæc quæstio multiplex est, nos quemlibet ejus articulum deducemus ubi cadit super *Litteram.*

Et primo, Quæramus de illo usu communi quem Magister determinat primo in *Littera,* scilicet utrum sacerdos absolvere valet a culpa, et a reatu pœnæ æternæ?

Et videtur, quod sic:

1. Majus enim est mereri alicui primam gratiam qui indignus est gratia, quam absolvere a culpa eum qui absolutione est dignus: et primum potest mereri homo, etiam qui non est vicarius Christi: ergo et hoc secundum potest homo, præcipue qui est vicarius Christi: hic autem est sacerdos in confessione: ergo in confessione sacerdos potest absolvere a culpa et pœna mortis æternæ, ut videtur.

2. Item, Hugo de sancto Victore in libello de *Potestate ligandi et solvendi* dicit sic: « Sicut in divina absolutione mutatur pœna æterna in purgatoriam, sic in sacerdotali transfertur divina sententia in humanam: » divina autem sententia est pœna æterna, et reatus pœnæ æternæ: ergo in humana et sacerdotali absolutione transfertur pœna æterna: sed hæc non potest transferri nisi culpa absolvatur: ergo videtur, quod in sacerdotis absolutione relaxetur culpa.

3. Adhuc, Si rex terrenus alicui committeret vices suas in judicio rerum, daret ei plenariam potestatem absolvendi volentes satisfacere, et ligandi et condemnandi eos qui impœnitentes permanent: ille minister posset absolvere a culpa et pœna: ergo cum liberior sit indulgentia divina, quam humana aliqua possit esse, videtur quod vicarii Christi, quibus in foro pœnitentiæ dixit: *Quæcumque solveritis*, etc., possint absolvere a culpa et pœna.

Sed contra.

Si autem hoc concedatur, probetur contrarium per ea quæ dicuntur in *Littera* ex dictis Hieronymi et Cassiodori, quæ non oportet hic adducere.

Sed per rationem objicitur sic: Temporale finitum, non potest in infinitum

[1] Edit. J. Alleaume, *multiplex.*

et æternum : sed omnis sacerdotum potestas est temporalis et finita : ergo non potest in infinitum et æternum : sed culpa est infinita et æterna : ergo non potest aliquis sacerdos in remissionem culpæ et pœnæ æternæ.

Responsio. Dicendum, quod sacerdos non potest absolvere a culpa et pœna æterna : sed tantum absolvit relaxando partem pœnæ, nisi illo modo quo supra dictum est, quod votum clavium est in contritione habendo vim quamdam ad remissionem totius peccati.

Ad id autem quod objicitur primo, dicendum quod non est simile quod inducitur : quia ille qui meretur primam gratiam alicui, non dat gratiam, sed inclinat Deum ad dandum : sed ministri in sacramentis aliquo modo agunt ad hoc ut fiat effectus sacramenti : et ideo non potest esse in potestate ministri conferre gratiam, sed tantum diminutionem pœnæ.

Ad aliud dicendum, quod Hugo *divinam* sententiam vocat pœnam temporalem purgatoriam, non tamen viribus pœnitentis proportionatam : et *humanam* sententiam vocat pœnam portabilem proportionatam viribus pœnitentis : et hæc fit bene in absolutione hominis. Ad 2.

Ad aliud dicendum, quod vicarius regis non constituitur nisi super offensam finitam et temporalem : et illa potest constitui in hominis potestate : sed de offensa Dei secus est, quæ est infinita, et ideo non potest constitui in hominis potestate. Ad 3.

D. *Si sacerdos potest dimittere vel retinere peccata ?*

Sed quæritur, Utrum a peccato solvere valeat sacerdos, id est, a culpa : ut culpæ maculam abstergat, vel debitum æternæ mortis solvere valeat ? Quidam arbitrati sunt, cum peccator dupliciter ligatus teneatur, ut prædictum est, scilicet mentis contagione ac cæcitate, et debito futuræ pœnæ : alterum curari per Deum, alterum solvi per sacerdotem. Patitur enim per peccatum quasdam tenebras interiores et maculas, a quibus nisi liberetur, projicietur in tenebras exteriores [1]. Cum autem liberatur ab his, suscitatur a morte peccati. Unde Apostolus : *Surge qui dormis,... et illuminabit te Christus* [2]. Solus enim Christus, non sacerdos, animam resuscitat, ac pulsis tenebris interioribus et maculis, eam illuminat et mundat, qui animæ faciem lavat : debitum vero æternæ pœnæ solvere concessit sacerdotibus. Quod in resurrectione Lazari [3] signatum asserunt : quem Christus prius per se interius vivificavit, deinde foras exire jussit : eumque adhuc

[1] Matth. xxii, 13 : *Ligatis manibus et pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores.*
[2] Ad Ephes. v, 14.
[3] Joan. xi, 43 et 44.

ligatum solvere Apostolis præcepit : quia, ut aiunt, ipse interius animam a caligine maculaque peccati emundat, sacerdotibus vero dedit vinculum æternæ mortis solvere. Alii vero dicunt solum Deum, non sacerdotem, debitum æternæ mortis dimittere, sicut et animam interius per se vivificat: nec tamen diffitentur sacerdotibus traditam potestatem peccata dimittendi et retinendi, quibus dictum est : *Quorum remiseritis peccata*, etc. [1] Sicut enim Christus retinuit sibi potestatem baptismi, ita et pœnitentiæ. Et ideo sicut interius gratia sua animam illuminat, ita et simul debitum æternæ mortis relaxat. Ipse enim per seipsum peccata pœnitentium tegit : et tunc tegit, quando ad pœnam non reservat. Tunc ergo tegit, quando debitum pœnæ solvit. Quod autem ipse tegat, a parte dicit Augustinus exponens illum locum Psalmi : *Quorum tecta sunt peccata* [2], id est, cooperta et abolita. Si enim texit Deus peccata, noluit advertere : si noluit advertere, noluit animadvertere, id est, punire, sed ignoscere [3]. Ita ergo dicit a Deo tecta, ut Deus non videat, id est, æternaliter puniat. Videre enim Dei peccata, est ad pœnam imputare. Avertere autem faciem a peccatis, hoc est ea ad pœnam non reservare. Item, Hieronymus : Quibus Deus dimittit peccata, tegit ne in judicio revelentur [4]. Item, Cassiodorus : Qui gravia habent peccata, aliis Deus imputat, aliis per misericordiam non imputat. Ex his aperte ostenditur, quod Deus ipse pœnitentem solvit a debito pœnæ: et tunc solvit, quando intus illuminat inspirando veram cordis contritionem. Cui sententiæ ratio suffragatur, et auctoritates attestantur. Nemo enim vere compungitur de peccato, habens cor contritum et humiliatum [5], nisi in charitate. Qui autem charitatem habet, dignus est vita æterna. Nemo autem simul vita et morte dignus est. Non est ergo tunc ligatus debito æternæ mortis. Filius enim iræ esse desiit [6], ex quo diligere et pœnitere cœpit. Ex tunc ergo solutus est ab ira, quæ non manet super illum, qui credit in Christum, sed super illum qui non credit [7]. Non ergo postmodum per sacerdotem cui confitetur, ab ira æterna liberatur, a qua jam liberatus est per Dominum, ex quo dixit, *Confitebor*. Solus ergo Deus hominem interius mundat a peccati macula, et a debito æternæ pœnæ solvit, qui per Prophetam ait : Ego solus deleo iniquitates et peccata

[1] Joan. xx, 23.
[2] Psal. xxxi, 1.
[3] S. Augustinus, Super Psal. xxxi.
[4] S. Hieronymus, In eumdem psalmum.
[5] Psal. l, 19 : *Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.*
[6] Ad Ephes. ii, 3 : *Eramus natura filii iræ*, etc.
[7] Cf. Joan. iii, 18.

populi [1]. Item, Ambrosius : Verbum Dei dimittit peccata, sacerdos, et judex. Sacerdos quidem officium suum exhibet, sed nullius potestatis jura exercet [2]. Idem, Ille solus peccata dimittit, qui solus pro peccatis nostris mortuus est. Item, Augustinus : Nemo tollit peccata, nisi solus Deus, qui est agnus tollens peccata mundi [3]. Tollit autem et dimittendo quæ facta sunt, et adjuvando ne fiant, et perducendo ad vitam, ubi omnino fieri non possunt.

His aliisque pluribus testimoniis docetur, Dominum solum per se peccata dimittere : et sicut dimittit quibusdam, ita et aliorum quorumdam peccata retinet.

ARTICULUS VIII.

An peccatum debeat et possit dici tenebra ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, D, post initium : « *Patitur enim per peccatum quasdam tenebras*, etc. »

Quæritur hic, Quæ sint istæ tenebræ ?

Cum enim lux sit propria perfectio intellectus, et tenebra opponatur luci, videtur esse secundum intellectum tantum : sed

1. Peccatum principaliter est secundum affectum : ergo videtur, quod peccatum non sit tenebra.

Si autem dicitur, quod peccatum dicitur *tenebra*, quia privat animam luce increata gratiæ : eodem modo potest dici *frigus*, eo quod privat calore Spiritus sancti.

2. Adhuc, Peccatum magis opponitur charitati, quam fidei, quia charitate in toto privat, et fide non privat nisi quoad formam : cum ergo charitas sit calor, et fides sit lux, videtur quod peccatum potius dicatur frigus, quam tenebra.

3. Si autem dicas, quod est effectus peccati qui est obtenebratio intellectualium virtutum. CONTRA : Multos videmus in peccatis existentes citius intelligere quam alios : ergo videtur, quod peccatum non inducit interiores tenebras, quæ sunt obtenebratio naturalium.

4. Adhuc, Si aliquis per peccata, obtenebrata naturalia haberet, ille maxime esset diabolus, qui in veritate non stetit, sed homicida est ab initio, ut dicitur, Joan. VIII, 44 : sed e contra Dionysius dicit in libro de *Divinis nominibus* quod « data illis naturalia dona, nequaquam ipsa mutata esse dicimus : sed sunt integra et splendidissima, quamquam ipsi non videant, claudentes ipsorum boni inspectivas virtutes [4].» Ergo nec alii obtenebrantur ex peccato.

Si forte tu dicas, quod intelligitur de scientia infusa : in illa enim non tantum percipit peccator, quantum justus.

Instantia videtur esse de Balaam, qui doctrinam Altissimi novit, et visiones

[1] Isa. XLIII, 25 : *Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me, et peccatorum tuorum non recordabor.*

[2] Cf. De pœnit. dist. 1, cap. *Verbum Dei* (Nota edit. Lugd.)

[3] Cf. Joan. 1, 29.

[4] S. DIONYSIUS, Lib. de Divinis nominibus, cap. 4.

potentis intuitus est [1]. Ergo videtur, quod nec de illa potest intelligi.

Adhuc, Dominus in Evangelio dicit, quod *filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt* [2]. Ergo videtur, quod peccatum non est tenebra.

Sed contra. In contrarium hujus objicitur quod Damascenus expresse dicit, quod peccatum est tenebra intellectualis sive spiritualis. Et, I Joan. II, 11, dicit, quod *qui odit fratrem suum, in tenebris est*, etc. Et, Joan. VIII, 12 : *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ, dicit Dominus.* Ergo videtur per oppositum, quod omne peccatum sit tenebra intellectualis.

Quæst. Ulterius quæritur hic de aliis quæ tangit hic in *Littera*, scilicet mentis contagione ac cæcitate : et supra, primo capitulo hujus distinctionis, tetigit duo, scilicet maculam, et fœtorem : et quæritur de differentia horum inter se qualiter conveniunt effectui peccati.

Item, Tangit reatum, per hoc quod dicit debitum mortis æternæ. Sunt autem quæ non tangit, scilicet culpa, et peccatum, et malum, et vitium : et quæritur differentia omnium istorum.

Videtur autem non omne peccatum facere contagionem.

1. Contagio enim est morbus proveniens ex simili contactu : sicut dicitur morbus *contagiosus*, qui ex convictu et contactu quodam conversationis et communicationis quæ in conversatione est, contrahitur : non autem omne peccatum est tale : ergo non omne peccatum est contagionem faciens.

2. Adhuc, Contagio est semper in alio quam in peccante primo : ergo videtur quod non omne peccatum faciat contagionem : ergo videtur, quod non universaliter debeat peccato attribui.

Adhuc, Contagio magis nata est fieri circa corpus, quam circa mentem : ergo multo magis debet dicere contagionem corporis, quam contagionem animæ sive mentis.

3. Adhuc, Cæcitas dicit organi defectum : constat autem, quod per peccatum non aufertur organum corporis, nec etiam organum mentis, quod est potentia quæ est forma organi : ergo videtur, quod peccator non incurrat cæcitatem.

4. Si autem dicas, quod per peccatum fit privatio habitus lucis spiritualis quæ est gratia : contra hoc tunc erit, quod adhuc dicitur tenebra : ergo superflue ponitur ibi spiritualis cæcitas.

5. Similiter, Objicitur de macula : macula enim non dicitur nisi duobus modis, scilicet per defectum ejus quod debet esse ad decorem et ad integritatem pulchritudinis rei : sicut dicimus maculam habere denasatum vel monoculum. Aut dicitur per potentiam alicujus deturpantis decorem : sicut dicimus habere maculam, habentem morpheam in facie. Neutro autem istorum modorum videtur peccatum dici *macula* : quia nec amputat naturalia, nec ponit aliquid in anima, quia nihil est et nihil ponit : ergo videtur, quod non sit macula.

6. Fœtor autem quem nominat videtur omnino irrationabiliter poni : quia non est aliquis fœtor in spiritualibus : sed ista sunt spiritualia : ergo non est aliquis fœtor in illis.

De culpa vero, peccato, et malo, super ultimam partem libri secundi *Sententiarum* satis est dictum.

Responsio. Dicendum, quod omnia hæc conveniunt peccato : in peccato enim est aversio a bono incommutabili, et conversio ad bonum commutabile. In quantum autem est aversio a bono incommutablili, est ipsum *tenebra interior*, sive intellectualis *cæcitas* mentis. In quantum autem est conversio ad bonum commutabile, est *contagio* et *fœtor*. Lux enim forma est universalis primi Solutio.

[1] Cf. Numer. XXIV, 16.

[2] Luc. XVI, 8.

mobilis per quam primo movetur materia generabilium et corruptibilium ad susceptionem formæ cujuslibet speciei. Dico autem *universalis* : non quod universaliter luceat primum mobile, sed quia illa movet ad omnem formam, et non specialiter ad illam vel istam. Et per hoc lux habet convenientiam cum gratia quæ est prima forma movens ad formationem in bene esse omnes potentias, et ipsam animæ essentiam, producens quasi ex se alias particulares formas potentiarum, scilicet virtutes theologicas, et politicas, secundum quod sunt infusæ. Et hoc modo luci non opponitur infidelitas, nec aliquod peccatum in specie : sed peccatum in genere, in quantum per aversionem est gratiæ hujusmodi generalis privativum. In quantum autem lux superior est perfectiva visus exterioris et interioris, et peccatum privans lucis receptione, facit *cæcitatem* in visu spirituali animæ quod ostendit ipsum nomen *tenebrarum* : quia tenebra a tenendo dicitur, quia tenet oculos ne possint videre. In quantum autem est ad bonum commutabile, quod est corporale et corrumpens, tripliciter consideratur, scilicet in quantum manet in anima prima impressio hujusmodi boni caduci, vel in quantum est inveterata impressione hujusmodi, vel in quantum defectivam facit pulchritudinem proportionis quam habuit anima per conjunctionem ad bonum summum. Et primo quidem modo dicitur *contagio*, secundo autem modo *fœtor*, et tertio modo *macula* : de malo autem et peccato alibi, scilicet in fine secundi libri *Sententiarum* dictum est.

ad 1. Dicendum ergo ad primum, quod lux non sumitur ibi pro spirituali perfectione visus, sed potius in illa proprietate generali quæ dicta est. Et hoc modo melius dicitur *tenebra*, quam *frigus* : quia calor non est tota universalis forma, formas generabilium conducens ad esse, sicut lux quæ secundum diversitatem luminosorum et angulorum et figurarum ipsorum corporum luminosorum, omnes generaliter formas generabilium ad esse conducit.

Ad aliud dicendum, quod verum est, quod magis opponitur charitati peccatum, quam fidei : sed non opponitur ei plus, quam gratiæ. Et per hoc patet solutio. Ad 2.

Ad aliud dicendum, quod in veritate, sicut dicit Philosophus in VI *Ethicorum*, intellectus speculativus quidem non corrumpitur per peccatum : sed tamen prudentis et felicis intellectus corrumpitur per peccatum, etiam felicis secundum felicitatem speculativam, quia illa vult esse pura et non plena delectatione. Potest ergo dici, quod intellectus est ad verum purum, vel ad verum sub ratione faciendi et ad verum sub ratione felicitatis. Et primo quidem modo non corrumpitur. Sed secundo modo dupliciter est ad verum sub ratione boni, scilicet speculative et practice : sunt enim quidam sapientes de his circa quæ est prudentia, et tamen non afficiuntur circa operabilia : alii autem habent scientiam quam sequitur facere, quæ de se movens est, ut dicit Philosophus : sicut sciens citharizare habet in habitu citharizare, et operatur quando vult : et hoc obtenebratur per peccatum : sicut dicit Philosophus disputans contra Socratem, quod existimatio prudentis corrumpitur per delectationem in minori propositione, ubi miscetur affectui operanti : et hoc modo obtenebratur intellectus ad bonum : quia sic omnis malus, ignorans est. Secundum autem quod se habet ad verum felicitans, est illud verum affectum sub ratione delectantis potentias, quod non habet admixtam pœnitudinem : et tunc iterum obtenebratur et impeditur per peccatum. Ad 3.

Ad aliud autem quod objicitur de Dionysio dicendum, quod ipse loquitur de virtutibus speculativis, secundum quod sunt speculativæ solum : sic enim verum est, quod non obtenebrantur. Ad 4.

Ad id quod objicitur de *contagione*, Ad quæst. Ad 1.

dicendum quod omne peccatum contagionem imprimit : dicitur enim hic *contagio*, non quæ serpit tantum ab uno in alium, sed etiam corruptio contracta ex impressione fœdantis et putrefacientis, sicut bonum corporale cui supponitur affectus.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod hoc modo dicta contagio, non semper est in alio, sed in eodem cui unitur contagio sicut corrumpens.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod *cæcitas* dicitur hic a carentia influentiæ lucis desuper descendentis ad intellectum practicum ex ea parte qua miscetur potentiæ operativæ sive affectui : sicut si lumen descendens in oculum privaretur quoad discretionem operabilium quorumdam, et non aliorum : et hoc modo bene impeditur potentia mentis interior.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod non dicitur *tenebra* quantum ad hoc, sed in quantum privat forma generali formante omnia spiritualia, ut patet ex supra dictis.

Ad 5. Ad aliud dicendum, quod *macula* dicitur per defectum naturalis decoris, quem habet ex corruptione naturalis boni conjuncti cum gratuito et increato. Quod autem hoc faciat peccatum in quantum malum est, et adimit bonum, non dubitat qui bene legit ea quæ dicta sunt in secundo libro *Sententiarum*, in tractatu de *malo*.

Ad 6. Ad hoc autem quod objectum est de *fœtore*, dicendum quod sumitur spiritualiter eo modo quo dicit Dionysius in libro de *Cœlesti hierarchia* [1], quod « intellectualis distributio significatur per odorem : » quo ad amissam anima devotionem dicitur *fœtida* per evaporationem concupiscentiæ sequentem corruptionem complexionis veræ, ut dictum est.

[1] S. Dionysius, Lib. de Cœlesti hierarchia, cap. 1.

ARTICULUS IX.

An fiat absolutio a debito æternæ pœnæ per absolutionem a sacerdote factam?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, D, ante medium : « *Alii vero dicunt solum Deum, non sacerdotem,* etc. »

Videtur, quod isti dicunt falsum : quia

1. Ita dicit Magister Hugo ad beatum Bernardum in libro de *Potestate ligandi et solvendi :* « Per semetipsum solvit Dominus vinculum obdurationis, sed per se et per ministrum debitum æternæ damnationis. » Ergo illi falsum dicunt, qui plane dicunt contrarium.

2. Adhuc etiam constat, quod sacerdos per contritionem non absolvitur a debito æternæ damnationis, nisi confiteatur et absolvatur si habeat facultatem : ergo si non confiteatur et absolvatur, adhuc remanebit debitor æternæ pœnæ : ergo aliquid ad solutionem illius debiti operatur absolutio facta per sacerdotem.

Sed contra. Sed contra hoc est, quod debitum pœnæ æternæ est æternum et infinitum, sicut supra probatum est [2] : sed temporale non potest in æternum : absolutio autem est temporalis : ergo videtur, quod non fiat absolutio a debito pœnæ æternæ per absolutionem a sacerdote factam.

Solutio. Responsio. Dicendum, quod nullo modo sacerdos absolvit a debito mortis æternæ : sed claves uno modo quo supra dictum est ad hoc operantur.

Ad 1. Ad dictum autem Magistri Hugonis dicendum, quod loquitur de absolutione impediente reditum illius debiti, non ejusdem in numero, sed similis in spe-

[2] Cf. Supra in hac eadem distinctione, Art. 7.

cie, sicut infra patebit [1], cum agetur de reatu peccatorum. Ad hoc enim operatur absolutio sacerdotis : quia absolvit, ut ipse dixit, a debito confitendi : quod si non impleret, rediret debitum æternæ damnationis : absolvit autem ligando ad temporalem pœnam injunctam.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod non operatur absolutio sacerdotis ad solutionem illius debiti : quia Deus simpliciter et absque Ordine solvit : sed ad solutionem illius quod innasceretur si confessio et absolutio non reciperentur, sicut justum est et debitum.

ARTICULUS X.

An Verbum Dei dimittat peccata ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, D, ante finem : « *Verbum Dei dimittit peccata, sacerdos, et judex*, etc. »

Videtur enim innuere per istam enuntiationem, quod ista tria diversimode peccata dimittunt : et hoc non videtur, quia

1. Verbum Dei aut intelligitur de verbo creato, aut de Verbo increato. Si de creato : tunc non dimittit peccata, nisi per modum suadentis et inducentis : ergo divisio sua nihil valet, quia multa sunt remittentia peccata hoc modo, sicut gratia, et opus bonum, quæ hic non enumerat, quæ tamen efficaciora sunt in dimittendo peccatum, quam verbum Dei. Si divisio autem intelligitur de Verbo increato : tunc videtur, quod non differat a judice quem etiam hic ponit.

2. Ulterius, Videtur quod judex non dimittit peccata : quia cum acceperit judicium et tempus, justitias judicabit [2] : sed juste judicando, peccatum non dimittitur, sed punitur : ergo videtur, quod nihil est quod dicit, judicem dimittere.

Adhuc, Cum venerit ad judicium Dominus, etiam fidelibus non creditur peccata dimissurus : ergo nihil est quod dicit, judicem dimittere peccata.

3. Ulterius videtur falsum dicere, cum de dimissione sacerdotis dicit : « Sacerdos quidem officium suum exhibet, sed nullius potestatis jura exercet. » Exercet enim sacerdos suam potestatem, partem pœnæ dimittendo, sicut supra dictum est : ergo falsum est quod dicit.

Responsio. Dicendum, quod Verbum Dei dicitur unigenitus Filius, prout in mundo loquitur ad Patrem : ille enim peccata dimittit potestate excellentiæ, sicut supra notatum est, eo quod meritum suum infiniti valoris fuit : et omnia dedit Pater in manu ejus. Unde, Joan. 1, 29, dicitur : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*. Judex autem est Deus auctoritate dimittendo, et sacerdos ministerio : et ita patet qualiter differant hæc tria. Solutio.

Ad objectum dicendum, quod alius est modus quo dimittit Verbum increatum, et aliud quo dimittit judex : judex enim dicitur Deus Trinitas, non tamen dicitur *verbum*. Incarnatum autem Verbum dimittit redemptionis modo quo solvit pretium pro nobis, quod non facit Deus Trinitas : unde objectio supponit falsum. Ad 1.

Ad aliud dicendum, quod intelligitur de judicio quo Deus judicabit pœnitentes judicio misericordiæ, in quo parum est de justitia, et multum de misericordia : remittit enim omnem pœnam æternam, et exigit temporalem : sed in futuro non remittet. Ad 2.

Ad id quod objicitur de officio sacerdotis, dicendum quod non negatur quin habeat potestatem in ministerio : sed negatur, quod habeat potestatem interiores maculas detergendi, et debitum æternæ Ad 3.

[1] Cf. Infra, Dist. XXII.

[2] Psal. LXXIV, 3 : *Cum accepere tempus, ego justitias judicabo.*

mortis relaxandi : sed super partem pœnæ habet potestatem in ministerio : unde quod dicit, « Nullius potestatis, etc., » intelligitur de potestate absoluta in relaxando culpam.

E. *Quod sacerdotes etiam dimittunt et tenent peccata suo modo.*

Nec ideo tamen negamus sacerdotibus concessam potestatem dimittendi et retinendi peccata, cum hoc veritas in Evangelio aperte doceat [1]. Hinc Augustinus ait : Ecclesiæ charitas, quæ per Spiritum sanctum diffunditur in cordibus eorum qui participes sui sunt, peccata dimittit : eorum qui non sunt, tenet [2]. Idem, Sacerdotes possunt confitentibus parcere : quibus enim remittunt, remittit Deus. Lazarum enim de monumento suscitatum obtulit discipulis solvendum [3] : per hoc ostendens, potestatem solvendi concessam sacerdotibus. Dixit enim : *Quodcumque solveritis super terram, erit solutum et in cœlo*, etc. [4], hoc est, Ego Deus, et omnes cœlestis curiæ ordines, et omnes sancti in gloria mea laudant vobiscum et confirmant quos ligatis et solvitis. Non dixit, quos putatis ligare et solvere : sed in quos exercetis opus justitiæ et misericordiæ. Aliter autem, vel alia opera vestra in peccatores non cognosco [5]. Idem [6], Cum veraciter ad Deum converso peccata dimittuntur, ab eis dimittuntur, quibus ipse veraci conversione conjungitur. Spiritus sanctus ea dimittit, qui datus est omnibus sanctis sibi charitate cohærentibus, sive se noverint corporaliter, sive non. Similiter cum alicujus tenentur peccata, ab eis tenentur a quibus ille cordis pravitate disjungitur, sive notis corporaliter, sive ignotis. Omnes enim mali, spiritualiter a bonis sejuncti sunt. Ecce, hîc dicit peccata dimitti vel teneri a sanctis viris, et tamen Spiritum sanctum ea dimittere dicit. Et quod majori consideratione dignum est, idem etiam dicit, quod Deus per se vel per sanctos suos tantum dimittit peccata. Ait enim sic [7] : Sacramentum gratiæ dat Deus etiam per malos, ipsam vero gratiam non nisi per

[1] Cf. Matth. XVI, 19 et Joan. XX, 23.
[2] S. AUGUSTINUS, Super Joannem, Tract. 121.
[3] Cf. Joan. XI, 44.
[4] Matth. XVI, 19.
[5] S. AUGUSTINUS, Lib. de Vera et falsa pœnitentia, cap. 10.
[6] S. AUGUSTINUS, In libro de Baptismo parvulorum, cap. 6.
[7] IDEM, Ibidem.

seipsum, vel per sanctos suos. Et ideo remissionem peccatorum vel per seipsum facit, vel per ipsius columbæ membra, quibus ait : Si cui dimiseritis, dimittetur.

Ecce quam varia a Doctoribus traduntur super his : et in hac tanta varietate quid tenendum ? Hoc sane dicere ac sentire possumus, quod solus Deus dimittit peccata et retinet : et tamen Ecclesiæ contulit potestatem ligandi et solvendi : sed aliter ipse solvit vel ligat, aliter Ecclesia. Ipse enim per se tantum dimittit peccatum, quia [1] et animam mundat ab interiori macula, et a debito æternæ mortis solvit.

ARTICULUS XI.

Quæ et qualis sit potestas sacerdotum in dimittendis peccatis ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, E, « *Nec ideo tamen negamus,* etc. »

Quæritur autem hic utilis quæstio, Quæ sit potestas sacerdotum in dimittendis peccatis ?

Constat enim, quod hæc non est super culpam, nec super pœnam æternam : quæratur ergo, super quam pœnam se extendit?

1. Est autem accipere in genere pœnæ tres modos pœnarum, scilicet pœnam æternam, et transitoriam viribus pœnitentis improportionatam, et transitoriam viribus pœnitentis proportionatam.

Similiter, Tria sunt in pœnitentia operantia contra pœnam peccati, scilicet dolor informatus gratia qui operatur contra æternam pœnam, et confessio faciens pœnam transitoriam viribus pœnitentis proportionatam, et satisfactio quæ delet pœnam viribus pœnitentis taxatam. Ergo cum potestas clavium sit media, post primam, et ante tertiam : videtur quod ipsa operatur supra pœnam mediam quæ est quidem transitoria, et tamen viribus pœnitentis non proportionata.

2. Adhuc, Dimissa pœna æterna, adhuc non recessit homo a judicio divino, quia restat sibi pœna purgatorii : sed per claves et satisfactionem non adimitur : ergo purgatio secundum ordinem justitiæ media est inter æternam, et illam quæ injungitur in satisfactione : ergo videtur, quod æterna immediate commutetur in illam, et illa per claves in istam quæ est satisfactionis : ergo potestas clavium est super pœnam purgatoriam : hæc autem excedit omnem pœnam hujus vitæ, ut dicit Augustinus, et infra habebitur : ergo ipsa viribus pœnitentis secundum hunc statum non est proportionata : et inde ut prius.

3. Adhuc, Clavis operatur per virtutem doloris passionis Christi : dolor autem ille improportionatus est omni passioni quam aliquis potest sustinere in hac vita, ut probatum est super tertium librum *Sententiarum* : ergo videtur, quod contra illam pœnam operatur, quæ quidem est transitoria, tamen viribus pœnitentis non est proportionata : et inde arguitur ut prius.

4. Adhuc, Ambrosius dicit, et ponitur in tertio libro *Sententiarum* [2], et Anselmus probat in libro *Cur Deus homo*,

[1] Edit. J. Alleaume, *qui*.

[2] Cf. III Sententiarum, Dist. XIX, Litt. D.

quod nulla pœnitentia nostra sufficeret, nisi esset meritum Christi coadjuvans : quod autem non sufficit pœnitentia nostra, nulla causa est nisi quod majoris quam solvere possumus debitores sumus : et hæc est improportio potentiæ solvendi in nobis : et hoc pro nobis solvit Christus : ergo iterum ut prius, passio Christi quæ in clavibus operatur, habet effectum contra illum modum pœnæ, qui excedit vires nostras.

Sed contra. Sed in contrarium hujus objicitur sic :

1. Pœna purgatorii non est de foro Ecclesiæ, quia nec demereri ibi existentes : sed solam pœnam quæ est de foro Ecclesiæ potest sacerdos per claves Ecclesiæ mutare et dimittere : ergo pœnam purgatoriam nec mutare potest, nec dimittere.

2. Adhuc, Ponamus, quod aliquis decedat antequam perficiat pœnitentiam sibi a sacerdote injunctam, quæ debita fuit peccatis suis : constat, quod ipse transibit in purgatoriam : non autem transiret, nisi ipse esset debitor pœnæ illius : ergo adhuc ipse est debitor illius pœnæ : ergo non fuit commutata, ut videtur.

Si dicas, quod in tali casu expiativa per satisfactionem mutatur in purgatoriam. Contra : Purgatoria incomparabiliter gravior est, quam expiativa per satisfactionem : si ergo pœna expiativa per satisfactionem fuit sufficiens, illa quæ est in purgatorio erit ultra condignum : sed Deus nullum punit ultra condignnm : ergo Deus non puniet illum pœna purgatorii, quod falsum est : ergo et hoc falsum ex quo sequebatur, scilicet quod expiativa per pœnitentiam illi injuncta, mutata sit in purgatoriam.

Quæst. Ulterius quæritur, Cum multæ pœnæ respondeant peccatis præter sensibilem in acerbitate caloris et frigoris, scilicet pœna vermis conscientiæ, et pœna carentiæ visionis Dei, et pœna horroris carceris et societatis malæ, in quid mutantur omnes istæ pœnæ ?

Videtur enim, quod commutari debeant : quia eadem ratio est de una et de alia : et una mutatur, scilicet sensibilis in acerbitate caloris et frigoris : ergo et aliæ debent mutari.

Responsio. Ad hoc dicendum, quod in veritate, meo judicio, essentialis actus clavis est super pœnam illam quæ dicitur *purgatoria*, sicut videntur satis probabiliter concludere rationes primo inductæ : non tamen negandum videtur, quod ille qui habet in clavibus majorem jurisdictionem sicut Episcopus, Legatus, et Papa, posset etiam de expiativa pœna plus et minus dimittere secundum discretum judicium causæ necessitatis vel utilitatis, sicut infra dicemus, cum de *indulgentiis et relaxationibus* erit sermo. Solutio.

Ad id ergo quod primo objicitur in contrarium, dicendum quod hæc pœna non dicitur *purgatoria* a loco vel foro purgatorii, quia sic non esset nisi post mortem : sed dicitur *purgatoria* a similitudine proprietatis in duobus, scilicet quia est secundum judicium Dei, et quia est improportionabilis viribus hominis, sicut pœna purgatorii si modo imponeretur ad sustinendum. Cum enim mutatio ad extremum non sit nisi per medium ad minus secundum rationem, et una pœna sit æterna, altera autem temporalis secundum vires pœnitentis taxata, expiativa secundum rationem media est, quæ quidem temporalis et finibilis est sicut secunda, et secundum vires pœnitentis non taxata, sed peccato commutato in contritione debita : et hæc vocatur *purgatoria* ratione dicta, et est ad minus secundum rationem media : et etiam nisi esset meritum Christi in clavibus, puto quod illa exigeretur ab homine : commutatio ergo illius in tertiam est essentialis effectus clavis, quem habet in omni se clavibus per votum submittente. Ad object.

Ad aliud dicendum, quod licet talis transeat in purgatoriam sive post confessionem factam, sive ante, dum contemptus religionis non impediverit eum Ad object. 2.

a confessione, semper in eo commutata est pœna primo modo *purgatoria* dicta. Et ideo ad propositum nihil facit objectio. Sed quod major sit pœna quæ est post mortem, hoc est per accidens, scilicet quia status est mutatus : et hæc est voluntaria, et illa necessaria, et ideo minorem virtutem habens in purgando : et ideo necesse est eam crescere acerbitate, et etiam forte diuturnitate. Unde patet, quod Deus non punit eum ultra condignum : sed hoc accidit ex mutatione status ejus qui purgari debet.

uæst. Ad id quod quæritur ulterius, videtur mihi, quod quæstio nulla est : quia pœna licet sit mala, quia est ex malo, et contraria naturæ bonæ, tamen non est expiativa in quantum hujusmodi, sed in quantum voluntarie suscepta : et non omnia pœna est sic expiativa : quia pœna damni in spiritualibus contrariatur tali expiationi, similiter pœna remorsus conscientiæ : unde istæ abjiciuntur, sed infliguntur pœnæ expiativæ, quæ solæ sunt illæ quæ promovent ad virtutem, et illæ sunt solæ, circa quarum difficultatem eradicantur vitia, et inseruntur virtutes : et ideo non oportet, quod illæ pœnæ in quibus hoc non est, in aliquid transeant : sed cum peccatis abjiciuntur sicut et tenebræ, et excæcatio, et fœtor, et hujusmodi, de quibus supra dictum est.

Et si objicias, quod aut Deus punit, aut homo : ergo necesse est, quod hæ transeant pœnæ in aliquas pœnas hominis, vel Deus reservabit eas. Dicendum, quod hoc verum est, quod aut Deus punit, aut homo : sed non est necesse quod eadem pœna puniat homo qua Deus, quia quædam pœnæ adjunctæ sunt peccato, et transeunt cum peccato, sicut corruptio naturalis boni, et carentia luminis Dei, et hujusmodi quæ sunt pœnæ in quibus sibi pœna est omnis inordinatus actus : et ideo illæ non permanent ad virtutem, et ideo illæ fugiendæ sunt, et aliæ pœnæ promoventes ad virtutem sunt suscipiendæ : et ideo hæc quæstio nulla est, ut mihi videtur.

Dixerunt tamen antiqui in solutione hujus quæstionis, quod pœna carentiæ visionis Dei mutatur in delectationem præsentiæ Dei per gratiam, et pœna vermis in peccati detestationem, et pœna carceris in jucunditatem longanimem Ecclesiæ, quibus ligatur pœnitens : et pœna horrendæ societatis in gaudium Ecclesiasticæ unitatis et communionis, ut possit dicere : « Participem me fac, Deus, omnium timentium te, et custodientium mandata tua, Domine [1]. »

ARTICULUS XII.

An charitas Ecclesiæ dimittat peccata ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, E, post initium : « *Ecclesiæ charitas quæ per Spiritum sanctum diffunditur in cordibus eorum*, scilicet fidelium, *qui participes sui sunt, peccata dimittit*, etc. »

Videtur enim, quod hoc non faciat ad propositum : quia

1. Charitas Ecclesiæ non dimittit nisi per modum meriti : et non agitur hic de dimissione per meritum, sed potius per potestatem clavium, quæ æqualiter fit per bonos et malos, qui inæquales sunt in merito.

2. Præterea, Videtur sequi inconveniens, si ita dicatur ut sonat *Littera :* posito enim, quod non sint nisi tres homines vel quatuor, et nullus eorum sit in charitate : tunc in nullo erit charitas Ecclesiæ : ergo si pœnitet unus illorum, videtur quod peccata non remittantur ei, ex quo non nisi in Ecclesiæ charitate dimittuntur.

[1] Psal. cxviii, 63 : *Particeps ego sum omnium timentium te, et custodientium mandata tua.*

Sed contra. SED CONTRA :

1. Dicitur : « Participem me fac, Deus, omnium timentium te, et custodientium mandata tua. » Ergo in participatione bonorum Ecclesiæ dimittuntur peccata : sed charitas est quæ facit bona communia et participabilia a diversis : ergo in charitate dimittuntur peccata participantibus ea.

2. Adhuc, Unus articulus est, « Sanctorum communionem, » et ab omnibus solet exponi, Credo in Spiritum sanctum, per charitatem communicantem bona Ecclesiæ : sed per bona remittuntur mala : ergo videtur, quod per charitatem Ecclesiæ solvantur delicta.

3. Adhuc, In Proverb. x, 12 : *Universa delicta operit charitas.*

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quod omne peccatum in charitate Ecclesiæ dimittitur : hæc enim quæ est mater boni, communicat bona, ut quod uni deficit, suppleatur in altero, et illæ divitiæ communes sunt sub clavibus, et communicabiles per Ecclesiæ ministros secundum dispensationem faciendam discreto judicio clavis unius, quæ est auctoritas discernendi.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod per modum meriti quædam dimittuntur peccata : sed dispensare vel dare huic vel illi meritum illud, pertinet ad potestatem clavis. Ad

AD ALIUD dicendum, quod una est columba cujus charitas numquam deficit : quia ad minus est in triumphante, et in illius charitate peccata dimittit, et præcipue in charitate Christi, qua passus est pro nobis. Ad

Et si objicias, quod Sancti de triumphante Ecclesia non merentur, solvendum quod hoc verum est, quod sibi non merentur, sed aliis qui sunt in militante Ecclesia tota die merentur : et ideo in litaniis petimus ut intercedant pro nobis.

F. *Quomodo sacerdotes ligant vel solvunt a peccatis ?*

Non autem hoc sacerdotibus concessit, quibus tamen tribuit potestatem solvendi et ligandi, id est, ostendendi homines ligatos vel solutos. Unde Dominus leprosum sanitati prius per se restituit, deinde ad sacerdotes misit, quorum judicio ostenderetur mundatus [1]. Ita etiam Lazarum jam vivificatum obtulit discipulis solvendum [2]. Quia etsi aliquis apud Deum sit solutus, non tamen in facie Ecclesiæ solutus habetur, nisi per judicium sacerdotis. In solvendis ergo culpis vel retinendis, ita operatur sacerdos Evangelicus et judicat, sicut olim Legalis in illis qui contaminati erant lepra [3], quæ peccatum signat. Unde Hieronymus super *Matthæum*, ubi Dominus ait Petro : *Tibi dabo claves regni cœlorum : et quodcumque liga-*

[1] Cf. Matth. VIII, 1 et seq. ; Marc. I, 40 ; Luc. V, 12 et seq.
[2] Cf. Joan. XI, 44.
[3] Cf. Levit. XIII et XIV, passim.

veris super terram erit ligatum et in cœlis, et quodcumque solveris super terram erit solutum et in cœlis [1]. Hunc, inquit [2], locum quidam non intelligentes aliquid sumunt de supercilio Pharisæorum : ut damnare innoxios, vel solvere se putent noxios, cum apud Deum non sententia sacerdotum, sed reorum vita quæratur. In Levitico [3] se ostendere sacerdotibus jubentur leprosi, quos illi non faciunt leprosos vel mundos, sed discernunt qui mundi vel immundi sunt. Ita et hic aperte ostenditur, quod non semper sequitur Deus Ecclesiæ judicium : quæ per surreptionem et ignorantiam interdum judicat, Deus autem semper judicat secundum veritatem. Et in remittendis vel in retinendis culpis id juris et officii habent Evangelici sacerdotes, quod olim habebant sub lege Legales in curandis leprosis. Hi ergo peccata dimittunt vel retinent, dum dimissa a Deo vel retenta judicant et ostendunt. Ponunt enim sacerdotes nomen Domini super filios Israel, sed ipse benedicit, ut dicitur in Numeris [4]. Hunc modum ligandi et solvendi Hieronymus supra notavit.

ARTICULUS XIII.

An sacerdos Evangelicus differat a sacerdote Legali ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, F, « *Non autem hoc sacerdotibus concessit, quibus tamen dedit potestatem ligandi et solvendi id est, ostendendi homines ligatos vel solutos*, etc. »

1. Secundum hæc enim quæ hic dicuntur, videtur quod sacerdos Evangelicus quoad potestatem non differat a sacerdote Legali, quod est absurdum.

2. Item, Hoc præcipue videtur ex auctoritatibus in capitulo isto inductis, præcipue Hieronymi.

Contra. Sed contra hoc videtur, quod

1. Sicut sacerdotium se habet ad sacerdotium, ita potestas clavis ad potestatem : sed sacerdotium novæ legis abundat a sacerdotio legis veteris : ergo et potestas clavis abundat a potestate illius : sed illi mundatos tantum ostendebant : ergo isti aliquid plus faciunt quam ostensionem : ergo aliquid remittunt ex peccato, vel ex parte culpæ, vel ex parte pœnæ.

2. Adhuc, Sicut se habet morbus ad morbum, ita medicina ad medicinam : sed in Veteri Testamento de morbo corporali sacerdoti præsentabantur, in Novo autem de morbo spirituali : ergo in Veteri Testamento fuit tantum medicina corporalis, et in Novo erit spiritualis : ergo sicut sacerdos Veteris Testamenti castris restituit corporaliter, ita sacerdos Novi Testamenti castris restituit spiritualiter : ergo aliquid plus facit quam ostendat solutos vel ligatos.

Solutio. Responsio. Dicendum, quod ostensio fit dupliciter, scilicet per demonstratio-

[1] Matth. XVI, 19.
[2] S. Hieronymus, Ad cap. XVI Matthæi.
[3] Levit. XIV, 2.
[4] Numer. VI, 27 : *Invocabunt*, scilicet sacerdotes, *nomen meum super filios Israal, et ego benedicam eis.*

nem solam, sicut ostenditur coloratum digito : et per exhibitionem in opere, sicut artifex demonstrat artificiatum, cum facit illud perfectum stare ante oculos intuentium, Et primo modo non accipitur hic ostensio, sed secundum aliquem modum secundæ demonstrationis et ostensionis : sed ille est duplex, scilicet cum totum fit artificiatum, vel cum fit in parte ultima completiva : demonstrat enim tunc id quod est secundum partem, totum perfectum. Ita est hic : remisit enim Deus culpam in contritione, et relaxavit debitum æternæ mortis : et ad completionem remanet id quod commissum est ministris Ecclesiæ, scilicet relaxatio pœnæ purgatoriæ, et injunctio expiativæ : et hæc est pars curationis et solutionis peccati, et demonstrat totam esse completam, eo quod pars ultima est, ut patet ex prædictis. Et hoc modo glossandæ sunt omnes hujus capituli auctoritates.

Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICULUS XIV.

An Legalis sacerdos habuit claves ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, F, post initium : « *Sicut olim Legalis in illis qui*, etc. »

Quæritur enim, Utrum Legalis sacerdos habuit claves ?

Videtur, quod sic : quia

1. Habuit ordinem : et clavis est sequela ordinis : ergo habuit claves.

2. Adhuc, Claves sunt scientia discernendi et potestas ligandi et solvendi : sed sacerdotum officium erat discernere inter munditiam et immunditiam, et etiam extra castra mittere, et eisdem restituere : quod est ligare et solvere : ergo claves habuit Legalis sacerdos.

3. Adhuc, Constat, quod in spiritualibus commissa fuit potestas Legalibus sacerdotibus super populum Dei : spiritualis autem potestas tota est in potestate ligandi et solvendi quantum ad ea quæ pertinent ad cohabitationem populi : ergo Legalis habuit potestatem ligandi et solvendi : ergo habuit claves.

Sed contra :

Sed c

1. Totum factum sacramentorum veteris legis in exteriori opere consistebat, sicut et ipsa lex quæ prohibebat manum non animum, quia non conferebat gratiam ad animi prohibitionem : ergo non ordo veteris legis aliquid interius conferebat : ergo non imprimebat characterem, nec potestatem dabat interiorem et spiritualem : sed potestas spiritualis est sequela characteris et clavis : ergo Legalis sacerdos non habuit clavem.

2. Adhuc, Sacramenta veteris legis significabant et non conferebant gratiam : ergo ordo significabat quod confertur in ordine Novi Testamenti, et non conferebat ipsum : sed spiritualis potestas, quæ clavis est, confertur in ordine Novi Testamenti : ergo non conferebatur in Veteri, sed tantum significabatur.

3. Adhuc, In aliquo abundat Novum Testamentum a Veteri in spirituali potestate : sed non videtur in alio abundare, nisi quia in spiritualibus est, cum illud fuerit in corporalibus : sed clavis est spiritualis potestas : ergo necessario est de his in quibus abundat Novum Testamentum a Veteri Testamento.

Responsio. Dicendum, quod in Veteri Testamento sacerdos Legalis claves non habuit, sed habuit umbram clavis, id est, potestatem absolvendi et ligandi circa immunditias corporales, quæ significabant immunditias spirituales, in quibus absolvit et ligat Evangelicus sacerdos. Concedimus ergo rationes ultimo inductas.

Sol

Ad primum ergo dicendum, quod sacerdos sicut ordinem, ita habuit clavem : habuit autem umbram ordinis, quia non impressit characterem, et ideo non habuit etiam nisi umbram clavis.

Ad

2. Ad aliud dicendum, quod discernendi auctoritas in spiritualibus, et ligandi potestas est clavis, et non in corporalibus, sed potius est umbra clavis, quando est circa corporales immunditias.

3. Ad aliud dicendum, quod spiritualia Veteris Testamenti, et Novi, quasi æquivoce *spiritualia* dicuntur : illa enim sunt spiritualia quæ significant spiritualia, et dividuntur circa regnum, et hujusmodi, quæ per sæculares personas et laicos dispensantur : et taliter commissa erant spiritualia sacerdotibus Veteris legis, et hæc sunt spiritualia secundum quid. Sunt iterum spiritualia conferentia spiritum, et hæc sunt spiritualia Novæ legis, et ideo potestas in talibus est simpliciter clavis : potestas autem in illis, est potestas secundum quid.

G. *Alius modus ligandi et solvendi.*

Ligant quoque sacerdotes, dum satisfactionem pœnitentiæ confitentibus imponunt. Solvunt, cum de ea aliquid dimittunt, vel per eam purgatos ad sacramentorum communionem admittunt. Quem modum superius Leo Papa notavit [1]. Secundum hunc modum dicuntur etiam sacerdotes dimittere peccata vel retinere. Unde superius Augustinus dixit : « Quibus remittunt, et remittit Deus, etc. [2].» Opus enim justitiæ exercent in peccatores, cum eos justa pœna ligant : opus misericordiæ, dum de ea aliquid relaxant, vel sacramentorum communioni conciliant : alia opera in peccatores exercere nequeunt. Et notandum est, quia quos satisfactione pœnitentiæ ligant, eo ipso a peccatis solutos ostendunt, quia non imponitur alicui satisfactio pœnitentialis, nisi quem sacerdos vere pœnitentem arbitratur. Alii vero non imponunt : et eo ipso peccatum retineri a Deo judicant. Quod autem hoc ad claves pertineat, Augustinus ostendit dicens : Frustrat claves Ecclesiæ, qui sine arbitrio sacerdotis pœnitentiam agit, si sine oris confessione criminis indulgentiam imprecatur [3].

Est et alius modus ligandi et solvendi, qui per excommunicationem geritur, dum aliquis secundum canonicam disciplinam tertio vocatus ad emendationem manifesti delicti, et satisfacere vilipendens, sententia Ecclesiæ a loco orationis, et sacramentorum communione, et fidelium consortio præscinditur, ut erubescat, et pudore sceleris conversus pœni-

[1] Cf. de Pœnit. Dist. XVII.
[2] S. Augustinus, Lib. de Vera et falsa pœnitentia, cap. 10.
[3] Idem, Ibidem.

teat, ut sic Spiritus ejus salvus sit [1]. Quod si pœnitentiam profitens resipuerit, negatæ communioni admittitur, et Ecclesiæ reconciliatur. Hæc est autem Ecclesiæ anathematizatio : hanc pœnam illis qui digne percelluntur, infligit : quia gratia Dei et protectio illis amplius subtrahitur, ac sibiipsis relinquuntur, ut sit eis liberum ruere in interitum peccati. In quos etiam major diabolo sæviendi datur potestas. Orationes quoque Ecclesiæ, et benedictionum ac meritorum suffragia, eis nequaquam suffragari putantur.

H. *Quomodo secundum hos modos intelligendum sit illud*, Quodcumque ligaveris, *etc. ?*

Secundum hos ligandi et solvendi modos quomodo verum est quod dicitur : *Quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in cœlis, et quodcumque solveris super terram erit solutum et in cœlis* [2]. Aliquando enim ostendunt solutos vel ligatos, qui ita non sunt apud Deum : et pœna satisfactionis vel excommunicationis interdum indignos ligant vel solvunt et indignos sacramentis admittunt, et dignos admitti arcent. Sed intelligendum est hoc in illis, quorum merita solvi vel ligari postulant. Tunc enim sententia sacerdotis judicio Dei et totius cœlestis curiæ approbatur et confirmatur, cum ita ex discretione procedit, ut reorum merita non contradicant. Quoscumque ergo solvunt vel ligant, adhibentes clavem discretionis reorum meritis, solvuntur vel ligantur in cœlis, id est, apud Deum : quia divino judicio sacerdotis sententia sic progressa approbatur et confirmatur. Quos ergo secundum merita sententia Ecclesiæ percellit, lædit : et illi foris sunt apud Deum. Qui autem non meruit, sententia Ecclesiæ non læditur, nisi contemnat. Unde Origenes [3] : Exiit quis a veritate, a fide, a charitate ? per hoc exit de castris Ecclesiæ, etiamsi Episcopi voce non abjiciatur : sicut econtra aliquis non recto judicio foras mittitur, sed si non egit ut mereretur exire, nihil læditur. Interdum enim qui foras mittitur, intus est : et qui foras est, intus videtur retineri. Ecce qualis et quantus est usus Apostolicarum clavium.

[1] Cf. I ad Corinth. v, 1 et seq.
[2] Matth. xvi, 19.
[3] Origenes, Super Leviticum ad cap. xxiv, Homil. 14.

Jam ostensum est ex parte, qualiter sacerdotes dimittant peccata vel teneant : et tamen retinuit sibi Deus quamdam singularem potestatem dimittendi vel retinendi : quia ipse solus per se debitum æternæ mortis solvit, et animam interius purgat.

ARTICULUS XV.

An dictum illud Salvatoris sit verum, Quodcumque ligaveris super terram, *etc.* ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, G, « *Ligant quoque sacerdotes dum satisfactionem*, etc. »

Videtur enim, quod hoc modo non quodcumque ligant, sit ligatum et in cœlis : et quodcumque solvunt, sit solutum et in cœlis.

1. Potest enim sacerdos minorem condigna imponere, clave non errante, quia pœnæ sunt arbitrariæ : et tunc si moritur ille expleta pœnitentia quam ei injunxit sacerdos, non evolat, sed perficit in purgatorio : ergo videtur, quod non est solutum in cœlo, quod ipse solvit etiam clave non errante.

2. Adhuc, In ficte accedente videtur instantia : quia ille absolvitur ab homine etiam clave non errante, et tamen non absolvitur a Deo. Quod autem clave non errante absolvatur ab homine, patet : quia homo non debet judicare nec potest, nisi secundum signa exteriora : et ponamus, quod omnia ista concurrant in deceptore ficto : ergo ipse est absolvendus : et tamen a Deo non absolvitur : ergo videtur, quod sit instantia ad propositum.

3. Adhuc, Si judex aliquis constituitur in foro causarum, ipse non tenebitur judicare nisi secundum exteriora, non interiora : ergo videtur, cum audiens confessiones etiam homo sit, quod debeant sufficere signa : ergo ad signa exteriora tenetur absolvere : et tamen sæpius contingit, quod illi coram Deo non sint absoluti.

Solutio.

Solutio. Ad hoc dicunt quidam, quod Dominus, tam in Matthæo, xvi, 19, quam in Joanne, xx, 23, utitur verbo subjunctivi modi : et hoc significat rem verbi jam perfectam, quia aliter illi actui alius non conjungeretur et subjungeretur. Unde sensus est : Quodcumque solveritis, id est, cujus solutionem a me inchoatam in contritione perfeceritis, erit solutum et in cœlis. Et similiter dicendum est de verbo notante ligationem.

Et ita dicunt ad omnia inducta, quod non est instantia : quia solutio illorum non est perfecta a sacerdote.

Sed hoc quod omnino nihil sit, probatur sic :

1. Ponatur, quod sacerdos injungat dignam pœnitentiam peccatis : et tamen ille moriatur antequam perficiat eam : ille vadit ad purgatorium : et tamen secundum hanc grammaticam, sacerdos perfecerat absolutionem : ergo nihil valet solutio, eo quod non statim reputat eum Deus absolutum.

2. Adhuc etiam objicitur contra solutionem istam : quia facta absolutione jam sacerdos functus est officio suo in totum : ergo tunc absolvit : et tamen ille adhuc ligatus est vinculo satisfactionis : ergo non Deus illum omnino solutum reputat, quem ille solvit.

Si autem dicas, quod absolutio sacerdotis completa est primo, tunc cum impleta est pœnitentia : hoc est ridiculum, eo quod Magister Hugo de sancto Victore dicit, quod sacerdos solvit ligando :

ligat autem ad pœnam temporalem : ergo absolutio sua tota perfecta est, quando ligat omni vinculo expiativæ satisfactionis.

Responsio. Dicendum, quod illa solutio meo judicio nulla est omnino : sed intelligitur, quod Deus eum solutum reputat pro quanto eum absolvit sacerdos, hoc est, partem pœnæ relaxando : illam enim numquam ab ipso exigit Deus : et quæcumque ligat, ligamine manente, numquam absolvit.

Ad 1. Ad primum ergo dicendum, quod non est instantia : quia non nisi secundum quid absolvit eum Deus, scilicet a parte pœnæ, et non a tota : et ideo aliam solvit in purgatorio.

Ad 2. Ad hoc autem quod objicitur de ficto, dicendum quod illum Spiritus sanctus disciplinæ effugit [1] : et ideo habet sacramentum, sed non rem sacramenti. Hoc autem quod Dominus dicit, intelligitur de participantibus rem et sacramentum : sicut etiam in baptismo non sequitur, si baptismus emundat ab omni peccato, quod propter hoc emundet fictum.

Ad illa autem duo quæ ad probandum inducuntur, dicendum quod in veritate sacerdos non errat, nec est defectus ex parte sua, quia bene reconciliat : sed ille non est reconciliatus propter impedimentum fictionis.

Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICULUS XVI.

An diffinitio excommunicationis data a Magistro sit bona ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, G, § 2 : « *Est et alius modus ligandi et solvendi, qui per excommunicationem geritur*, etc. »

Quæramus autem hic primo, Quid sit excommunicatio ?

Secundo, Quot modis fiat ?

Tertio, In quem sit ferenda ?

Quarto, A quo sit ferenda ?

Quinto, Qualiter sit ferenda ?

Sexto, Utrum excommunicatio minor sit peccatum mortale ?

Ad primum autem horum sic proceditur :

Excommunicatio diffinitur a Jurisperitis sic : « Excommunicatio est separatio a communione Ecclesiæ quoad fructum et suffragia Ecclesiæ communia. »

Videtur autem, quod non sit generalis : quia

1. Aliquis excommunicatur injuste, vel etiam juste quoad exteriorem hominem, et tamen injuste quoad interiorem : et tunc non separatur a communione Ecclesiæ. Probatio. Ecclesia non communicat in corporalibus, sed spiritualibus : et iste adhuc communicat spiritualia Ecclesiæ, quia non amittit charitatem propter hoc, sed habet eam : ergo non omnis excommunicatus ab Ecclesia separatur : ergo non generaliter excommunicatio est separatio ab Ecclesiæ communione.

2. Adhuc, Ecclesia orat pro hæreticis publice in Parasceve, et privatim sæpe : ergo non subtrahit eis suffragia Ecclesiæ : ergo videtur, quod etiam ultima pars diffinitionis sit falsa, et non conveniat, etc.

3. Præterea, Quid vocatur ibi *fructus*? Constat enim, quod non est ibi fructus bonorum temporalium : quia non propter hoc quod excommunicatus est, spoliatur bonis suis. Si autem dicatur, quod est fructus spiritualis de quo loquitur : tunc videtur, quod non differat ab eo quod sequitur, scilicet suffragia Ecclesiæ.

Responsio. Dicendum ad hoc, quod solutio

[1] Sapient. 1, 5 : *Spiritus sanctus disciplinæ effugi et fictum.*

excommunicatio diffinitur prout dicit privationem communionis : et ita dicunt Decretistæ : « Excommunicatio est a qualibet licita communione vel legitimo actu separatio. » Et dicitur *licita communio*, quæ fit his casibus, qui notantur hoc versu :

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Scilicet ne ad osculum recipiatur, ne cum eo in eodem oratorio oretur, ne cum ipso communionem aliquis habeat in sacramentis, ne cum ipso comedat in eadem mensa. Hi enim dicuntur actus legitimi : unde cum hoc modo dicta privatio sit, patet quod est in eodem genere cum communione quæ est relatio unitatis Ecclesiasticæ et societatis conjunctæ secundum actus istos.

Ad 1. DICENDUM ergo ad primum, quod si illa diffinitio sustineatur, quod quando quis excommunicatur coram homine, et non est excommunicatus coram Deo, hoc accidit ex errore et defectu probationis : et tunc etiam pro tanto separatur coram homine, licet coram Deo sit conjunctus : et hoc sufficit excommunicationi, secundum quod est vinculum Ecclesiæ quo unitur in hac vita quæ erroribus est plena.

Ad 2. AD ALIUD dicendum, quod pro omnibus oratur, ut vicinentur gratiæ : non tamen cum omnibus oratur, et quamdiu in excommunicatione vera manent, non perficient fructum : sed Ecclesia rogat ut absolutione digni efficiantur, et sic fructum communionis Ecclesiæ participent

Ad 3. AD ALIUD dicendum, quod fructus est in Ecclesia multiplex præter suffragia : quia ipse convictus membrorum Ecclesiæ magnum fructum præstat ad permanendum cum Deo. Fructus etiam est ex communicatione sacramentorum. Sed suffragia sunt in precibus et oblationibus, quibus excommunicati non participant, quamdiu juste excommunicati sunt.

ARTICULUS XVII.

Quot modis fiat excommunicatio ?

Secundo quæritur, Quot modis fiat excommunicatio ?

Videtur, quod multis modis : quia

1. Tot et diversis et novis de causis videmus homines excommunicari : ergo videtur, quod ad unum certum numerum modus excommunicationis redigi non possit.

2. Videtur iterum, quod omnis peccans mortaliter sit excommunicatus, et quod novus modus excommunicandi sit peccatum mortale : quia peccans mortaliter non communicat sacramentis et fructibus spiritualibus et suffragiis Ecclesiæ : ergo ipse est excommunicatus.

3. Adhuc, Apostolus, I ad Corinth. v, 11, dicit, quod *si is qui frater nominatur*, scilicet inter vos, *est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum hujusmodi nec cibum sumere* : ergo videtur, quod ipse sit excommunicatus.

4. Adhuc, Ibidem, scilicet 1 ad Corinth. v, 1 et seq., excommunicat fornicatorem, qui uxorem patris sui, novercam scilicet suam, habuit. Et eadem ratione pro quolibet peccato alio excommunicari potest : ergo videtur, quod tot sunt species excommunicationum, quot sunt species mortalium peccatorum : et hæ non sunt reducibiles ad unum certum numerum, quia malum est omnifariam, ut dicit Philosophus, et confirmat beatus Dionysius : ergo videtur, quod species excommunicationum non sunt reducibiles ad certum numerum.

Sed contra. SED IN CONTRARIUM hujus objicitur, quod ab habentibus jurisdictionem non infliguntur excommunicationes, nisi duobus modis, scilicet majori, et minori.

Major dicitur, quæ præcidit a tribus, scilicet participatione sacramentorum, ingressu Ecclesiæ, et communione fidelium in actibus legitimis : et hæc vocatur etiam *anathematizatio*. *Minor* autem est, quæ non removet nisi a participatione sacramentorum, et non ab aliis duobus : ergo videtur, quod non possint esse plures species excommunicationum.

Solutio. Responsio. Ad hoc dicendum, quod non sunt nisi duæ species vel modi excommunicationum, ut probat ultimo inducta objectio, cujus ratio hæc est : quia excommunicatio privatio est : et ideo oportet, quod cognoscatur ex suo habitu : communio autem fidelium quantum ad militantem Ecclesiam est in his tribus in genere, scilicet in pure spirituali quod est participatio sacramentorum, et pure corporali quod est legitimus actus sine quo non est conversatio et conjunctio humana : quia sicut dicit Philosophus, homo politicum est animal : et oportet eum cum proximo communicare in actibus legalibus et legitimis. Tertium autem in quo communicat, est partim corporale, et partim spirituale, quod est conventus ad locum cultus et consecrationis sacramentorum. Si igitur est privatio a toto quod constituit communionem, est anathema, sive *major* excommunicatio. Si autem privatio spiritualis tantum, est excommunicatio quæ dicitur *minor*.

Si autem tu quæras, Quare non est una minor, quæ privaret tantum corporali, sicut una minor quæ privat tantum spirituali : et alia iterum quæ privaret duobus ex his, scilicet spirituali pure, et corporali pure, vel spirituali pure et medio inter corporale et spirituale, vel corporali pure et medio, ut sic haberemus quinque minores. Dicendum, quod spirituale vinculum est excommunicatio, et oportet ad hoc quod excommunicatio sit semper privare spirituali. Unde etiam numquam privat corporali, nisi in ordine ad spirituale : et ideo oportet in minori privare participatione sacramentorum. Alia autem ratio ejusdem est : quia ut frequenter excommunicatio justa supponit mortale peccatum in excommunicato : et ille secundum peccatum adjiceret, si sacramentis, scilicet Eucharistiæ communicaret : quia pœnitentia nemini interdicitur : sed non peccat mortaliter communicans in corporalibus, nisi ex præcepto Ecclesiæ in majori excommunicatione se subtrahere debeat. Et ideo iterum non sunt minores quæ privent communione illis quatuor modis qui dicti sunt.

Ad omnia autem quæ primo inducta sunt, dicendum quod peccans mortaliter excommunicatus est quantum ad triumphantem Ecclesiam : sed in perfectione illius non potest vivere militans, et ideo necesse est peccantes mortaliter in multis casibus ad tempus in corporalium communione sustinere : quia aliter, ut dicit Apostolus, oporteret nos *de hoc mundo exiisse* [1], si nullis in peccato mortali existentibus deberemus couti. Ad 1 et 2

Ad hoc quod objicitur de Apostolo, dicendum quod ipse non præcepit excommunicare mortaliter peccantes, eo ipso quod mortaliter peccaverunt, sed quia correpti a suo Episcopo contumaces inventi sunt, et satisfacere noluerunt : et etiam hodie pro quolibet mortali potest quis excommunicari. Ad 3 et 4

Ad alia patet solutio ex dictis.

ARTICULUS XVIII.

In quem ferenda est excommunicatio ?

Tertio quæritur, In quem ferenda sit excommunicatio ?

[1] I ad Corinth. v, 10.

Videtur, quod in nullum :

1. Nocumentum enim in corporalibus nulli est faciendum : ergo multo minus nocumentum in spiritualibus : sed subtractio spiritualium est nocumentum in spiritualibus ; ergo non est faciendum alicui : hoc autem fit per excommunicationem : ergo excommunicatio non est ferenda in aliquem.

2. Adhuc videtur, quod quamdiu est alia via correctionis et salutis, non est ferenda sententia excommunicationis : sed quamdiu per conversionem est spes salutis, tamdiu restat alia via : ergo quamdiu est spes conversionis in aliquo, tamdiu non est excommunicandus : sed de nullius conversione desperatur, ut dicit Augustinus : ergo nullus est excommunicandus.

3. Adhuc, Augustinus dicit, quod judicium temerarium committitur duobus modis, scilicet dum de dubiis judicatur tamquam de certis, vel cum aliquis finaliter condemnatur qui pœnitere potest : sed excommunicans condemnat hoc modo : ergo ipse peccat mortaliter : ergo nullus est excommunicandus. PROBATIO mediæ. Sicut dictum est, non est ferenda excommunicatio quamdiu manet spes conversionis : sed tamdiu manet spes conversionis, donec finalis condemnatio est jam facta apud excommunicantem : ergo sententia non fertur nisi fiat condemnatio finalis, et sic habetur propositum.

Sed contra. Sed si hoc dicatur, videtur quod tota Ecclesia errat, quæ excommunicat multos.

Quæst. ULTERIUS quæritur hic, Quare tota multitudo ut communitas, excommunicari non potest ? potest enim multitudo sibi consentire in contumaciam : ergo videtur, quod debeat et possit excommunicari : cum tamen nova constitutio constituat contrarium.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quod omnis contumax in quantum contumax, potest et debet excommunicari, et pro nullo alio vitio est quis excommunicandus : cujus hæc est causa, quia excommunicatio est medicina per accidens quæ datur desperato, quando non est alia via sanitatis et salutis ipsius, sicut infirmo desperato permittitur vivere secundum voluntatem suam, ut ex aliqua causa excitata natura multiplicet sibi vires ad morbi expulsionem. Ita contumaci qui nulla alia via corrigi potest, præciditur vinculum communionis, ut sic de peccato in peccatum sine fræno ruens, considerata propria utilitate et defectu suo, redeat ad humilitatem et plenam conversionem, et gratiam conversionis.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod non fit ei damnum simpliciter : sed quia ipse se fructu spiritualium desperabiliter privavit, quærit Ecclesia remedium per accidens, ubi nulla alia reducere valet talem. Ad 1.

AD ALIUD dicendum, quod Ecclesia non ita desperat de ipso, quin laboret ad suum reditum, et ideo excommunicat eum : sed desperat alium modum conversionis quantum est ex signis consideratis in ipso : sed de Domini misericordia quæ convertit peccatores numquam desperat Ecclesia. Ad 2 et 3.

Per hoc etiam patet solutio ad sequens.

ARTICULUS XIX.

An quilibet qui habet claves, potest excommunicare ?

Quarto quæritur, A quo sit ferenda excommunicatio ?

Videtur, quod ab omni eo qui habet claves :

1. Sicut enim dicit Philosophus, cujus est potentia, ejus est et actus : sed potentia est clavis, ut habetur ex *Littera*,

et actus ejus est ligare et solvere per excommunicationem et absolutionem : ergo omnis habens claves potest excommunicare.

2. Adhuc, Simplex parochianus habet cohibitionem aliquam super plebem sibi commissam : non autem potest habere nisi per vincula spiritualia, quæ sunt excommunicatio, et aliæ pœnæ spirituales : ergo excommunicare potest.

3. Adhuc, Ejusdem videtur esse communionem dare, et excommunicare : sed simplex parochianus communicat plebem suam : ergo et excommunicare potest.

Sed contra. Si hoc dicatur, contrarium tenet usus Ecclesiæ dicentis, quod non potest simplex sacerdos excommunicare nisi in generalibus, sicut pro furtis ignotis, vel furtis violatis, et hujusmodi.

Quæst. 1. ULTERIUS quæritur, Utrum Archidiaconi possunt excommunicare ?

Et videtur, quod non : quia cujus non est potentia, illius non est actus : sed non est potentia ejus qui non habet clavem : ergo nec actus. Quod autem non habeant Archidiaconi claves, probatur ex hoc quod clavis est ordinis sacerdotalis, sicut in sequenti distinctione habebitur, et ipsi non sunt sacerdotes.

Sed contra. SED CONTRA hoc est, quod habens jurisdictionem, debet arma habere talis judicis. Archidiaconi habent jurisdictionem : ergo, etc. : sed talia arma sunt excommunicationes : ergo, etc.

Quæst. 2. ULTERIUS quæritur hic, Utrum suspensus vel excommunicatus, excommunicare possit ?

Videtur, quod non : quia ligatus vinculo corporali, alium nec ligare nec solvere potest : sed fortiora sunt vincula spiritualia quam corporalia : ergo et ligatus vinculo spirituali, alium nec ligare nec solvere potest : sed vinculum spirituale est excommunicatio, et suspensio : ergo, etc.

Sed contra. SED CONTRA hoc est, quod suspensus ab officio non propter hoc amisit jurisdictionem : similiter etiam nec excommunicatus, quia jurisdictio sua non datur alteri, nec etiam ipse iterum investitur ea, cum absolvitur ab excommunicatione : ergo videtur, quod etiam habeat ea quæ annexa sunt jurisdictioni : hæc autem est potestas excommunicandi et absolvendi : ergo habet adhuc potestatem excommunicandi et absolvendi ab excommunicatione.

RESPONSIO. Dicendum, quod habens jurisdictionem ordinarii judicis vel delegati potest excommunicare et absolvere, sicut dicunt quidam qui de jure noverunt : et satis rationabile est sic esse : quia vincula ista sunt cohibitiones in foro causarum : judices autem habent cognoscere de causis : unde rationabile est eos habere potestatem in his vinculis. Solutio

AD PRIMUM ergo dicendum, quod completæ potestatis est actus iste, et non diminutæ : sed diminuta est potestas ex ordine solo, et non extra jurisdictionem : et ideo non omnis habens clavem, habet etiam excommunicandi potestatem. Ad 1.

Alia ratio hujus est : quia magis est clavis jurisdictionis, quam ordinis : et ideo iterum non sequitur, quod omnis habens clavem, habeat etiam excommunicandi et absolvendi potestatem.

Tertia ratio hujus est satis pia : quia cum excommunicatio sit majus damnum quod fieri potest Christiano in hac vita, raro et cum moderatione facienda est : et ideo paucis et superioribus tantum qui præsumuntur esse discretiores, talis potestas est commissa.

AD ALIUD dicendum, quod multis aliis modis per communicationem et increpationem potest parochianus avertere subditos a malo : et si hoc non potest, debet recurrere ad superiorem, et per illius auctoritatem excommunicatum denuntiare. Ad 2.

AD ALIUD dicendum, quod non valet argumentum : quia plus Ecclesia prona est ad communicandum spiritualia, quam ad subtrahendum : et ideo primum Ad 3.

multis modis, secundum vero paucis et discretis commisit.

quæst. 1. Ad id quod ulterius quærtiur, dicendum, quod Archidiaconi sunt oculi Episcopi, et habent jurisdictionem, licet non habeant clavem. Et quia sunt oculi Episcopi, descendit in eos ab Episcopo qui habet claves et jurisdictionem id quod est jurisdictionis plus quam clavis, sed non id quod est clavis plus quam jurisdictionis : et ideo possunt absolvere et ligare per excommunicationem in foro causarum, sed non in foro confessionis vel pœnitentiæ.

Id object. Ad objectum contra patet solutio : quia potestas excommunicandi plus est jurisdictionis quam clavis et ordinis, et ideo descendit in ipsos.

Ad quæst. 2. Ad id quod ulterius quæritur, dicendum, quod differt de suspenso et excommunicato : quia suspensus tripliciter potest esse suspensus, scilicet ab officio tantum, a jurisdictione tantum, vel ab utroque : et qualitercumque suspensus sit, tunc dicendum semper, quod non potest illa quæ sunt illius a quo ipse suspensus est. Si enim suspensus sit ab officio, non potest ea quæ sunt officii, sicut celebrare, consecrare, et hujusmodi : sed potest ea quæ sunt jurisdictionis, sicut excommunicare, et hujusmodi. Si autem suspensus est a jurisdictione, tunc in posse se habet e converso. Si autem ab utroque, tunc neutrum potest.

Ad argumentum autem inductum dicendum, quod verum est dummodo simile bene intelligatur : ligatus enim in aliquo membro, non habet usum illius membri, ut cum illo liget vel solvat alium : sed alio membro non ligato, potest alium solvere vel ligare : sed ligatus universaliter in toto, nullum potest nec absolvere nec ligare : et ita est in spiritualibus, ut patet ex prædicta distinctione suspensi.

Ad id quod quæritur de excommunicato, dicendum quod majori excommucatione excommunicatus non potest aliquem excommunicare.

Ad argumentum autem contra factum. dicendum quod est jurisdictio in habitu, et non in actum reducibilis, quamdiu excommunicatus est, residet penes ipsum : et hæc talis jurisdictio nec solvere nec ligare potest.

ARTICULUS XX.

Qualiter ferenda sit excommunicatio?

Quinto quæritur, Qualiter ferenda sit excommucatio ?

Videtur autem, quod cum maxima diligentia : quia maximum periculum est in excommunicatione : ubi autem est maximum periculum, ibi videtur maxima diligentia opus esse : ergo in excommunicatione maxima diligentia est opus.

Sed contra. Sed contra hoc videtur iste abusus Ecclesiæ : quia projiciuntur excommunicationes cum minori etiam diligentia, quam aliquid quod fit in Ecclesia.

Quæst. Juxta hoc ulterius quæritur, Cum aliquis in necessitate gratia infirmitatis absolvitur, quia tunc a quolibet sacerdote absolvi potest, et postea non implet mandatum Ecclesiæ sicut jurando promisit, utrum excommunicatio redit super ipsum ?

Videtur, quod sic quia

1. Servo non dimittenti conservo suo [1] revocatum est debitum. Ergo a simili isti non facienti quod debuit et promisit, revocatur excommunicatio : ergo redit.

2. Adhuc, Debenti confiteri et non confitenti, revocatur reatus qui in contritione erat solutus : ergo et isti a simili

[1] Cf. Matth. xviii, 23 et seq.

revocatur propter similem causam excommunicatio.

Sed contra. SED CONTRA :

Iste per sacerdotem in veritate fuit absolutus : ergo excommunicatio fuit annihilata : sed ea quæ annihilantur, non revertuntur eadem numero : ergo ista excommunicatio numquam redit : sed nulla alia excommunicatus fuit nisi illa : ergo iste nulla excommunicatione est excommunicatus : ergo non redit excommunicatio super eum.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quod ad justam formam excommunicationis concurrunt tria, scilicet ut excommunicatio sit ex animo, et ex ordine, et ex causa. *Ex animo* ut studio corripiendi, non se vindicandi, præmissa diligenti admonitione. *Ex ordine* juris qui describitur in constitutione nova, scilicet ut post admonitionem, et desperationem alterius viæ, judex causam excommunicationis, et contumaciam excommunicati, et sententiam ipsam scribat, et sedendo ut quietus pronuntiet, et infra quadraginta dies paratus sit dare, quando postulaverit, excommunicato. *Causa* autem est quam meruit secundum veritatem vel per allegata ipse qui excommunicatur, quæ et in scripto datur ei, si infra quadraginta dies postulaverit. Et ideo concedenda est prima ratio.

Ad object. AD ID quod in contrarium objicitur, dicendum quod abusus est, et peccant mortaliter sic excommunicationis sententiam jaculantes : et ultra hoc in *nova constitutione* pœna est ut quadraginta diebus ab ingressu Ecclesiæ abstineat, et excommunicatus a superiore sine difficultate absolvatur, et insuper excommunicans ad omnes expensas quas fecit excommunicatus in causa suæ absolutionis, et ad omne interesse condemnetur.

Ad quæst. AD ID autem quod ulterius quæritur, dicendum quod meo judicio impossibile est excommunicationem semel solutam redire eamdem numero : unde ille talis absolutus est simpliciter, et semper erit absolutus, nisi iterum excommunicetur, pro eo quod non servavit mandatum Ecclesiæ sicut jurando promisit.

Ad ea quæ sunt in contrarium, est unica solutio, quod nec in illis casibus redit præcedens debitum idem numero : sed aliud idem specie pro sequenti nascitur contemptu. Ad ea

Hoc autem melius declarabitur infra [1], ubi agetur de *reditu peccatorum*.

ARTICULUS XXI.

An participare cum excommunicato sit peccatum mortale ?

Sexto et ultimo quæritur, Utrum participare cum excommunicato sit peccatum mortale ?

Videtur autem, quod sic : quia

1. Tamquam de mortali redarguit Apostolus Corinthios, qui communicaverunt tali, I ad Corinth. v, 6, ubi dicit, quod *modicum fermentum totam massam corrumpit*. Ergo videtur, quod in aliis sit peccatum mortale.

2. Adhuc, Facere contra præceptum est peccatum mortale : sed præceptum Ecclesiæ est, ut talibus nullus communicet : ergo videtur, quod communicare talibus sit peccatum mortale.

SED CONTRA : Sed contra

Ego video, quod excommunicans communicat ei in cibo et verbo et osculo, si oportet, et hoc tota die videtur in Episcopis nostri temporis. Cum igitur ego perfectior esse non teneor meo Prælato, videtur quod et ego possum licite talibus communicare.

[1] Cf. Infra, Dist. XXII.

olutio. Solutio. Ad hoc sine præjudicio dicendum videtur, quod aliud est communicare ei qui est excommunicatus, et aliud communicare excommunicato in quantum excommunicatus est : communicans enim secundo modo, communicat ei in causa excommunicationis, sive in crimine pro quo ille excommunicatus est : et ille est excommunicatus majori excommunicatione sicut et primus.

Communicare autem ei qui est excommunicatus, fit dupliciter, scilicet majori excommunicatione, et minori. Communicans autem excommunicato minori excommunicatione, non est excommunicatus : sed peccat communicans excommunicato excommunicatione majori in casu non concesso. Casus autem concessi sunt illis quorum conversatio non potest esse sine illo : sicut si sit uxor, filius, servus, balivus, rusticus, vel hujusmodi, quæ ad civilem respiciunt conversationem, si ignorat, si utilitas evidens, vel necessitas sit. Et hoc notatur hoc versu :

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Lex dicitur matrimonium, et *humile* scilicet servitus, et alia patent. Tamen si duo tali communione in casu non concesso excommunicati sunt, unus potest absolvere alium. Et ideo dicunt communiter, quod excommunicato communicans, vel non curans, vel contemnens vinculum Ecclesiæ, peccat mortaliter. Qui autem metus causa, vel conjunctione amicitiæ seductus, tantum verbo cum timore communicat, non auderem dicere, quod mortaliter eo ipso peccaret.

Ad id quod objicitur, patet solutio per distinctionem. Ad object.

Nota etiam, quod non tenetur aliquis credere aliquem excommunicatum, nisi intersit denuntiationi, vel per denuntiantem intimetur ei, vel ita certificetur per publicam famam, quod nullo modo sibi de hoc dubium possit generari : quia de quolibet præsumendum est bonum, donec contrarium probetur.

Deinde notandi sunt versus de hoc quod dicit, ibi, G, § 2, post initium : « *Sententia Ecclesiæ a loco orationis*, etc. »

Gratia subtrahitur, magis ac magis obice rupto,
De vitio ruit in vitium, suffragia perdit
Ecclesiæ, Satanæ vexandus traditur ille,
Quem ligat ex propriis anathematizatio culpis.

I. *Quæ sint interiores tenebræ, et interior macula ?*

Hic quæritur, Quæ sit illa macula, et quæ sint illæ tenebræ interiores, a quibus Deus interius animam purgat, cum veram pœnitentiam immittit ? De tenebris et interiori caligine satis facile est et intelligere, et respondere. Cum enim quis mortaliter delinquit, et gratia virtutis privatur, si qua præcessit, et naturalium bonorum elisionem patitur. Unde et intellectus obtunditur, et totus homo interior obtenebratur : et ita quasi caligine quadam mens obvolvitur, quæ caligo peccati pœna est. Hanc vero Deus pellit, cum pœnitentiam immittit, per quam perdita bona restituit, et vitiata reparat.

Unde Propheta : *Nebulam sicut cinerem spargit* [1]. Sed quæ est macula peccati, a qua animam lavat ? Ecce enim quis voluit facere homicidium, et patravit : quo patrato desinit tam velle quam facere, nondum tamen vere et humiliter pœnitet, nec confiteri proponit. Quæ ergo remansit in anima illius macula ? Mala voluntas quidem fuit macula illius animæ, sed illa transiit. Macula etiam est, si pœnitere contemnit, sed hoc est peccatum aliud a præcedenti. Quæ ergo macula remansit, a qua ipse in pœnitentia purgatur ? Polluta quidem est anima, quousque pœniteat, sicut erat, dum in ea prava erat voluntas. Sicut enim qui tangit morticinum vel aliud immundum, ita pollutus est post tactum quousque lavatur, sicut fuit dum tangeret [2] : sic post actum peccati ita polluta remanet anima, sicut fuit in ipso actu peccati : quia ita est longe a Deo per dissimilitudinem, qui est vita et munditia mentis, sicut fuit dum peccatum ageret. Ipsa ergo dissimilitudo quæ inest animæ ex peccato, et est a Deo elongatio, animæ macula intelligitur, a qua purgatur in pœnitentia. Hoc autem solus Deus facit, qui solus suscitat animam et illuminat : quod sacerdotes nequeunt, qui tamen medici sunt animarum. Unde Propheta : *Numquid medici suscitabunt, et confitebuntur tibi* [3] ? quod exponens Augustinus ait : Boni Doctores recte medici dicuntur : qui viventes curare ministerio possunt, sed non mortuos suscitare. Sola enim Dei gratia mortui reviviscunt.

ARTICULUS XXII.

An macula, caligo, fomes, et alia quæ sunt in peccatore, possunt dici esse a Deo ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, I, « *Hic quæritur, Quæ sit illa macula*, etc. »

Utrum scilicet macula et caligo sit a Deo, vel non?

Videtur autem, quod sic : quia omnis pœna est a Deo : macula autem et caligo sunt pœnæ : ergo sunt a Deo.

Sed contra

SED CONTRA :

1. Deus non facit aliquid quo opus suum sit deterius, ut dicit Augustinus : macula et culpa faciunt opus Dei deterius : ergo non facit ea Deus : ergo non sunt a Deo.

2. Adhuc, Fulgentius dicit, quod « Deus illius rei non est auctor, cujus est ultor : » sed ulciscitur in maculam et caliginem : ergo non est auctor maculæ et caliginis.

Solutio.

RESPONSIO. Dicendum, quod pœna habet duplicem comparationem, scilicet ad causam infligentem quæ est judicium justum et rectum, et ad causam meritoriam quæ est iniquitas. Spirituales autem pœnæ quandoque nominantur nomine quod non exprimit tantum pœnam, sed etiam alteram istarum comparationum : sicut quando dicitur incendium

[1] Psal. CXLVII, 16.

[2] Cf. Levit. XI, 36 et 39 ; Numer. IX, 16 et passim.

[3] Psal. LXXXVII, 11.

pati peccatum, nominatur in comparatione ad judicium, sicut latro dicitur pati suspendium. Sed cum dicitur fomes, vel caligo, vel macula, nominatur pœna nomine in sua ratione claudente etiam ordinem ad causam meritoriam, quæ est culpa : et quia in tali ordine non est a Deo, dicendum quod fomes non est a Deo, nec macula, nec caligo, nec aliquid hujusmodi.

Ad id quod contra objicitur, dicendum quod pœna non dicit comparationem ad culpam : et ideo cum assumit maculam, sumit non directe sub medio, sed cum accidente quod est extraneum medio. Et ideo peccat secundum accidens argumentatio illa : sicut, tu cognoscis Choruscum : Choruscus est veniens : ergo tu cognoscis venientem.

DISTINCTIO XIX.

De confessione sacramentali in comparatione ad suscipientes.

A. *Quando hæ claves dantur, et quibus ?*

Postquam ostensum est quæ sint claves Apostolicæ, et quis earum usus, superest investigare, quando istæ claves dentur, et quibus ? Dantur hæ claves per ministerium Episcopi alicui in promotione sacerdotii. Cum enim recipit ordinem sacerdotalem, simul et has claves recipit. Sed non videtur, quod omnes vel soli sacerdotes has claves habeant : quia plerique ante sacram ordinationem, scientiam discernendi habent, plures post consecrationem ea carent. Sane dici potest, quod alteram clavium istarum, id est, scientiam discernendi, non habent omnes sacerdotes : unde dolendum est atque lugendum. Multi enim licet indiscreti, atque scientiæ qua eminere debent, exsortes, sacerdotii gradum recipere præsumunt, vita et scientia eo indigni, qui nec ante sacerdotium, nec post, scientiam habent discernendi qui ligandi sint vel solvendi. Ideoque illam clavem in consecratione non recipiunt, quia semper scientia carent. Qui vero ante sacerdotium scientia discernendi præditi sunt, licet habeant discretionem, non tamen in eis est clavis : quia non valent ea claudere vel aperire. Ideoque cum promovetur in sacerdotem, clavem discretionis recte dicitur accipere : quia et ante habita discretio augetur : et fit in eo clavis, ut ea jam valeat uti ad claudendum vel aperiendum.

DIVISIO TEXTUS.

« *Postquam ostensum est quæ sint*, etc. »

In hac distinctione agitur de clavibus ex parte recipientis claves.

Et dividitur in duas partes. In prima quæritur et determinatur quis habeat claves. In secunda, quis digne habeat, ibi, C, « *Aliis autem videtur*, etc. »

ARTICULUS I.

An Christus habuit claves ?

Circa primum autem dubitantur quatuor, scilicet utrum Christus habuit claves ?

Secundo, Utrum clavis sit æqualiter ad claudendum et aperiendum, vel ad alterum tantum horum ?

Tertio, Qualiter se habent claves ad ordinem ?

Quarto, Utrum non habens ordinem sacerdotalem habeat claves ?

AD PRIMUM sic objicitur :

1. Christus habuit plenitudinem omnis potestatis : ergo habuit etiam potestatem clavis.

2. Item, Ipse plene habuit potestatem baptizandi et confirmandi : ergo et in pœnitentia operandi : et hoc fit per claves : ergo, etc.

3. Item, Ipse absolvit peccatores, scilicet Magdalenam, Zachæum, et hujusmodi : sed hoc non potuit fieri nisi per claves : ergo, etc.

4. Item, Nihil dat quod non habet : sed ipse dedit claves Petro : ergo ut prius.

CONTRA : Sed contra.

1. Habens claves, non habet potestatem ligandi et solvendi nisi per illas : sed Christus non habuit aliquid a clavibus, sed potius claves ab ipso : sicut et baptismus quidquid habet, habet a Christo : ergo Christus non habuit claves.

2. Item, Claves sunt instrumenta ministrorum Ecclesiæ : Christus autem caput Ecclesiæ secundum quod homo existens, non est minister Ecclesiæ : ergo ergo non habuit claves.

3. Item, In mundanis videmus, quod excellentiæ regali non convenit habere claves suorum thesaurorum, sed committuntur fidelibus ministris : sed Christus est excellentior omni rege : non competit ergo ei habere claves, sed ejus ministris.

RESPONSIO. Dicendum, quod dupliciter dicitur *potestas per claves*. Potest enim dicere præpositio *per* causam instrumentalem : et hoc modo nihil prohibet Christum habere claves, non a clave, sed a Patre : quia etiam in naturalibus omnis motus quo movetur instrumentum, est a motu moventis ipsum. Hoc autem modo dicimus, quod habuit claves excellenter : quia sine inquisitione et labore utebatur et auctoritate discernendi, et potestate ligandi et solvendi. Si autem clavis sive potestas per clavem, diceret potestatis causam, tali ratione non conveniret Christo claves habere : quia hoc esset minorationis. Solutio.

ET PER hoc patet solutio ad primum quod est contra hoc objectum, et ad secundum et tertium : quia in veritate claves prout sunt in ministris, dant eis potestatem quam ab aliis non haberent, et sunt signum officii eorum quod a Domino acceperunt. Ad object. 1,2 et 3.

Ad primum autem dicimus, quod Christus habuit potestatem ex seipso, licet haberet a Patre : non enim, ut dicit Hilarius, Christus ita per se, id est, a potestate suæ naturæ agit : quia quidquid est, et potest, et agit, totum habet a Pa- Ad 1.

tre a quo per generationem procedit.

Ad 2,3 et 4. ET PER hoc patet solutio ad tria sequentia.

ARTICULUS II.

An clavis æque sit ad claudendum et aperiendum?

Secundo quæritur, Utrum clavis æque sit ad claudendum, et aperiendum?

Quod sic videtur : quia

1. Clavis materialis est æque ad utrumque : ergo et spiritualis.

2. Item, Matth. XVI, 19 et Joan. XX, 23, fit mentio de utroque : ergo ut prius.

Sed contra. SED CONTRA :

Nihil est ad duo, scilicet ad duos fines æque principales, sicut probat Philosophus : sicut medicina est duorum, scilicet sanitatis, et ægritudinis, non tamen velut duorum finium : sed unius tamquam finis, et alterius tamquam per accidens, vel tamquam ejus quod est ad finem illum : ergo nec clavis est ad duo opera æque principalia sicut ad finem.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quod non est nisi unius per se, scilicet ad aperiendum : et alterum non est intentum, imo accidit ex defectu apertionis propter culpam peccati.

Ad 1. AD PRIMUM autem dicimus, quod clavis in corporalibus metu latronum fit : et ideo propter possibilitatem perditionis rerum est magis principaliter ad claudendum. In spiritualibus autem econtra est : et ideo principaliter ex tota intentione est ad aperiendum.

Ad 2. AD ALIUD dicendum, quod Dominus facit mentionem de consequentibus clavem, et non de fine principaliter intento tantum : consequuntur enim clavem ex opere nostro claudere et aperire, sed tamen principaliter intenduntur propter aperire, et ad hoc datæ sunt a Domino.

ARTICULUS III.

Quomodo clavis se habeat ad ordinem?

Tertio quæritur, Qualiter clavis se habeat ad ordinem?

Videtur autem, quod sicut accidens separabile.

1. Contingit enim salvari ordinem sacerdotalem separata clave, sicut in degradatis, qui retinent characterem ordinis, et non clavem, quia nec ligare nec solvere possunt : sed quod separari potest salvato alio, habet se sicut accidens ad illud : ergo, etc.

2. Item, Cum aliquis degradatur, non dicitur, ego deordino te, sed ego de auctorizo te : ergo cum clavis respiciat principaliter auctoritatem, videtur quod clavis auferatur manente ordine : et ita videtur idem quod prius.

SED CONTRA : Sed

1. Ordo est totum potentiale : ergo sub se continet partes : hæ autem non sunt ut communiter dicitur, nisi potestas consecrandi, et potestas ligandi et solvendi : videtur, quod potestas ligandi et solvendi sint pars ordinis.

2. Item, Si degradatus restituitur, non confertur ei potestas ligandi et solvendi, sed tantum laxatur jurisdictio : ergo videtur, quod ipse cum ordine illam prius retinuit.

RESPONSIO. Dicendum, quod clavis est So pars potentialis ordinis, et non separatur ab ordine, manente ordine.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod in degradato manet potestas absolvendi non reducibilis ad actum : et hujus ratio supra dicta est, quia scilicet non reducitur ad actum nisi per jurisdictionem, et ju-

risdictio ab illo aufertur qui degradatur.

Ad aliud dicimus, quod hoc dicitur ut denotet, quod non potest ab eo auferri potestas quæ est ex charactere ordinis, sed administrationis, secundum quod pendet ex jurisdictione quæ amissa est per degradationem.

ARTICULUS IV.

An ostiarii habeant claves ?

Quarto quæritur, Utrum non habens ordinem sacerdotalem, habeat claves ?

Et hic quæruntur quatuor.

Primo, Utrum ostiarii habeant claves ?

Secundo, Utrum reges in unctione sancta inuncti habeant claves ?

Tertio, Utrum congregatio habeat claves, ita quod nullus de congregatione ?

Quarto, Utrum mulieres, scilicet priorissæ et abbatissæ, habeant claves ?

Ad primum sic objicitur :

1. Dicit Isidorus : « Ostiarii tenentes claves, omnia intus extraque custodiunt : atque inter bonos et malos habentes judicium, dignos recipiunt, et indignos respuunt [1]. » Judicium autem quod habetur in potestate inter bonos et malos, est clavis, ut supra habitum est.

Item, Aliqua clavis est potestas respuendi vel recipiendi ad sacramenta. Ergo ostiarii habent claves.

2. Item, Cum ordinantur ostiarii, claves Ecclesiæ dantur eis ab Episcopo : sed constat, quod in promotione spiritualis potestatis visibile et corporale refertur ad spirituale, sicut fit in omnibus sacramentis : cum igitur clavis corporalis ad nihil congruentius refertur, quam ad clavem spiritualem, ostiarii accipiunt in suo ordine claves spiritualis potestatis : et ita habent claves.

3. Item, Isidorus ibidem dicit : « Ad ostiarios pertinent claves Ecclesiæ ut claudant et aperiant templum Dei, fideles recipiant, excommunicatos et infideles ejiciant : » sed cujus est actus, ejus est potestas : actus autem clavis est recipere ad sacramenta dignos, et ejicere indignos : et hoc est ostiariorum per Isidorum : ergo et potestas talis : et hæc est clavium : ergo ut prius.

Sed contra est quod habetur, Sed contra.

1. Hic in *Littera*, quod presbyterorum est : et Hieronymus super Matthæum, xvi, 19 : « Ecclesia habet claves in suis Episcopis et sacerdotibus. » Ergo alii excluduntur.

2. Item,In ordinatione nulli nisi presbytero dicitur : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* [2]. Ergo nullus habet hanc potestatem nisi sacerdos.

3. Item, In sacramentis non datur aliquid spirituale, quod non significetur visibili et corporali elemento, ut patet ex diffinitione sacramenti in principio hujus libri disputata [3] : sed vincula stolarum directe descendentia non dantur nisi sacerdoti : et hæc sunt signa vinculorum incorporalium et spiritualium : ergo soli sacerdotes accipiunt potestatem ligandi et solvendi a vinculis.

4. Item, Cui datur potestas communionis in corpore vero Christi, illi debet dari et datur potestas in corpore mystico præparandi ad communionem : sed soli sacerdoti datur potestas conficiendi verum corpus Christi, quod est sacra communio : ergo soli sacerdoti datur potestas in corpore mystico præparandi illud ad communionem illam : hoc autem fit per claves in pœnitentia, et in foro causarum : ergo solus sacerdos accipit claves.

Quod concedimus, dicentes quod ostiarii non recipiunt nisi claves materiales Solutio.

[1] S. Isidorus, In VII Etymologiarum.
[2] Joan. xx, 23.
[3] Cf. Supra, Dist. I, Art. 5.

ordinatas ad sanctificatorum custodiam. Et dicimus, quod Isidorus loquitur de clavibus templi ubi sancta et sacramenta custodiuntur : et hanc clavem quidam vocant clavem in custodiis templi excubantium : et bene placet mihi nomen illud.

Ad 1. Ad rationem autem quæ formatur ex auctoritate, dicimus quod hoc judicium non est super causam indignitatis, sed potius super aliquos ab aliquo determinatos dignos vel indignos, scilicet a sacerdote, vel Archidiacono : sed sacerdos cognoscit per seipsum qui digni et indigni sint.

Similiter potestas recipiendi vel excludendi ipsius ostiarii non est ad sacramenta, sed ad locum sacramentorum : et ideo non habet claves ad sacramentorum communionem, sed loco sacramentorum congruentes : et illæ sunt materiales ne indigni sanctis se ingerant.

Ad 2. Ad aliud dicimus, quod claves accipiunt ab Episcopo, non spirituales, sed ad spirituale aliquid ordinatas, quia ad custodiam loci sacramentorum : et falsum est, quod omnia accipiantur in sacramentis : ita tamen, quod quia aliquid spirituale intelligitur in eis, ipsæ personæ tractantes sacramenta, ordinatione indigent, ut ipsa vasa contingere et tractare audeant.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod non excludunt nec recipiunt, nisi modo prædicto, scilicet determinatos a superiori esse indignos vel dignos et ad locum sacramentorum, non ad communionem ipsorum : et hoc non est actus clavis ligandi et solvendi de qua hic agitur, ut patet ex prædictis.

ARTICULUS V.

An reges inuncti habeant claves?

Ad secundum sic objicitur :

1. I Reg. xvi, 13, de David : *Directus est spiritus Domini a die illa in David, et deinceps :* et loquitur de die unctionis : spiritus autem Dei operatur ad remissionem peccatorum : ergo reges accipiunt potestatem ad remissionem peccatorum : et hæc est clavis : ergo accipiunt claves.

2. Item, Unctio significat Spiritum sanctum : cum igitur per illam constituatur super multitudinem populi Dei, videtur quod illius actus accipit potestatem quem operatur Spiritus sanctus in multitudine : est autem ille communicare multitudinem et sanctificare remittendo peccatum : ergo rex accipit potestatem illius actus : est autem ille actus clavis : ergo, etc.

Contra : Sed c

Chrysostomus in quadam Epistola ad Basilium sic dicit : « Habent quidem et mundi principes vinciendi aliquam potestatem, sed in solis corporibus : » hoc autem vinculum quod sacerdotibus commissum est, ipsam contingit animam : ergo reges non habent claves.

Responsio. Dicendum, quod reges Solu nullam habent clavem, nec aliquam spiritualem jurisdictionem : et causa hujus est, quia potestatem in sanguinem accipiunt, et inidonee cum tali potestate potestas spiritualis conjungeretur.

Ad primum ergo dicimus, quod spiritus Domini directus est in David ad opera regalia perficienda : sicut est victoria in hostes corporales, et discretio in regimen vel pacem terræ, et bonam populi dispositionem. Sicut enim dicitur in VIII *Ethicorum :* « Perfectio regni est regimen et Ad

statuta tendentia ad populi non regis utilitatem : et corruptio illius est in tyrannis, quando non populi, sed suam in regimine quærunt utilitatem, et ad lucrum proprium perficiunt statuta et leges. »

Ad aliud dicendum, quod spiritu Dei in quolibet operatur sicut organo ordinato ad actum proprium. Unde in rege perficit regalia, et in sacerdote sacerdotalia. Et ideo non valet argumentum : quia spiritus licet peccata dimittat, tamen non solum hunc actum operatur : quia, Sapient. vii, 22, dicitur, quod spiritus sapientiæ est *multiplex* in actibus et donis suis.

Ad 2. Ad aliud dicimus, quod unctio regis significat potestatem regni lenem in Spiritu sancto, prout decet fideles subditis imperare ; unctio autem sacerdotis alia est, ideo aliam potestatem significat.

ARTICULUS VI.

An congregatio habeat claves ?

Tertio quæritur, Utrum congregatio habeat claves, ita quod nullus de congregatione ? et hoc præcipue quæritur propter illum usum clavis, qui est excommunicare, et absolvere.

Videtur autem, quod non : quia

1. Clavis non est nisi ordinis sacramentalis : nulla autem congregatio habet hujusmodi ordinem : ergo nulla congregatio habet claves.

2. Item, Clavem scientiæ non potest habere multitudo, ita quod nullus singulariter, nec clavem absolvendi et ligandi in confessione : ergo a simili nec clavem potestatis excommunicandi.

3. Item, Cujus est potestas, illius est actio : ergo cujus non est potestas, ejus non est actio : sed actio non potest esse multitudinis, ita quod nullius : ergo nec potestas.

4. Item, Sicut dicit *nova constitutio :* Multitudo non potest tota excommunicari, ita quod nullus : sed singuli de multitudine possunt excommunicari, et tunc multitudo erit excommunicata : ergo nec excommunicare potest, ita quod nullus.

Contra :

Sed contra. 1. Sicut est jurisdictio, ita est instrumentum et potestas jurisdictionis : sed jurisdictio est unius in multos, et multorum in unum, et multorum in multos, ita quod nullius per se : ergo et excommunicationis potestas quæ est quasi instrumentum et potestas jurisdictionis spiritualis : ergo multitudo habet potestatem excommunicandi, ita quod nullus.

2. Item, Unus est servus multitudinis alicujus, ita quod nullius secundum se : ergo sic potest esse in spiritualibus : ergo habet multitudo potestatem coercendi per excommunicationem sibi rebelles.

Solutio. Responsio. Dicendum, quod multitudo congregationis alicujus quæ reducitur ad unum, potest habere spiritualem potestatem jurisdictionis excommunicandi et absolvendi, ita quod nullus de multitudine illa : et ita concordant civilia. Dicit enim Philosophus in VIII *Ethicorum*, quod ordinata potestas in duo dividitur : tam in politegiis, id est, in regimine civitatis, quam in œconomicis, id est, regimine domus. In politegiis quidem dividitur in regnum sive monarchiam quæ est principatus unius, et aristocratiam : et dicitur ab ἄριστος quod est *princeps*, et κράτος quod est *potestas*: et est potestas plurium simul secundum virtutem imperantium, ita quod nullius : sicut legitur de Romanis, I Machab. viii, 14 et seq., quod cum multa laudabilia facerent, nullus imposuit sibi diadema, sed senatum sequebantur. Tertia autem politegia quæ *timocratia* dicitur, non est politegia, sed corruptio quædam : et dicitur a τιμή quod est *pretium*, et κράτος quod est *potestas* : et est principatus multorum

divitum nihil habentium juris in principatu, nisi quia divitiis et pretiis excellunt. Est alia autem in œconomicis gubernatio patris in filiis, similis regno, et gubernatio viri in uxore, vel in uxoribus, sicut in Veteri Testamento, similis aristocratiæ. Sic ergo possumus dicere, quod in spiritualibus sunt duo genera jurisdictionis, scilicet primæ quæ est regalis sacerdotii, et secundæ multorum simul quibus est cor unum et anima una, quæ est sicut aristocratia spiritualis.

Ad 1. AD PRIMUM ergo contra hoc objectum, dicimus, quod (ut prius dictum est) iste usus clavis plus est jurisdictionis quam ordinis : et ideo ab habente clavem et jurisdictionem in excellentia potestatis potest descendere etiam in non habentem ordinem, habentem tamen jurisdictionem : et si proprie vellemus loqui, talis personalis multitudo habet usum clavis potius quam clavem.

Ad 2. AD ALIUD dicendum, quod non est simile de clavibus pœnitentiæ : quia illæ non sunt nisi secundum actus personales, et in causis quæ divisim respiciunt personas, sicut sunt peccata : peccata enim unius non sunt alterius : et sicut dicit *nova constitutio*, peccata multitudinis nulla sunt omnino, sed jurisdictio multitudinis nonnulla est, sicut jam probatum est, tam in urbanitatibus quam in congregationibus Ecclesiæ.

Ad 3. AD ALIUD dicimus, quod non sequitur : sicut non est actus, etc., quia actus sunt singularium, sed potestates ex ipsa multitudine causantur. Vel concedatur ratio, et dicatur, quod actus talis excommunicationis vel absolutionis est multitudinis, et non personæ alicujus secundum se.

Ad 4. AD ALIUD dicimus, quod rationabilissime est constitutum, quod multitudo non possit excommunicari, quia non peccat multitudo. Et alia ratio est naturalis : quia multitudo bene causat potentiam activam in excellentia, sed numquam defectum et impotentiam sive passionem. Exemplum autem hujus est, quod multitudo potest trahere navem et trahit, et nullus per se de multitudine : non tamen multitudo trahit, nisi quilibet trahat : nec multitudo mentitur, nisi quilibet mentiatur : quia abundantia virtutis in coagendo bene generatur in multitudine, sed non defectus in patiendo : et ideo non sequitur, si potest excommunicare, quod etiam possit excommunicari : vel si non potest excommunicari, quod non possit excommunicare.

ARTICULUS VII.

An abbatissæ et priorissæ quibus committuntur regimina mulierum, habeant claves ?

AD QUARTUM sic objicitur :

Videtur, quod abbatissæ et priorissæ quibus regimina mulierum et quandoque virorum committuntur, habeant claves : quia

1. De usu approbato ab Ecclesia est, quod viri et mulieres faciunt professionem in manibus earum : per professionem autem accipitur jurisdictio in professos : ergo habent jurisdictionem : et vi illius est clavis vel usus clavis, ut dictum est : ergo tales fœminæ habent claves.

2. Item, Sacerdotes sibi profitentes et condegentes cum ipsis suspendunt : ergo jurisdictionem habent : ergo usum clavis vel clavem.

3. Item, Judicum, IV, 4 et seq., Debora prophetissa judicavit Israel. Ergo habuit jurisdictionem : ergo et aliæ mulieres habere possunt.

4. Item, Mulieres in potioribus spiritualium communicant quam sint ista : quod patet per Annam, et quasdam alias, quæ fuerunt prophetissæ : ergo possunt etiam in istis communicare.

5. Item, In politegiis mulier accipit jurisdictionem : ergo etiam in spiritualibus.

Contra. CONTRA :

1. Genes. III, 16 : *Sub viri potestate eris.* Ergo mulier non debet esse in principatu : ergo nec habere jurisdictionem : ergo nec claves, nec usus clavium.

2. Item, I ad Corinth. XIV, 34 : *Mulieres in Ecclesiis taceant :* non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse. Ergo cum subditi non sit habere jurisdictionem, videtur, etc.

3. Item, I ad Timoth. II, 12 : *Docere mulieri non permitto, neque dominari in virum.* Et inde ut prius.

Si dicatur, quod loquuntur istæ auctoritates de mulieribus viris conjunctis, et non de sanctimonialibus. CONTRA : Philosophus dicit, quod corruptio urbanitatis est mulierem solam accipere potestatem. Ergo multo magis hoc judicatur corruptio in spiritualibus : ergo mulier sola quæcumque sit, numquam debet accipere jurisdictionem.

4. Item, Super illud epistolæ I ad Timoth. II, 12 : *Docere mulieri non permitto, neque dominari in virum,* Glossa dicit : « Aliqua prælatione spirituali, etsi in suo sexu : » ergo non potest habere jurisdictionem super viros, sed super fœminas habere potest.

5. Item, Chrysostomus : « Nihil mulieres possunt, sed per alios cuncta perficiunt. » Ergo ut prius.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quod mulier nullam habet clavem, nec in foro pœnitentiæ, nec in foro causarum : sed commissam sibi quoad usum tantum aliquem potest gubernare potestatem. Dico autem potestatem commissam, ab ordine vel abbate vel a papa concessam : quia mulier non est proprium subjectum potestatis, sed subjectionis in spiritualibus. Sed tamen ratione periculi, quia periculosum est viros gubernare fœminas continua communicatione et cohabitione cum ipsis, ideo committitur ipsis regimen potestatis : et tantum de regimine, quantum potest, sicut præcipere secundum regulam vel consuetudines Ecclesiæ, vel instituere officiales, et injungere quasdam pœnas pro excessibus : licet pœnitentiæ non proprie dicantur. Sed nulla clavis vel clavis potest eis committi.

AD PRIMUM ergo dicimus, quod obedientia non promittitur abbatissæ ut superiori vel habenti curam animarum : sed per ipsam promittitur abbati, vel Episcopo, vel Papæ : et propter periculum cohabitationis permissum est abbatissæ recipere. Et hoc mihi videtur, nisi auctoritas superioris aliud forte judicaverit : quia in talibus puto standum esse Pontificum et superiorum judicio : sed secundum dicta Sanctorum illud videtur dicendum. Ad 1.

AD ALIUD dicendum, quod mulier non suspendit, sed excessus : et est sententia canonis, quando contra constitutionem vel consuetudinem venit a muliere denuntiata. Ad 2.

AD ALIUD dicendum, quod Debora judicavit in temporalibus, sed in divinis judicium spectabat ad sacerdotes. Ad 3.

AD ALIUD dicendum, quod non est simile : quia prophetia est secundum illuminationes divinas in quibus non est masculus nec fœmina, sed imago Dei in utroque illustrata : sed in jurisdictione et potestate non sunt æquales vir et mulier. Ad 4.

AD ALIUD dicimus, quod in politegiis potest habere et sola et cum aliis dominatum : quia hoc est temporale, sed non in spiritualibus, rationibus supra inductis. Ad 5.

AD HOC quod Glossa videtur dicere, quod non habeat dominatum nisi in simili sexu, dicimus quod de mutuata potestate intelligitur, quoad quædam, scilicet injunctiones pœnarum, et hujusmodi, quæ supra dicta sunt : et non quoad claves vel usum clavis. Ad object. 4.

ARTICULUS VIII.

An per clavem jurisdictionis valet aliquis plus una vice ante absolutionem a priori excommunicari ? et, An absolutus ab una excommunicatione, sit absolutus ab alia ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, A, in fine : « *Ut ea jam valeat uti ad claudendum vel aperiendum.* »

Hic quæruntur quatuor.

Primo, Utrum per clavem jurisdictionis in causis valeat aliquis plus una vice ante absolutionem excommunicari ?

Secundo, Utrum illa clave potest uti adversus majorem se, vel contra seipsum ?

Tertio, Si potest ea uti in alienos, vel in suos subditos tantum ?

Quarto, Si nolentem sibi subditum potest absolvere ?

Ad primum sic objicitur :

1. Dicit Origenes : « Qui est extra, non potest magis fieri : » sed excommunicatus est extra : ergo, etc. : ergo sequens excommunicatio nihil operatur in ipso.

2. Item, I ad Corinth. v, 12 : *Quid mihi de iis qui foris sunt judicare ?* Ergo qui extra est per pœnitentiam, non pertinet amplius ad Ecclesiam judicare de ipso : ergo nec excommunicari potest pluries.

3. Item, Interfectus non potest amplius interfici : sed excommunicatus est interfectus gladio spirituali : ergo, etc.

4. Item, Privationes non recipiunt magis et minus : tam enim cæcus est una cæcitate quam duabus vel tribus : nec una cæcitate cæcus, potest etiam alia cæcitate esse cæcus : cum igitur excommunicatio non sit nisi privatio communionis, non potest aliquis plus excommunicari quam semel.

Sed contra hoc est totus usus Ecclesiæ militantis. Pluribus enim de causis aliquis pluries excommunicatur. Sed Ecclesia universalis non errat. Ergo aliquis potest pluries excommunicari. Sed cont

Item quæritur ulterius, Utrum absolutus ab una excommunicatione, sit eo ipso etiam absolutus ab alia, si pluribus excommunicationibus excommunicatus fuerit ? Quæst

Et videtur, quod non : quia causa pro qua excommunicatur, non dependet a causa : ergo nec excommunicatio ab excommunicatione : ergo nec absolutio ab absolutione : ergo absolutus ab una, non est absolutus ab alia.

Sed contra : Sed cont

1. Tantum est extra communionem per unam, sicut per plures : ergo nihil valet ei absolutio ab una sine alia : sed nihil facit Ecclesia quod non valet : ergo Ecclesia non absolvit eum ab una sine alia.

2. Item, Non absolvitur ab excommunicatione nisi absolvatur a peccato : sed a peccato uno non absolvitur nisi ab omnibus absolvatur : ergo, etc.

Responsio. Dicendum, quod excommunicatus una excommunicatione, potest etiam alia excommunicari duabus de causis. Una est, quod licet privationes in se non multiplicentur in eadem specie, nec intendantur et remittantur : tamen in suis causis multiplicantur, et intenduntur, et remittuntur. Unde una cæcitate cæcus, potest esse cæcus pluribus de causis : et quanto causæ sunt plures et fortiores, tanto longior est a visu : et una causa potest solvi sine alia. Et sic excommunicatio magis elongat : quia est pluribus causis multiplicata et fortioribus. Solutio

Alia causa est : quia duo sunt effectus vel potius defectus excommunicationis : unus est ejicere, alius est extra retinere. Quantum ad primum, licet non crescat pluries facta excommunicatio, tamen causa crescit quantum ad secundum.

Ad 1. Ad primum ergo patet solutio per prædicta quia magis potest retineri extra, licet non plus extra fieri.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod loquitur Apostolus de illis qui numquam per susceptionem fidei et sacramentorum fuerunt intus : et illi non possunt excommunicari nisi in casu, scilicet si forefaciunt illis qui sunt intus : et illa excommunicatio tunc non facit talem extra, sed interiores retrahit a conversatione et a communione sua in actibus legitimis.

Ad 3. Ad aliud dicimus, quod excommunicatus non omnino interfectus est quantum ad Ecclesiam militantem, sed traditus est diabolo vexandus : et ideo amplius potest vulnerari.

Ad 4. Ad aliud patet solutio per principium istius solutionis.

Ad quæst. Ad id quod quæritur, dicimus quod potest absolvi ab una excommunicatione, ita quod non ab alia.

Adobject. 1. Ad objectum contra, dicimus quod valet ei absolutio ab una : quia jam paucioribus vinculis et causis retinetur extra : et ideo facilius patet ei reditus ad communionem.

Adobject. 2. Ad aliud dicimus, quod non est simile : quia etiam sine peccato potest aliquis excommunicari. Unde cum excommunicatio fiat secundum forum Ecclesiæ militantis, et remissio peccatorum secundum misericordiam Dei qui regnat in Ecclesia triumphante : non est verum, quod excommunicatio non absolvatur nisi peccato remisso : imo potius peccato remisso per contritionem, adhuc potest remanere excommunicatio, et remissa excommunicatione per absolutionem, adhuc potest manere peccatum quoad Deum. Unde illa objectio fundatur super falsum.

ARTICULUS IX.

An sacerdos potest uti clave jurisdictionis adversus majorem, æqualem, vel minorem se ?

Secundo quæritur, Utrum sacerdos vel Episcopus clave jurisdictionis uti potest adversus majorem se, vel æqualem, vel seipsum ?

Videtur, quod sic :

1. Per illud epistolæ ad Galat. I, 8, ubi Paulus excommunicat se, et Angelum aliud evangelizantem excommunicat : ergo se et majorem potest excommunicare : ergo multo magis æqualem.

Si dicatur, quod loquitur de Angelo malo qui minor est Paulo. Contra : Dicit Glossa : « Angelus de cœlo bonus vel malus. » Si ideo dicas, quod Angelus est minor Paulo. Contra : Dicitur, Matth. XI, 11 : *Qui minor est in regno cœlorum, major est illo*, scilicet Joanne Baptista : quo major inter natos mulierum non surrexit : ergo et major Paulo.

Præterea, Christus propter passionem minoratus est ab Angelis [1] : ergo et Paulus.

2. Præterea, Sacerdos in Ecclesia excommunicat pro furto : et ponatur quod major eo vel ipsemet illud fecerit : ergo excommunicabit tunc majorem vel parem, vel seipsum.

Sed contra : Sed contra.

Canon dicit, quod par in parem non habet jurisdictionem et potestatem : ergo nec potestatem excommunicandi majorem, val æqualem, vel seipsum : quia sicut dicitur in *geometria*, quodlibet sibi æquale est quantum ad hoc quod nec exceditur a se, nec excedit seipsum.

[1] Ad Heb, II, 9.

Solutio. Responsio. Concedimus, quod nullus potest excommunicare majorem, vel æqualem, vel seipsum.

Ad 1. Ad primum ergo dicimus, quod Paulus loquitur sub hypothesi, sicut dicit Altisiodorensis : « Sicut impossibile est Angelum hoc facere, vel nos : ita, etc. » Vel melius dicatur, quod Apostolus non fert sententiam, sed dicit justitiam excommunicationis ferendæ. Quasi diceret : Justum est excommunicari talem : quia jam desinit esse Angelus bonus, vel Apostolus, et impugnat fidem et sacramenta.

Ad 2. Ad aliud dicimus, quod sacerdos in tali casu nullum excommunicat : quia paris in parem nulla est jurisdictio.

ARTICULUS X.

An aliquis clave jurisdictionis potest uti in subditos alienos ?

Tertio quæritur, Utrum potest ea uti in alienos subditos ?

Videtur, quod sic : quia

1. Diœcesanus potest ratione delicti, etiam non sibi subditos excommunicare et absolvere, sicut dicit *Decretalis* : ergo et sacerdos.

2. Item, Legatus in transitu etiam illos qui non sunt de legatione sua absolvit : ergo parochianus et Episcopus potest similiter facere.

3. Item, Matth. xv, 24, ubi dicit Christus : *Non sum missus*, etc., tamen salvavit alienigenam : ergo, etc.

Item, Per Samaritanam quæ non erat de Israel, probatur idem [1].

Sed contra. Sed contra :

1. Dicit *Constitutio*, quod nullus mittat falcem in messem alienam : sed aliena messis, alienus est subditus : ergo non licet ei alienum excommunicare vel absolvere.

2. Item, Multa sunt decreta, quod Episcopis Ægypti subditi sunt Ægyptii : et Episcopis Thraciæ, Ecclesiæ Thraciæ : et quod non liceat subditum alterius alteri Episcopo ordinare vel recipere : ergo non excommunicare potest eum vel absolvere.

Solutio. Responsio. Dicendum, quod nullus potest jurisdictionem suam ultra quam sibi a suo superiori permissum est in alienum subditum extendere excommunicando vel absolvendo, vel etiam in pœnitentia absolvendo, nisi eo modo quo supra dictum est [2].

Ad 1. Ad primum dicimus, quod ratione delicti ex constitutione Papali efficitur quis alterius fori : et hoc factum est in pœnam : unde in aliis casibus non potest fieri.

Ad 2. Ad aliud dicimus, quod non est simile de Legatis et aliis : Legatus enim Apostolicæ sedis, debet habere reverentiam : et ideo patitur Papa ut his per quos transit, beneficium impendat, ut devotiores sint ad honorem sibi exhibendum : secus autem est in aliis Episcopis et plebanis : et ideo talia facere non possunt.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod loco Christi in terris non est nisi unus Papa : et ille potest facere in omnibus : sed alii in partem sollicitudinis vocati sunt, et ideo non licet eis extendere jurisdictionem ultra quam permissum est eis.

ARTICULUS XI.

An Episcopus potest absolvere nolentem ?

Quarto quæritur, Si nolentem subditum potest absolvere Episcopus vel sacerdos ?

Videtur, quod sic : quia

1. Dicit Augustinus, quod « multa bona

[1] Cf. Joan. iv, 7 et seq.

[2] Cf. Supra, Dist. XVII.

præstantur invitis : » sed summum bonorum in via est absolutio ab excommunicatione : ergo hæc potest præstari etiam invito subdito.

2. Item, Pater carnalis multa facit circa filium, invito filio : sed sacerdos vel Episcopus, est pater spiritualis : ergo a simili, etc.

3. Item, Excommunicari potest invitus : cum igitur Ecclesia potentior sit in beneficiis, quam in pœnis, potest absolvi invitus.

Sed contra. Sed contra :

Quodcumque solveris super terram erit solutum et in cælis [1] : et si non est solutum in cælis, non erit solutum in terris : sed nullus dissentiens absolutioni, absolvitur in cœlis : ergo nec in terris potest absolvi.

Responsio. Dicendum, quod aliquis a vinculo excommunicationis absolvi potest etiam invitus, sed non a vinculo peccatorum in confessione. Solutio.

Et ad objectum contra, dicimus quod hoc intelligitur de absolutione quæ fit in foro confessionis a peccatis, et non de illa quæ fit in foro causarum et jurisdictionis ab excommunicatione. Vel dicatur, quod etiam a Deo reputatur absolutus ab excommunicatione, licet non reputatur absolutus a peccato : et tunc hæc est falsa, quæ destruit consequens : sed non est absolutus in cœlo, id est, coram Deo. Ad object.

B. *Si alteram clavem omnes habeant, scilicet potentiam ligandi et solvendi ?*

Cumque jam constet non omnes sacerdotes illas duas claves habere, quia scientia discernendi plerique carent : de altera, id est, potentia ligandi et solvendi quæritur, Utrum omnes sacerdotes eam habeant ? Quidam enim hanc potestatem putant illis solis esse concessam, qui doctrinam simul ac vitam Apostolorum servant. Illas enim claves promisit Dominus Petro [2], et imitatoribus ejus tantum, ut aiunt, qui etiam auctoritatibus utuntur in munimentum suæ opinionis. Hoc enim dicunt Augustinum sensisse, ubi superius ait : Remissionem peccatorum vel per seipsum facit Deus, vel per columbæ membra [3]. Dicit etiam idem peccata dimitti vel teneri a sanctis. Idem, super Exodum, ubi de lamina aurea legitur : Erat autem lamina aurea semper in fronte sacerdotis [4]. Hæc, inquit, significat fiduciam bonæ vitæ, quam qui vere perfecteque, non significatione sed veritate sacerdos habet, solus potest auferre peccata. Item, Gregorius : Illi soli habent in hac carne positi potestatem ligandi et solvendi, sicut sancti Apostoli, qui illo-

[1] Matth. xvi, 19.
[2] Matth. xvi, 19.
[3] S. Augustinus, In libro de Baptismo contra Donatistas, cap. 10.
[4] Exod. xxviii, 38.

rum exempla simul cum doctrina tenent [1]. Item ex dictis Origenis : Hæc potestas soli Petro concessa est, et imitatoribus Petri. Nam quicumque vestigia Petri imitantur, habent recte ligandi et solvendi potestatem. His aliisque testimoniis innituntur, qui asserunt potestatem ligandi ac solvendi illis solis concessam sacerdotibus, qui vita et doctrina pollent sicut Apostoli.

ARTICULUS XII.

An boni et mali habentes jurisdictionem, habeant claves ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, B, post initium : « *Quidam enim hanc potestatem putant illis tantum esse concessam, qui doctrinam simul et vitam Apostolorum servant*, etc. »

Isti sunt illi hæretici qui vocantur Caractari.

Videtur autem ratio facere pro illis.

1. Matth. XVI, 19, ubi Dominus dedit claves Petro et successoribus suis : voluit præmittere testimonium confessionis, quia non revelavit ei caro et sanguis. Ergo qui vivunt secundum carnem et sanguinem, non perseverant in illa confessione : ergo tales non habent claves.

2. Item, Sapientiæ, I, 4 : *In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Ergo cum Christus sit Dei virtus et sapientia [2], Christus non inhabitat tales. Ergo nec opera suæ potestatis exercet per tales : sed opera suæ potestatis sunt opera clavium : ergo tales non faciunt aliquid per claves, nec habent eas.

3. Item, *Ab immundo quid mundabitur* [3] ? sed non habens vitam et scientiam, immundus est : ergo nihil mundare potest : ergo nec claves habet : quia claves operantur ad munditiam.

4. Item, In præcedenti distinctione dicit Augustinus, quod Deus remittit peccata per columbam, vel columbæ membra : sed isti non sunt columba, neque membra columbæ : ergo nec remittunt : ergo nec claves habent, quia claves dantur ad remissionem peccatorum, ut dicitur, Joan. XX, 23.

5. Item, Contra totam naturam esse videtur : quia nihil in natura inferiori movet operatione alicujus formæ quam non habet per se : sed per accidens erit si sic movebit. Verbi gratia, calidum calefacit, et non calidum non potest calefacere, et sic de aliis : ergo cum gratia sit perfectio naturæ, videtur quod nec in gratia potest aliter esse : ergo peccator a peccatis mundare non potest : ergo nec habet claves, nec usum clavium.

6. Si dicas, quod tales inhabitat Christus per potestatem, sed non per vitæ sanctitatem : et ideo per potestatem Christi in clavibus acceptam operari remissionem possunt in aliis, cum tamen ipsi subjaceant peccatis. CONTRA : II ad Corinth. VI, 15 : *Quæ conventio Christi ad Belial ?* ergo non est aliquis homo qui partim sit Christi, et partim diaboli : imo totus est Christi, vel totus diaboli.

SED CONTRA : Sed contra.

1. Matth. XXIII, 2 : *Super cathedram Moysi*, etc. Ergo obediendum est in sa-

[1] S. GREGORIUS, In tractatu Evangeliorum, Homil. 2.

[2] I ad Corinth. I, 24.

[3] Eccli. XXXIV, 4.

crementorum et doctrinæ dispensatione etiam malis : hoc autem non esset, si claves non haberent : ergo claves habent.

2. Item, Supra probatum est, quod dispensandi alia sacramenta potestatem etiam mali habent : ergo habent potestatem etiam in isto : ergo habent claves, quia non nisi per claves operantur in isto sacramento.

3. Item, Omnia excellentius in natura operantia faciunt actum formæ, qua non disponuntur : sicut Jupiter calefacit, et humectat, et tamen non est calidus nec humidus : et Mars immoderate calefacit et exsiccat, et tamen non est calidus nec siccus, et sic de aliis. Cum igitur principia gratiæ non sint minus efficacia principiis naturæ, potest aliquis operari ad peccatorum dimissionem, cui peccata non sunt dimissa.

4. Item, In officiis humanis non refert, utrum claviger consentiat in distributionem eorum quæ clavibus recluduntur, vel dissentiat, dummodo dominus velit dispensare : ergo similiter est hic in clavibus divinis : ergo non refert sive bonus sive malus sit minister, dummodo bonus sit Dominus.

Solutio. Responsio. Dicendum, quod boni et mali sacerdotes habent clavem, si habent jurisdictionem : habent etiam clavium exsecutionem.

Ad 1. Ad primum ergo contra, dicimus quod duo Dominus laudavit in Petro, scilicet dignitatem ad clavem percipiendam, et veritatis fidei soliditatem : sed tamen clavis perceptionem non fundavit nisi super alterum illorum, scilicet super fidei veritatem. Et verum est, quod omnis sacerdos in forma fidei et fidelium ordinatus, accipit claves, sed ad damnationem suam accipit, si non est bonæ vitæ et scientiæ sufficientis.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod intelligitur quantum ad inhabitantem gratiam, et non quantum ad operationem gratiæ gratis datæ.

Ad 3. Ad aliud dicimus, quod auctoritas illa loquitur in his qui ex habitu immunditiæ operantur : et hæc sunt mala opera, et mala exempla. Et hoc patet per illud quod ibi sequitur, Eccli. xxxiv, 4 : *Et a mendace quid verum dicetur* : quia a mendace possunt multa vera dici : sed nihil verum dicit, ex habitu mendacii loquens.

Ad 4. Ad aliud dicimus, quod membra columbæ sunt duplicia, scilicet quantum ad motum, et quantum ad sensum : hujusmodi ergo Prælati sunt membra columbæ quæ moventur tantum ad utilitatem aliorum : sed non sentiunt per experimentum gratiam columbæ vivificantis in spiritu.

Ad 5. Ad aliud dicimus, quod licet ita sit in inferioribus elementis et elementatis, in superioribus tamen non est verum, ut probat objectio in contrarium facta. Vel aliter et melius dicendum, quod illud simile ostendit quales debeant esse digni ministri, et non quales sint necessario : quia non nisi per accidens potest aliquid cooperari ad suum contrarium, sicut dicit Philosophus in II *Meteororum*, quia magis calidum esse quandoque cooperatur ad majus frigus : sicut nubes calida rara est, et rarum undique recipit circumstans frigus, propter quod fit, quod frigus magis profundatur in tali nube, et solidatur in grandines : tamen ex alia minus calida non nisi pluvia generatur : quoniam non est generale in natura quod adducitur pro simili.

Ad 6. Ad aliud dicimus, quod tales non inhabitat Christus : quia non dicitur *inhabitare* nisi quos inhabitat per gratiam gratum facientem : sed in aliis est, sed non inhabitat. Et quod hoc non sit inconveniens, patet : quia in quibusdam solum est per operationem miraculorum et prophetiæ, et tamen membra sunt diaboli : et per asinam operatus est, et tamen asinam non habitavit [1] : et ideo

[1] Cf. Numer. xxii, 28 et seq., in historia falsi prophetæ Balaam.

nihil facit hoc quod adducitur de epistola II ad Corinth. VI, 15, quia ibi loquitur Apostolus de illis, qui putabant in peccatis Deum haberi per gratiam inhabitantem.

C. *Aliorum sententia verior.*

Aliis autem videtur, quod et mihi placere fateor, cunctis sacerdotibus hanc clavem dari, scilicet ligandi et solvendi : sed non eam recte ac digne habent, nisi qui vitam et doctrinam Apostolicam servant. Nec præmissæ auctoritates malos sacerdotes hanc potestatem negant habere : sed illos solos digne ac recte hac potestate uti significant, qui prædiți sunt vita et doctrina Apostolica : quia soli ipsorum Apostolorum imitatores digne recteque possunt ligare et solvere. Et per Dominum tantum vel per Sanctos in quibus habitat Spiritus sanctus, digne et recte fit remissio vel retentio peccatorum. Fit tamen et per illos qui sancti non sunt, sed non digne vel recte. Dat enim Deus benedictionem digne poscenti etiam per indignum ministrum. Quod vero hanc potestatem habeant omnes sacerdotes, Hieronymus testatur super illum locum Evangelii, ubi Dominus dixit Petro : *Tibi dabo claves regni cœlorum* [1]. Habent enim, inquit, eamdem judiciariam potestatem alii Apostoli, habet et omnis Ecclesia in Episcopis et presbyteris : sed ideo Petrus eam specialiter accepit, ut omnes intelligant, quod quicumque ab unitate fidei et societate Ecclesiæ se separaverit, nec a peccatis solvi, nec cœlum potest ingredi. Item, quod sacerdos, etiamsi malus sit, gratiam tamen transfundit pro suæ dignitatis officio, Augustinus ostendit dicens [2] : Dictum est a Domino in Numeris ad Moysen et Aaron sacerdotes, Vos ponite nomen meum super filios Israel, et ego Dominus benedicam eos [3], ut gratiam traditam per ministerium ordinati transfundant hominibus, nec voluntas sacerdotum obesse vel prodesse possit, sed meritum benedictionem poscentis. Quanta autem sit dignitas sacerdotalis officii et ordinis, hinc advertamus. Dictum est de nequissimo Caipha inter cætera : *Hoc autem a semetipso non dixit : sed cum esset pon-*

[1] Matth. XVI, 19.

[2] S. AUGUSTINUS, Lib. Quæst. ex Veteri Testamento, quæst. 11.

[3] Numer. VI, 22 et seq. : *Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : Loquere Aaron et filiis ejus : Sic benedicetis filiis Israel, et dicetis*, etc. *Invocabuntque nomen meum super filios Israel, et ego benedicam eis.*

tifex anni illius, prophetavit [1] : per quod ostenditur spiritum gratiarum non personam sequi digni vel indigni, sed ordinem traditionis : ut quamvis aliquis boni meriti sit, non tamen possit benedicere nisi fuerit ordinatus, ut officii ministerium exhibeat. Dei autem est effectum tribuere benedictionis. Hinc evidenter ostenditur ordinem non privari potestate tribuendi gratiam ob ministri indignitatem. Huic tamen Augustini sententiæ videtur obviare quod ait Hesychius : Sacerdotes, inquit, non propria virtute benedicunt, sed quia figuram Christi gerunt, et propter eum qui in ipsis est, plenitudinem benedictionis tribuunt : nec solum is qui sacerdotium sortitus est, sed quicumque Christum in seipso habet, et ejus figuram gerit, per conversationem bonam, sicut Moyses, idoneus est ut benedictionem præstet [2]. Ecce hic habes, quod non solum sacerdotes [3], sed omnis in quo Christus habitat, benedictionem præstat. Sed alia est benedictio, quæ solis sacerdotibus congruit : alia quæ ab omnibus bonis communiter exhibetur. Denique illi sacerdotes in quibus Christus habitat, benedictionis plenitudinem tribuere dicunt : non quia soli illi transfundant gratiam, sed quia illi soli licite et digne id agunt. Nec subditos mala vita sacerdotis lædit, si bona faciunt quæ ille dicit. Unde Gregorius : Multi dum plus vitam sacerdotum quam suam discutiunt, in erroris foveam dilabuntur : minus considerantes, quod non eos vita sacerdotum læderet, si humiliter bonis sacerdotum admonitionibus aurem accommodarent.

ARTICULUS XIII.

An boni et mali æque recte et digne habent potestatem clavium ?

Deinde, quæritur de hoc quod dicit, ibi, C, post initium : « *Sed non eam*, scilicet clavem ligandi et solvendi, *recte ac digne habent*, etc. »

CONTRA :

Omnis qui utitur potestate ad usum ad quem est usus, recte habet potestatem : sed isti sic utuntur potestate : ergo habent eam recte : sed tales recte baptizant, et recte absolvunt : ergo, etc.

RESPONSIO. Duplex est rectitudo potestatis, scilicet ad actum et ad subjectum : et ad actum quidam recte se habent, sed non recte ad subjectum. Solutio.

Per hoc patet solutio ad utrumque : quia in sensu illo procedunt, quo rectitudo sumitur ad actum.

[1] Joan. XI, 51.

[2] HESYCHIUS, Super Levit. cap. IX.

[3] Edit. J. Alleaume, *sacerdos*.

ARTICULUS XIV.

An Moyses et Aaron fuerunt sacerdotes, et quam differenter ?

Deinde, quæritur de hoc quod dicit, ibi, B, circa medium : « *Dictum est a Domino in Numeris* [1] *ad Moysen et Aaron sacerdotes*, etc. »

CONTRA :

Solus Aaron fuit pontifex, et non Moyses, sicut apparet, Levit. VIII, 2 et seq.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quod Moyses dicitur *sacerdos*, non officio oblationes offerendi, sed sacra pandendi : quia immediate sacra a Deo accepta populo dedit, et ei oblationes ordinavit.

ARTICULUS XV.

An Caiphas bene dicatur prophetasse ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, C, post medium : « *Cum esset pontifex anni illius, prophetavit*, etc. »

Videtur hoc falsum : quia Glossa super epistolam I ad Corinth. XIII, 2, dicit : « Propheta non est nisi ab intellectuali visione : » sed ille non habuit visionem intellectualem, quia non sic intellexit quod dixit, ut dicit Evangelista Spiritum sanctum intellexisse : ergo non prophetavit.

2. Item, Daniel. X, 1 : *Intelligentia opus est in visione.* Cum igitur iste intelligentiam non habuit, non prophetavit.

3. Item, Videtur falsum quod dicit Evangelista : *Hoc autem a se metipso non dixit* [2] : quia qui dicit falsum et peccatum, dicit a semetipso : iste dicit falsum et peccatum : ergo, etc. PROBATIO primæ. Joan. VIII, 44 : *Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur.* PROBATIO secundæ est : quia cum diceret, *Expedit*, etc., intellexit de utilitate temporali, et de morte iniqua Christi : et hoc modo falsum est : ergo, etc.

RESPONSIO. In dictione Caiphæ quatuor fuerunt, scilicet dicentis intentio quæ Sol. movet dicentem, et dicentis intellectus quem ipse in verbis intellexit, et modus talis verborum per quem dixit, et ipsa vox quam dixit. Primum horum fuit iniquum, secundum falsum, et neutrum a Spiritu sancto. Sed tertium fuit a Spiritu sancto. Cum enim voluit dicere, rexit dictionem Spiritus sanctus, ut tali modo exprimeretur, in quo pronuntiaretur necessitas passionis Christi. Vox autem ipsa relata ad exemplar æternum, unum sensum verum prætendit Christi fidelibus : sed relata ad intellectum et intentionem dicentis, alium sensum prætendebat infidelibus. Unde dicendum ad id quod refert Evangelista, quod *a semetipso non dixit :* et debet intelligi cum præcisione, ut sit sensus, quod *tantum* a semetipso non dixit.

AD PRIMUM ergo dicimus, quod Propheta non fuit. Sed non sequitur, si Ad 1 et Propheta non fuit, quod ergo non prophetavit : sicut asina rationale animal non fuit, sed actum rationalis animalis habuit [3] : et aliquis qui cantor non est, quandoque tamen cantat.

Et per hoc etiam patet solutio ad aliud : quia in visione constituente prophetiam, opus est intelligentia, sed non in omni visione prophetantis : quia sic omnis visio prophetica esset intellectua-

[1] Numer. VI, 22 et seq.
[2] Joan. XI, 51.
[3] Cf. Numer. XXII, 23 et seq., de asina falsi prophetæ Balaam.

lis : et hoc falsum est, quia secundum hoc evacuarentur duo genera visionum, scilicet corporalis, et spiritualis.

Ad aliud patet solutio per distinctionem in principio positam. Ad 3.

D. *De hoc quod scriptum est in Malachia :* Maledicam benedictionibus vestris.

Præmissæ vero vero sententiæ qua dicitur, etiam per mali sacerdotis ministerium transfundi gratiam benedictionis, videtur obviare quod Dominus per Malachiam prophetam malis sacerdotibus comminatur : *Maledicam benedictionibus vestris* [1]. Et alibi, Væ his qui vivificant animas quæ non vivunt, et mortificant animas quæ non moriuntur [2] ! Si enim maledicit Dominus benedictionibus eorum, et si animæ quas vivificant, non vivunt : quomodo per eos gratia benedictionis transfunditur ? Sed illud capitulum, *Maledicam*, etc., quidam referunt ad hæreticos, qui ab Ecclesia præcisi sunt, et ad excommunicatos, quorum benedictiones fiunt maledictiones his qui eorum sequuntur errores. Illud vero alterum, scilicet *vivificant*, etc., super omnes illos sacerdotes exponunt, qui absque clave scientiæ et forma bonæ vitæ præsumunt ligare vel solvere. Sed nullus officio sacerdotis uti debet, nisi immunis sit ab illis quæ in aliis judicat : alioquin seipsum condemnat [3].

ARTICULUS XVI.

An hæretici vel mali prælati Christiani conferant benedictionem ?

Deinde quæritur de verbis Malachiæ, ibi, D, « *Maledicam benedictionibus*, etc. »

Ex hoc et aliis quibusdam inductis videtur, quod hæretici et mali Christiani prælati, nullam conferant benedictionem : tamen hoc supra in tractatu de *baptismo et Eucharistia* improbatum est, ubi agitur de baptismo dato ab hæreticis, et de Eucharistia consecrata ab illis [4].

Sed contra : Sed contra.

Hæreticus baptizat et baptizatum est, confirmat et confirmatum est, et sic de aliis : ergo etiam si excommunicat et excommunicatum est, et absolvit et absolutum est, quod falsum est.

[1] Malach. II, 2. Cf. Levit. XXVI, 14 ; Deuter. XXVIII, 15.

[2] Cf. Ezechiel. XIII, 19 : *Et violabant me ad populum meum,... ut interficerent animas quæ non moriuntur, et vivificarent animas quæ non vivunt*, etc.

[3] Ad Roman. II, 11 : *Propter quod inexcusabilis es, o homo omnis qui judicas : in quo enim judicas alterum, teipsum condemnas : eadem enim agis quæ judicas.*

[4] Pro baptismo, Cf. Supra, Dist. V, Art. 3. Pro Eucharistia, Dist. XIII, Art. 29 et 30.

Solutio. Responsio. Cum dicitur : *Maledicam benedictionibus vestris*, intelligitur virtute grammaticæ per pronomem discretum *vestris*, id est, quæ ita vestræ sunt, quod non meæ : suis enim Dominus numquam maledicit. Constat autem, quod in sacramentis solus Deus per se operatur intus, sed homo ministerium facit extra : et ideo effectus sacramentorum, non hominis, sed Dei sunt benedictiones. Sed non sequitur, baptizat et baptizatum est, etc. : ergo si excommunicat excommunicatum est, etc. : quia excommunicatio est jurisdictionis quæ est hominis, et fit in ea actus hominis Prælati et habentis jurisdictionem super alios homines : et ideo iste actus quandoque maledicitur a Deo et benedicitur : benedicitur quando hæreticus maledicit excommunicando : et maledicitur, cum benedicit absolvendo.

E. *Qualis debet esse judex Ecclesiasticus ?*

Qualem autem oporteat esse qui aliorum judex constituitur, Augustinus describit ita dicens [1] : Sacerdos cui omnis offertur peccator, ante quem statuitur omnis languor, in nullo eorum sit judicandus, quæ in alio judicare est promptus. Judicans enim alium qui est judicandus, condemnat seipsum [2]. Cognoscat ergo se, et purget in se quod alios videt sibi offerre : caveat ut a se projecerit, quidquid in alio damnosum reperit. Animadvertat, quod *qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat* [3]. Ideo enim liberavit peccatricem, quia non erat qui juste projiceret lapidem. Quomodo lapidaret, quia se lapidandum cognosceret ? Nullus enim erat sine peccato, in quo intelligitur omnes [4] fuisse reos. Nam venialia remittebantur per cerimonias. Si quod ergo in eis peccatum erat, criminale erat. In hoc ergo patentissimum est, crimen sacerdotum esse detestabile, qui non prius se judicant antequam alios alligant. Caveat spiritualis judex, sicut non commisit crimen nequitiæ, ita non careat munere scientiæ. Oportet ut sciat cognoscere quidquid debeat judicare. Judiciaria enim potestas hoc postulat, ut quod debet judicare discernat. Diligens ergo investigator sapienter interroget a peccatore, quod forsitan ignorat, vel verecundia velit occultare. Cognito vero crimine, varietates ejus non dubitet investigare, et locum, et tempus, et cætera quæ supra diximus : quibus cognitis, adsit benevolus, paratus erigere, et secum onus portare : habeat dulcedinem in affe-

[1] S. Augustinus, Lib. de Vera et falsa pœnitentia, cap. 20.
[2] Cf. ad Roman. II, 1.
[3] Joan. VIII, 7.
[4] In edit. J. Alleaume additur *crimine*.

ctione, discretionem in varietate, doceat perseverantiam, caveat ne corruat, ne juste perdat judiciariam potestatem. Etsi enim pœnitentia possit ei acquirere gratiam, non tamen mox restituit in potestatem primam. Etsi Petrus post lapsum restitutus fuerit, et sæpe lapsis sacerdotibus reddita sit dignitatis potestas, non tamen est necesse, ut omnibus concedatur quasi ex auctoritate. Invenitur auctoritas quæ concedit et quasi imperat. Invenitur auctoritas alia quæ non concedit, sed vetat : quæ Scripturæ non repugnant, sed concordant : cum enim tot sunt qui labuntur, ut pristinam dignitatem ex auctoritate defendant, et quasi usum peccandi sibi faciant, recidenda est spes ista. Si vero locus est ubi ista non concurrant, restitui possunt qui peccant.

Ex his satis perpenditur, qualis debeat esse sacerdos qui alios ligat et solvit : discretus scilicet, et justus : alioquin mortificat sæpe animas quæ non moriuntur, et vivificat quæ non vivunt, et ita incidit in maledictionis judicium. Illud autem Malachiæ, scilicet, *Maledicam benedictionibus vestris* [1], sive super hæreticos tantum et excommunicatos, sive super omnes sacerdotes qui vita et scientia carentes benedicere præsumunt, dictum accipiatur, sic intelligi potest : *Maledicam benedictionibus vestris*, id est, his quæ in eis benedictionibus possidetis : quia faciam ea cedere vobis in maledictionem, non in benedictionem. Quia etsi benedicunt Sanctis, non hoc faciunt ex vero corde : et ideo eorum benedictio eis vertitur in maledictionem. Vel, *Maledicam benedictionibus vestris,* id est, quod a vobis benedicitur, a me erit maledictum : quia benedicunt inique agentibus, adulanturque peccantibus, dummodo divites sint.

ARTICULUS XVII.

An fraterna correctio sit bene diffinita a Magistro ?

Quæritur nunc de hoc quod dicit, ibi, E, « *Qualem autem oporteat esse qui aliorum judex constituitur*, etc. »

Gratia hujus, quia correctio pertinet ad judices, quæremus de correctione fraterna sex, scilicet, Quid sit ?

Secundo, Cujus sit ?

Tertio, Utrum omnes tenentur ad correctionem fraternam ?

Quarto, Utrum sit omnium in omnes, vel in quosdam tantum ?

Quinto, Quo ordine fieri debet ?

Sexto, In quo differt a correctione judiciaria ?

De primo dicunt Magistri, quod correctio fraterna est

1. Admonitio fratris de emendatione delicti ex fraterna charitate procedens : sed cum admonitio sit obliti, et peccans in actu non peccet ex oblivione, male ibi ponitur admonitio.

[1] alach. II, 2.

2. Item, Admonitio non sonat in accusationem aliquam : sed corrigens fratrem, aliquando accusat coram judice : ergo ut prius.

3. Item, Matth. XVIII, 15 : *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe*, etc. Corripiendo autem sonat in quamdam asperitatem et increpationem per verba : sed non admonitio : ergo fraterna correctio quæ *correptio* a Domino dicitur, male diffinitur per admonitionem.

4. Item, Quæritur de hoc quod dicit, « De emendatione delicti. » Possum enim corripere fratrem non tantum de delicto perpetrato, sed etiam de signo delicti perpetrandi, ut caveat : ergo male dicitur, « De emendatione delicti. »

5. Item, Objicitur de hoc quod dicit, « Ex fraterna charitate procedens. » Quia secundum hoc non corriperet, nisi qui haberet charitatem : cum tamen hoc non oporteat, ut infra patebit.

Solutio. RESPONSIO. Diffinitio hæc optima est. Admonitio enim est in spiritu lenitatis correctio : ut videatur potius admonendo quam exasperando corrigere.

Ad 1. AD PRIMUM ergo dicimus, quod omnis peccans excidit ab intellectu, ut dicit Aristoteles, et sequitur partem rationalis concupiscentiæ, præcipue quantum ad judicium superioris partis rationalis et synderesis, quod semper est rectum : et quantum ad hoc dicitur hic admonitio ad reversionem ad lucem intellectus, qui regit viam juris et non errat : et hoc modo dicitur, Isa. XLVI, 8 : *Redite, prævaricatores, ad cor.*

Ad 3. AD ALIUD dicendum, quod generaliter correctio fit propter hujusmodi admonitionem fratris : et si evigilat, bonum est corrigenti : si non, tunc primo locum habet accusatio, et ideo accusatio actus est consequens correctionem, et debetur confirmato in malo qui difficulter corrigitur : et ideo primus et essentialis actus est admonitio, et per illum diffinitur.

AD ALIUD dicimus, quod admonitio prout hic sumitur modo prædicto, aliquam habet in se correctionem : quia ostendit malum cum increpatione moderata, eo quod excidit a regimine intellectus : hoc enim hic sonat *admonitio*.

AD ALIUD dicimus, quod *delictum* sumitur hic conjunctim, prout est in actu exteriori et interiori, qui per signum extra demonstratur, quia jam incipit esse delictum, quando intus incipit radicari.

AD ALIUD dicimus, quod *fraterna charitas* dicitur a modo fraternæ charitatis in actu correctionis : sicut præcipit Apostolus, ad Galat. VI, 1 : In spiritu lenitatis corrigite illum [1]. Unde non oportet, quod semper procedat ex hoc habitu, sed quandoque procedat a modo vel zelo fraternæ charitatis.

ARTICULUS XVIII.

An ille qui debet corrigere, debet esse irreprehensibilis ?

Secundo quæritur, Cujus sit corrigere fraterna correctione, sive verius, qualis sit qui corrigit vel corrigere debet ?

Inducuntur autem multæ auctoritates in *Littera* : sed

1. Insuper, quod debeat non esse reprehensibilis, videtur dicere Gregorius in *Pastorali* : « Nemo in Ecclesia amplius nocet, quam qui perverse agens, nomen vel ordinem habet dignitatis. Hunc quippe delinquentem nemo corrigere præsumit : et in exemplum culpa vehementer extenditur, cum pro reverentia ordinis peccator honoratur. » Ergo videtur, quod peccat mortaliter, qui non correctus alios corrigendi accipit officium.

[1] Vulgata habet, ad Galat. VI, 1 : *Fratres, et si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spiritualis estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis*, etc.

2. Item, Matth. VII, 5 : *Ejice primum trabem*, etc.

3. Item, Glossa, ibidem : « Impossibile est, quod festucam demat, qui trabem gestat : » tenetur autem festucam demere, qui corrigendi habet officium : ergo ut prius.

4. Item, Alia Glossa, ibidem : « Moderatio judicii est, ut præventus majoribus, non judicet alios in minoribus vel æqualibus. »

5. Item, Ibidem : « Qua mente mederi præparat, qui vulnus in facie portat ? »

6. Item, II Regum, VII, 5 : *Numquid tu ædificabis mihi domum ?* Ibi Gregorius : « Manus sordidas tergere non valet, qui lutum retinet. »

7. Item, Joan. VIII, 7 : *Qui sine peccato est vestrum*, etc., Glossa : « Prius sint justi, et postea ream, etc.

8. Item, Super illud Apostoli, ad Roman. II, 2 : *Judicium Dei est secundum veritatem in eos qui talia agunt*, Glossa : « Qui talia agunt, de quibus alios reprehendunt. »

9. Item, Dicit Philosophus : « Rectum est judex sui et obliqui. »

10. Præterea, Contra ordinem naturæ peccat, qui rectus ipse non est, et alios per correctionem rectificat : ergo, etc.

11. Item, Omnis corrigens in quantum hujusmodi, est ut judex correcti : sed dicit Philosophus in V *Ethicorum*, quod ad judicem confugiunt ut ad justum animatum : ergo judicans tenetur esse justus : alias non debet esse judex nec corrigere, quia corrigens est judex, secundum hoc quod corrigit.

12. Item, Omnis corrigens, corrigit ad normam aliquam vel regulam : perversus non congruit regulæ : ergo non debet corrigere.

13. Item, Si corrigit perversus, ex hoc proveniunt contentiones : quia correctus potest et sibi objicere similia, et ex objectione similium perturbatio provenit et contentio. Cum igitur illa evitanda sint, perversus non debet corrigere aliquem.

SED CONTRA : Sed contra.

1. Ad Philip. I, 18 : *Sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuntiatur*, etc. : sed quodammodo annuntiatur Christus, quando proximus in Christo corrigitur : ergo sive fiat per occasionem, sive per veritatem, in hoc est gaudendum : sed nullo modo est gaudendum de malo : ergo non est malum : ergo non peccat qui corrigit.

2. Item, Matth. XVIII, 15 : *Si peccaverit in te frater tuus*, etc., Glossa : « Ita peccat qui videt fratrem peccare et tacet, sicut qui pœnitenti non indulget. » Ergo si aliquis peccator videt hoc, peccat si tacet : ergo corripere tenetur, et non est malum si corripit.

3. Item, Melior est eleemosyna spiritualis, quam corporalis : et aliquis in mortali existens non prohibetur a datione eleemosynæ corporalis : ergo nec debet prohiberi a datione eleemosynæ spiritualis : sed spiritualis eleemosyna est correctio delinquentis : ergo, etc.

4. Item, Sit aliquis videns fieri mala, et si corrigat ea, dimitti propter illum : videtur tunc, quod perplexus sit. Si enim non corrigit, culpabilis erit : quia qui occasionem damni dat, damnum dedisse videtur : iste autem occasionem damni dat, qui prohibere potuit et non prohibuit : et ex hoc sequitur idem.

Item, Si corripiens sit in simili vel pejori, peccavit : ergo est perplexus.

Item, Fecisse dicitur qui prohibere potuit, et non prohibuit : et ex hoc sequitur idem.

5. Item, Adhuc videtur esse perplexus. Ponatur enim, quod corrigendi habeat officium, utpote curam habens animarum, ille tenetur corrigere, et non facit : ergo peccat.

Item, Ille est in simili : ergo si ille corrigit, ipse peccat : ergo est perplexus : sed nullus dicitur esse perplexus : ergo iste potest corrigere etiam in simili existens.

RESPONSIO. Dicendum, quod corrigens alium, non debet esse in simili notorio Solutio.

vel majori existens : et si sit in notorio, non tenetur corrigere, nisi forte per modum precum, hoc modo : Rogo te ne per meum exemplum pecces : sed si non vult acquiescere, non potest eum judicare, nisi cum mortali peccato, nec etiam judici per modum accusantis denuntiare : et secundum hoc concedimus auctoritates et rationes primo inductas.

Ad object 1. AD ID ergo quod contra objicitur, dicendum, quod Apostolo placuit res facta : sed tamen actio secundum quod procedit ab agente, non placuit ei : et est simile de passione Christi, quæ secundum se gratiosa fuit, et tamen actio displicuit. Ita hoc opus operatum bonum fuit : sed actio ex parte agentis fuit mala.

Ad object. 2. AD ALIUD dicendum, quod in peccato existens, si videt et potest prohibere per modum precum, faciat : sed si est in notorio crimine simili, vel æquali alterius speciei, judicare non tenetur : quia scandalizaret, et non proficeret, nisi quod suscitaret contra se indignationem.

Ad object. 3. AD ALIUD dicendum, quod non est simile : quia eleemosynæ corporali non est conjunctum scandalum, eo quod cum benevolentia recipitur : sed correctio suscipitur cum asperitate, et denuntiatio sequitur eam, si non emendat : et ideo scandalum habet adjunctum.

Ad object. 4 et 5. AD ALIUD dicimus, quod nullus perplexus est : quia in posse suo est, quod corrigat vitam : et tunc corrigat etiam alium. In secundo autem aut cedat officio corigendi, aut in melius mutet mores : et tunc non obstat, quod faciat.

Dixi autem, *In notorio* : quia si occultum esset peccatum ejus, faciem haberet corrigendi et deberet : quia nihil posset ei objici.

ARTICULUS XIX.

An omnes teneamur ad fraternam correctionem ?

Tertio quæritur, Utrum omnes tenentur ad correctionem fraternam ?

Quod videtur ex Glossa super Matthæum, XVIII, 15, supra dicta [1] :

1. Omnes enim æqualiter, majores et minores, viri et fœminæ, religiosi et sæculares, et hujusmodi, tenentur indulgere proximo peccanti : ergo a simili ad correctionem fraternam tenentur.

2. Item, Omnes tenentur ad eleemosynam pro loco et tempore : sed eleemosyna spiritualis est corrigere delinquentem : ergo, etc.

3. Item, Hoc videtur esse forma præcepti, quod ita dicit : *Si peccaverit in te frater tuus*, etc. Sed nomine *fratris* ibi intelligitur omnis proximus : ergo etiam ex parte corripientis omnis homo supponitur.

4. Item, Ab omni homine debeo velle corripi si peccavero : ergo cum quilibet debeat facere alteri, quod sibi velit fieri, omnis homo debet corripere delinquentem.

SED CONTRA :

1. Dominus dixit hoc soli Petro : Petrus autem prælatus est aliorum : ergo ex forma præcepti ad hoc non obligantur nisi prælati. Sed cont

2. Item, Curam impendit qui corrigit : sed curam non habet nisi prælatus : ergo, etc.

3. Item, I ad Timoth. v. 20, Apostolus loquitur soli Prælato, dicens : *Peccantes coram omnibus argue, ut et cæteri timorem habeant.* Ergo ut prius.

4. Item, Hieronymus : « Sacerdotes studeant illud Evangelicum implere, *Si peccaverit in te*, etc. Quæ est enim mise-

[1] Cf. Art. præcedentem, ad object. 2.

ricordia uni parcere, et omnes in discrimen adducere? Polluitur populus ex uno peccatore, sicut ex una morbida ove universus grex. » Ergo ad hoc non tenentur nisi soli sacerdotes.

5. Item, Ejusdem est corripere et correctum punire pœnitentia condigna : sed Prælati tantum est pœnitentiam condignam correcto dare : ergo, etc.

Solutio. Responsio. Dicendum, quod ex officio non tenentur nisi prælati : sed ex charitate omnis homo tenetur corripere fratrem delinquentem, et custodire eum a peccato. Unde Augustinus in *Regula* : « Si hoc ipsum facere eum videritis, statim admonete, ne male cœpta progrediantur, sed de proximo corrigatur. Si frater tuus vulnus habet in corde, etc. » Hoc ergo modo concedimus prima objecta.

Ad 1 object. et 2, 3 et 4. Ad id quod objicitur contra, est una solutio ad omnia, scilicet quod prælati plus aliis tenentur : quia ex charitate et auctoritate et officio : et ideo eis specialiter dicitur.

Ad 5. object. Ad ultimum dicendum, quod non est generaliter verum quod dicit : quia corrigens communiter non tenetur, nisi ad simplicem denuntiationem, si ille eum non audierit.

ARTICULUS XX.

An correctio fraterna sit omnium in omnes ?

Quarto quæritur, Utrum sit omnium in omnes ?

Quod videtur : quia

1. Super illud : *Si peccaverit in te*, etc. dicit Glossa : « Id est, te solo sciente. » Sed hoc potest facere quilibet respectu cujuslibet : ergo quilibet tenetur corripere alterum.

2. Item, Nomine *fratris* intelligitur quilibet homo : sed in forma præcepti utitur Dominus nomine fratris : ergo ut prius.

3. Item, Omni homini tenemur velle bonum, et custodire eum a peccato, quantum possumus : sed correctio fraterna custodit a peccato : ergo ut prius.

Sed contra. Sed contra :

1. Ad Hebr. xii, 20 : *Si bestia tetigerit montem, lapidabitur*. Et exponitur, Si subditus tangat manu correctionis Prælatum, increpatur.

2. Item, Dionysius increpat Demophilum monachum, qui corripuit sacerdotem, eo quod immundum duxit in Ecclesiam. Ergo monachus ille male fecit corripiendo sacerdotem.

3. Item, Maria percussa est lepra, eo quod murmurasset contra Moysen fratrem suum [1]. Ergo male fecit corripiendo.

4. Item, Gregorius in *Pastorali*, ut supra habitum est : « Hunc quippe delinquentem nemo corripere præsumit. » Ergo præsumptio est corripere talem : et præsumptio est peccatum : ergo peccatum est corripere Prælatum.

Solutio. Responsio. Dicendum, quod omnis homo omnem hominem cum reverentia et mansuetudine tenetur admonere et corripere de delicto, sed non ulterius denuntiare potest si est inobediens. Quia si Prælatus supremus est, non habet judicem. Sic ergo concedimus prima partem disputationis.

Ad omnes object. Ad id quod contra objicitur, est solutio una, quod hoc intelligitur de illis qui ex auctoritate quadam præsumpta jam non admonere, sed vi quadam coactiva per jurisdictionem quam non habent, cogere ad correctionem volunt. Et per hoc patet solutio ad omnia.

Nota tamen, quod secundum discretionem sapientium moderamen est habendum, respiciendo ad quatuor, scilicet quantitatem culpæ delinquentis, et spem

[1] Cf. Numer. xii, 1 et seq.

emendationis, et statum personæ quæ admonetur, et zelum qui movet corripientem. Si enim culpa levis sit, et timetur quod turbatio gravior sequetur, non tenetur corripere : quia pejus suscitatur.

Item, Si probabiliter desperatur de emenda, non tenetur corripere, quia nihil faceret, nisi provocaret ad pejus.

Item, Adhuc si status personæ altus est, cum reverentia et excusatione delicti debet potius admonere quam corripere, et rogare potius quam increpare.

Quarto, Si videt se ex rancore vel invidia moveri, vel aliqua alia radice, tunc non debet facere : quia tales cito prorumpunt in verba contumeliæ : et tunc ex minori malo factum est majus malum : et hæc distinctio optima est.

ARTICULUS XXI.

An in correctione fraterna servandus sit ordo aliquis ?

Quinto, Quæritur de ordine fraternæ correctionis.

Videtur enim, quod ordo determinetur, Matth. XVIII, 15 et seq.: *Corripe eum inter te, et ipsum solum... Si te non audierit, adhibe tecum unum vel duos... Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ.*

Videtur autem, quod iste ordo non potest observari.

1. Per hoc enim, quod procedit, patet quod intelligitur de peccato occulto, quia procedit : *Si peccaverit in te frater tuus.* Et dicit Glossa, « Te solo sciente. » Cum igitur adhibet secum unum vel duos, aut adhibet eos quibus notum est peccatum fratris, aut quibus ignotum est. Si primo modo : ergo non solus scivit, quod est contra Glossam. Si secundo modo : tunc erit proditor criminis fratris, quod non est faciendum : ergo talis ordo non est observandus.

Si dicas, quod intelligitur de his qui possunt prodesse, et non obesse. Quæritur, qui sunt illi ? aut enim sunt Prælati qui corrigendi habent potestatem, aut sunt de sociis inferioribus Si primo modo : tunc statim coram Prælato denuntiaret fratrem, et competeret illi testimonium. Et Prælatus etiam non potest esse testis in causa in qua est judex. Sed in Evangelio dicitur : *In ore duorum vel trium testium stat omne verbum* [1]. Ergo non potest intelligi de Prælatis. Si autem de sociis intelligitur. CONTRA : Illi in nullo possunt prodesse, sed obesse possunt diffamando : ergo non sunt assumendi. Quod autem non possunt prodesse, patet : quia corrigendi non habent potestatem.

2. Præterea, Quando ille adhibet secum unum vel duos : ponamus, quod ille neget coram illis : tunc quid faciendum est illi quo sciente peccavit ? Non enim potest nuntiare Ecclesiæ, quia non habet probationem coram Ecclesia, et Ecclesia non credet ei, sed potius puniet eum qui diffamavit fratrem.

3. Item, Videtur quod insufficiens est testimonium unius : quia, Deuter. XIX, 15, dicitur : *In ore duorum aut trium testium stabit omne verbum.* Ergo male dicit : *Adhibe tecum unum vel duos.*

ITEM quæritur, Utrum idem ordo sit observandus respectu cujuslibet hominis? Quæst.

Et videtur, quod sic : quia Christus non determinat nisi unum : ergo ad omnem hominem iste ordo est servandus.

CONTRA : Sed contra.

1. Ponatur, quod Prælatus peccet, ille non potest denuntiari Ecclesiæ : quia et scandalum esset, et non esset coram quo denuntiaretur : quia coram seipso nullus potest denuntiari.

Item, Ille per excommunicationem non potest cogi sicut et ethnicus et publicanus : quia non potest excommunicare

[1] Matth. XVIII, 16.

nisi habens jurisdictionem : et ipse qui excommunicandus est, est ille qui habet jurisdictionem : cum ergo nullus seipsum possit excommunicare, ille ordo servari non potest.

2. Item, Videtur, quod Dominus in Juda hunc ordinem non servavit : quia non primo corripuit ipsum inter se et ipsum solum, nec postea adhibuit secum unum vel duos, sed statim Ecclesiæ discipulorum nuntiavit : ergo exemplo ejus forma prædicta ulterius non est observanda.

3. Item, Hoc autem videtur præcipue ex facto Petri, Act. v, 1 et seq., qui Ananiam et Saphiram non primo solos corripuit, nec postea coram alio vel duobus admonuit, sed statim excommunicavit : ergo ipse hoc exemplo Domini didicit : ergo et nos debemus ita facere, et statim in communi proferre, ut detur sententia.

Solutio. Responsio. Dicendum, quod sententia Domini sicut jacet servanda est.

Ad 1. Et dicimus ad primum quæsitum, quod intelligitur de occulto : quia de manifesto aliam formam præcipit Apostolus, I ad Timoth. v, 20 : *Peccantes coram omnibus argue, ut et cæteri timorem habeant.*

Ad hoc quod contra objicitur, dicendum quod assumendi sunt quibus non est notum, sed notificatum per ipsum scientem, vel eum qui fecit, quod melius est, si induci potest : et tamen non erit crimen proditum : quia prodesse possunt, et non obesse : prodesse autem possunt orando et monendo et portando cum ipso pœnitentiam, et consolando pœnitentem. Et dicimus, quod sunt sumendi de numero sociorum.

Et quod objicitur, non est verum : quia in fratre intelligitur nomen diligentis et custodientis honorem et famam fratris : unde tales assumendi sunt de quorum vita et conversione præsumitur, quod onus secum portabunt, et non diffamabunt crimen, cum desiderent correctionem et non infamationem.

Ad 2. Ad hoc quod ponit, quod ille neget coram illis et occultet, dicendum quod tunc non restat nisi orare et gemere ad Deum pro ipso : quia tunc incorrigibilem se esse demonstrat. Et observandum est caute, utrum alia vice faciat coram aliquibus qui possint contra eum testificari : et si potest haberi testimonium alicujus, est puniendus : si autem non inveniatur opportunitas contra eum, tunc nihil restat nisi orare pro ipso. Sed Dominus loquitur in casu in quo coram testibus recognoscit, vel alio consimili actu manifestat peccatum suum, ut possit produci ad lucem.

Ad 3. Ad aliud dicimus, quod in denuntiatione fraterna sufficit testimonium unius viri approbati, non ut condemnetur reus, sed ut custodia sibi adhibeatur a Prælato : quia si duo testes faciunt plenam fidem, unus facit præsumptionem contra accusatum : ita ut adhibeatur ei custodia ne amplius talem habeat libertatem sicut prius habuit : et hoc sufficit ad emendationem delicti : et Dominus in Evangelio nihil aliud intendit, quia ipse non delectatur in pœnis, sed in pœnitentia peccantis, et correctione delictorum.

Ad quæst. Ad 1. Ad aliud dicunt quidam periti in jure, quod Prælatus non debeat corrigi fraterna correctione de peccato præterito, sed de futuro admoneri ne de cætero contingat. Sed hæc solutio nulla est : quia et Evangelium Matthæi, xviii, 15, loquitur de præterito peccato, et non de futuro. Ideo alii dixerunt, quod correctio fraterna est inter æquales : sed non extenditur ad Prælatos. Et hoc præcipue per illud Gregorii supra dictum : « Hunc quippe delinquentem nemo arguere præsumit, etc. » Sed contra hoc iterum est Evangelium : quia nullum excipit. Ideo cum quibusdam aliis dicimus, quod ad omnes extendatur : sed ad omnes Prælatos est admonitio denuntiationis non procedens. In aliis autem potest procedere in denuntiationem : et hoc supra dictum est et responsum ad auctoritatem Gregorii.

Ad 2. Ad aliud quod objicitur de Domino

et Juda, dicendum quod in factis Domini multa sunt quæ servare non debemus, sed admirari : ipse enim omnium scibilium etiam contingentium habuit scientiam : et scivit quis eum solus, vel cum alio uno, vel duobus, esset traditurus : quod nos imitari non possumus. Quod ergo in Juda hoc non observavit, patet quod hæc dicta est, causa fuit. Et cum jam patuit, hoc non est a nobis observandum : quia de quolibet præsumere debemus corrigibilitatem, nisi ipse contrarium exhibeat in seipso sæpius admonitus.

Ad 3. AD HOC quod de facto Petri objicitur, dicendum quod peccatum suum forte publicum fuit. Vel melius dicendum, quod in communitate peccavit, et interrogatus coram communi capitulo monitus est : et ideo ad terrorem omnium aliorum punitus est publice. Qui modus adhuc in religionibus observandus est : quia si in occulto corrigerentur quæ ad notitiam plurium veniunt, cito dissolveretur religionis disciplina.

ARTICULUS XXII.

Quomodo differat correctio fraterna a correctione judicis ?

Sexto quæritur, In quo differt illa correctio a correctione judicis ?

Videtur autem, quod in nullo : quia in Evangelio dicitur, quod testes adhibeantur, et Ecclesiæ denuntietur [1] : per quod intelligitur accusatio : et quod a communione præscindatur per sententiam, et *sit sicut ethnicus et publicanus* : et hæc omnia sunt in correctione judicis : ergo in nullo videtur differre correctio fraterna a correctione judicis.

Sed contra. SED IN CONTRARIUM hujus est : quia frater in fratrem coactivam non habet correctionem, ut dicitur in X *Ethicorum*, sicut neque pater in filium. Judex autem in eum quem judicat per legem, habet coactivam correctionem. Ergo hæc non est illa

Solutio. AD HOC dicendum videtur, quod differunt in ratione quam inducit ultima objectio.

AD PRIMUM autem dicendum, quod quandoque ex fraterna correctione potest fieri judiciaria, ut patet ex supra disputatis : sed tamen hæc non est illa : ut dicit Philosophus, quod pater non est cogit filium : sed tamen contumacem, si per legem etiam secundum Philosophum denuntiat judici, tunc ille cogit eum.

ARTICULUS XXIII.

An Deus juste liberavit meretricem, non invento qui projiceret primum lapidem ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, E, post initium : « *Ideo enim liberavit peccatricem* [2], *quia non erat qui juste projiceret lapidem*, etc. »

Ex hoc videtur, quod si ibi fuisset aliquis justus, quod illi præcepisset quod lapidasset eam.

Quod si concedatur, CONTRA erit quod dicitur, Ezechiel. XVIII, 23 : *Numquid voluntatis meæ est mors impii ? dicit Dominus Deus : et non ut convertatur a viis suis, et vivat.* Et, Osee, VI, 6 : *Misericordiam volui, et non sacrificium : et scientiam Dei plus quam holocausta.*

Solutio. AD HOC dicendum, quod sine dubio etiamsi justi fuissent, Dominus ad pœ-

[1] Cf. Matth. XVIII, 16 et 17.

[2] Cf. Joan. VIII, 1 et seq., de muliere adultera.

nitentiam voluisset vivere adulteram : sed ad præsentes utebatur simulationis modo, ut confunderet, et erubescentes ad fidem sui et pœnitentiam inclinaret.

Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICULUS XXIV.

An in lege veteri per cerimonialia dimittebantur venialia ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, E, paulo post : « *Nam venialia remittebantur per cerimonias.* »

CONTRA : Nullum peccatum dimittitur non habenti gratiam : sed isti non habebant gratiam : ergo nullum peccatum eis dimittebatur.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quod non dicit dimitterentur, sed quia putabant dimitti, eo quod secundum legem non puniebantur.

Nota etiam, quod cerimoniæ dicuntur a *carie* quod est ligni putredo, et *mene* quod est defectus : quia deficientia erant mandata nullum usum habentia nisi significandi : unde fecerunt quidam sic dicentes :

> Ex carie mene cerimonia contrahit ortum.
> *Mene* defectus, *caries* putredo vocatur.

Sed quia Tullius et alii gentiles Philosophi cerimonias habebant, et nullum usum intelligebant significationis : videtur falsum esse quod dicunt. Dicit enim Tullius, quod religio est species justitiæ et hanc diffiniens dicit, quod sit virtus quæ cuidam naturæ superiori quam divinam vocant, curam cerimoniamque affert. Et ideo omnis cultus divinus dicitur *cerimonia* : et dicitur a *munia* et *Cerere* quæ est Dea frugum : pro necessitate enim frugum inventus est primo cultus divinus : et ideo a Cerere in omnes divinos cultus est vocabulum transsumptum.

ARTICULUS XXV.

An omnis qui ligat alios, sit justus ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, E, § 2 : « *Ex his satis perpenditur*, etc. »

Videmus enim, quod non omnis qui ligat alios et solvit, sit justus.

RESPONSIO. Dicendum, quod non dicit, quod sit, sed quod debeat esse : et hoc plane est verum. Solutio.

DISTINCTIO XX.

De confessione sacramentali quantum ad opportunitatem temporis respectu pœnitentiæ mortalium in se.

A. *De his qui in fine pœnitent.*

Sciendum est etiam, quod tempus pœnitentiæ est usque in extremum articulum vitæ. Unde, Leo Papa : Nemo est desperandus, dum in hoc corpore constitutus est : quia nonnumquam quod diffidentia ætatis differtur, consilio maturiore perficitur. Augustinus tamen de pœnitentiam differentibus ita scribit : Si quis positus in ultima necessitate voluerit accipere pœnitentiam : et si accipit et mox reconciliatur, et hinc vadit, fateor vobis, non illi negamus quod petit : sed non præsumimus, quia bene hinc exit. Si securus hic exierit, ego nescio. Pœnitentiam dare possumus, securitatem vero non. Numquid dico, damnabitur ? sed nec dico, liberatur. Vis ergo a dubio liberari, age pœnitentiam dum sanus es. Si sic agis, dico tibi quia securus es : quia pœnitentiam egisti eo tempore quo peccare potuisti. Si vis agere pœnitentiam quando jam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa [1]. Item, Duæ res sunt, aut ignoscitur tibi, aut non ignoscitur : quid horum tibi sit futurum, nescio. Ergo tene certum, et dimitte incertum. Sed quare hoc dixit Augustinus, cum pœnitentia quæ in fine agitur, in Psalmo appelletur *sacrificium vespertinum* [2], quod erat acceptabilius in lege [3] : et cum in quacumque die invocetur Deus, adsit : et quacumque hora ingemuerit, et conversus fuerit peccator, vita vivet, et non morietur [4] ? Sed illa dixit Augustinus propter illos qui pœnitentiam usque in finem vitæ protrahunt : et tunc non ex Dei amore videntur pœnitere, sed timore

[1] S. Augustinus, Homil. 41, de vere pœnitentibus.
[2] Psal. cxl, 2.
[3] Levit. xxii, 21.
[4] Ezechiel. xviii, 24 et seq.

mortis, quasi ex necessitate. Unde idem quasi aperiens quare superiora dixerit ait : Nullus exspectet quando peccare non potest. Arbitrii enim libertatem quærit Deus, ut deleri possint commissa : non necessitatem, sed charitatem : non tantum timorem, quia non in solo timore vivit homo. Quem ergo sero pœnitet, oportet non solum timere judicem, sed diligere : quia sine charitate nemo salvus esse potest. Non ergo tantum timeat pœnam, qui pœnitet, sed anxietur pro gloria. Quæ conversio si contigerit alicui etiam in fine, desperandum non est de ejus remissione. Sed quoniam vix vel raro est tam justa conversio, timendum est de pœnitente sero : maxime, cum filii quos illicite dilexit, sint præsentes, uxor et mundus ad se vocet. Multos solet serotina pœnitentia decipere. Sed quoniam Deus semper potens est, semper etiam in morte juvare valet, quibus placet. Cum ergo opus sit non hominis sed Dei, fructifera pœnitentia : inspirare eam potest quandocumque vult sua misericordia, et remunerare ex misericordia, quos damnare potest ex justitia. Sed quoniam multa sunt quæ impediunt, et languentem retrahunt, periculosum est, et interitui vicinum, ad mortem protrahere pœnitentiæ remedium. Sed magnum est, cui Deus tunc inspirat, si quis est, veram pœnitentiam. Sed si etiam sic conversus vita vivat, et non moriatur, non promittimus quod evadat omnem pœnam. Nam prius purgandus est igne purgationis, qui in aliud sæculum distulit fructum conversionis. Hic autem ignis etsi æternus non sit, miro tamen modo gravis est : excellit omnem pœnam, quam umquam passus sit aliquis in hac vita. Numquam in carne tanta inventa est pœna, licet mirabiliter [1] martyres passi sint tormenta, et multi nequiter iniqui quanta sæpe sustinuerunt supplicia [2]. Ex his satis ostenditur, quam periculosum sit differre pœnitentiam usque in finem vitæ. Si tamen vera habeatur pœnitentia, hominem liberat, et vitam mortuo impetrat : non sic tamen, ut nullam sentiat pœnam, nisi forte tanta sit vehementia gemitus et contritionis, quæ sufficiat ad delicti punitionem. Licet ergo sit difficile, ut tunc sit vera pœnitentia quæ tam sera venit, quando cruciatus membra ligat et dolor sensum opprimit ut vix homo aliquid cogitare valeat : melior est tamen sera, quam nulla. Pœnitentia enim etsi in extremo vitæ hiatu advenit, sanat et liberat. Multum sera fuit latronis pœnitentia [3] : sed non fuit sera indulgentia. Sed licet latro veniam meruisset in fine de omni crimine, non tamen dedit baptizatis peccandi et perseverandi auctoritatem.

[1] Edit. J. Alleaume, *mirabilia*.
[2] S. Augustinus, Lib de Vera et falsa pœnitentia, cap. 17.
[3] Cf. Luc. xxiii, 39 et seq.

DIVISIO TEXTUS.

« *Sciendum est etiam quod tempus pœnitentiæ est*, etc. »

Postquam determinatum est de potestate clavium, tangit hic de pœnitentia in morte, et post mortem, et de reditu peccatorum superius etiam posita. Et ideo ponit hic per ordinem enumeratorum tres distinctiones : in quarum prima, ista scilicet tangit de pœnitentiis morientium. In alia, de remissione peccatorum post mortem. In tertia, de reditu peccatorum.

Sunt autem in hac distinctione principales quæstiones duæ : in quarum prima Magister quærit de tempore pœnitendi. In secunda autem de modo extremæ pœnitentiæ, ibi, B, « *Si vero quæritur de illis qui in hac vita*, etc. »

Et hæc sufficiant quoad divisionem.

ARTICULUS I.

An in fine vitæ dari potest pœnitentia ?

Quæritur autem primo de hoc quod dicit, ibi, A, post initium : « *Pœnitentiam dare possumus*, etc. »

In sequenti autem parte ejusdem distinctionis statim contradicit, dicens quod non est danda pœnitentia in fine vitæ, sed innotescenda.

Solutio. SED DICENDUM, quod *dare* hic sumitur pro admittere ad pœnitentiam : sed pœnitentia infra ponitur pro pœnitentia exteriori injuncta : et illa non est danda morientibus, sed innotescenda.

ARTICULUS II.

An sanus pœnitens potest conjicere de certitudine charitatis, an odio an amore dignus sit ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, A, paulo post : « *Tene certum, et dimitte incertum.* »

CONTRA :

Eccle. IX, 1 : *Nescit homo utrum amore an odio dignus sit.* Ergo pœnitens et confitens sanus, non est certus.

RESPONSIO. Intelligit hoc de certitudine conjecturæ : quia conjicere potest de amore charitatis, quando pœnitet sanus : sed signum est timoris tantum, quando non pœnitet nisi infirmus. Ecclesiastes autem loquitur de certitudine scientiæ : hanc enim nullus habet. Soluti

ARTICULUS III.

An Deus seram pœnitentiam exaudiat ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, A, paulo post : « *In quacumque die invocetur*, etc. »

CONTRA :

Michææ, III, 4 : *Clamabunt ad Dominum, et non exaudiet eos :* Glossa intelligit de sera pœnitentia : sed nulla est ita sera sicut illa quæ est in fine vitæ : ergo talem non exaudiet Deus.

RESPONSIO. Dicendum, quod pœnitentia sera duplex est secundum duo moventia ad pœnitentiam, quæ sunt timor servilis, et amor. Pœnitentiam igitur ex Soluti

timore non audit Deus : et de illa loquitur Glossa : sed de illa quæ est ex amore loquitur hic : et hanc Deus audit : sed quia infirmitas potius est indicium timoris, ideo raro fit ut ex amore aliquis tunc pœniteat.

ARTICULUS IV.

An sero pœnitens habeat libertatem arbitrii ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, A, paulo ante medium : « *Arbitrii libertatem quærit Deus, ut deleri possint,* etc. »

Ex hoc enim videtur, quod sero pœnitentes non habent libertatem arbitrii, quod non est verum : quia quamdiu homo vivit, tamdiu habet libertatem arbitrii et potestatem bene faciendi.

Alio. Responsio. Dicendum, quod liberum arbitrium in infirmitate frequenter tollitur quoad usum : semper autem impeditur. Tollitur autem usus liberi arbitrii, quando mens sursum rapitur et impedit discretionem : impeditur autem, quando violentia morbi avertitur et trahitur : et hoc semper fit in infirmis : hæc enim est natura potentiarum animæ, quod quando una est in actu vehementi, altera abstrahitur ab actione. Cum igitur in infirmis sit vehemens dolor in sensu, impeditur liberum arbitrium a judicio discretionis peccatorum. Et hoc modo intelligit : unde dicit, quod quærendum est tempus quando habet liberum arbitrium, supple, expeditum et non impeditum a violentia morbi dolore sensibili.

ARTICULUS V.

Quid sit ignis purgatorii, an corporeus, vel spiritualis ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, A, post medium : « *Prius purgandus est igne purgationis,* etc. »

Quæruntur autem hic in principio duo de igne purgatorio, scilicet quid sit in re, et ubi sit secundum locum ?

Ad primum horum sic proceditur :

1. Ignis corporis est nomen : ergo videtur, quod ignis corporeus sit ignis purgatorii.

2. Præterea, Multi sancti dicunt quod ignis inferni corporeus est : ergo et ignis purgatorii, ut videtur.

3. Item, Gregorius : « Ignis gehennæ corporalis est, qui corporaliter malos exurit. »

4. Item, Augustinus : « Cur non dicamus quamvis miris, veris tamen modis etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi, si spiritus hominum quamvis incorporei, potuerunt includi corporalibus membris [1] ? »

5. Item, Augustinus : « Gehenna quæ stagnum ignis et sulphuris dicta est, corporeus ignis erit [2]. » Ex his colligitur, quod sit ignis corporeus crucians animas. Cum igitur una ratio sit de igne inferni et purgatorii, videtur quod ignis purgatorii sit corporeus.

6. Præterea, Si dicatur, quod sit incorporeus, videtur sequi inconveniens. Dicit enim Aristoteles, et probat in quarto *Ethicorum*, quod delectatio omnino spiritualis, non habet contrarium, nec est medicina : sed delectatio futura est omnino spiritualis : ergo non habet con-

[1] S. Augustinus, Lib. XXI de Civitate Dei, cap. 10.

[2] Idem, In eodem capite.

trarium : ergo non habet aliquid contrarium agens ad tristitiam : si igitur ignis ille sit tantum spiritualis, non aget ad contristationem : et tunc ibi puniti non contristarentur : et hoc est falsum.

7. Adhuc, Spiritualia pure separata sunt a motu et a materia : sed omnis contrarietas est cum motu et materia : ergo in spiritualibus non est contrarietas : ergo nec actio contrarietatis alicujus : sed omnis pœna est ex agente contrario : ergo in talibus nulla est pœna. Si ergo detur, quod sit ignis pure spiritualis, videtur quod nullo modo sit afflictivus : et hoc hæresis est : ergo necesse est eum ponere corporalem.

8. Adhuc, Nulla substantia in quantum hujusmodi, transmutabilis est, ut dicit Aristoteles, dans exemplum etiam in igne qui nec agit nec transmutat aliquid in quantum substantia est : si igitur agit et transmutat, hoc erit ab aliqua qualitate ipsius substantiæ : ergo agens transmutando est substantia disposita qualitate : constat autem, quod non omnis qualitas agit, sed physica solum, ut dicunt omnes Philosophi : ergo necessarium est, quod habeat qualitatem physicam.

Item, Nec omnis qualitas physica agit : sed contingit contrarium activum esse : ergo necesse est talem contrarietatem habere : omnis autem talis substantia est corporea : igitur transmutans et agens omne corporeum est : sed ignis purgatorii agit transmutando et puniendo : non enim est pœna nisi per immutationem patientis : ergo videtur, quod ignis purgatorii sit corporeus.

Sed contra

Sed si hoc dicatur objicitur in contrarium primo per auctoritates, et postea per rationes.

1. Dicit enim Gregorius in *Moralibus* : « Ignis corporeus ut esse ignis valeat, corporis indiget fomentis : qui cum necesse sit ut servetur, per congesta ligna procul dubio nutritur : nec valet nisi succensus esse et refotus subsistere. Econtra autem ignis gehennæ cum sit incorporeus, in semetipso reprobos corporaliter exurit, nec studio humano succenditur, nec lignis nutritur : sed semel creatus, durat inexstinguibilis, et successione non indiget, nec ardore caret [1]. » Ex hoc expresse habetur, quod nec corporalis est, nec ad modum corporei fovetur et nutritur.

2. Item, In eodem : « Si stridores dentium et fletus oculorum spiritualiter accipiamus, flammas quoque tormentorum in ipsis non corporales, sed spirituales credere debemus. »

3. Item, Augustinus in libro XXI de *Civitate Dei* [2], dicit talem fuisse illam flammam in qua dives cruciabatur, quales oculi quos levavit, quando Lazarum vidit, qualis lingua cui humorem desideravit infundi, qualis digitus Lazari de quo fieri id postulavit : sed constat, quod membra illa non fuerunt corporalia, sed spiritualia : ergo videtur, quod nec flamma fuit corporalis : ergo nec ignis purgatorii, ut videtur.

3. Item, Damascenus in ultimo capitulo libri sui : « Ignis autem iste non est corporeus, sed qualis utique Deus novit [3]. »

5. Per rationem autem objicitur sic : Omne agens et patiens cum transmutatione conveniunt in materia, ut dicit Boetius in libro de *Duabus naturis in una persona Christi* : sed ignis purgatorii et anima purganda se habent sicut agens et patiens secundum transmutatum : ergo communicant in materia : sed anima aut non est de materia, aut non est de materia corporali : ergo videtur, quod ignis ille aut non sit de materia, aut non sit de materia corporali : ergo non est corporeus.

6. Adhuc, Auctor libri *Sex principiorum* dicit, quod impossibile est non corpus a corpore moveri : sed anima non

[1] S. Gregorius, Lib. XV Moralium, cap. 14.

[2] S. Augustinus, Lib. XXI de Civitate Dei, cap. 10.

[3] S. J. Damascenus, lib. IV de Fide orthodoxa, cap. ult.

est corpus : ergo non movetur a corpore : sed movetur et transmutatur ab igne purgatorio : ergo ignis purgatorius non est corpus : ergo nec corporeus : quia constat, quod sine quantitate est ignis ille quicumque sit.

Hæc autem usque ad tractatum de *resurrectione* pro objectis sufficiant : quia ibi de hoc quærendi iterum erit locus.

Solutio. Responsio. Omnes sancti disputantes de ista quæstione dicunt, quod ea quæ dicunt, volunt accipi sine supercilio assertionis suæ. Ita etiam ego dico qualis sit ignis purgatorii, non arbitror quemquam scire, nisi cui Deus revelavit. Utrum autem sit, pertinebit ad sequentem distinctionem inquirere.

De hoc autem quod hic quæsitum est, dicendum videtur, quod sit corporeus. Et puto, quod quicumque attendit subtiliter inconvenientia ad quæ dicunt rationes primo inductæ, vix inclinabitur in aliam opinionem, nisi quod est corporeus. Nisi forte, quod absit, aliquis in hæresim quorumdam Philosophorum laberetur, ut diceret omnia quæ de locis pœnarum et pœnis scripta sunt, omnino frivola et vana esse. Consentiendo igitur rationibus primo inductis; dico quod corporeus est.

Adobject. 2. 3 et 4. Ad id quod contra objicitur, dicendum quod distinguitur inter primum affligens, et proximum affligens : primum enim affligens spiritualem substantiam sive in corpore sive extra corpus, corporeum est : sed proximum affligens est spirituale. Ut autem hoc melius intelligatur, ponamus exemplum : incisio enim vulneratæ manus, corporalis est, et patitur corpus, et compatitur anima. Primum quidem affligens utriusque horum est gladius : sed cum anima patiatur a passione corporis, constat quod id quod facit motum in affectu tristitiæ in anima, similitudo vulneris est apprehensa ut contraria conjuncto : secundum autem quod talis similitudo est in anima, spiritualis est : et ita proximum affligens animam est spirituale. Ita dico in purgatorio, quod primum affligens est ignis corporeus, habens vim affligendi spiritum ex eo quod est instrumentum divinæ justitiæ vindicantis iniquitatem. Et proximum affligens est similitudo ignis recepta ab animabus punitis, prout est instrumentum justitiæ vindicantis peccatum, cui ipsa anima pro voluntate se subdidit. Hoc autem in tractatu de *resurrectione* magis discutietur. Hæc autem videtur esse sententia Gregorii in libro quarto *Dialogorum* ubi sic dicit : « Hoc est eis in igne ardere, quod est ignem videre, trahentes ab ignibus pœnam, non dantes ignibus vitam [1]. »

Dicendum ergo ad primum, quod Gregorius loquitur de immediate affligente, et non de affligente primo : et eodem modo ad omnes sequentes auctoritates dicendum est.

Adobject. 5. Ad id autem quod objicitur per rationem, dicendum quod illa propositio intelligitur de agentibus et patientibus physice : anima autem patitur ab igne purgatorio habente vim ex eo quod est corpus existens instrumentum divinæ justitiæ : et hæc est alia vis caloris, quam naturalis vis caloris tantum. Hujus autem exemplum est, quod calor secundum Philosopum igneus est : et tamen secundum quod est instrumentum animæ regentis corpus, non agit actione ignis tantum, quia sic incineraret, sed actione vivifica animæ, et nos videmus quod digerendo assimilat carni et ossi et nervo, sicut dicit Aristoteles in secundo de *Anima*, loquens contra opinionem quæ dicebat, quod ageret in vi ignis tantum. A simili videtur dicendum de calore ignis purgatorii, quod in quantum movetur a virtute justitiæ vindicantis, habet vim puniendi animas incorporeas, quæ ordinem suæ dignitatis vel irrecuperabiliter vel recuperabiliter amiserunt, sicut existentes in inferno ir-

[1] S. Gregorius. Lib. IV Dialogorum, cap. 29. Confer etiam ea quæ dicit Augustinus in lib. XXI de Civitate Dei, cap. 10.

recuperabiliter, et existentes in purgatorio recuperabiliter amiserunt.

Ad object. 6. Ad aliud dicendum, quod hoc intelligitur de omni motu corporeo et physico, sicut dictum est. In aliis enim etiam in naturis falsum est : quia corpus movetur ab immobili incorporeo primo : et hoc expressius probabitur in distinctione XL [1].

ARTICULUS VI.

In quo loco sit purgatorium ?

Secundo quæritur, Ubi sit purgatorium ?

Videtur enim, quod hic in terra.

1. Dicit enim Gregorius in quarto *Dialogorum*, quod Paschasius, in loco thermarum ubi ex consilio medicorum parabat se ad balneum Capuanus Episcopus, stabat paratus ad obsequium : et jam mortuus fuit Paschasius, et ibi exhibuit obsequium, ut induceret Episcopum illum qui sanctus erat, ad intercedendum pro eo. Ergo videtur, quod hic juxta nos aliqui puniantur.

2. Adhuc, Hoc expresse ibidem dicit Gregorius.

3. Adhuc, per rationem videtur idem : quia *per quæ peccat quis, per hæc et torquetur* [2] : sed peccatur per ea quæ sunt hic juxta nos : ergo per eadem punietur : sed per ista non potest puniri nisi existens juxta nos hic nobiscum : igitur puniuntur aliqui hic juxta nos.

4. Adhuc, In vita beati Patritii legitur, quod impetravit ut quidam in Hibernia in loco quodam punirentur vice purgatorii : ergo videtur, quod a simili alii in suis locis puniri possint.

Sed contra. Sed contra :

1. Non est idem locus præmii et meriti : sed hic est locus meriti : ergo hic non est locus præmii : sed recipiunt in purgatorio digna pro meritis : ergo videtur, quod ignis purgatorius hic non sit.

2. Item, Gregorius videtur velle, quod idem sit ignis gehennæ et purgatorii : sed idem ignis est in eodem loco : ergo in eodem loco est gehenna et purgatorium : sed gehenna est sub terra, et non hic, secundum quod dicere videntur Sancti : ergo purgatorium non est hic, sed sub terra.

3. Idem, Probat Gregorius in quarto *Dialogorum* per compositionem nominis : quia in depressiori parte dicitur : ergo necesse est, quod sit sub terra : sed pars inferni est purgatorium, ut dicunt Sancti et Magistri : ergo est sub terra, et non hic.

Solutio. Solutio. Dicendum est, quod in hac quæstione nihil asserendum est. Et ideo sine præjudicio dico, quod purgatorius alius est ex ordine justitiæ determinantis locum pœnitentiæ ei qui vixit in culpa, et ad plenum non satisfecit : et alius ex dispensatione. Primo modo non est nisi unus locus purgatorii, quem puto esse superiorem partem inferni habentem in se affligens ad purgationem cum aliqua consolatione spei de futura per misericordiam liberatione. Ex dispensatione autem sunt multa loca purgatoria. Et dispensatio hæc quandoque fit propter vivos, quandoque propter mortuos. Et licet multis de causis fiat, tamen causa triplex in vita Sanctorum quandoque frequentius occurrit, scilicet meritum demonstrandum in aliquo hoc rogante : sicut fuit quod legitur de Patritio, qui rogavit ut quidam ibi puniretur. Alia causa est fides de pœnis mortuorum : et ideo, ut dicit Gregorius, ostenduntur hic circa nos aliqui puniri, ut idem de aliis præsumamus, de quorum non tamen constat pœna, cum constet de eorum consimili culpa. Tertia

[1] Cf. Infra, Dist. XL. Tom. XXX hujusce novæ editionis.

[2] Sapient. XI, 17.

causa fuit in Paschasio qui fecerat miraculum curando quemdam dæmoniacum, qui feretrum ejus tetigerat : et tamen habuit peccatum, quod ut peccatum esse ostenderetur, quia scilicet ignorans et deceptus in quorumdam conspirationem quæ zelo justitiæ fieri videbatur, consenserat : ideo apparuit sancto Episcopo Capuanæ civitatis, et ibidem puniri ostendebatur.

Et per hoc patet solutio ad omnia præter unum, scilicet id, *per quæ peccat quis*, etc.

ad 3. Et ad hoc dicendum, quod intelligitur per omnia in simili quoad pœnas æternas, et ut frequenter ita contingit in pœnis temporalibus. Et de illis loquitur liber Sapientiæ qui hoc dicit. Sicut enim peccaverunt Ægyptii in aqua in flumen projicientes pueros Hebræorum, ita per aquam puniti sunt flumine bulliente ranas, et mari submergente eos. Et sicut peccaverunt sanguinem innocentem fundendo, ita etiam puniti sunt in hoc quod sanguinem propinavit eis fluvius pro potu.

ARTICULUS VII.

An ignis purgatorius sit æternus vel temporalis ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit in *Littera*, ibi, A, ante finem : « *Hic autem ignis, etsi æternus non sit, miro tamen modo gravis est*, etc. »

Quæritur autem hic, Utrum purgatorius sit æternus, vel temporalis ?

Et videtur, quod æternus : quia

1. Dicit Gregorius, quod sicut in fornace sub eodem igne aurum rutilat, et palea fumat : ita in inferno sub eodem igne damnatus crematur, et electus purgatur : sed inferni ignis est perpetuus : ergo et ignis purgatorii, ut videtur.

2. Item, Ad idem, Ultimi judicii ignis involvet ut carbones reprobos, et numquam finietur in eis, et purgabit quod criminale erit in electis : ergo videtur esse simile de igne purgatorii et gehennæ : ergo videtur, quod non finitur : ergo est perpetuus.

Sed contra. Sed in contrarium est hoc

1. Quod hic in *Littera* dicitur.

2. Item, Cujus actus et finis finibilia sunt, ispum finibile est, vel erit inutile : sed actus et finis purgatorii finibilia sunt : ergo ipse finitur, vel erit inutilis : sed nihil remanebit inutile in operibus divinis : ergo ipse non remanebit, ut videtur.

3. Adhuc, Omnia elementa quo modo serviunt homini, finem accipient secundum hunc statum, et erunt in alio statu, in quo laboris sui accipient præmium : ergo et illa quæ serviunt homini extra mundum : sed purgatorius ignis servit homini : ergo erit in alio statu in quo præmiabitur, et finietur secundum statum purgandi.

Solutio. Responsio. Dicendum mihi videtur sine præjudicio, quod ignis purgatorius finibilis est secundum rationem purgatoriam, sed non est finibilis secundum substantiam : quia puto, quod idem est in specie ignis cum igne inferni, sicut videtur velle Gregorius.

Ad 1 et 2. Quod ergo primo probatur, quod sit perpetuus secundum substantiam ignis, in qua convenit cum igne inferni, videtur concedendum : quia omnes objectiones per hunc modum procedunt.

Ad object. 2. Ad id autem quod secundo in contrarium objicitur, dicendum quod in veritate hæc objectio non probat nisi finibilem secundum hunc usum in quo jam est : et hoc conceditur : et erit tunc ad alium usum, quia erit ad cremandum damnandos.

Ad object. 3. Ad aliud dicendum videtur sine præjudicio, quod hoc intelligitur de servientibus homini secundum statum meriti : sed ignis purgatorius non servit homini

ad hunc statum. Unde videtur mihi dicendum, quod sicut in statu gratiæ purum est cum impuro peccati et pœnæ, ita in servientibus elementis et elementatis ad statum gratiæ purum est permixtum cum impuro, et in novatione purum faciens ad jucunditatem, separabitur sursum ad locum elementorum supra circulum terræ, impurum autem descendet deorsum sub tristem orbem terræ in centrum. Sed in his quæ sunt præcedentia statum impuritatis, nihil ponitur esse impurum : et ideo numquam talia innovabuntur, sed manebunt punientia damnatos.

Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICULUS VIII.

An pœna purgatorii excellat omnem pœnam quam quis passus est, aut pati potest in hac vita ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, A, ante finem : « *Excellit enim omnem pœnam, quam umquam passus sit aliquis in hac vita,* etc. »

Videtur enim, quod falsum sit quod dicit : quia

1. Quanto aliquid magis conjunctum est agenti, tanto magis sentit pœnam in passione si sensum habeat : sed magis est passibile compositum ex contrariis animatum quam simplex, et incompositum spirituale, ex contrariis non compositum : ergo magis pœnam sentit conjunctum agenti in ipsum : sed corpus in via est ita compositum : ergo magis punitur hic aliquis in ista vita, quam puniatur in anima post mortem : et ita videtur falsum dicere.

2. Adhuc, Major est passio transmutans et abjiciens a substantia, quam transmutans et non abjiciens : passio hujus vitæ est transmutans et abjiciens a substantia, alterius autem vitæ est transmutans et non abjiciens : ergo major est pœna ista, quam illa.

3. Adhuc, Quorumcumque activorum et passivorum major est contrarietas, horum passio est cum majori sensu pœnæ : sed major est contrarietas ignis ad corpus in via, quam ad animam in purgatorio : ergo, etc. : et sic iterum falsum est quod dicit.

4. Adhuc, Quodcumque patiens quod magis secundum unam rationem susceptibile est formæ agentis, magis sentit actionem ejus si sensum habet : sed patiens corporeum magis susceptibile est speciei ignis secundum rationem ignis, quam incorporeum : ergo magis sentit passionem ejus, quam incorporeum. PRIMA probatur ex hoc quod actio et passio tota sunt ad hoc ut patiens suscipiat speciem agentis quantum potest. SECUNDA probatur ex hoc, quod caliditas ignis disponit corpus ut dicatur et sit calidum : animam autem calidam dicere, ridiculum videtur.

5. Adhuc autem theologice contra *Litteram* sic objicitur : Deus nullum punit ultra condignum : ergo nec venialiter peccantem : sed veniali peccato minima pœna debetur in vita ista, et minor multis pœnis temporalibus : ergo minori pœna etiam punitur ibi : ergo non majori quam sit aliqua pœna præsens : sed debetur ei purgatoria : ergo purgatoria non est major omni pœna præsenti : et sic falsum est quod dicit.

6. Adhuc, Mortale peccatum et veniale improportionabilia sunt : sed mortale sufficienter punitur temporali pœna : ergo veniali debetur in infinitum minor : ergo non punitur pœna quæ sit major omni temporali pœna : sed punitur purgatoria : ergo purgatoria non est major omni pœna temporali.

7. Adhuc, Beatus Gregorius dicit, quod quædam animæ non sunt punitæ nisi in umbra quadam ad tempus permanentes : hoc autem non est gravius omni pœna

temporali : ergo videtur, quod non sit generale quod dicit.

Responsio. Dicendum videtur, sicut dicit *Littera* simpliciter, quod pœna purgatorii etiam minima, major est in tristitia quam aliqua pœna corporalis hujus mundi esse possit. Hoc autem qualiter sit, sic potest videri. Exuta enim anima a corpore, desiderat summum bonum, sicut objectum beatitudinis per modum illum quo desiderat res perfecta suum locum, extra suum locum existens : et hoc videtur ex verbis Gregorii in quarto *Dialogorum*, ubi dicit, quod « animæ propriis viribus post mortem elevantur, vel meritis deprimuntur. » Unde si tristitia causatur ex absentia delectabilis, ut dicit Philosophus, ex absentia summe desiderati causabitur maxima tristitia. Et cum sanitas vel vita vel jucunditas sensus in hac vita nullam habeant comparationem ad summum bonum quod felicitat beatos, nullam comparationem habebunt auferentia delectantia in hac vita ad auferentia vel differentia delectabile quod est in altera vita. Et ideo tristitia alterius vitæ incomparabiliter major est, quam sit aliqua tristitia in præsenti.

Si autem objicias, quod damnati non desiderant summum bonum, dicendum quod hoc falsum est : imo etiam dæmones desiderant summum bonum et optimum, ut dicit Dionysius. Sed qualiter desiderent, alterius est negotii.

Sed hæc dicta sufficiunt ad ostendendum, quod tristitia sit incomparabilis tristitiæ. Et quod consequentia valeat, expresse colligitur ex libro X *Ethicorum*, ubi simili consequentia probat Philosophus delectationes intellectuales esse in infinitum magis delectabiles, quam corporales quæ sunt in sensu.

1. Hoc autem habito respondeatur ad primum, dicendo quod prima propositio simpliciter et universaliter est vera. Secunda autem habet instantiam : quia *magis passibile* dupliciter dicitur, scilicet extra, et sic illa propositio est vera. Dicitur etiam *magis passibile* ex ordine divinæ justitiæ corripientis errata per pœnas : et sic magis passibile est, quod se peccatis magis passibile fecit : et sic habet instantiam in animabus et Angelis per peccatum obstinatis.

Ad aliud dicendum, quod *major passio* dicitur dupliciter, scilicet magis affligens, et magis de specie agentis recipiens. Primo modo non est vera propositio prima, si etiam in vita ponatur aliquis sic pati, quod maneat in complexione et compositione membrorum, quod jaceat in igne, ille plus affligitur, quam alius cui abjicitur de substantia : quia in primo sensus manet vivus et integer, et excellenter sentit immutans ipsum. In secundo autem post modicum mortificatur sensus, et tunc minus dolet, et post parvum tempus moritur et nihil dolet. Unde illo modo falsa est propositio : sed secundo modo vera est : quia quanto plus recipit de specie et proprietatibus agentis, tanto magis abjicitur de specie et proprietatibus suis propriis. Ad 2.

Ad aliud dicendum, quod animæ et ignis est contrarietas hoc modo quo contrarietates sunt in moralibus : sicut iniquitati vel latrocinio contrariatur rectitudo suspendii vel decollationis : pœna enim corrigens habet effectum contrarium culpæ deordinanti naturam : unde anima rationalis quæ prætergressa est ordinem suæ dignitatis, ab omnipotente judice subditur naturæ inferiori se, scilicet igni non habenti vim ignis tantum, sed etiam vim sui motoris qui est justitia vindicans quod per peccata admissum est : et hæc contrarietas fortior est quam contrarietas naturalis : et ideo magis præsumitur, et major est actio in animam secundum quantitatem afflictionis, quam sit aliquod corpus animatum ante mortem. Ad 3.

Ad aliud dicendum, quod species ignis agentis est duplex, sicut etiam species caloris naturalis. Secundum enim quod est calor ignis, igneitas est species ejus. Secundum autem quod motus est derivatus Ad 4.

ab anima, caro est species ejus, et nervi, et forma, et hujusmodi. Ita dico de igne inferni, quod secundum suam naturam habet speciem quam non imprimit animæ : et ideo anima non dicitur calida. Sed secundum quod est instrumentum justitiæ vindicantis, habet aliam speciem, quam puto esse afflictionem ex calore ejus qui deliquit : et hanc imprimit animæ delinquenti : et ideo non puto animam esse calidam, sed inæstimabiliter affligi ex calido : et hujus speciei anima exuta magis susceptibilis est, quam aliquod animatum in vita ista.

Nota autem, quod quidam hic alias rationes istius assignant quod dicit Augustinus, sicut verbi gratia, quod anima plus patiatur post mortem quam ante: quia illa passio est animæ, et ita tota venit super eam. Item, plus est patì per se, quam compati. In corpore autem compatitur tantum, sed post mortem patitur. Item, quia hic aliquo modo voluntarie : ibi autem omnino involuntarie. Et hujusmodi tangunt rationes quæ magis ridiculosæ et vulgares sunt, quam veræ : quia ista quæ inducunt, non sunt rationes veræ, et majoris passionis in spirituali substantia, sed potius minoris, vel etiam nullius : et ideo ad supra dicta recurrendum est.

Ad 5. Ad id autem quod objicitur ex ordine justitiæ, dicendum quod veniale est duplex, scilicet veniale ex genere, et veniale ex eventu. Secundum Gregorium in quarto *Dialogorum*, ubi loquitur de purgatorio, exemplificat de otioso : non tamen Deus punit ultra condignum : quia veniale ex eventu mutatum est per misericordiam in tale, quod pœna sit delebile : et hæc semper est misericordia et citra condignum puniens, ubicumque puniatur. Sed quod ibi fortius et hic minus, puto esse ex mutatione status : et hoc per accidens. Est autem acrior pœna ibi illis rationibus quæ innuuntur in solvendo et in principio solutionis. In qualibet enim solutione una ratio acrioris pœnæ innuitur. Veniale autem ex genere est dispositio ad mortale et ad aversionem : et ideo etiam sibi debetur pœna minor hic, et major ibi ratione dicta.

Ad aliud dicimus, quod mortale manens mortale non expiatur pœna aliqua : et ideo si intelligitur objectio de illo, tunc prima propositio est falsa : sed mortale per eventum factum veniale expiatur pœna aliqua : sed tunc fit proportionabile veniali ex genere, et tunc non sequitur conclusio.

Ad id quod objicitur de dictis beati Gregorii, dicendum quod illa pœna in quantum est dilativa gloriæ summe desideratæ, ipsa fert majorem tristitiam quam illud quod aufert sanitatem et vitam in corpore isto : et ratio hujus in principio solutionis patuit.

B. *De his qui hic pœnitentiam non complent.*

Si vero quæritur de illis qui in hac vita pœnitentiam non complent, utrum transituri sint per ignem purgatorii, ut ibi compleant quod hic minus fecerunt? idem dicimus et de istis esse sentiendum, et de his qui in extremis pœnitent. Si enim tanta fuerit cordis contritio et delicti exprobratio, ut sufficiat ad puniendum peccatum, liberi ab aliis pœnis transeunt ad

vitam, etsi inexpleta fuerit pœnitentia : qui [1] perfecte pœnituerunt, et ingemuerunt corde. Qui vero non adeo conteruntur corde et ingemiscunt pro peccato, si ante expletionem pœnitentiæ discesserint, ignem purgatorium sentient, et gravius punientur quam si hîc implessent pœnitentiam. *Horrendum est enim incidere in manus Dei viventis* [2]. Deus enim cum sit misericors et justus, ex misericordia pœnitenti ignoscit, non reservans peccatum ad pœnam æternam. Ex justitia vero impunitum non dimittit delictum. Aut enim punit homo, aut Deus. Homo autem punit pœnitendo, Deus autem pœnam exigendo. Et est pœnitentia interior, et exterior. Si ergo interior pœnitudo fuerit tanta, ut sit sufficiens ultio peccati, Deus qui hoc novit, ab illo qui taliter pœnitet, ulterius pœnam non exigit. Si vero interior pœnitudo non sufficit in vindictam peccati, nec exterior pœnitentia impletur, Deus qui modos et mensuras peccatorum et pœnarum novit, addit pœnam sufficientem. Studeat ergo quisque sic delicta corrigere, ut post mortem non oporteat pœnam tolerare. Quædam enim peccata mortalia, in pœnitentia fiunt venialia, non tamen mox sanantur. Sæpe enim infirmus moreretur, si non medicaretur : non tamen statim medicatus sanatur. Languet post victurus, qui prius erat moriturus. Qui autem impœnitens moritur, omnino moritur, et æternaliter cruciatur. Si enim semper viveret, semper peccaret [3].

ARTICULUS IX.

An horrendum fit incidere in manus Dei ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, B, circa medium : « *Horrendum est incidere*, etc. »

Contra :

Deus in infinitum est magis est misericors, quam aliquis homo : ergo minus horrendum est incidere in manus Dei, quam in manus hominum : quia *multæ sunt miserationes ejus* [4] : ergo videtur, quod falsum dicat in *Littera*.

Solutio. Dicendum quod, in opere misericordiæ superexaltantis judicium, levius est incidere in manus Dei, quam in manus hominis, hoc est, dum tempus est miserendi et pœnitentiæ : dum autem justitias judicabit in futuro, horrendum est incidere in manus Dei magis quam in manus hominis : quia tunc sicut dicitur, Proverb. vi, 34 et 35 : *Zelus et furor viri non parcet in die vindictæ : nec acquiescet cujusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima.* Solutio.

Et per hoc patet solutio.

[1] Edit. J. Alleaume, *quia*.
[2] Ad Hebr. x, 31.
[3] S. Augustinus, Lib. de Vera et falsa pœnitentia, cap. 8.
[4] I Paralip. xxi, 13.

ARTICULUS X.

An veniale peccatum potest mutari in mortale peccatum ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, B, sub finem : « *Quædam enim peccata mortalia*, etc. »

CONTRA :

Sciunt artifices alchimiæ species transmutari non posse : sed diversæ sunt species peccati, veniale et mortale : ergo unum non transmutatur in aliud.

Solutio. SOLUTIO. Dicendum, quod veniale ex genere, numquam fit mortale nisi per modum supra dictum [1] : nec mortale fit hoc modo veniale, sed mortale fit veniale ex eventu, id est venia in pœna expiabile, eo quod Deus delet culpam per suam gratiam, quæ facit postea solubilem reatum.

ARTICULUS XI.

An si peccator semper viveret, semper peccaret ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, B, in fine : « *Si enim semper viveret, semper peccaret.* »

Ista conditionalis videtur esse impossibilis : quia consequentia nulla esse videtur, Iste qui peccavit, semper vivit : ergo semper peccat : potest enim non peccare, et tamen semper vivere.

RESPONSIO. Dicendum, quod homo est *spiritus vadens, et non rediens* [1] : unde de se habet homo, quod peccet : sed de se non habet homo, quod resurgat. Solutio

Dicendum ergo ad *Litteram*, quod sicut *videre* secundum Philosophum dupliciter dicitur, scilicet habere visum, et visu uti : ita et *peccare* dicitur ad habere peccatum, et uti peccato. Et hoc intelligitur ad habere peccatum : quia qui semel peccat, quantum est de se, semper est in peccato et erit : et secundum hoc consequentia est bona : et ita intelligitur *Littera*.

C. *De illo cui sacerdos indiscretus injungit parvam pœnitentiam.*

Si vero de illo quæritur, qui satisfactionem injunctam impleverit, quæ ignorantia vel negligentia sacerdotis, peccato condigna non fuit, utrum de vita migrans ab omni pœna liber sit ? Idem respondeo, quod supra de illo

[1] Cf. Supra, Dist. XVI.
[2] Psal. LXXVII, 39.

qui pœnitentiam non complevit, dixi. Quod si tantum est lamentum interioris doloris, ut sufficiat in vindictam peccati, omnino liberans [1] est : si vero non sufficit dolor interior simul cum pœna injuncta, addet Deus pœnam. Quod autem interdum sufficiat dolor interior ad vindictam peccati, certum documentum habemus in illo latrone, qui sola mentis contritione et confessione statim ut conversus fuit, paradisum ingredi meruit [2]. Sed quia dispensatores Ecclesiæ, contritionis quantitatem non perpendunt, quibus non est datum intelligere occulta cordium, omnibus leges pœnitentiæ constituunt, tam magis quam minus de peccato dolentibus. Quorum studium ad hoc præcipue tendere debet, ut cordis dolorem (quantum fas est) cognoscant, et secundum ipsius modum satisfactionem injungant. Unde Augustinus [3] : In actione pœnitentiæ, ubi tale commissum est, ut is qui commisit, a Christi etiam corpore separetur, non tam consideranda est mensura temporis, quam doloris. Cor enim contritum et humiliatum Deus non despicit [4]. Verum quia plerumque dolor alterius cordis occultus est alteri, nec in aliorum notitiam nisi per verba vel alia quæcumque signa procedit : cum sit coram illo cui dicitur, *Gemitus meus a te non est absconditus* [5] : recte constituuntur ab his qui Ecclesiis præsunt, tempora pœnitentiæ, ut satisfaciat etiam Ecclesiæ, in qua peccata ipsa remittuntur : extra eam quippe non remittuntur. Ipsa enim Spiritum sanctum pignus accepit, sine quo non remittuntur ulla peccata [6]. Item, Hieronymus : Mensuram temporis in agenda pœnitentia ideo non satis aperte præfigunt canones pro unoquoque crimine, ut de singulis dicant qualiter unumquodque emendandum sit : sed magis in arbitrio sacerdotis intelligentis relinquendum statuerunt : quia apud Deum non tantum valet mensura temporis, quantum doloris : nec abstinentia tantum ciborum, quantum mortificatio vitiorum. Ideoque tempora pœnitentiæ pro fide et conversatione fidelium pœnitentium abbrevianda præcipiunt, et pro negligentia protelanda [7] : pro quibusdam tamen culpis modi pœnitentiæ sunt impositi [8].

[1] Edit. J. Alleaume, *liberatus*.
[2] Luc. XXIII, 43.
[3] S. AUGUSTINUS, In Enchiridion, cap. 65.
[4] Psal. L, 19 : *Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.*
[5] Psal. XXXVII, 10.
[6] Cf. II ad Corinth. I, 22.
[7] Edit. J. Alleaume *protrahenda*.
[8] Cf. De pœnit. dist. I, cap. *Mensuram* (Nota edit. Lugd.)

ARTICULUS XII.

An qui injunctam pœnitentiam non perfecerit, tenebitur illam in purgatorio perficere?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, C, « *Si vero de illo quæritur, qui satisfactionem injunctam impleverit*, etc. »

Videtur enim, quod

1. Injuste agitur cum illo si Deus eum punit : fecit enim ille quod Dominus imperavit, Matth. XXIII, 2 : *Omnia quæcumque dixerint vobis, servate et facite* : sed iste fecit quidquid ei sedens super cathedram Moysi præcepit : ergo videtur, quod in toto sit absolutus.

2. Adhuc, Iste non tenetur scire taxationes pœnitentiarum : ergo videtur, quod si etiam minor injungitur, et ipse complet eam, quod ignorantia absolvit a residuo : ergo ipse amplius non debet puniri in purgatorio.

Quæst. ADHUC, Sicut superius patuit, pœnitentia injungitur non tantum pro quantitate reatus, sed etiam ut sit medicina : unde cum coitus sit majus peccatum in sene, quam in juvene : tamen quandoque major pœnitentia injungitur juveni, quam seni : quia majori indiget medicina morbus ille in juvene, quam in sene. Ponamus ergo, quod talis tantum expleat, quantum competit pro reatu quem fecit, nec tamen in totum expleat quod injunxit sacerdos. Et quæratur, utrum ille complebit in purgatorio ?

Videtur, quod sic : quia non implevit totam pœnitentiam sibi injunctam hic : ergo in purgatorio implebit residuum secundum ea quæ dicuntur hic in *Littera*.

Sed contra. CONTRA : Secundum quantitatem delicti sit et plagarum modus[1] : sed recepit jam pœnam secundum quantitatem delicti : igitur injuste secum agitur, si amplius punitur.

Solutio. RESPONSIO. Ad primum quæsitum dicendum, quod sicut ipse dicit in *Littera*, in purgatorio implebit.

Ad 1. AD PRIMUM contra objectum, dicendum quod sic intelligitur : *omnia quæcumque dixerint vobis* secundum discretionem divini juris et peccantis : hic autem non servatur discretio juris divini.

Ad 2. AD ALIUD dicendum, quod ignorantia juris est, licet sit obscurum jus : quia tenetur scire, quod satisfactio debet esse proportionata culpæ : et hæc talis ignorantia, ut dicit Augustinus, nullum excusat ut non ardeat : sed ut minus ardeat excusare potest.

Ad quæst. AD ID quod ulterius quæritur, dicendum quod statim talis evolat : quia amplius non indiget medicina.

Ad object. AD OBJECTUM contra, dicendum quod intelligitur de injunctis ad reatum delendum tantum.

ARTICULUS XIII.

An latro statim ut conversus fuit, paradisum ingredi meruit?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, C, post initium : « *Statim ut conversus fuit*, scilicet latro, *paradisum ingredi meruit.* »

CONTRA :

Ante ascensionem nullus intravit cœlum nisi latro : quia dicitur, Mich. II, 13 : *Ascendet pandens iter ante eos*. Ergo videtur, quod falsum dicit in *Littera*.

Si forte dicas, quod propositio quæ

[1] Deuter. XXV, 2 : *Pro mensura delicti erit et plagarum modus.*

jacet in *Littera*, duplex est, ex eo quod ly *statim* potest determinare illud verbum *meruit*, et sic est vera : vel verbum *ingredi*, et sic est falsa. CONTRA : Luc. XXIII, 43 : *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso*. Ergo videtur, quod determinat *ingredi* : et in hoc sensu falsa fuit : ergo falsa est simpliciter.

olutio. RESPONSIO. Dicendum, quod tres generales sententiæ sunt de paradiso, ut dicit Augustinus in principio libri XII *super Genesim ad litteram*, scilicet quod sit corporalis, quod sit spiritualis, et quod sit utrique locus. Dicendum ergo, quod spiritualis paradisus est in quo Sancti cum Deo conversantur : et ille habet tria, scilicet requiem, et delicias in objecto fruentium, et loci congruentiam quod est cœlum empyreum. Et quantum ad duo prima latro statim cum Christo ingressus est paradisum post mortem, scilicet quoad requiem, et delicias fruitionis. Quantum autem ad tertium, verum est quod nullus ingressus est nisi post Ascensionem.

Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICULUS XIV.

An mensura temporis satis aperte præfigitur pœnitentibus ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, C, paulo ante finem : « *Mensuram temporis in agenda pœnitentia ideo non satis aperte præfigunt canones*, etc. »

Videtur enim falsum quod dicit, quia canones determinant pœnitentias septennes et triennes, et quadraginta dierum, et plus, et minus, ut patet in Decreto : ergo videtur, quod Hieronymus hic falsum dicit.

RESPONSIO. Dicendum sicut supra notatum est, quod numquam aperte præscribitur regula pœnitentiæ : sed tamen tria ad minus attendenda sunt, scilicet peccati qualitas, contritionis quantitas, et status pœnitentis. Canon autem non attendit nisi unum : et ideo quod dicit, non est nisi quasi exemplare ad dirigendum in aliis ad minorandum ab illo, vel illi addendum, secundum arbitrium discreti sacerdotis hæc tria solemniter observantis. Solutio.

D. *Quod morientibus non sit imponenda satisfactio, sed innotescenda.*

Solet etiam quæri, Utrum satisfactionis lex morituris sit imponenda ? De quo Theodorus Cantuariensis Episcopus in *Pœnitentiali* suo sic ait : Ab infirmis in periculo mortis positis, pura inquirenda est confessio peccatorum : non tamen est illis imponenda quantitas pœnitentiæ, sed innotescenda : et cum amicorum orationibus, et eleemosynarum largitionibus, pondus pœnitentiæ sublevandum, si forte migraverint. Si vero convaluerint, pœnitentiæ modum a sacerdote impositum diligenter observent. Aliis

vero pro qualitate peccati, pœnitentia decernenda est præsidentium arbitrio [1]. Unde Leo Papa : Tempora pœnitudinis habita moderatione constituenda sunt tuo judicio, prout conversorum animos perspexeris esse devotos. Pariter etiam habere debes ætatis senilis (alias, simul [2]) intuitum, et respicere periculorum quorumcumque vel ægritudinum necessitates [3].

E. *In necessitate non est neganda pœnitentia vel reconciliatio.*

Sciendum etiam, quod tempore necessitatis non est neganda pœnitentia vel reconciliatio petentibus. Unde Leo Papa : His qui tempore necessitatis et periculi urgentis instantia præsidium pœnitentiæ, et mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda : quia [4] misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora diffinire. Quod si ita aliqua ægritudine aggravati sunt, ut quod paulo ante poscebant sub præsenti significare non valeant, testimonia ei fidelium circumstantium prodesse debebunt : simulque pœnitentiæ et reconciliationis consequantur beneficium [5]. Item, Julius Papa [6] : Si presbyter pœnitentiam abnegaverit morientibus, reus erit animarum : quia Dominus ait : Cum conversus fuerit, tunc salvus erit [7]. Vera enim confessio ultimo tempore potest esse : quia non modo temporis, sed etiam cordis, Deus inspector est, sicut latro probat [8].

[1] Cf. 26, q. 7, cap. *Ab infirmis* (Nota edit. Lugd.)
[2] In editione J. Alleaume desunt hæc verba (*alias, simul*).
[3] Cf. 26, q. 7, cap. *Tempora* (Nota edit. Lugd.)
[4] Edit. J. Alleaume, *qui*.
[5] Cf. 26, q. 6, cap. *His qui* (Nota edit. Lugd.)
[6] Ibidem, cap. *Si presbyter* (Nota edit. Lugd.)
[7] Cf. Ezechiel. XVIII, 21.
[8] Cf. 26, q. 9, cap. *Cognovimus* ad fin. (Nota edit. Lugd.)

ARTICULUS XV.

An notificari debeat confitenti quantum oporteat facere secundum canonem, non tamen injungere ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, D, post initium : « *Non tamen illis imponenda est quantitas pœnitentiæ*, etc. »

Videtur enim, quod periculum sit eis innotescere pœnitentiam : quia gravis pœnitentia indicat grave peccatum : et cognitum inducit in desperationem : cum ergo summe cavendum sit ne infirmus pœnitens cadat in desperationem, videtur quod pœnitentia non sit innotescenda.

Solutio. Ad hoc dicendum, quod in veritate innotescenda est : quia bonum est infirmo ut suæ culpæ quantitatem cognoscat, ut amplius conteratur : tamen sacerdos indicare debet infirmo misericordiam Dei, cui quasi nihil est multa peccata relaxare, et æque multa ut pauca : et tunc non cadet in desperationem. Et per hoc patet solutio objecti.

ARTICULUS XVI.

Indulgentia sive relaxatio quid sit ?

Deinde quæritur de ratione hujus quod dicit, ibi, D, paulo post : « *Et cum amicorum orationibus, et eleemosynarum largitionibus, pondus pœnitentiæ sublevandum*, etc. »

Quæritur de relaxationibus sive pœnitentiis.

Et quæruntur septem, scilicet quid sit relaxatio sive indulgentia ?

Secundo, An valeat, et effectum habeat, vel non ?

Tertio, Cui valeat ?

Quarto, Utrum valeat non danti et habenti dandi voluntatem ?

Quinto, Utrum Papa potest facere indulgentias in mortali peccato existens, et ei qui est in mortali ?

Sexto, Utrum Episcopus potest facere indulgentias ?

Septimo el ultimo, Utrum plebanus potest eas facere, vel abbas suis monachis ?

Ad primum horum sic objicitur :

Magistri diffiniunt relaxationem sic : « Relaxatio est satisfactionis majoris in minorem competens et discreta commutatio. » Alii sic : « Relaxatio est pœnæ temporalis debitæ promissa diminutio. »

Videtur autem neutra harum competere : quia

1. Relaxatio dicit remissionem : commutatio autem non est remissio, sed exactio alterius pro illo æqualis in quantitate, vel valore, vel utroque : ergo relaxatio non est commutatio : ergo mala diffinitio prima.

2. Adhuc, Quia non sic utuntur relaxationibus illi, quorum interest dare relaxationes. Dicunt enim : Misericorditer relaxamus : et non ponunt aliquid in quod commutent, nec utuntur verbo commutationis : ergo videtur, quod relaxatio non sit commutatio.

3. Adhuc, II ad Corinth. II, 10, relaxationem facit Apostolus dicens : « *Cui autem aliquid donastis, et ego : nam et ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi.* Et planum est hic nullam esse commutationem : ergo videtur, quod relaxatio non est commutatio.

4. Adhuc, Commutatio magis est voluntatis quam potestatis : cujus probatio est, quia voluntates commutant homines etiam non habentes potestatem : sed relaxatio magis respicit voluntatem : ergo

relaxatio non est diffinienda per commutationem.

5. Adhuc, In corporalibus non fit commutatio per modum relaxationis, sed per modum remissionis : ergo videtur, quod nec in spiritualibus ita debeat fieri : ergo male diffinitur.

CONTRA SECUNDAM autem diffinitionem objicitur sic :

Ponamus enim, quod aliquis sit sufficienter contritus ad culpæ et pœnæ dimissionem : constat, quod ille nullius pœnæ est debitor : ergo non fit ei diminutio aliqua pœnæ : et tamen sibi potest fieri relaxatio : ergo videtur, quod relaxatio non sit diminutio pœnæ.

Sed contra. IN CONTRARIUM hujus objicitur : quia relaxatio divina exemplar est relaxationis Ecclesiæ : sed omnis divina relaxatio est cum commutatione majoris pœnæ in minorem : ergo et relaxatio Ecclesiæ debet esse hujusmodi. PRIMA patet per se. SECUNDA probatur per Magistrum Hugonem de sancto Victore qui dicit, quod remissio culpæ et pœnæ æternæ obligat ad pœnam temporalem purgatoriam : et ita est commutatio majoris pœnæ in minorem : et sic constat propositum.

Solutio. SOLUTIO. Dicendum, quod diffinitiones datæ satis possunt sustineri. Si quis tamen hanc dare vellet, scilicet quod « indulgentia sive relaxatio est remissio pœnæ injunctæ ex vi clavium, et thesauro supererogationis perfectorum procedens :» puto, quod melius diffiniret. Quia tunc ibi est *remissio* ut genus. Sed quia est remissio culpæ quam solus facit Deus, et remissio pœnæ quam Deus et homo faciunt, ideo additur, *pœnæ*. Quia autem iterum pœna est æterna quam remittit Deus, et temporalis pœna satisfactionis injunctæ quam remittit homo, ideo additur, *injunctæ*. Quia vero hanc remissionem tantum facere potest habens jurisdictionem et claves, ideo additur, *ex vi clavium*. Quia vero non potest remitti debite et discrete pro peccatis injunctum uni, nisi fiat recompensatio per alterum qui plus debito facit, ideo subjungit, *ex thesauro supererogationis perfectorum procedens*. In hoc enim thesauro habet Ecclesia divitias meritorum et passionis Christi, et gloriosæ Virginis Mariæ, et omnium Apostorum, et Martyrum, et sanctorum Dei vivorum et mortuorum. Et pro utilitate et necessitate Ecclesiæ possunt impendi in suffragia eorum qui serviunt Ecclesiæ in sua necessitate. Et ideo hanc diffinitionem meliorem aliis judico.

TAMEN SUSTINENDO primam, dico ad primum objectum, quod commutatio in minus est cum remissione : et quia Ecclesia exigit aliquid sibi proficuum in necessitate, ideo ponitur ibi *commutatio*. Ad diffin. Ad 1.

AD ALIUD dicendum, quod modo illo in relaxationibus utuntur : quia accipiunt vel votum crucis, vel eleemosynæ collationem, vel verbi Dei auditum : et hæ sunt quædam pœnæ minores : et tunc faciunt relaxationem istis habitis. Ad 2.

AD ALIUD dicendum, quod Apostolus relaxavit pœnam, eo quod ille multum fuerat contritus : et sufficiebat sibi objurgatio quam sustinuerat a pluribus, ut ibidem dicitur[1], et indigebat relaxatione : et non erat ibi commutatio : quia acrior erat in puniendo postea ad ædificationem Ecclesiæ quam scandalizaverat. Ad 3.

AD ALIUD dicendum, quod commutatio contractuum est ad voluntatem : sed commutatio quæ est majoris in minus, respicit auctoritatem ejus qui habet gubernare Ecclesiam : quia sine illius potestate fieri non potest : et talis est commutatio indulgentiarum sive relaxationum. Ad 4.

AD ALIUD dicendum, quod in corporalibus etiam relaxationes fiunt duplices, scilicet totius, vel partis : et indulgentia Ecclesiæ assimilatur indulgentiæ in qua indulgetur et relaxatur pars, et non totum. Ad 5.

[1] II ad Corinth. II 6 : *Sufficit illi qui ejusmodi est objurgatio hæc quæ fit a pluribus*, etc.

1 diffin. 2. Ad aliud quod objicitur contra secundam, dicendum quod bene potest esse, quod taliter contritus non sit debitor quoad Deum, sed tamen debitor est quoad Ecclesiam, sicut expresse ex *Littera* præcedentis capituli colligitur ex verbis Augustini et Hieronymi. Et ideo de illo potest sibi fieri diminutio et relaxatio.

Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICULUS XVII.

An relaxatio etiam habeat effectum, et an valeat?

Secundo quæritur, An valeat relaxatio? et, An effectum habeat, vel non?

Videtur autem, quod nihi valeat.

1. II ad Timoth. II, 13 : *Ille fidelis permanet : seipsum negare non potest.* Glossa : « Quod faceret si sua dicta non impleret. Sed dixit, quod *pro mensura peccati erit et plagarum modus*[1]. » Ergo nihil de illo potest relaxare : ergo videtur, quod nihil valeat relaxatio.

2. Adhuc, Augustinus : « Aut Deus punit, aut homo : » sed homo non punit digne quod relaxatur : ergo Deus puniet : ergo non valuit relaxatio.

3. Adhuc, Isa. XL, 2 : *Dimissa est iniquitas illius : suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis.* Ergo videtur, quod pœnæ sint potius duplicandæ, quam indulgendæ : ergo indulgentia nihil valet, ut videtur.

4. Adhuc, Glossa super illum locum Isaiæ : « Suscepit tormentum in corpore et in anima pro omnibus peccatis suis. » Ergo nihil valuit ei relaxatio : ergo nec alii valet, quia de similibus idem est judicium, ut dicit Boetius.

5. Adhuc, Morbus corporalis non potest excidi et curari, nisi per antidotum : et si relaxetur antidotum, remanet morbus : sed morbus spiritualis magis est difficilis, et pœnitentia injuncta est ejus antidotum : ergo si relaxaretur aliquid de pœna, remaneret morbus : ergo nihil valet, sed etiam obest relaxatio pœnitentiæ injunctæ.

6. Adhuc, Videtur esse derisio emere pro obolo indulgentiam quadraginta dierum, vel unius anni, vel quinque, vel plurium.

7. Ulterius, Videtur quod etiam simonia committatur in talibus : constat enim, quod spirituale est quod remittitur ab Ecclesia, et temporale est quod pro illo exigitur et impenditur : ergo fit ibi emptio spiritualis pretio temporali : et hoc facit simoniam : ergo in talibus committitur simonia.

8. Adhuc, Ponamus alicui injunctos esse septem annos jejunii, et veniat uno die septies ad Ecclesiam quæ habet a Papa indulgentiam unius anni, et semper offerat unum obolum : ergo iste in solo die per septem obolos absolutus est a septem annis pœnitentiæ juste sibi injunctæ : sed hoc mirum si etiam infideles non irridebunt.

Si autem concedatur, quod nihil valet. Sed contra. Contra :

1. II ad Corinth. II, 10 : *Nam et ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi.* Glossa, « Ac si Christus condonasset : » sed constat, quod hoc quod Christus condonat, condonatum est : ergo et quod Apostolus condonavit : sed tantæ potentiæ est Papa, quantæ Paulus : ergo et quod Papa condonat, condonatum est : ergo et quod illi condonant, qui ut condonare possint habent a Papa : ergo tantum valent indulgentiæ, quantum ab his qui eas dant, valere dicuntur.

2. Adhuc, Chrysostomus super Matthæum, XVI, 19 super illud : *Dabo tibi claves*, etc. « Homini mortali et terreno

[1] Deuter. XXV, 2.

omnium quæ in cœlo sunt, potestatem commisit Deus, et Ecclesiam cœlo validiorem monstravit. » Constat autem, quia quod in cœlo indulgetur, omnino indultum est : ergo cum Ecclesia validior sit cœlo, videtur quod indultum est illud, quod relaxatur in Ecclesia.

3. Adhuc, Universalis gubernator Ecclesiæ præcipue in his quæ tota Ecclesia recipit et approbat, non est credendus fallere velle aliquem : constat autem, quod ipse indulgentias valere prædicat et prædicare facit : ergo ut videtur, simpliciter valent, sicut valere prædicantur.

4. Adhuc, Luc. xxii, 32 : *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua :* hoc autem Petro dictum est in persona Ecclesiæ : ergo Ecclesia universalis non errat : ergo videtur, quod indulgentiæ valeant.

5. Adhuc, Videmus, quod hujusmodi promittuntur Petro in persona Ecclesiæ cum dicitur : *Non dico tibi*, Petre : *Dimitte usque septies, sed usque septuagies septies* [1] : ergo videtur, quod quanto plures dat indulgentias Ecclesiasticus dispensator, tanto melius facit : sed non melius faceret si indulgentiæ nihil valerent : ergo indulgentiæ valent et effectum habent.

6. Adhuc, In corpore humano videmus quod pondus et infirmitatem unius membri recipit aliud membrum : facit enim fluere sapiens medicus super aliud minus periculosum : ergo ita erit etiam in spiritualibus : ergo unus potest facere pro alio : ergo cum indulgentia fiat uni ex hoc quod plus fecit alio, videtur effectum habere indulgentia et esse vera.

Solutio. Responsio. Dicendum, quod tres opiniones antiquitus fuerunt circa indulgentias. Quidam enim rationibus prædictis plus moti, quam necesse esset, dixerunt indulgentias omnino nihil valere, et esse eas jam fraudem qua mater decipiendo pueros suos provocat ad bonum, scilicet peregrinationes, et eleemosynas, et auditum verbi Dei, et hujusmodi : et dederunt exemplum de matre provocante parvulos ad ambulandum quod utile est parvulis, et in fine viæ promittente ei pomum, et postea subtrahente : quæ deceptio etiam pia est. Sed isti ad ludum puerorum distrahunt facta Ecclesiæ : et hoc fere sapere hæresim puto : in nullo enim crederetur Ecclesiæ, si in istis quæ prædicantur populo et adhortantur ut faciant, inveniatur deceptio. Ideo alii plusquam oportuit contradicentes, dixerunt quod simpliciter sicut pronuntiantur indulgentiæ, ita valent sine omni alia conditione intellecta vel dicta. Sed quia isti nimis bonum forum dant misericordiæ Dei, ideo tertiæ opinioni consentiendum mihi videtur, quæ eligit viam mediam opinionum, scilicet quod indulgentiæ valent sicut eas valere prædicat Ecclesia : sed sex exiguntur conditiones quæ supositæ sunt vel dictæ ab Ecclesia.

Duæ autem sunt *ex parte dantis*, quarum prima est dantis auctoritas ex jurisdictione quam habet sicut Papa, Episcopus, Legatus, et hujusmodi. Alia est pia causa dantem movens, non privata, sed publica. Hæc autem causa tamquam in duo dividitur, ut scilicet sit justa necessitas talia postulandi a fidelibus, vel publica utilitas. Justa necessitas, sicut periculum patriæ, liberatio terræ sanctæ, periclitata fides, periclitatio studii, et hujusmodi : utilitas autem, sicut paupertas loci, auditus verbi Dei, frequentatio reliquiarum, et hujusmodi. Alia duo supponuntur *ex parte recipientis*, scilicet quod sit contritus et confesus in voto seu in proposito, et quod habeat fidem, quod hoc sibi possit fieri per clavium potestatem. Et ideo semper in litteris indulgentiarum continetur : « Omnibus contritis et confessis, etc. » quia aliter non esset ab eo solubilis pœna,

[1] Matth. xviii, 22.

nisi jam præcessisset in eo remissio culpæ. Alia duo exiguntur *ex parte gratiæ vel Ecclesiæ* in qua fit remissio peccatorum, scilicet abundantia thesauri meritorum repositorum in thecis spiritualibus Ecclesiæ, de quibus meritis supra dictum est : et justa æstimatio solutionis ejus, pro qua indulgentia est instituta. *Justam* autem voco *æstimationem*, non quæ fit ad æstimationem recipientis indulgentiam, qui forte nimis parum æstimaret quod dat, sicut dixerunt quidam : nec etiam ad æstimationem dantis indulgentiam qui nimis parum datum forte æstimaret : et hoc dixerunt alii. Sed voco *justam æstimationem* bonorum virorum secundum Ecclesiæ necessitatem, considerato tempore et facultate personæ : quia uno tempore plus valet parum adjutorii, quam alio magnum : et plus est uni dare parum, quam alii multum. His autem quidam addere volunt duo alia, scilicet si sacerdos injungens pœnitentiam promiserit, et si utile sit pœnitenti ut talem pœnitentiam recipiat. Unde notant versus sic :

Si tibi promittat confessor, si tibi forte
Expedit atque loco devoto, cum sale præsul
Securum faciat, post hoc oblatio fiat.

Sed puto, hæc duo ultima addere non oportet : quia indulgentia semper a superiore datur, qui non habet aliquid quærere a sacerdote qui satisfactionem injunxit, sed potius etiam contra voluntatem sacerdotis circa subditum potest facere quod vult. De secundo constat, quod non est addendum : quia non puto dubium esse alicui quin semper bona sit indulgentia.

Dicendum ergo ad primum, quod Deus se non negat confirmando indulgentiam Ecclesiæ, sed potius se veracem ostendit in hoc quod dixit : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* [1] : et verba ista implet, quia secundum mensuram delicti est pœna dupliciter proportionata, scilicet in quantitate, et hoc attendit clavis in confessione : vel valore Ecclesiæ, et hoc attendit clavis in relaxatione, quando præcipit fieri quod magis valet Ecclesiæ, in qua peccata omnia remittuntur.

Ad aliud dicendum, quod homo præsumit hoc, sed non idem homo, sed alius qui in pœnis supererogationum in potestate dispensandi habet Ecclesiam : et hoc bene potest fieri : quia sicut habetur, I ad Corinth. xii, 14 et seq., in Glossa et textu, sicut communicantur bona corporis naturalis de uno membrorum in aliud, ita communicantur bona corporis mystici. Ad 2.

Ad aliud dicendum, quod duplicia non dicunt in pœnæ duplicitatem : quia hoc esset punire ultra condignum, quod non competit Deo, cujus proprium est misereri et parcere : sed hoc est puniri in corpore et anima. Et in anima quidem omnis pœnitens punitur per dolorem contritionis : in corpore autem per aliquam satisfactionem : quæ licet non sit illa quam injungit confessor, est tamen illa quam requirit ille qui dat indulgentiam : quia, sicut supra habitum est, commutatio quædam est pœnæ in pœnam, licet sit minor quantitate, tamen major est in valore, tempore utilitatis et necessitatis Ecclesiæ. Ad 3.

Ad aliud dicendum, quod Glossa non intendit per pœnam corporis et animæ, aliud quam quod dictum est. Ad 4.

Ad aliud dicendum, quod in veritate illa objectio est bona : sed dicendum, quod in spiritualibus aliud est, quam in corporalibus : quia in spiritualibus omnes morbi pendent ex causa una quæ est perversa voluntas, et illa conversa esse supponitur antequam locum habeat indulgentia : et ideo quæcumque pœna est satisfactiva residui remanentis, ita quod morbus non revertitur : sed in morbis corporalibus non omnes morbi pendent ex radice una, et ideo non potest medi- Ad 5.

[1] Joan. xx, 23.

cina in medicinam commutari : tamen consilium meum in talibus consuevit esse, quod etiam post relaxationem pœnitens maneat in pœnitentia quam discretus confessor post diligentem examinationem confessionis injungit : quia ille non injungit tantum pro reatu delendo, sed etiam ut sit medicina contra pronitates contractas ex antiquis peccatis, quæ non delentur per indulgentiam, sed potius per opera satisfactionis prædicto modo injunctæ. Et licet non teneatur jejunia servare ut satisfaciat pro reatu, utile tamen est, quod servet pro medicina reliquiarum peccati : sicut etiam medicus corporalis dat medicinam, et ordinat dietam : istud enim injunctum est sicut ordinatio cujusdam dietæ, congruens ei qui taliter peccavit.

Ad 6. AD ALIUD dicendum, quod nulla est simonia : quia illud quod Ecclesia exigit, non refertur ad corporale, sed ad spirituale : nec est ibi emptio, sed largitas Ecclesiæ sic ad bonum provocantis filios suos.

Ad 7 et 8. AD ALIUD dicendum, quod in veritate nulla est delusio : quia pro obolo recipit, quantum secundum suam facultatem et Ecclesiæ valet : oblata etiam non recipit tantum, quantum credunt illusores.

Et per idem etiam patet solutio ad sequens, et solutum est totum.

ARTICULUS XVIII.

Cui valeat indulgentia ?

Tertio quæritur, Cui valeat ?

Et ibi quæruntur sub uno articulo tria, scilicet an valeat existenti in mortali peccato ?

Et secundo, An valeat æqualiter sæculari et religioso ?

Et tertio, An valeat existenti in inferno vel purgatorio ?

VIDETUR autem, quod valeat omnibus in peccato mortali existentibus : quia Qu

1. Prædicatur omnibus indulgentia : sed Ecclesia nullum fallit : ergo æqualiter omnibus valet.

2. Item, Ecclesia excogitavit indulgentias propter necessitatem quam patiuntur peccatores, plus facientes in peccatis, quam possint satisfacere in pœnis : sed secundum hoc nulli tantum indigent, sicut in peccato mortali existentes : ergo videtur, quod indulgentia paæcipue valeat illis.

SED IN CONTRARIUM est, quod Sed

1. A nullo solubilis est pœna nisi a quo soluta est culpa : sed ab isto non est soluta culpa : ergo insolubilis est pœna : sed Ecclesia non relaxat nisi pœnam : ergo videtur, quod talibus nihil relaxat.

2. Adhuc, Clavis in confessione absolvens confitentes certior est in effectu suo, quam clavis in relaxationibus : sed in confessione non absolvit nisi absolutum prius a Deo a culpa mortalis peccati : ergo non in relaxatione aliquid absolvitur de pœna, nisi prius remissa sit culpa a Deo.

ULTERIUS quæritur iterum de secundo, Qua Utrum æque prodest religioso, et sæculari ?

Videtur autem, quod plus prosit sæculari :

1. Remissio enim debetur indigentibus, qui minus faciunt in satisfactione : sed tales sunt sæculares : ergo illis præcipue datur relaxatio.

2. Adhuc, Non est unus status dantis stipendia in temporalibus, et accipientis : ergo nec in spiritualibus : sed spirituales sunt ex quorum abundantiis supplentur defectus aliorum : ergo videtur, quod quidquid relaxatur in sæcularibus, quod hoc totum imponitur religiosis ad supplendum : ergo videtur, quod quando datur sæcularibus indulgentia unius anni, quod unus annus apponitur religiosis pro satisfactione pro peccatis.

IN CONTRARIUM objicitur : quia magis Sed

combustibile magis comburitur : et est in omnibus aliis ita, quod magis susceptibile alicujus, magis suscipit de illo : ergo magis susceptibilis spiritualium beneficiorum, magis de ipsis suscipit : sed magis depuratus, magis est susceptibilis spiritualium beneficiorum : ergo videtur, quod tales magis suscipiunt : sed religiosi ut frequenter, magis sunt puri et susceptibiles : ergo magis suscipiunt de spiritualibus donis : sed de spiritualibus donis est indulgentia : ergo religiosi et spirituales viri plus indulgentiæ recipiunt, ut videtur.

Sed videtur, quod utrisque necessaria sit indulgentia : omni enim illi cui non sufficiunt bona propria, necessaria sunt communia et indulgentiæ Ecclesiæ : sed nulli religioso vel sæculari sufficiunt propria : ergo videtur, quod tam religioso quam sæculari necessaria sit indulgentia, et bona communia Ecclesiæ.

Quæst. 3. Ulterius quæritur, Utrum indulgentia possit dari tam vivis, quam mortuis qui sunt in purgatorio vel in inferno ?

Videtur autem, quod sic : quia

1. Ecclesia prædicat crucem, et facit prædicari pro se et duabus vel tribus vel quandoque decem animabus tam vivorum, quam mortuorum, ad electionem cruce signati : sed illæ animæ sunt quandoque in inferno, quandoque in purgatorio, quandoque autem sunt adhuc vivorum : ergo videtur, quod indulgentia crucis valeat omnibus illis quæ dictæ sunt animabus.

2. Adhuc, Suffragia Ecclesiæ se extendunt ad existentes in purgatorio, quia aliter Ecclesia incassum offerret pro illis : et secundum quamdam opinionem se extendunt ad existentes in inferno : sed indulgentiæ de præcipuis suffragiis sunt Ecclesiæ : ergo videtur, quod indulgentiæ se ad omnes illos extendant.

3. Adhuc, Cuicumque prodest meritum personale unius de Ecclesia, illi multo amplius prodesse potest meritum commune tam capitis quam membrorum Ecclesiæ, si ad ipsum derivetur : sed damnatis in inferno profuit quandoque meritum personale unius de Ecclesia : ergo damnatis in inferno prodesse potest meritum commune tam capitis quam membrorum Ecclesiæ, si ab ipsis derivetur : derivatur autem per indulgentiam : ergo si detur eis indulgentia, proderit eis. Prima patet per se : quia majoris efficaciæ est meritum commune, quam personale. Secunda patet per ea quæ leguntur de Trajano et Gregorio, quia de inferno extractus est Trajanus ad preces Gregorii : ergo constat propositum.

Sed contra. In contrarium hujus objicitur : quia

1. Ita dicitur Petro : *Quodcumque ligaveris super terram*, etc. [1] : sed mortui non sunt de existentibus super terram : ergo videtur, quod ad ipsos claves Ecclesiæ non se extendantur.

2. Adhuc, Non habet locum indulgentia, nisi ubi habet locum meritum : ergo non nisi in via habet locum indulgentia : sed mortui non sunt in via : ergo in mortuis non habet locum indulgentia. Probatur prima ex hoc, quod indulgentia est satisfactiva per modum meriti. Secunda autem patet per distinctionem viæ, et patriæ sive termini : quia distinguuntur per meritum et præmium tam a Sanctis, quam a Magistris.

3. Adhuc, *Cum accepero tempus, ego justitias judicabo* [2] : sed post mortem accipit tempus Dominus, ut communiter dicitur : ergo tunc secundum justitiam et non secundum indulgentiam judicabit : non ergo tunc habet locum indulgentia.

Solutio. Ad quæst. 1. Responsio. Dicendum videtur ad ea quæ quæruntur in primo articulo, quod indulgentiæ valent omnibus tam existentibus in mortali, quam in statu gratiæ, sed differenter : quia existentibus in statu gratiæ valent ad diminutionem pœnæ expiativæ sive injunctæ sive injungendæ,

[1] Matth. xvi, 19.

[2] Psal. lxxiv, 3.

si sacerdos injungens erravit. Sed existentibus in mortali peccato valet dupliciter : uno modo per modum illum quo diximus unum alii mereri posse primam gratiam conversionis, si orat et jejunat et alia bona opera pro eo facit : si enim hoc potest unus, multo magis hoc potest Ecclesia per thesauros communium meritorum quos super ipsum ponit indulgentia. Alio modo, sicut diximus [1], quod opera de genere bonorum vicinant hominem gratiæ, eo quod præcedit quoddam in peccatoribus quibusdam, ut dicit Augustinus [2], quo digni sint justificatione, dignitate congruentiæ non condignitatis : ita et multo amplius indulgentia cum fide etiam informi vicinat hominen gratiæ et facit conversioni magis idoneum. Aliter vero non puto valere indulgentias existentibus in mortali peccato.

Ad 1 et 2. Ad duo igitur prima, dicendum quod per hunc modum valerent, et sic Ecclesia intelligit valere. Et de conversione peccatores maximam patiuntur necessitatem.

Ad object. Ad hoc autem quod objicitur, dicendum quod bene conceditur, quod non valet eis per modum illum : quia numquam habet locum indulgentia quantum ad pœnæ remissionem, nisi primo pœna contritionis posita in pœnitente, scilicet dolore contritionis, qui facit pœnam solubilem, mutando æternam in temporalem.

Et per hoc etiam patet solutio ad ea quæ quæruntur in primo articulo.

Ad quæst. 2. Ad ea quæ sequuntur in secundo, dicendum videtur, quod prosint utrisque indulgentiæ : sed tamen puto, quod secundum primam intentionem Ecclesiæ non dantur nisi indigentibus merito alieno propter defectum proprii : et illi sunt sæculares ædificantes lignum, fœnum, stipulam, ut in sequenti distinctione dicetur : vel religiosi tantum habitu, qui vitam sæcularium imitantur, quia vere illi irreligiosi dicendi sunt.

Per hoc patet solutio ad duo prima quæ procedunt secundum primam Ecclesiæ intentionem : et bene puto, quod verum hoc modo concludunt : nec propter hoc pejor est conditio religiosorum, sed potius melior : sicut melior est conditio abundantis in merito, quam indigentis, et ideo alienum non accipientis : sicut Dominus secundum sententiam Pauli in Actibus dicit : *Beatius est magis dare, quam accipere* [3] : hoc præcipue verum est in spiritualibus. Ad 1

Ad id autem quod in contrarium objicitur, dicendum quod duplicia sunt dona spiritualia, scilicet secundum ordinem ad bonum quæ sunt dona et virtutes : et illorum sunt magis susceptibiles, magis boni. Alia sunt secundum ordinem a malo, sicut bonum contritionis et satisfactionis et indulgentiæ : et horum sunt magis susceptibiles, magis indigentes. Ad obje

Et est instantia ad argumentum : quia innocens in quantum hujusmodi, purior est quam ille qui peccavit : nec tamen propter hoc magis est susceptibilis innocens pœnitentiæ et contritionis vel satisfactionis, licet omnia illa sint dona spiritualia.

Ad aliud dicendum, quod si districte agatur nobiscum, nulli sufficit meritum proprium, præterquam Christo : quia ille non indiguit aliquo propter se : sed aliud est condignum, et aliud requisitum a nobis : non enim Deus requirit a nobis impossibilia, sed quædam pauca et levia, scilicet mandatorum custodiam : et illis multa supererogare possumus, et hæc reponimus in thesauris. Et est simile, quod si Dominus de lucro talenti commisso servo, de mille marcis exigeret unum denarium : totum enim aliud servus posset reponere in thesauris : et ha-

[1] Cf. I Sententiarum, Dist. XLI. Tomo XXVI hujusce editionis.

[2] S. Augustinus, Lib. LXXXIII Quæstionum, Quæst. 68.

[3] Act. xx, 35.

bens illud ex benevolentia Domini magis quam ex justitia, non indigeret mendicare alienum suffragium.

Quæst. 3. Ad id quod quæritur de ultimo articulo, videtur sine præjudicio dicendum, quod existentibus in inferno nihil prosunt indulgentiæ : sed existentibus in purgatorio prosunt multum. Et causa hujus est, quia insusceptibiles sunt boni, sicut et dæmones qui sunt in inferno. Unde Damascenus : « Quod in hominibus mors est, hoc est in dæmonibus casus. » Quia sicut homines insusceptibiles sunt pœnitentiæ post mortem, ita et angeli post casum.

Ad 1. Ad hoc autem quod primo objicitur, dicendum quod ego numquam vidi talem formam in aliquo authentico emanare a curia : sed potius semper adjungitur : « Confessis et pœnitentiam suscipientibus, vel qui confessi sunt et pœnitentiam susceperunt : » illi autem omnes vel sunt in via adhuc pœnitentes, vel in purgatorio satisfacientes luendo in pœnis quod fecerunt : et ideo tantum illis valet. Si autem aliqua alia forma emanaret, quæ de his mentionem non faceret, tamen ita deberet intelligi.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod sicut infra probabitur, suffragia Ecclesiæ non prosunt damnatis ad pœnæ mitigationem vel absolutionem vel suspensionem, nisi valde per accidens ad quamdam minutionem pœnæ quæ dicitur *vermis conscientiæ :* et ideo ex hoc non infertur, quod indulgentiæ prosint talibus.

Si autem dicas, quod opinio est, dicendum videtur illam opinionem magis esse errorem, quam aliquid probabilitatis continere. Et in ea præcipue verum est quod dicit Augustinus, quia quod opinamur, debemus errori.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod illud miraculum beati Gregorii non sufficienter probatum est, nec est auctorizatum, sed apocriphum. Unde non legitur postea quid de Trajano acciderit, ubi pœnituerit, et qualiter salvatus sit : et ideo ego hoc fabulam reputo. Si autem aliud inveniatur per quod confirmetur miraculum illud, tunc dico quod Trajanus non fuit mortuus, ita quod finalem sententiam suæ condemnationis acciperet, sed potius ut gloria Dei in meritis beati Gregorii manifestaretur : sicut Dominus dicit de Lazaro, quod *infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per ipsam* [1] : si enim ipse præstitum sibi tempus ad meritum implesset, et ita mortuus esset, etsi millesies suscitaretur, numquam pœniteret : quia confirmatus esset in malo, et insusceptibilis pœnitentiæ : sine pœnitentia autem peccator salvari non potest : et tunc non sequitur, quod prosit damnatis, quia ille secundum hoc ultima sententia damnatus non fuit, sed a vita suspensus ad tempus, ut gloria Dei et bonitas per merita etiam Gregorii amplius exaltaretur.

Ad id autem quod objicitur in contrarium, oportet solvere pro illis qui sunt in purgatorio, dicendo quod secundum aliquid existentes in purgatorio, sunt super terram : quia scilicet meruerunt dum viverent, quod eis etiam post mortem ad velociorem liberationem possent valere. Et hoc in sequentibus in *Littera* habetur ex verbis Augustini. Purgatorium enim quodammodo via et quodammodo terminus est : quantum enim ad confirmationem, quia peccare amplius non possunt, sunt in termino : sed quantum ad non pervenisse adhuc ad emendationem qua emendantur, sunt adhuc in via et in transitu ad patriam. Ad object 1.

Ad aliud patet solutio per idem : quia meritum alienum ratione dicta habet locum in purgatorio : et hoc infra magis probabitur. Ad object. 2.

Ad aliud dicendum, quod Dominus quoad hoc justitias judicat, quia districtiore pœna pœnitentiæ : sed non omni- Ad object. 3.

[1] Joan. x, 4.

no sunt in via : et hoc meruerunt dum viverent : et in hoc misericorditer agitur cum eis, quod prodest eis meritum alienum.

Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICULUS XIX.

An indulgentia æqualiter valeat danti et facienti hoc quod Ecclesia requirit, et habenti voluntatem faciendi, sed non facienti propter defectum facultatis ?

Quarto quæritur, Utrum æqualiter valeat danti et facienti hoc quod Ecclesia requirit, et habenti voluntatem faciendi illud, sed non facienti propter defectum facultatis ?

Et videtur, quod sic : quia

1. Voluntas pro facto reputatur : sed iste libenter daret si haberet : ergo videtur, quod reputetur ei pro facto.

2. Adhuc, Dominus laudat viduam ponentem duo minuta, dicendo quod omnibus plus posuit [1] : sed hoc non potuit fieri nisi propter voluntatem : ergo videtur, quod voluntas etiam melius valet quam factum.

3. Adhuc, II ad Corinth. VIII, 12 : *Si voluntas prompta est, secundum id quod habet accepta est, non secundum id quod non habet.* Et ex hoc iterum sequitur idem quod prius.

Sed contra. In contrarium hujus objicitur : quia ponamus, quod dividantur multæ indulgentiæ propter data vel facta diversa, quæ pro indulgentiis exigit Ecclesia : ergo non valent ei qui non potest hæc : ergo non omnibus voluntas tantum valet, quantum factum : ergo nec omnibus sunt æquales.

Solutio. Responsio. Dicendum, quod quæstio ista levis est : sunt enim quædam substantialia merito et præmio, et quædam accidentalia : quantitas enim charitatis substantialiter exigitur in merito, et secundum quantitatem illius attenditur quantitas meriti et præmii simul : sed in præmio accidentali magis attenditur opus, sicut est diminutio pœnæ vel celerior liberatio. Unde bene potest esse, quod habens multas indulgentias, citius liberabitur quam non habens, sed habens voluntatem habendi : sed non liberabitur plenius, nec pleniorem habebit gloriam, sed citiorem : quia quantitas gloriæ est secundum quantitatem charitatis.

Ad 1 et 2. Ad prima autem tria, dicendum quod intelligitur de merito ratione præmii substantialis, hoc quod objicitur, et non respectu præmii accidentalis.

Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICULUS XX.

An Papa existens in peccato mortali, potest dare indulgentias, etiam ei qui est in peccato mortali ?

Quinto quæritur, Utrum Papa existens in mortali peccato, possit dare indulgentiam existenti in mortali peccato ?

Videtur autem, quod non : quia

1. Opera facta in mortali peccato, mortua sunt : sed opus mortuum nullum vivificat : cum igitur indulgentia sit ad vivificandum vel ad vitam spiritualem ordinata, videtur quod talis indulgentia non valeat.

2. Adhuc, Rivus cui fons non influit, nihil perfluere potest : sed Papa qui est in mortali peccato, est rivus cui fons, hoc est, Spiritus sanctus, nihil influit, quia

[1] Cf. Marc. XII, 42.

Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum[1]. Et, *In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis*[2] : ergo ipse non potest perfluere aliis : ergo nec indulgentiam.

3. Adhuc, Radius solis quem nubes intercipit, ad nos non venit : sed Spiritus sancti gratia dicitur *radius* a beato Dionysio, et nubes *peccatum* ab Isaia : ergo gratia quam peccatum intercipit, non venit ad nos : sed indulgentia fluens vel debens fluere a tali Papa, est gratia peccato intercepta : ergo ad nos non venit : ergo non valet talis indulgentia.

contra. In contrarium hujus est : quia prophetia est gratia et radius divinus : et tamen fluxit per Caipham, eo quod esset pontifex anni illius, ut dicit Evangelista Joannes, XI, 51. Idem habetur per hoc quod legitur, Numer. XXII, XXIII et XXIV, quia præclarissima prophetia per iniquissimum fluxit Balaam toti Synagogæ et Ecclesiæ.

Solutio. Propter hoc dicimus, quod indulgentiæ æqualiter valent, sive a malo sive a bono dentur.

Ad 1. Ad primum ergo quod contra objicitur, dicendum quod dare indulgentias est gratia gratis data, quæ potestatis est, non bonitatis vitæ : et omnes tales gratiæ æqualiter fiunt per bonos et malos.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod prima est vera : secunda est falsa, quia tali Papæ influit Spiritus sanctus ea quæ sunt potestatis.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod peccatum non intercipit radium nisi gratiæ gratum facientis. Jam autem dictum est, quod iste radius est potestatis, et gratiæ gratis datæ, sicut et prophetia.

[1] Sapient. I, 5.

ARTICULUS XXI.

An Episcopus possit facere et dare indulgentias ?

Sexto quæritur, Utrum Episcopus potest dare indulgentias ?

Videtur autem, quod non : quia ipse non habet potestatem in thesauris Ecclesiæ, sed solus Papa, qui super totum est constitutus : et indulgentiæ vim trahunt a thesauris Ecclesiæ, sicut jam ostensum est : ergo Episcopus dispensare non potest.

In contrarium hujus est, quod qui habet jurisdictionem et claves, habet potestatem dandi indulgentias, quia claves cum jurisdictione comitatur potestas dandi indulgentias : ergo videtur, quod habeat potestatem. Sed contra.

Ulterius quæritur de hoc quod agitur temporibus nostris, quod Episcopus alterius diœcesis dat indulgentiam non in sua diœcesi propter approbationem diœcesani : et sic per quadraginta et quadraginta dies multæ indulgentiæ congregantur. Et videtur, quod hoc possit fieri : quia Episcopus potest concedere potestatem non Episcopo dandi indulgentias : ergo et Episcopo potest hoc concedere : ergo talis indulgentia valet. Quæst.

In contrarium hujus est, quod Constitutio determinat, quod etiam multi Episcopi simul dare non possunt in uno loco et una vice, nisi quadraginta dies : ergo quod superadditur, valere non videtur. Sed contra.

Responsio. Ad hoc dicendum, quod Episcopus in sua diœcesi potest dare indulgentiam, et quantum vult, nisi a constitutione Domini Papæ distincte sit Solutio.

[2] Sapient. I, 4.

limitata : sicut modo est ad quadraginta dies.

Ad primum ergo dicendum, quod ipse habet in potestate thesauros suæ diœcesis et passionis Christi, licet non adeo plene sicut ille qui habet universalitatem potestatis : et ideo non adeo magnam et plenam potest conferre indulgentiam. Unde prima non est vera.

Ad quæst. Ad id quod ulterius quæritur, dicendum quod, ut mihi videtur, limitatio rationabilis est propter nimium abusum indulgentiarum quæ modo fiunt : unde bene videtur, quod simul non conferant ultra quadraginta dies : si tamen non esset potestas limitata, absque dubio de concessione diœcesani possunt conferre plus et minus, secundum quod permitteret diœcesanus.

ARTICULUS XXII.

An sacerdos, simplex conferre possit indulgentias ? et, An unus laicus possit alteri dare suas indulgentias ?

Septimo et ultimo quæritur, Utrum simplex sacerdos conferre potest indulgentias ?

Videtur autem, quod sic : quia ipse habet in potestate clavium suarum divitias suæ plebis : ergo ex illis potest communicare magis indigentibus : et hoc ratificat indulgentias : ergo talis potest conferre indulgentias.

Sed contra. In contrarium hujus objicitur : quia plebani non habent potestatem in jurisdictione : unde etiam excommunicare non possunt, nisi in communi : datio autem indulgentiæ sequitur clavem cum jurisdictione conjunctam : ergo videtur, quod plebani non possunt dare indulgentias.

Ulterius hic quæritur de abusu qui modo fit, quod etiam laici accipiunt indulgentias, et sibi datas dant alii vel in toto, vel in parte. Verbi gratia, accipio decem dies indulgentiæ, et totidem quilibet de populo : postea de illis decem do tres meo charo, et aliquis alius tres : et sic in populo uno multæ per tres et tres congregantur, et uni vivo dantur vel mortuo.

Videtur autem, quod possint hæc fieri : quia magis commutabilia sunt bona spiritualia, quam corporalia : sed in corporalibus ita est, quod mihi datum possum dare alteri sive in toto sive in parte prout voluero : ergo et in spiritualibus possum hoc facere, ut videtur.

In contrarium hujus est, quod datio Sed con indulgentiarum requirit jurisdictionem in dante : sed laicus ille nullam habet jurisdictionem : ergo videtur, quod sibi datam non potest dare.

Si forte dicas, quod instantiam habet, ideo quia video, quod simplices prædicatores nullam habentes jurisdictionem de permissione Episcopi dant indulgentias, et sic etiam laicus potest : non est instantia, quia in talibus casibus prædicans pronuntiator est indulgentiæ potius quam dator : et ideo collatio fit per Episcopum, et non per prædicantem.

Responsio. Dicendum, quod simplex Solutio. plebanus nullam potest dare indulgentiam, ratione prius inducta.

Ad id quod in contrarium inducitur, dicendum quod licet habeat aliquos in plebe sua thesauros, tamen non habet abundantes : indulgentia autem requirit abundantiam multarum Ecclesiarum et plebium.

Ad id quod ulterius quæritur, dicen- Ad obiect dum quod nihil valet talis indulgentia, nisi ad populi delusionem, ratione inducta.

Ad id quod contra objicitur, dicendum quod secus est de indulgentia et aliis bonis spiritualibus, sicut supra ostensum

est : quia dicit Augustinus, quod nihil habet indulgentiam nisi peccatum : et hoc privatum est, non commune, ut bonum, virtus, et gratia : et ideo recipiens indulgentiam, in privatis suis pœnis pro peccato debitis recipit eam : et ideo quia privata est, ad alterum derivari non potest. Potest tamen alii communicare meritum laboris, quantum facit pro indulgentia : sed tunc non taxatur ad tertiam, vel quartam, vel hujusmodi : sed quantum valere concesserit Deus, hoc modo quo quodlibet opus meritorium factum pro proximo, valet ei ad gratiam promerendam vel retinendam si habet eam.

F. *Quod presbyter non reconciliet inconsulto Episcopo, nisi in necessitate cogente.*

Non debet tamen presbyter pœnitentem reconciliare inconsulto Episcopo, nisi ultima necessitas cogat. Unde in Carthaginensi concilio [1] : Presbyter inconsulto Episcopo non reconciliet pœnitentem, nisi absente Episcopo, vel ultima necessitas cogat. Cujuscumque pœnitentis publicum crimen est, quod universam commoverit urbem, ante absidam, scilicet introitum Ecclesiæ manus ei imponatur. Item, Aurelius Episcopus dixit : Si quis in periculo constitutus fuerit, et se reconciliari divinis altaribus petierit, si Episcopus absens fuerit, debet presbyter consulere Episcopum, et sic periclitantem ejus præcepto reconciliare. Inconsulto vero Episcopo non potest excommunicatos vel publice pœnitentes presbyter reconciliare [2]. Unde in Carthaginensi concilio secundo statutum est, ut chrisma, vel reconciliatio pœnitentium, et puellarum consecratio a presbyteris non fiat [3]. Item, Reconciliare quemquam in publica missa presbytero non liceat : puellarum tamen consecratio consulto Episcopo per presbyterum fieri valeat [4]. Unde in Carthaginensi concilio secundo : Presbyter inconsulto Episcopo virgines non consecret : chrisma vero numquam conficiat [5]. Sicut præcepto Episcopi potest presbyter consecrare virgines, sic et reconciliare pœnitentes.

[1] 26, cap. *Cognovimus*, § *Cui autem*. Et habetur, 26, q. 6, cap. *Presbyter* (Nota edit. Lugd.)
[2] 26, q. 6, cap. *Aurelius Episcopus* (Nota edit. Lugd.)
[3] 26, q. 6, cap. *Si jubet* (Nota edit. Lugd.)
[4] Ibidem.
[5] Ibidem, cap. *Presbyter*.

G. *An oblatio ejus sit recipienda, qui currens ad pœnitentiam prævenitur morte?*

Si autem quæritur de illo qui ad pœnitentiam festinans, sacerdotem invenire non potuit, et ita decessit : utrum oblatio ejus sit recipienda ? Dicimus, quia est. Unde in Appanensi concilio : Si aliquis fuerit mortuus qui non sit confessus, et testimonium habet bonum, et non poterat venire ad sacerdotem, sed præoccupavit eum mors in domo vel in via : faciant pro eo parentes ejus oblationem ad altare, et dent redemptionem pro captivis [1].

Expositio Textus.

« *Non debet tamen presbyter,* etc. » Hoc autem non servatur : quia etiam Episcopo in eadem villa existente, non semper habet præsbyter recursum ad ipsum, sed absolvit et reconciliat.

Solutio. Responsio. Intelligitur de pœnitente ligato ab Episcopo vel alio sacerdote, vel publice pœnitente.

Sequitur alia distinctio.

[1] 26, q. 6, cap. *Si aliquis* (Nota edit. Lugd.)

DISTINCTIO XXI.

De confessione sacramentali quantum ad opportunitatem temporis respectu pœnitentiæ venialium.

A. *De peccatis quæ post hanc vitam dimittuntur.*

Solet etiam quæri, Utrum post hanc vitam aliqua peccata remittantur ? Quod aliqua post hanc vitam remittantur, Christus ostendit in Evangelio, ubi ait : *Qui peccaverit in Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro* [1]. Ex quo datur intelligi, sicut sancti Doctores tradunt [2], quod quædam peccata in futuro dimittentur. Quædam enim culpæ in hoc sæculo relaxantur : quædam vero parvæ etiam in futuro, quæ quidem post mortem gravant : sed dimittuntur si digni sunt, si bonis actibus in hac vita meruerunt ut dimittantur eis. De illis etiam qui ædificant lignum, fœnum, stipulam [3], dicit Augustinus, quod ignem tribulationis transitoriæ invenient cremabilia ædificia quæ secum portaverunt homines cremantes. Ait enim sic : Post istius sane corporis mortem, donec de igne purgatorio veniatur ad diem damnationis et remunerationis, si hoc temporis intervallo spiritus defunctorum qui ædificaverunt lignum, fœnum, stipulam, hujusmodi ignem dicantur perpeti, quem alii non sentiunt qui hujusmodi ædificia non portaverunt, ut inveniant ignem transitoriæ tribulationis venialia concremantem, non redarguo : quia forsitan verum est. Sed quia dicitur : *Salvus erit quasi per ignem* [4], contemnitur ille ignis. Gravior tamen erit ignis ille, quam quidquid potest homo pati in hac vita [5]. Hic aperte insinuatur, quod illi qui ædificant lignum, fœnum, stipu-

[1] Matth. XII, 32, habet : *Qui dixerit verbum contra*, etc. Cf. Marc. III, 29 ; Luc. XII, 10.

[2] Cf. S. GREGORIUM, et habetur dist. XXV, cap. *Qualis hinc* (Nota edit. Lugd.)

[3] I ad Corinth. III, 12 : *Si quis superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam*, etc.

[4] I ad Corinth. III, 15.

[5] S. AUGUSTINUS, Lib. XXI de Civitate Dei, cap. 26.

lam, quædam cremabilia ædificia, id est, venialia peccata secum portant : quæ in igne emendatorio cremantur. Unde constat quædam venialia peccata post hanc vitam deleri.

DIVISIO TEXTUS.

« *Solet etiam quæri, Utrum post hanc vitam* etc. »

In hac distinctione duo determinantur quorum primum est de quorumdam peccatorum post hanc vitam remissione. Secundo autem, quædam dubia de confessione ex præcedentibus relicta : et incipit ibi, E, « *Post hæc considerandum*, etc. »

ARTICULUS I.

An aliqua venialia dimittantur post hanc vitam ?

Incidit autem quæstio circa principium lectionis, Utrum aliqua venialium post hanc vitam dimittantur, sicut videtur in *Littera* probari ?

Videtur autem, quod sic :

1. Gregorius in libro IV *Dialogorum* : « Quædam culpæ in hoc sæculo relaxantur : quædam vero parvæ et in hoc et in futuro. »

Eadem verba dicit Beda super Matthæum, XII, 32, in Glossa : *Non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.*

2. Item, I ad Corinth. III, 12 : *Si quis superædificat super fundamentum hoc... ligna, fœnum, stipulam.* Per totam autem Glossam exponitur de veniali. Esto quod aliquis existens in gratia, habens tamen culpas veniales, sit in ultimo instanti vitæ suæ, et moriatur cum voluntate venialium non dolens de ipsis : constat, quod ille salvabitur, quia est in gratia, et venialia non auferunt gratiam : constat iterum, quod peccatum manens in voluntate non remittitur : ergo videtur, quod necesse sit, quod post mortem dimittantur.

Si forte dicas, quod convertitur in mortale propter voluntatem iterandi : hoc ridiculum est, quod propter hoc otiosum convertatur in mortale, quia voluntatem habet iterandi.

Si forte dicas, quod voluntas confirmatur in statu in quo moritur : hoc quidem quod dicis non est probatum. Sed sit quod dicis, secundum hoc istius voluntas simpliciter erit conjuncta Deo et secundum habitum, habens tamen dispositionem ad aversionem secundum actum : et talis status nullus est confirmati : unde patet, quod figmentum est quod dicis : ergo videtur, quod culpa aliqua post mortem dimittatur.

SED IN CONTRARIUM hujus objiciunt quidam sic : Sed contra.

1. Post mortem non est tempus merendi : sed deletio culpæ fit per meritum : ergo post mortem non est tempus deletionis alicujus culpæ : ergo nec venialis.

2. Adhuc, Veniale oritur ex fomite : fomes autem est conjuncti, et non animæ secundum se : ergo et veniale : ergo soluto fomite, solvitur et veniale : sed solvitur fomes in morte : ergo et veniale.

3. Adhuc, Pœna non liberat nisi a pœna : sed post mortem non erit expians nisi pœna : ergo non solvit nisi a pœna : ergo non culpam aliquam.

4. Adhuc, Supra habitum est [1], quod

[1] Cf. Supra, Dist. XVI.

non deletur veniale, nisi præmissa contritione aliqua : sed post mortem non erit contritio aliqua : ergo post mortem non deletur veniale quoad culpam.

5. Adhuc, Quidquid potest delere pœna aliqua, magis potest delere pœna maxima : sed maxima pœna est mors : ergo quidquid delet pœna aliqua, illud delebit mors : sed veniale delere potest pœnam, ut dicis : quia post mortem relaxatur pœna purgatorii, ut dicis : ergo delet et ante mortem : et ita non veniet ad purgatorium : ergo nulla culpa dimittitur post hanc vitam, ut videtur.

Solutio. Solutio. Cum Gregorius in libro IV *Dialogorum* non solum dicat, sed etiam probet pœnam et culpam post hanc vitam deleri, reputo præsumptionem dicere nullam culpam venialem post hanc vitam posse deleri : sed dicendum et asserendum cum Sanctis videtur, multa venialia deleri posse post mortem.

Object. 1. Ad primum contra hoc, videtur esse dicendum, quod post mortem non est tempus meritum augendi, sed utendi merito ad efficaciam ad quam est contingens. Dicit autem Augustinus, quod quidam dum viverent, meruerunt ut suffragia eis possint prodesse. Ita dico, quod illi dum viverent, hoc meruerunt, quod gratia eis et pœna ad deletionem venialium prodesse possint : et ideo usum sui meriti post mortem recipiunt præter meritorum augmentum : et augmentum meritorum respicit majorem coronam, et habebunt majorem.

Object. 2. Ad aliud dicendum, quod hoc nihil valet, Si aliquid oriatur ex aliquo, quod tantum ex illo destruatur cum destructione illius : quia omne peccatum oritur ex fomite, et tamen manet in anima destructo fomite : et universale oritur ex sensu, et tamen manet in anima destructo sensu. Unde illa consequentia in nullo valet, ubi aliquid causatur in subjecto manente : et gratia subjecti etiam potest manere etiam causa sua destructa.

Ad aliud dicendum, quod pœna per se non liberat nisi a pœna : sed pœna in subjecto quod est informatum gratia, potest liberare etiam a culpa : et tales sunt illi qui sunt in purgatorio. Ad object. 3.

Ad aliud dicendum, quod non aliter deletur veniale, sed quod hoc modo congruentius deleatur : cum enim potius sit dispositio ad culpam quam culpa, etiam alio modo potest deleri. Ad object. 4.

Ad ultimum dicendum, quod pœna mortis bene deleret si ad hoc ordinaretur, sicut in martyribus : sed non ad hoc dirigitur in aliis communiter morientibus : et ideo non delet. Ad object. 5.

ARTICULUS II.

An sint aliqui qui ædificent lignum, fœnum, et stipulam? et, Quid illa significent?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, A, ante medium : « *De illis etiam qui ædificant lignum, fœnum*, etc. »

Quæruntur hic duo, scilicet quid ista sint, et de differentia ipsorum.

Videtur autem, quod sint differentiæ mortalium peccatorum : quia

1. In originali super Isa. v, 8, super illud : *Væ qui conjungitis domum ad domum*, etc., dicit Hieronymus : « Hæretici dogmata dogmatibus conjungunt : et qui supra fundamentum debuerunt ædificare aurum, et argentum, et lapides pretiosos, econtra ædificant lignum, fœnum, stipulam. » Constat autem, quod hæretici non ædificant nisi peccata mortalia, in quantum hæretici et hæresim servant : ergo videtur, quod hæc tria dicunt mortalium peccatorum differentias.

2. Adhuc, Josue, iv, 1 et seq., quædam Glossa Adamantini taliter exponit.

Sed contra. Sed contra hoc videtur esse, quod

1. Hic accipiuntur pro venialibus.

2. Adhuc, Lignum, fœnum, stipula, consumptibilia sunt in igne : sed mortalia non consumuntur in igne : ergo non bene exponuntur per lignum, fœnum, et stipulam.

Quæst. Ad secundum proceditur sic :

1. Multæ et quasi infinitæ sunt differentiæ venialium : ergo videtur, quod non possint congrue per tres differentias assignari.

2. Adhuc, Augustinus in *Littera* non videtur distinguere veniale quod per ista tria signatur, nisi in dilectione temporalium : sed multis aliis modis fiunt venialia : ergo videtur, quod insufficienter his tribus significetur.

Solutio. Responsio. Dicendum, quod per hæc tria congruentissime significantur venialium peccatorum differentiæ. Unde quod dicit Hieronymus et Glossa super Josue, est adaptatio quædam præter intentionem litteralem.

Ad quæst. Ad id quod ulterius quæritur, dicendum quod veniale non secundum diversitates suarum specierum signatur his tribus, sed potius secundum suam quantitatem quæ comitatur omnem speciem venialis, secundum diversitatem actus, et radicis, et adhærentiæ, a quibus procedit. Dicit enim Philosophus, quod omnium extremorum determinatorum secundum quantitatem, determinatum est medium : unde cum sit veniale maximæ adhærentiæ quæ potest esse circa Deum, et minimæ quæ vix sensibilis est, est veniale adhærentiæ mediæ : et ideo tripliciter tantum quantitas venialis significatur : et hoc metaphorice : sicut significatur causæ diversitas in diversitate effectus, diuturnitas enim manendi in igne ostendit quantitatem adhærentiæ venialis : constat autem, quod inter cremabilia consumptibilia diutius in igne manet lignum in genere, et minime stipula, quia illa est sicca et debilis atque cremabilis valde, et medio modo fœnum. Et ideo per ista tria venialium diversitas significatur.

Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICULUS III.

An lignum, fœnum, stipula, ædificentur super fundamentum ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, A, post medium : « *Qui ædificaverunt lignum, fœnum, stipulam*, etc. »

Videtur enim, quod super fundamentum talia non ædificentur : quia fides non habet ordinem nisi ad bona opera : sed venialia non sunt opera bona : ergo videtur, quod non ædificentur super fidem.

Solu Ad hoc dicendum, quod spiritualis ædificii fundamentum in imo est fides, quæ facit in nobis subsistere res sperandas, eo quod ipsa est prima accedentibus ad Deum : sed in summo concludens est charitas, quæ est vinculum perfectionis : et paries erigens, est spes se ad æterna protendens. Cardinales autem sunt materia, quæ dant substantiam ædificio : et materia super fundamentum esse dicitur tantum tripliciter, scilicet directo situ, et sic nihil ædificatur nisi bona opera.

Dicitur etiam *super*, id est, juxta, sicut ibi, *Super flumina Babylonis*, etc. [1] : et sic venialia superædificantur.

Tertio dicitur *super*, id est, post, sicut, Ezechiel. xlviii, 3 : *Super terminum Aser*, etc. Dicit Glossa, id est, post terminum Aser.

Et sic mortalia superædificantur, secundum expositionem Hieronymi supra inductam.

[1] Psal. cxxxvi, 1.

ARTICULUS IV.

An ignis purgatorius sit vel non sit post mortem?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, A, ante finem : « *Non redarguo : quia forsitan verum*, etc. »

Videtur enim hic dubitare Augustinus, utrum purgatorium sit, vel non? Et eodem modo dubitationis loquitur Gregorius in libro IV *Dialogorum*.

Quæritur ergo, Utrum sit vel non sit purgatorius ignis post mortem?

Videtur autem non esse sic :

1. Contrariorum contrarii sunt effectus : charitas et mortale peccatum sunt contraria : ergo contrarii sunt eorum effectus : sed peccatum mortale post mortem damnat statim : ergo charitas post mortem statim salvat : ergo non est locus aliquis purgatorius inter salutem et damnationem.

2. Adhuc, Non minoris efficaciæ est charitas in salvando, quam peccatum mortale in condemnando : sed peccatum mortale damnat statim post mortem, etiamsi multa adsint opera de genere bonorum, quæ sunt dispositiones ad bonum : ergo et charitas statim salvat post mortem, etiamsi multa adsint, quæ sunt dispositiones ad malum : hæc autem sunt venialia : ergo multitudini venialium non debetur purgatorium : et non est ad alium usum : ergo non est purgatorium, ut videtur.

3. Adhuc, Duo genera sunt malorum, scilicet veniale, et mortale. Item, Duo genera bonorum, scilicet bonum gratuitum, et opera de genere bonorum. Item, Duo genera præmiorum, æternum, et temporale : et iterum duo genera pœnarum, scilicet, temporalis, et æterna. Inde sic procedo : Sicut se habet bonum ad præmium, ita se habet malum ad pœnam : sed bonum de genere bonorum non meretur aliquod præmium : ergo nec malum sibi respondens, aliquam pœnam : ergo pro nullo est purgatorium. Probatio mediæ est : Si ille qui facit opera de genere bonorum, mereretur præmium, tunc injuste ageret Deus secum, quod non conferret : sed videmus, quod sæpe non confert : ergo nihil meruit : quia inconveniens est Deum injuste agere cum aliquo.

4. Adhuc, Super eadem divisione : sicut se habent mortale et veniale ad pœnam æternam et temporalem simul : ita se habent charitas et bonum in genere ad præmium utriusque simul : ergo sicut se habent mortale et opus de genere bonorum simul ad pœnam æternam et præmium temporale, ita se habent charitas et veniale ad præmium æternum et pœnam temporalem : sed video, quod mortali cum bono in genere, non debetur ex condigno nisi pœna æterna, et nullum temporale præmium : ergo veniali cum charitate, ex condigno non debetur nisi præmium æternum et nulla transitoria pœna. Cum igitur non nisi propter tales sit purgatorium, videtur purgatorium non esse.

5. Adhuc, Deus non remunerat post mortem, nisi similem sibi per charitatem et dilectionem : ergo non punit post mortem, nisi aversum a se per superbiam et odium divinum : sed talis solus est ille qui decedit in mortali peccato : ergo videtur, quod solus ille puniatur post mortem : ergo videtur, quod veniale non punitur post mortem : et propter illud est purgatorium : ergo videtur, quod purgatorium nullum sit post mortem.

In contrarium hujus objicitur sic : Sed contra.

1. Matth. XII, 31 et 32, dicitur, quod *spiritus blasphemia non remittetur,... neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Ex hoc innuitur, quod aliqua peccata dimittentur in futuro : constat, quod non in regno, neque in inferno, quia in in-

ferno nulla est redemptio : ergo necesse est, quod sit locus aliquis purgatorius talium : et hunc vocamus *purgatorium*.

2. Adhuc, I ad Corinth. III, 15 : *Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Et constat, quod loquitur post mortem, quia non est vera salus nisi post mortem : et certificando dicit, *Salvus erit* : ergo ignis purgans criminalia erit post mortem.

Et hoc concedimus.

3. Adhuc, Quidam Græcus expositor dicit super illud Apostoli : *Sic tamen quasi per ignem*, etc.[1]. « Hunc ignem credimus esse καθαριότιν, id est, mundificationem, in quo defunctorum animæ probantur tamquam aurum in fornace. » Ex hoc accipitur, quod ignis purgatorius est port mortem.

4. Adhuc, Anselmus in libro, *Cur Deus homo* : « Impossibile est animam coinquinatam paradisum intrare : » sed, ut supra probatum est, multi moriuntur coinquinati veniali peccato : ergo necesse est esse locum in quo purgentur : et illum vocamus *purgatorium*.

5. Ad idem objcitur per rationem : In II *Ethicorum* : « Peccatorum civilium duo sunt genera pœnarum, scilicet increpationes actuum civilitatis, et condemnationes perpetuæ : » ergo videtur, quod similiter sint in judicio divino : ergo aliqui judicabuntur et punientur levi pœna cum restitutione, et alii perpetuo condemnabuntur : sed talem modum punitionis qui est cum restitutione post pœnitentiam, vocamus *purgatorium* : ergo videtur, quod purgatorium sit.

6. Adhuc, Duo sunt habitus perficientes naturam, scilicet gratia, et gloria : sed differenter : quia gratia compatitur dispositionem ad oppositum, gloria autem non : sed constat ex prædictis, quod aliqui a vita ista recedunt cum pravis dispositionibus : ergo necesse est ut isti purgentur, antequam induant habitum gloriæ : sed locum purgationis vocamus *purgatorium* : ergo videtur, quod purgatorius sit.

7. Adhuc, In omni natura videmus, quod antequam inducatur ultima perfectio, oportet purgari subjectum a contrariis dispositionibus : ergo cum purior sit gloriæ forma, quam aliqua naturalis forma, oportet similiter purgari subjectum ante illam. Constat autem ex præhabitis, quod tales dispositiones post mortem in multis animabus inveniuntur : ergo necesse erit eas purgari antequam glorificentur.

8. Adhuc, In medicinalibus ante inductionem sanitatis, necesse est purgari naturam ab humoribus corruptis : sed in ethicis vitia humoribus proportionantur : ergo etiam in illis necesse est præcedere purgationes ad sanitatem perfectam : sed sanitas perfecta est secundum gloriam tantum, quæ excludit culpam et pœnam : ergo necesse est post mortem purgationem fieri ante gloriæ inductionem.

Responsio. Dicendum, quod omnibus modis necesse est secundum omnem rationem et fidem, quod purgatorius sit. Rationes hic principales sunt morales : et constat, quod secundum illas competit esse purgatorium. Solutio

Præterea, Sancti expresse dicunt : et ideo hæresis est negare.

Ad dubitationem igitur Augustini, dicendum quod ipse non dubitavit quin sit : sed dubitavit, utrum hoc intellexit Apostolus quod dicit. Quod enim non dubites esse purgatorium, patet per multa sua verba quæ hic in præcedenti distinctione ponuntur. Ad auctoritates

Eodem modo dicendum ad dubitationem aliorum Sanctorum : talis enim dubitatio est boni et humilis Expositoris, qui quantumcumque bene et divine exponat, non præsumit hoc esse intellectum divini eloquii, quem auctor Spiritu sancto inspiratus intendit.

[1] I ad Corinth. III, 15.

Ad 1. Ad aliud dicendum, quod non est simile de charitate conjuncta cum malo veniali, et de mortali conjuncto cum bono in genere: quia malum veniale cum charitate, est in esse mali, et disponit ad contrarium charitati: sed id quod est de genere bonorum cum mortali, non est in esse boni, sed potius mortuum, nullam habens efficaciam ad aliud bonum post mortem. Et ideo non sequitur, si peccatum mortale statim damnat non impedientibus operibus de genere bonorum, quod statim salvat charitas non impedientibus venialibus.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod charitas majoris efficaciæ est ad salvandum, quam mortale peccatum ad condemnandum: sed ex hoc non sequitur, quod citius salvet, quam illud damnet, non obstantibus bonis et malis sibi conjunctis, sed quod plenius salvat, et a pluribus liberat: et hoc verum est, quia liberat ab omni peccato una charitas, et ab omni pœna: quod non facit peccatum unum respectu pœnarum. Similiter confert omnem virtutem, et gloriam secundum quamlibet virtutem: sed nullum peccatum unum confert omne peccatum, et condemnari secundum quodlibet genus peccatorum. Instantia autem est ad argumenta, quod omnis forma artis et naturæ fortior est ad perficiendum, quam corruptio ad destruendum: et tamen citius destruitur res, quam generetur et perficiatur.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod illa quæ in divisione ponuntur, non sunt vera.

Ad primam autem objectionem super divisionem illam, dicendum quod non sequitur quod infertur: quia malum veniale et bonum de genere bonorum non opponuntur: quia malum veniale non est malum in genere quod bene possit aliqua circumstantia fieri, et tamen bonum in genere sive de genere bonorum, potest male fieri aliqua circumstantia.

Item, Sicut in primo libro *Sententiarum* dictum est, bonum in genere est imperfectum secundum esse boni: sed malum veniale species est in esse mali: et ideo non sequitur, si illud non habet præmium, quod istud non habeat pœnam: nec est una proportio in omnibus quæ dicit, quod sicut se habet tale bonum ad præmium, ita se habet tale malum ad pœnam.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod utraque proportio falsa est, vel universalis non est: non enim est verum, quod sicut se habent mortale et veniale simul ad pœnam æternam et temporalem, ita se habeat charitas et id quod est de genere bonorum ad præmium æternum et temporale simul: veniali enim conjuncto cum mortali, debetur æterna pœna: et tamen nihil est dictum, quod operi de genere bonorum conjuncto cum charitate debetur æternum præmium. Si autem illa proportio aliquo modo concedatur, secunda nihil valet, scilicet quod sicut se habet mortale cum opere de genere bonorum ad pœnam et præmium temporale, ita se habet charitas cum veniali ad pœnam et præmium æternum. Et ratio hujus assignata est supra: quia veniale conjunctum charitati, adhuc remanet in esse mali et peccati habens rationem: sed opus de genere bonorum cum mortali non remanet in esse boni, et habens rationem remunerabilis: et si remuneretur, hoc est ex misericordia, et non ex condigno: ideo non sequitur, si illi nulla est coordinata remuneratio ante pœnæ condemnationem, quod illi nulla ordinatur pœna purgatoria ante æternam præminationem.

Ad 5. Ad aliud dicendum, quod verum est, quod Deus post mortem nullum remunerat nisi similem sibi per charitatem, et nullum condemnat nisi a se aversum et se odientem: sed non sequitur, non condemnat: ergo non punit purgando: quia nullus eorum qui purgantur, condemnabitur.

B. *Quod alii citius, alii tardius purgantur in igne.*

In illo autem purgatorio alii tardius, alii citius purgantur, secundum quod ista pereuntia magis vel minus amaverunt. Unde Augustinus [1] : Post hanc vitam incredibile non est, nonnullos fideles per ignem quemdam purgatorium, quanto magis minusve bona pereuntia dilexerunt, tanto tardius citiusque salvari. Unde non frustra illa tria distinxit Apostolus, lignum, fœnum, stipulam, quæ illi ædificant : qui etsi aliena non rapiant, rebus tamen infirmitati concessis aliqua dilectione inhærent. Qui secundum suos amandi modos, vel diutius ut lignum, vel minus ut fœnum, vel minimum ut stipula ignem sustinebunt. Qui vero superædificant aurum, argentum et lapidem pretiosum, de utroque igne securi sunt, non solum de illo æterno, qui cruciaturus est impios in æternum, sed etiam de illo emundatorio, quo purgabuntur quidam salvandi [2].

ARTICULUS V.

Quare pœnæ inferni nominantur multis nominibus, purgatorii vero non nisi uno nomine ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, B, in fine : « *Emundatorio igne purgabuntur*, etc. »

Et quæritur, Quare pœnæ inferni non uno nominantur nomine, sed multis, sicut quod transibunt ab aquis nivium ad calorem nimium [3] : et ab aliis quibusdam, ut vermis : sed purgatoriæ pœnæ non nominantur nisi uno nomine, scilicet igne purgatorii ?

Videtur enim, quod multis et diversis debeant nominari : quia quorum sunt multæ et diversæ et dissimiles causæ, horum sunt multi, diversi, et dissimiles effectus : sed pœnarum purgatorii multæ sunt, diversæ, et dissimiles causæ : ergo pœnæ sunt multæ, diversæ, et dissimiles : ergo non sunt uno nomine nominandæ.

Soluti

Responsio. Dicendum, quod infernus non est nisi ad puniendum : et ideo omnia quæ puniunt, ibi congregantur, sicut calidum, frigidum, et hujusmodi : sed purgatorius est ad emendandum et purgandum, et ideo non potest nominari nisi tali nomine punientis, quod habet vim purgativam et consumptivam : et hoc est calidum ignis : et ideo tantum nominatur nomine illius : frigidum enim etsi pu-

[1] S. Augustinus, In Enchiridion, cap. 6.

[2] Cf. S. Augustinum, Enarr. in Psal. lxxx et 11.

[3] Job, xxiv, 19 : *Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium*, etc.

nit, tamen non purgat, quia non habet vim consumptivam.

Ad aliud dicendum, quod licet multa sint venialia merentia ignem illum, tamen non sunt nisi dispositio ad malum, et rubigo quædam : et in hoc conveniunt, quod compatiuntur secum charitatem : et ideo non respondet eis pœna secundum quod diversa sunt, sed secundum quod conveniunt in hoc quod est esse dispositionem ad malum. Sed de mortalibus secus est : quia in nullo conveniunt, et perfecte a bono incommutabili avertunt per diversas ad bonum commutabile conversiones.

C. *Oppositio.*

Hic objici potest, Si per lignum, fœnum, stipulam, venialia intelliguntur peccata : et nullus adeo perfectus est, qui venialiter non peccet : ergo qui ædificant aurum, argentum, et lapidem pretiosum, ædificant etiam lignum, fœnum, stipulam : ergo per ignem transibunt. Ad quod dicimus, quia non omnis qui venialiter peccat, lignum, fœnum, stipulam ædificat : sicut e converso non omnis qui contemplatur Deum, et diligit proximum, et opera bona facit, ædificat aurum, argentum, lapidem pretiosum : et tamen in auro intelligitur contemplatio Dei, in argento dilectio proximi, in lapide pretioso bona opera. Sed illi qui ædificant lignum, fœnum, stipulam, Deum contemplantur, et proximum diligunt, et opera bona faciunt : nec tamen ædificant aurum, argentum, et lapidem pretiosum. Hæc enim ædificat, qui sic illa tria facit, ut cogitet quæ sunt Dei, et quomodo placeat Deo, non mundo [1]. Lignum vero et fœnum et stipula accipi possunt, sæcularium rerum, quamvis licite concessarum, tales cupiditates, ut amitti sine animi dolore non possint. Hæc ergo ædificat is qui cogitat quæ mundi sunt, quomodo placeat mundo, qui circa divitias suas quodam carnali affectu tenetur : et tamen ex eis multa beneficia facit, nec pro eis aliquid fraudis vel rapinæ molitur [2]. Ex his ergo patet, quod non idem homo simul hæc et illa ædificat. Illa enim ædificatio perfectorum tantum est, qui non cogitant placere mundo, sed tantum Deo : qui etsi venialiter aliquando peccant, fervore charitatis ita absumitur in eis peccatum, sicut gutta aquæ in camino ignis : et ideo numquam secum portant cremabilia. Hæc autem inferior ædificatio minorum est, qui non tantum Deo, sed etiam mundo

[1] Cf. I ad Corinth. vii, 32.
[2] Cf. S. Augustinum, In Enchiridion et Lib. de Fide et operibus, cap. 16.

placere cogitant, Deum tamen præponunt. Si vero mundum præponerent, non superædificarent, sed destruerent fundamentum. Affectiones ergo carnales quibus dediti sunt domibus, conjugibus, possessionibus, ita ut nihil præponant Christo, illis tribus significantur, quæ in mentes perfectorum non cadunt, etsi alia venialia admittant. In cordibus vero minorum interdum durant usque in finem : qui cum talibus ædificiis transeunt, sed dissolvuntur in igne. Ipsi vero merito fundamenti salvi erunt, gravissimam tamen pœnam sentient. Ex quo apparet quantam hic misericordiam exhibet Deus, et quantam ibi exerceat severitatem : cum pro eodem peccato multo gravius ibi puniat, quam hic.

ARTICULUS VI.

Quid intelligitur per ædificantes aurum, argentum, et lapides pretiosos ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, C, post initium : « *In auro intelligitur contemplatio*, etc .»

Videtur enim, quod ædificantes aurum, et argentum, et lapides pretiosos, sentient ignem purgatorium.

1. Dicitur enim, I ad Corinth. III, 12, super illud : *Aurum, argentum*, etc., in Glossa : « Non consumentur ab igne qui ædificant aurum, argentum, et lapides pretiosos, sed nihil parum sentient. » Ergo sentient.

2. Item, In textu dicitur : *Uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit* [1]. Ergo et ædificantis aurum, argentum, etc.

Quæst. Ulterius quæritur hic de ratione hujus expositionis, quod aurum sit contemplatio, et argentum proximi dilectio, et lapis pretiosus opus.

Solutio. Ad 1 et 2. Responsio. Dicendum, quod possemus adaptando dicere, quod sicut ignem dividendo per materiam, tres sunt species materialis ignis, scilicet lux, flamma, et carbo : et lux quidem est in puro aereo circumstante, flamma autem in vapore terreo et humido, carbo vero est in materia terræ : ita possemus dicere, quod sicut lux quædam comburit venialia perfectorum : et non est ibi notabilis sensus et resistentia ad ignem, sed momentanea potius : sicut dicitur in *Littera*, quod sicut gutta in camino, ita facit veniale in viro justo : et hoc notatur a Glossa parum vel nihil sentire : et parum vel nihil obscurantur, sed remanent luminosi. Alii autem plus inflammantur et obscurantur, qui ædificant lignum, fœnum, stipulam : et tamen extrahitur ab eis impuritas, sicut vapor quidam : sed damnati involvuntur et denigrantur sicut carbo inconsumptibilis.

Et per hoc patet solutio ad duo prima.

Ad quæ. Ad id quod ulterius quæritur, dicendum quod reducit omne bonum remunerabile ad tria generalia : quorum duo sunt ut motiva, tertium autem ut ipse motus. Intellectus enim est contemplans Deum : et est ibi summum munimen et summa felicitas, ut probat Aristoteles. Sed charitas se habet ad opera sicut mater et generalis forma, et nulla alia virtus. Opus autem est universaliter meritorium. Et ideo per hæc tria generalia omnia bona comprehenduntur.

[1] I ad Corinth. III, 13.

ARTICULUS VII.

An existentes in purgatorio purgentur voluntarie vel involuntarie?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi C, ante finem : « *Gravissimam tamen pœnam sentient*, etc. »

Et quæritur hic, Utrum voluntarie purgentur existentes in purgatorio, vel involuntarie?

Videtur autem, quod voluntarie : quia

1. Rectum cor habent : sed dicit Ambrosius, quod habens rectum cor, conformat suam voluntatem divinæ voluntati : sed Deus vult eos purgari : ergo et ipsi sic purgari volunt.

2. Adhuc, Omnis sapiens vult illud sine quo finem consequi non potest : sed sapientes sunt qui sunt in purgatorio : ergo videtur, quod velint illud sine quo gloriam consequi non possunt : hoc autem est purgatio per pœnam : ergo purgari volunt, ut videtur.

3. Adhuc, Infirmatus corporaliter secari vult ut sanetur : cum igitur sanitas spiritualis magis sit eligenda, uri vult ut curetur, si aliter curari non potest : sed non potest aliter esse propter ordinationem : ergo volunt isto modo purgari, ut videtur.

Si forte tu dicas (ut quidam antiqui dixerunt) quod tantus est sensus doloris, quod collatio rationis totaliter absorbetur : et non possunt conferre nec de uno, nec de alio : et ideo nec unum volunt, nec aliud : hoc est multum contra dictum beati Gregorii : Omnis enim petens citius liberantia, scit se liberandum; et confert de liberatione : hæc autem petunt animæ defunctorum, ut dicit Gregorius in libro IV *Dialogorum*. Ergo conferunt de talibus.

Si PROPTER hoc concedatur, quod volunt sic puniri ut purgentur. CONTRA : Sed contra.

1. Fere ab omnibus Magistris assignatur una causa tardioris liberationis in purgatorio, quam in via : quia ista pœna est voluntaria, et illa necessaria : ergo non voluntarie patiuntur eam, ut videtur.

2. Adhuc, Omne quod aliquis, sive velit sive nolit, patitur, necessario patitur, et non voluntarie : pœnas autem purgatorii habentes secum cremabilia, sive velint sive nolint, patiuntur : ergo necessario patiuntur, et non voluntarie.

RESPONSIO. Sine præjudicio dicendum, quod voluntas duplex est, scilicet conditionata, et simpliciter voluntas. Dico ergo, quod simpliciter vellent non pati pœnas purgatorii : conditionata tamen voluntate volunt, scilicet conditione purgationis, et salutis : quia bene volunt purgari, et bene volunt salvari : sed sic purgari nolunt nisi sub conditione, scilicet quia aliter salvari et liberari non possunt : et de hac voluntate omnes prius inductæ rationes intelliguntur. Solutio.

AD ID autem quod objicitur in oppositum, dicendum quod non sequitur, si sit necessaria, quod non sit voluntaria : dupliciter enim potest esse necessaria, scilicet voluntate faciente, vel suscipiente. De voluntate faciente verum est, quod si est voluntarium, non est necessarium : quia voluntas non est causa necessitatis modo faciens : sed libere operatur quando vult, et quando vult cessat ab opere. Sed in suscipiente non est verum : quia quod necesse est sustinere vel suscipere propter violentiam agentis, tamen etiam voluntarie potest suscipi et sustineri. Et est exemplum in pœnis martyrum : quia necessarium fuit decollatum interire, et crematum dolere : tamen voluntarie hæc sustinebantur. Et ita est de sustinentibus in purgatorio. Sed pœnæ quæ sunt hic satisfactivæ, sunt voluntariæ, voluntate faciente. Ad object. 1.

AD ALIUD quod sequitur, prorsus eadem est solutio. Ad object. 2.

D. *Opinio quorumdam cum objectione.*

Sed forte dices illud esse accipiendum de pœna peccati, non de ipso peccato, quod Gregorius dicit quædam levia in futuro dimittenda [1]. Si enim veram pœnitentiam habuerit quis, peccata omnia dimissa sunt ei : sed pœna forte remansit. Ideoque si vere pœnitens obiit, sine peccato transiit. Si autem vere pœnitens non est in obitu, maculam portat quæ numquam delebitur. Qui vero ædificat lignum, fœnum, stipulam, vere pœnitet : quia bonus est, et charitatem habet, et in charitate de hac vita transit : ergo sine peccato transit. Non sequitur. Verum quidem est, quia bonus est, et charitatem habet, et vere pœnitet : et tamen cum veniali peccato transit, quod non delevit pœnitentia. Pœnitentia enim non delet nisi peccatum illud, quod deserit homo. Tale autem peccatum sæpe in hac vita non relinquitur ab homine : et tamen vere pœnitens est, etsi non de omnibus venialibus pœniteat. Potest enim quis de omni mortali et de omni veniali pœnitere, excepto uno vel pluribus, venialibus quidem. Sicut habet quis charitatem, et unum vel plura venialia : quod de criminalibus nullatenus esse potest. Est enim aliquis bonus charitatem habens, sed adhuc quodam cupiditatis affectu amans hæc sæcularia : talis existens subita morte opprimitur. In illo terreno affectu mortuus est, et tamen salvabitur, a quo non se hic absolvit : ergo post hanc vitam ab illo purgabitur. Constat ergo quædam peccata, scilicet levia, post hanc vitam dimitti. Si vero de pœna peccati illud intelligi voluissent Auctores, cur magis commemorassent levia quam gravia, cum etiam gravium pœna hic inexpleta post hanc vitam restet ?

[1] S. Gregorius, Lib. IV Dialogorum, cap. 39. Cf. 24, Dist. I, cap. *Qualis hinc* (Nota edit. Lugd.)

ARTICULUS VIII.

An in damnatis veniale puniatur æternaliter ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, D, «*Sed forte dices*, etc. »

Quæritur enim, Utrum veniale in damnatis puniatur æternaliter ?

Et videtur, quod non : quia

1. Veniale et mortale sunt improportionabilia : ergo pœnæ eorum sunt improportionabiles : sed pœna mortalis est æterna : ergo pœna venialis non erit æterna, sed temporalis, et illi proportionabilis.

2. Adhuc, Magister Hugo dicit, quod « veniale est, cui debetur pœna transitoria. » Cum igitur Deus non puniatur ultra condignum, videtur quod Deus non puniat ipsum æternaliter.

3. Adhuc, Sicut se habent retributiones, ita se habent merita bona et mala : sed duæ pœnæ sunt retribuentes malis, scilicet æterna, et transitoria : et duo sunt mala quibus retribuntur, scilicet veniale, et mortale : cum igitur pœna æterna debeatur mortali, pœna transitoria debetur veniali. Et sic habetur propositum.

Sed contra. In contrarium hujus probatur,

1. Per illud Lucæ, XII, 59 : *Non exies inde, donec etiam novissimum minutum reddas* : sed novissimum minutum est veniale peccatum : et constat, quod in mortali decedens nihil reddere potest gratum Deo : ergo in æterno carcere clauditur etiam pro veniali : ergo veniale in ipso in æternum punitur.

2. Item, Matth. v, 26 : *Non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem*. Glossa : « Minuta peccata, quia nihil impunitum. » Ex hoc sequitur idem quod prius.

3. Adhuc, Constat, quod ignis respondet hujusmodi peccato, et vermis conscientiæ, ut dicitur, Isa. LXVI, 24, de damnatis : *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur*. Ergo in æternum ardebunt, et vermem patientur de peccato veniali.

4. Si forte du dicas, quod in morte malorum relaxentur hujusmodi venialia : contraria sunt quæ in *Littera* determinantur hic.

Adhuc, Melior est mors bonorum, et magis meritoria, quam malorum : et non delet necessario venialia, ut probatur hic : ergo nec mors malorum.

5. Adhuc, Nullum peccatum nec parvum nec magnum solubile est sine gratia : sed damnati non sunt susceptibiles gratiæ : ergo nullum in eis umquam delebitur peccatum : sed manente peccato, manebit et pœna : ergo pœna peccati mortalis manet in æternum : et sic habetur propositum.

Solutio. Responsio. Dicendum, quod veniale conjunctum mortali, punitur in æternum in inferno : sed in æternum minor pœna respondet ei, quam mortali, sicut probant ultimæ rationes et auctoritates.

Ad 1, 2 et 3. Ad primum ergo dicendum, quod secundum se improportionabilia sunt veniale et mortale : sed per accidens in duratione efficiuntur proportionabiles pœnæ eorum, scilicet si subjectum non sit expiabile a culpa cui subditur, sicut in damnatis. Unde quod objectio probat, verum est per se, et falsum per accidens : et non tenet nisi per se, scilicet quod mortale accipiatur ut mortale, et veniale ut veniale : sed cum veniale est in subjecto non susceptibili gratiæ, efficitur numquam habens vel habiturum veniam : et tunc non tenet.

Eadem prorsus est solutio ad duo sequentia.

ARTICULUS IX.

An animæ in purgatorio punientur per dæmones ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, D, post initium : « *Bonus est, et charitatem habet, et in charitate de hac vita transit*, etc. »

Quæritur hic, quod multi scire desiderant, utrum per dæmones ministros pœnarum, puniantur animæ in purgatorio existentes ?

Et videtur, quod sic :

1. Per ea quæ leguntur in gestis Sanctorum, sicut in vita beati Martini, quod adstitit ei diabolus : et constat, quod scivit per opera sua, quod non erat damnandus : ergo ad stitit ei ut ad purgatorium secundum suam æstimationem traheretur : ergo videtur, quod dæmones sint ministri pœnarum purgatorii.

2. Adhuc, In judiciis hujus mundi sunt tortores quidam nequam constituti : ergo et in judicio divino : ergo purgandi torquentur per dæmones.

3. Adhuc, Sancti etiam qui evolabunt et perfecti sunt in hac vita, permittuntur a Deo vexari a dæmonibus, sicut legitur de beato Antonio et aliis in eremo constitutis : ergo cum illi qui sunt in purgatorio, sanctiores non sint istis, videtur etiam, quod illos Deus permittat a dæmonibus vexari.

4. Adhuc, Peccatum veniale fit ex tentatione : tentationum autem ministri sunt dæmones : sed dicit auctoritas, quod illos quilibet tortores habebit in pœna, quos incentores habuit in culpa : ergo videtur, quod ibi tortores habebunt in pœna purgatorii venialiter peccantes, ipsos dæmones quos incentores in culpa veniali et tentatione habuerunt.

In contrarium hujus objicitur, quod Sed con

1. Dicit beatus Gregorius in libro IV *Dialogorum*, quod animæ malorum per se descendunt ad pœnas. Ergo multo magis sine violentia diaboli in pœnis erunt animæ Sanctorum purgandorum.

2. Adhuc, Non est consensus diabolo factus in eo qui peccat venialiter tantum : imo habitualiter consentit Deo : ergo videtur, quod nulli per justitiam debet subdi nisi Deo : ergo videtur, quod sola justitia damnet eum, et non subdatur tortori diabolo.

3. Adhuc, Sancti non traduntur hic diabolo nisi ad majorem coronam : sed hujusmodi necessitas non erit in futuro : ergo videtur, quod ibi non tradantur, sed purgentur simpliciter.

4. Adhuc, In politicis videmus, quod alius est puniens filium, et alius latronem vel hostem : super filium enim est disciplina patris tantum, sed super latronem et hostem emissarius dirigitur : ergo videtur, cum nostra justitia sit exemplata a divina, quod similiter sit in Dei justitia : constat autem, quod filii sunt qui sunt in purgatorio : ergo super eos non debet esse nisi disciplina patris : ergo non funestus tortor debet in eos accipere potestatem.

Responsio. In hac quæstione nescio quid asseri possit : sed pie puto esse credendum, quod animæ existentes in purgatorio, per dæmones ministros pœnarum non puniantur : tamen bene puto, quod delectentur dæmones in pœnis earum, et ideo quandoque leguntur eis assistere : et per hoc solvitur primum de beato Martino. Solutio. Ad 1.

Ad aliud dicendum, quod hoc verum est de judiciis condemnandorum, ut patet ex ultima objectione, quia illa solvit illam rationem : sed non est verum in disciplina patris ad filium. Ad 2.

Ad aliud dicendum, quod alia est ratio hic et alia ibi : quia hic est locus tentationum et crescendi in merito, sed non ibi : et ideo tentatores permittit hic Ad 3.

officium tentationis exercere, sed non ibi.

ad 4. Ad aliud dicendum, quod peccatum veniale secundum quid peccatum est : et ideo non oportet, quod ita tyrannice vindicetur sicut mortale : et ideo illa auctoritas intelligitur de mortalibus.

ARTICULUS X.

An error iste Græcorum veniat approbandus, qui dicunt nullum ante diem judicii intrare cœlum vel infernum, sed in mediis locis conservari ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, D, paulo ante finem : « *Ergo post hanc vitam ab illo purgabitur*, etc. »

Disputari enim potest hic de quodam errore quorumdam Græcorum, qui dicunt nullum ante diem judicii intrare cœlum vel infernum, sed in locis mediis usque illuc conversari.

Videtur autem, quod dicant bene :

1. Per illud epistolæ ad Hebr. xi, 39 et 40 : *Hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem : Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur.* Ergo videtur, quod unus sine alio non consummabitur : erit autem consummatio in die judicii : ergo usque ad illum nullus accipiet gloriam in cœlo, nec pœnam in inferno : quia Deus non est pronior ad cito condemnandum, quam ad cito remunerandum.

2. Adhuc, Apocal. vi, 11 : *Et dictum est illis ut requiescerent adhuc modicum tempus, donec compleantur conservi eorum et fratres eorum.* Ergo exspectant fratres in accipiendo stolam gloriæ : et ex hoc habetur idem quod prius.

Si dicatur, quod isti erant in gloria secundum animam, sed secundum corpus petebant glorificari. Contra hoc est quod dicitur ibi : quia dictum est eis, quod sustinebunt tempus modicum : sustinentia autem pœnam importat : in gloria autem non est pœna : ergo videtur, quod secundum animam non erunt in gloria.

3. Adhuc, Matth. xiii, 30, dicitur : *Sinite utraque crescere usque ad messem :... triticum autem congregate in horreum meum.* Ergo usque illuc non alligabuntur ad comburendum, nec triticum reponetur in horreo cœli.

4. Adhuc, Matth. xxv, 33 et seq. : *Et statuet oves a dextris, hœdos autem a sinistris. Tunc dicet rex his qui a dextris ejus erunt : Venite, benedicti*, etc. Et *his qui a sinistris erunt : Discedite a me, maledicti*, etc. Ergo videtur, quod usque illuc non separabuntur, nec isti mittentur in infernum, nec illi vocabuntur ad regnum : et sic iterum habetur propositum.

5. Adhuc, Matth. xx, 8 : *Cum sero factum esset, dixit dominus vineæ procuratori suo : Voca operarios, et redde illis mercedem*, scilicet suam. *Sero* autem est consummatio sæculi : ergo videtur, quod nec bonus nec malus mercedem accipiet ante consummationem sæculi.

6. Adhuc, In Psalmo xvi, 15 : « Satiabor cum manifestabitur gloria tua. » Ita enim habet alia translatio [1]. Sed non manifestabitur gloria ante diem judicii, sicut ipse dicit, Luc. xxi, 27 : *Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna et majestate.* Et vere, id est, *sic veniet quemadmodum vidistis eum* [2]. Ergo usque illuc non satiabuntur : ergo nec gloriam habebunt : ergo nec damnati pœnas inferni.

7. Per rationem autem arguitur idem : Nullius enim rei quæ per judicium ha-

[1] Vulgata habet : *Satiabor cum apparuerit gloria tua.*

[2] Act. i, 11.

benda est, adeptio erit ante prolationem sententiæ : sed infernus et cœlum per judicium habenda sunt, ut probatur, Matth. xxv, 33 et seq.: ergo neutrius est adeptio ante sententiæ prolationem : sed sententia non proferetur nisi in die judicii : ergo usque ad illud nulli adipiscentur cœlum vel infernum : et sic habetur propositum.

8. Adhuc, Summi et magnifici regis non est aliquid dare, nisi quod ostensivum est magnæ magnificentiæ : sed Deus est summe magnificus : ergo, etc. : sed magnificentius et jucundius est dare simul omnibus infinitum bonum simul in corpore et anima, quam dare sigillatim huic et illi : ergo simul omnibus dabit, et non sigillatim huic, et illi : et sic iterum concluditur propositum : quia ab omnibus supponitur Deum omnia eodem modo facere quo honestissime fiunt, et secundum quod maximam gloriam et virtutem ostendunt.

9. Adhuc, In urbanitatibus in quibus in communi decertatur, nulli sine altero corona imponitur, sed communiter triumphans, communiter coronatur : sed hæc terrena per similitudinem imitationis descendunt a divinis : ergo in divinis est similiter : constat autem omnibus, quod Sancti in communi triumphum de omni hoste salutem impediente faciunt : ergo videtur, quod in communi omnes simul coronari habent : sed hoc non potest fieri nisi communiter : ergo videtur, quod nullus plenam accipiet beatitudinem, nisi post resurrectionem : ergo nec pœnas inferni : quia per oppositum una ratio est de pœnis inferni, et gaudiis regni cœlorum.

10. Adhuc, Duæ sunt partes rationalis naturæ, scilicet in carne existens, et separata a carne : sed constat, quod illa quæ est separata, tota simul fuit præmiata ex parte bonorum, et tota simul punita ex parte malorum : ergo similiter erit in altera parte rationalis creaturæ, scilicet in illa quæ est carni conjuncta : et sic iterum habetur propositum.

In contrarium hujus sic objicitur : Sed co

1. Luc. xxiii, 43 : *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.*

Si forte tu dicas, quod non fuit in plena fruitione : sed paradisus dicitur ibi requies a pœnis. Contra : Chrysostomus exponens illud verbum dicit sic : « Quidam dicunt latronem nondum assecutum esse paradisum : sed paradisum quidem latro possedit : non enim potest mentiri qui dicit : *Hodie mecum eris in paradiso.* »

Si forte dicas, quod nec secundum nos latro eodem die fuit in cœlo empyreo, licet in plena fuerit deitatis Christi fruitione. Probetur per aliam auctoritatem de opposito descendentem, Luc. xvi, 22 : *Mortuus est et dives, et sepultus est in inferno.* Constat autem, quod loquitur de inferno damnatorum, ut probatur per incendium quod patiebatur : ergo a simili ante diem judicii intratur in infernum : ergo cum Deus pronior sit ad miserandum, quam ad condemnandum, etiam ante diem judicii intratur in regnum cœlorum.

2. Adhuc, Super illud epistolæ ad Hebr. xi, 40 : *Ut non sine nobis consummarentur*, dicit Chrysotomus sic : « Perceperunt quidam juxta labores, sed non juxta coronas. Si enim unum corpus sumus omnes, major efficitur ipsi corpori delectatio, quando in communi et non particulariter communicat. » Ex hoc patet, quod Sancti jam in anima juxta labores perceperunt, licet secundum corporum gloriam adhuc communem hominum resurrectionem exspectant : sed labores hominum sunt meritorii regni cœlorum : ergo jam receperunt hoc : ergo intraverunt cœlum.

3. Adhuc, Apocal. vi, 11. *Datæ sunt illis singulæ stolæ albæ : et dictum est illis, ut requiescerent tempus adhuc modicum.* Constat autem, quod singulæ stolæ significant animarum beatitudinem : ergo jam in cœlo sunt ubi visæ sunt a Joaanne, et beatitudinem animæ acceperunt.

4. Adhuc, Athanasius in libro *Quæstionum* [1] : « Ex divinis Scripturis docemur, quoniam peccatorum animæ in inferno sunt subtus omnem terram et mare, sicut dicit Psalmus LXXXVII, 7 : *In tenebrosis, et in umbra mortis.* Justorum autem animæ post adventum Christi, sicut de latrone dicimus, in paradiso sunt : quia non solum propter latronis animam Christus paradisum aperruit, sed etiam propter reliquas sanctorum animas. » Constat autem, quod de paradiso terrestri non loquitur : quia ille est regio corporum non spirituum : ergo loquitur de cœlo empyreo, quod est regio beatorum spirituum.

5. Adhuc, Per rationem : Quæcumque differenter se habent in merito et causa meriti, differenter habere se debent in præmio : constat autem, quod anima et corpus differenter sunt causa meriti : quia anima est tota causa, et corpus tantum obedit : ergo videtur, quod differenter habere se debeant in præmio : ergo non simul debent præmiari : sed anima corpore principalior fuit in merito : et sic habetur, quod anima statim ut solvitur a corpore, est in cœlo præmianda.

6. Adhuc, In primo statu si servata fuisset innocentia, non omnes simul translati fuissent in alienum statum beatitudinis secundum Basilium (alias, secundum sententiam probabilius dicentium) sed potius patres translati locum dedissent filiis : ergo videtur, quod nec hoc in statu isto sit faciendum.

7. Adhuc, Summe influens, suam beatitudinem et bonitatem statim influit unicuique perceptibili quantum percipere potest : sed Deus hoc modo summe influens est : ergo, etc. : sed statim resoluta a carne anima susceptibilis est beatitudinis summæ in cœlo : ergo statim influit ei illam Deus : et sic habetur propositum.

8. Adhuc, Summe sapiens nihil facit inaniter, et quod non provenit ad aliquam utilitatem : sed Deus est summe sapiens : ergo, etc. : sed nulla utilitas, sed potius dispendium proveniret ex Sanctorum dilatione secundum animas usque ad diem judicii : ergo ipse non differt eos secundum animæ glorificationem. PROBATIO mediæ. Si aliquid utilitatis vel honoris vel commodi ex hoc proveniret : aut hoc esset ex parte Dei, aut ex parte Sanctorum. Ex parte Dei non est : quia bonitas sua in æqualibus numero bonis et æque magnis relucet præmiando divisim sicut conjunctim, quia tot sunt et tantis præmiati uno modo sicut alio. Ex parte autem Sanctorum proveniret dispendium exspectationis. Et sic constat propositum.

9. Adhuc, Summe justi non est differre mercedem operarii, etiam usque mane, si potest eam recipere operarius : sed Deum esse summe justum nemo dubitat : ergo mercedem non differt : sed anima resoluta a carne, statim est receptibilis : ergo statim post mortem dat ei Deus : ergo statim intrat in regnum cœlorum.

Solutio. ET QUIA hoc nullum habet dubium si legatur Evangelium et Apocalypsis et Epistolæ, in quibus etiam rapti sunt Sancti ad visionem Dei in cœlis, sicut Paulus dicit se raptum [2] : dicuntur etiam Sancti stolis albis in cœlo sequi Agnum, et cantare canticum novum ante sedem Dei [3] : ideo primum tamquam hæresis pessima condemnatur.

Ad 1. ET RESPONDEATUR ad primum, quod secundum *Litteræ* intellectum non est ille intellectus Apostoli : sed secundum *Litteram* enumeravit Sanctos Veteris Testamenti, et ostendit quoniam non possum consummari sine gratia Novi Testamenti quæ perficit Sanctos Novi Testamenti qui sunt fideles Christi : unde consummatio illa tota facta est per Christum. Et quod

[1] S. ATHANASIUS, Lib. Quæstionum, Quæst. 9.
[2] Cf. II ad Corinth. XII, 2.
[3] Cf. Apocal. V et VI passim.

iste sit intellectus *Litteræ*, patet omni legenti præcedentia et sequentia epistolæ.

Si autem ex Glossis quis velit arguere : tunc auctoritas Chrysostomi dicta in contrarium solvit : quoniam loquitur de Sanctis secundum corporum consummationem, et non secundum consummationem animæ. Quare autem corpora præmiantur simul, et non animæ, in tractatu de
Ad 2. *resurrectione* requiratur.

Ad aliud dicendum, quod animas Sanctorum esse sub throno Dei in cœlo cum singulis stolis animarum probat ipsa visio Joannis : et *sustinere* est idem quod certitudinaliter stolam corporis exspectare.

Ad hoc autem quod objicitur, quod *sustinere* dicit pœnam, dicendum quod falsum est : quia sæpe pro sola exspectatione ponitur. Dicunt tamen Sancti, quod desiderant animæ vehementer incorporari gloriosis corporibus, et præ desiderio retrahuntur aliquantulum a contemplatione Dei : et hoc potest nominare ver-
Ad 3. bum *sustinendi*.

Ad hoc quod objicitur de zizania, dicendum quod permixtio malorum cum bonis in militante Ecclesia notatur ibi : et hoc significatur per *crescere* : post mortem enim nec zizania crescit, nec triticum. Et hoc verum est, quod generalis separatio bonorum a malis non erit, nisi tunc quando militia Ecclesiæ finietur, et universaliter ab hostibus segregabi-
Ad 4. tur.

Ad aliud dicendum, quod Evangelium ibi tangit judicium quod erit in corpore et anima, et non in anima sola : unde
Ad 5. nihil facit ad propositum.

Ad aliud dicendum, quod in fine sæculi est tempus vocandi operarios in omni parte qua laboraverunt, scilicet in corpore et anima : sed etiam ante finem vesperæ consolationem accipit patrisfamilias anima quæ principalior fuit in labore : sicut etiam modo in rusticorum operibus videmus, quod meliores operarii consolationem habent specialem ab eo qui conduxit eos.

Ad 6.

Ad aliud dicendum, quod statim apparet gloria Domini, quando non est corpus inobediens : sed verum est, quod majestas judicis non apparebit.

Ad 7.

Ad rationem primam dicendum, quod judicium est duplex, scilicet particulare quod est hominis, et universale quod est naturæ : et summe justus index in neutro deficit judicio : et ideo in morte hominis adjudicatur animæ quod meruit, et in die universalis judicii adjudicatur etiam corpori. Et hoc videmus in omni judicio humano perfecto : impiissimus enim esset judex, qui hominem unum in causa sua differret quæ singularis est, usque dum toti genti simul judicaret.

Ad 8.

Ad aliud dicendum, quod in veritate Deus summe magnificus est : sed hoc non est magnificentiæ, simul et non divisim coronare, quia divisim meruerunt : Sancti enim merita divisa secundum tempus et secundum opera habent. Sed magnificentiæ est multos et magnos ditare. Quod autem simul vel divisim fit hoc, non est magnificentiæ, sed accidit ex hoc, quod simul vel divisim venerunt ad magnificum.

Ad 9.

Ad aliud dicendum, quod hæc est falsa, quod Sancti simul decertant ad triumphum, nisi simul idem sit quod concorditer : sed si notat actus similes vel idem tempus, falsa est propositio : sed tantum in illo sensu concluderet aliquid ad propositum : et ideo patet, quod ex falso procedit, et nihil probat.

Ad 10.

Ad ultimum dicendum, quod non est simile de Angelis et hominibus : quia Angeli omnes simul creati sunt, eo quod unus non est in potentia ad alium, et unus non traducitur ex alio : et ideo meritum eorum fuit simul, et per consequens præmium eorum fuit simul. Sed in hominibus secus est : quia unus est in potentia ad alium, et generatio in eis præterit [1],

[1] Cf. Eccli. 1, 4.

et generatio advenit : et ideo merita divisa sunt secundum tempus et actus : et per concedens divisim secundum ánimam præmiantur, ut dictum est prius.

E. *De generali confessione, quid prosit ?*

Post hæc considerandum est, Quid prosit confessio illa, ubi singula peccata quæ quisque fecit, non exprimuntur ? Sane dici potest, quod omnia criminalia semel saltem oportet in confessione exprimi, nisi aliqua a mente exciderint. Sed quia nemo delicta intelligit omnia, generaliter saltem ea confitere, quorum memoriam habes : et sic nihil celasti de sceleribus tuis. Venialia vero, ut ait Augustinus [1], quia innumerabilia sunt, sufficit generaliter confiteri, nisi aliqua sint frequenter iterata : perfectius est tamen etiam illa exprimere si vales. Ideoque quotidie generaliter fit confessio in Ecclesia pro venialibus, scilicet peccatis quæ quotidie admittimus, et pro illis mortiferis quorum notitiam non habemus. Unde Augustinus : Veritatem dicit Deo pœnitens, quando nihil illi de commissis sceleribus celat : non quod et si voluntatem celaverit, Deus ignoret : sed veritatem sibi dici vult ab eo, ut veniam consequatur. Si vero mente aliqua exciderint, confitetur veritatem Deo, cum generaliter dixerit : Deus qui nosti occulta cordis et opera mea, et delicta a te non sunt abscondita [2], quibus veniam largiaris precor : et hæc est veritas confitentis, quam diligit Deus. Unde Psalmista : *Ecce enim veritatem dilexisti* [3]. Hic insinuatur, quod generalis confessio etiam mortalia delet, quorum intelligentia non habetur [4].

[1] S. Augustinus, In quinta responsione contra Pelagianos.
[2] Psal. lxviii, 6 : *Deus, te scis insipientiam meam : et delicta mea a te non sunt abscondita.*
[3] Psal. l, 8.
[4] Cf. dicta supra, Dist. XVII, F et Art. 64.

ARTICULUS XI.

An oportet in confessione omnia criminalia sigillatim exprimi?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, E, « *Post hæc considerandum est, Quid prosit confessio*, etc. »

Videtur enim falsum esse : quia in contritione non tenetur aliquis sigillatim recolere peccata ad hoc quod valeat contritio : ergo nec in confessione : sed sufficit confiteri in generali.

Solutio. Responsio. Dicendum, quod non est simile : quia contritio est coram Deo, qui omnia videt æqualiter sigillatim et in commuui resumpta per memoriam : sed confessio coram homine est, qui nescit injungere pœnitentiam nisi sigillatim exprimantur : et etiam major est erubescentia coram homine, coram quo sigillatim peccata exprimuntur.

Utrum autem oporteat iterare confessionem, et quando non, supra requiratur : quia etiam hic habet locum.

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, E, post initium : « *Venialia vero, ut ait Augustinus, quia innumerabilia sunt*, etc. »

Super illud disputatum est supra et cadit hic sicut ibi : et ita quæ ibi dicta sunt in quæstione, confirmantur per ea quæ dicuntur hic in *Littera*[1].

F. *Nemo confiteatur peccata quæ non fecit.*

Sicut autem pœnitens celare non debet peccatum suum, quia superbia est : ita nec humilitatis causa fateri se reum illius, quod se non commisisse noscit : quia incauta est talis humilitas, et peccatorem constituit. Unde Augustinus : Cum humilitatis causa mentiris, si non eras peccator antequam mentireris, mentiendo efficeris quod vitaras : quia veritas in te non est, nisi ita te dixeris peccatorem, ut etiam esse cognoscas. Veritas autem ipsa est, ut quod es dicas. Nam quomodo est veritas, ubi regnat falsitas[2] ?

G. *De pœnis sacerdotis qui peccatum publicat confitentis.*

Caveat autem sacerdos ne peccata confitentium aliis prodat, alioquin deponatur. Unde Gregorius[3] : Sacerdos ante omnia caveat ne de his qui ei

[1] Cf. Supra, Dist. XVII, in fine. Art. 64.

[2] S. Augustinus, De verbis Apostoli, serm. 29. Et habetur, 22, q. 2, cap. *Cum humilitatis* (Nota edit. Lugd.)

[3] Cf. De pœnit. dist. VI, cap. *Sacerdos* (Nota edit. Lugd.)

confitentur, peccata alicui recitet, non propinquis, non extraneis : nec (quod absit) pro aliquo scandalo. Nam si hoc fecerit, deponatur, et omnibus diebus vitæ suæ ignominiosus peregrinando pergat.

Quod vero dictum est, ut pœnitens eligat sacerdotem scientem ligare et solvere, videtur contrarium ei quod in canonibus reperitur [1], ut nemo scilicet alterius parochianum judicare præsumat. Sed aliud est favore vel odio proprium sacerdotem contemnere, quod canones prohibent : aliud cæcum vitare, quod Urbanus facere monet [2] : ne si cæcus cæcum ducat, ambo in foveam cadant [3]. Ait enim Urbanus secundus : Placuit ut nulli sacerdotum deinceps liceat quemlibet commissum alteri sacerdoti ad pœnitentiam suscipere, sine ejus consensu cui se prius commisit, nisi pro ignorantia illius cui prius confessus est. Qui vero contra hoc facere tentaverit, gradus sui periculo subjacebit [4].

ARTICULUS XII.

An piæ mentes debeant ibi cognoscere culpam ubi culpa non est?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, F, « *Sicut autem pœnitens celare non debet*, etc. »

Huic enim videtur contrarium quod

1. Dicit Gregorius, quod « bonarum mentium est ibi culpam agnoscere, ubi culpa non est : » ergo et agnitum confiteri.

2. Adhuc, Augustinus in libro *Confessionum* : « Si quæritur a me, utrum sim justus? Dico quod non. » Et tamen constat, quod Augustinus justus erat.

Quæst. 1. Adhuc ulterius quæritur hic, Qualiter sit confitendum dubium, utrum sicut mortale, vel veniale?

Videtur enim, quod si ut veniale confitetur, quod

1. In periculo est : quia non facit pœnitentiam condignam. Si autem ut mortale : tunc dubium pronuntiat ut certum, et sic mentitur : ergo peccat, vel falsa sunt quæ dicit in *Littera*.

2. Adhuc, Parum ante dixit, quod si aliqua sæpius iterantur, illa sunt exprimenda : aut ergo ut mortalia facta sunt ex iteratione : aut quia venialia iterata. Si primo modo : tunc veniale fit mortale : et hoc supra improbatum est. Si secundo modo : tunc illa generalis confessio quæ fit in Prima et Completorio, facienda est de veniali, quod est contra ea quæ dicuntur in *Littera*.

Quæst. 2. Adhuc quæritur, Si confitetur talia iterata quæ venialia sunt ex genere, utrum taxanda est ei pœnitentia?

Videtur, quod sic : quia confessio fit propter pœnitentiæ taxationem.

Contra : Taxata sufficit pro mortali : ergo nulla debetur veniali, quia improportionabilia sunt.

[1] 16, q. 1, cap. *Ad minus*, § Ecce in hoc (Nota edit. Lugd.)

[2] 9, q. 2, quasi per totum (Nota edit. Lugd.)

[3] Matth. xv, 14 : *Cæcus si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.*

[4] 9. q. 2, cap. *Complacuit* (Nota edit. Lugd.)

Solutio. Ad 1. RESPONSIO. Dicendum, quod omnia hæc discussa sunt in præhabitis : dici tamen potest ad primum, quod est agnitio intellectus judicantis, quid sit in anima, et quid non : et est agnitio timentis affectus utrum recte agatur, an non : sicut dicitur, Job, IX, 28 : *Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti* : et talis est agnitio bonæ mentis, de qua loquitur Gregorius, et non exigit confessionem.

Ad 2. AD ALIUD dicendum, quod omnis homo injustus est comparatus Deo : et ita loquitur Augustinus. Sic etiam dicit Job, XXV, 4 : *Numquid justificari potest homo comparatus Deo* [1] ? Et sic dicitur, Isa. LXIV, 6 : *Quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ*. Hæc autem in justitia, quia in opere non est absolute, sed in comparatione ad justitiam primam, quam non perfecte imitari potest mortalis infirmitas, ideo confiteri eum non oportet.

Ad quæst. 1. Ad 1. AD ALIUD dicendum, quod dubia in certiorem partem sunt interpretanda : accipiatur enim pœnitentia ut pro mortali : et tamen mortale non pronuntietur in confessione, sed se dubitare confiteatur utrum fuerit mortale vel veniale.

Ad 2. AD ALIUD dicendum, quod ex iteratione non fiunt mortalia per se, sed per accidens, scilicet si crescant contemptus et libido : et de hoc supra satis dictum est.

Ad quæst. AD ALIUD dicendum, quod confitenti venialia non est injungenda pœnitentia, sed ad memoriam revocanda satisfactio quotidiana pro venialibus ab Ecclesia instituta, scilicet tonsio pectoris, Pater noster, Ave Maria, et hujusmodi : et si suscipiatur pœnitentia, non erit injuncta in præcepto, sed in consilio. Tamen hoc argumentum non valet, pro mortali sufficit aliqua : ergo veniali nulla debetur : quia non sufficit aliqua pro mortali, nisi facto veniali : et hoc supra sæpius expeditum est.

Hoc autem quod dicit in sequenti capitulo G, « *Caveat autem sacerdos*, etc., » in decreto de *pœnitentia*, distinct. IV continetur, et totum planum est ex disputatis supra [2].

[1] Cf. Job, IV, 17.

[2] Cf. Supra, Dist. XVII.

DISTINCTIO XXII.

Ostendit quantum confessionis contemptus obsit.

A. *Si peccata dimissa redeant ?*

Cumque multis auctoritatibus supra sit assertum, in vera cordis contritione peccata dimitti ante oris confessionem vel operis satisfactionem, ei etiam qui aliquando in crimen relapsus est : quæritur si post cordis contritionem confiteri contempserit, vel in peccatum idem vel simile ceciderit, an peccata dimissa redeant ? Cujus quæstionis solutio obscura est et perplexa, aliis asserentibus, aliis contra negantibus peccata semel dimissa ulterius replicari ad pœnam. Qui vero dicunt peccata dimissa redire, subditis se muniunt testimoniis. Ambrosius ait [1] : Donate invicem, si alter in alterum peccat : alioquin Deus repetit dimissa. Si enim in his contemptus fuerit, sine dubio revocabit sententiam, per quam misericordiam dederat : sicut in Evangelio de servo nequam legitur, qui in conservum suum impius deprehensus est [2]. Item, Rabanus : Nequam servum tradidit Deus tortoribus, quoadusque redderet universum debitum : quia non solum peccata quæ post baptismum homo egit, reputabuntur ei ad pœnam : sed etiam originalia, quæ in baptismo sunt ei dimissa. Item, Gregorius [3] : Ex his [4] dictis Evangelicis constat, quia si ex toto corde non dimittimus quod in nos delinquitur, et hoc rursum exigitur, quod jam nobis per pœnitentiam dimissum fuisse gaudebamus. Item, Augustinus : Dicit Deus, Dimitte, et dimittetur tibi [5] : sed ego prius dimisi, dimitte vel postea. Nam si non dimiseris, revocabo te : et quidquid dimiseram, replicabo tibi. Item,

[1] Cf. De pœnit. in principio et cap. sequenti (Nota edit. Lugd.)
[2] Cf. Matth. XVIII, 28 et seq.
[3] S. GREGORIUS, In quadam homilia.
[4] In edit. J. Alleaume deest *his*.
[5] Luc. VI, 37 : *Dimittite, et dimittemini.*

qui divini beneficii oblitus, suas vult vindicare injurias, non solum de futuris peccatis veniam non merebitur : sed etiam præterita quæ jam sibi dimissa credebat, ad vindictam ei replicabuntur. Item, Beda : *Revertar in domum meam*, etc. [1]. Timendus est ille versiculus, non exponendus : ne culpa quam in nobis exstinctam credebamus, per incuriam nos vacantes opprimat [2]. Item, Quæcumque enim post baptisma sive pravitas hæretica, seu cupiditas mundana arripuerit, mox omnium prosternet in ima vitiorum [3]. Item, Augustinus : Redire dimissa peccata, ubi fraterna charitas non est, apertissime Dominus in Evangelio docet in illo servo, a quo dimissum dominus debitum petiit : eo quod ille conservo suo debitum nollet dimittere [4]. His auctoritatibus innituntur, qui dicunt peccata dimissa, si replicantur, redire simpliciter [5].

Quibus opponitur, Si quis pro peccato de quo pœnituit, et indulgentiam accepit, iterum punitur, non videtur justum. Si punitur pro eo quod peccavit, et non emendavit, justitia est aperta. Si vero requiritur quod fuerat condonatum, vel injustitia est, vel justitia occulta. Videtur etiam Deus bis in idipsum judicare, et duplex tribulatio consurgere : quod Scriptura negat [6]. Sed ad hoc potest dici, quod neque duplex tribulatio consurgit, neque judicat Deus bis in [7] idipsum. Hoc enim fieret, si post condignam satisfactionem et sufficientem pœnam iterum puniret : sed non satisfecit digne et sufficienter, qui non perseveravit. Debuit enim jugem peccati habere memoriam, non ad faciendum, sed ad cavendum. Debuit non oblivisci omnes retributiones Dei : quæ tot sunt, quot sunt peccatorum remissiones. Tot ergo debuit cogitare dona Dei, quot mala sua : ac pro illis usque in finem gratias agere. Sed quia ingratus ad vomitum, sicut canis rediit [8], ante acta bona mortificavit, et peccatum dimissum revocavit : ut cui humiliato ante Deus peccatum dimiserat, eidem postea elato et ingrato imputet.

[1] Matth. XII, 44 et Luc. XI, 24.
[2] VENERAB. BEDA, Lib. IV super Lucam, cap. 47.
[3] IDEM, Ibidem.
[4] Matth. XVIII, 23 et seq.
[5] S. AUGUSTINUS, In lib. de Baptismo. Et habetur, de pœnit. dist. IV.
[6] Nahum, I, 9 : *Non consurget duplex tribulatio.*
[7] In edit. J. Alleaume deest *in*.
[8] II Petr. II, 22 : *Contigit eis illud veri proverbii : Canis reversus ad suum vomitum : et, Sus lota in volutabro luti.* Cf. Proverb. XXVI, 11.

B. *Aliorum sententia.*

Sed quia absonum videtur ut peccata dimissa iterum imputentur, placet quibusdam neminem pro peccatis semel dimissis iterum a Deo puniri. Sed ideo dicuntur dimissa redire et imputari, quia propter ingratitudinem ita reus et peccator constituitur, ut ante fuerat. Sic enim quod dimissum fuerat, dicitur exigi, quia remissionis perceptæ ingratus, ita reus fit ut ante fuerat. Utrique parti quæstionis probati favent Doctores. Ideoque alicui parti non præjudicans, studioso lectori judicium relinquo, addens mihi tutum fore ac saluti propinquum, sub mensa dominorum micas edere [1].

DIVISIO TEXTUS.

« *Cumque multis auctoritatibus*, etc. »

In ista ultima distinctione de *pœnitentia*, agitur de reditu peccatorum, et per consequens de pœnitentiæ iteratione.

Et quæruntur duo in *Littera*, quorum primum est quod dictum est : alterum autem de signo et re sacramenti hujus, et incipit, ibi, C, « *Post prædicta restat investigare*, etc. »

ARTICULUS I.

An peccata dimissa redeant per quodlibet recidivum ?

Incidit autem hic quæstio, Si peccata dimissa redeant per quodlibet sequens recidivum mortalis peccati ?

Videtur autem, quod sic :

1. Per illud Ezechiel. XVIII, 24 : *Omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur*. Ergo si nullam justitiam fecisset, pro omnibus peccatis puniretur : sed non punitur nisi pro peccato quod habet : ergo omne peccatum præcedens redit super eum per recidivum sequens.

2. Adhuc, Justitia æqualis est ad reddendum æqualia pro bonis et malis : sed conversis restituuntur bona præterita per peccatum intermedium mortificata : ergo

[1] Cf. Matth. XV, 27.

et perversis mala præterita per pœnitentiam intermediam mortificata : ergo peccata revertuntur.

3. Adhuc, In humanis legibus manumissus propter delictum sequens in pristinam revocatur servitutem, et pœnam servitutis : cum igitur illæ exemplatæ sint a divinis, videtur etiam quod illud Justum sit per divinas : ergo propter delictum revocanda est pristina servitus peccatorum dimissorum.

4. Adhuc arguitur per illud Jacobi, II, 10 : *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Non autem potest esse omnium reus, nisi per omnia revertentia super eum : ergo videtur, quod omnia peccata redeant propter unum delictum sequens.

Adhuc objicitur fortius : Ponamus, quod aliquis contritus sit sufficienter ad deletionem culpæ, sed non ad deletionem pœnæ : et postea contemnat pœnitere et confiteri, et ita decedat : constat, quod Deus peccatum puniet quod non punivit homo : sed nullum punivit homo de peractis : ergo puniet omnia Deus : non autem potest punire nisi ubi est : est autem in inferno : ergo punit in inferno omnia peccata sua : et non puniuntur nisi quæ habet per reditum : ergo omnia peccata dimissa in contritione reversa sunt per sequens peccatum.

Eadem prorsus objectio est de eo qui contritus et confessus est, et pœnitentiam condignam non explevit, et cadit in unum mortale, et ita decedit.

Sed contra. IN CONTRARIUM, hujus autem objicitur :

1. Quia dicit Philosophus : « Quod omnino cedit in non esse, non reiteratur idem numero : » sed peccatum dimissum cessit omnino in non esse : ergo non reiteratur idem numero : ergo non reiteratur idem peccatum quod dimissum erat.

Si autem dicatur, quod peccatum non in nihil redigitur quando dimittitur. CONTRA : Si manet : aut ergo secundum quod est culpa, aut secundum quod macula, aut secundum quod reatus pœnæ æternæ : hæc enim tria sunt in mortali peccato. Non primo vel secundo modo : quia secundum hoc culpa et gratia essent in eodem, et gratia et macula peccati mortalis, quod esse non potest. Similiter nec tertio modo manere potest : quia reatus pœnæ æternæ conjunctus est culpæ, et soluta ipsa solvitur : ergo videtur, quod non maneat aliquid de peccato mortali : et sic constat propositum.

Si forte dicas, quod maneat aliqua circumstantia peccati : hoc ridiculum est : quia circumstantia est proprietas et forma quædam peccati : forma autem non manet nisi maneat formatum secundum esse.

2. Adhuc objiciunt antiqui, quod si quodlibet præteritorum revertitur per quodlibet peccatum posterius admissum : ponamus, quod aliquis peccat per avaritiam, et postea cadat in mortalem prodigalitatem : videtur, quod prodigalitas reducat avaritiam in esse : et sic contrarium conducit contrarium ad esse, quod est impossibile.

3. Adhuc, Videtur hoc esse contra Dei justitiam : quia nullum bonum manet ab eo irremuneratum, imo etiam plus quam valet : sed pœnitentia intermedia valuit æternum bonum, et fuit perfectum remedium contra peccatum : ergo videtur, quod injuste agatur cum tali, si omnia peccata revertantur super eum.

Sunt autem quidam qui ad ista dicunt, quod non redit præcedens in macula vel reatu : sed propter sequens peccatum innascitur reatus ita magnus, quod æquivalet omnibus præcedentibus peccatis quæ dimissa erant. Sed hoc videtur falsum : peccatum enim non attenditur nisi ex specie vel radice quæ est contemptus : sed sequens peceatum in specie non æquivalet quantitati omnium peccatorum : nec etiam in radice ut frequenter : sed potius potest esse ex

minori contemptu : ergo videtur, quod sit falsum, quod ex ipso tantus sicut ex omnibus dimissis innascitur reatus.

Adhuc, Iste reatus aut innascitur ex peccato illo, secundum quod est quoddam peccatum secundum se, aut secundum ordinem ad præcedentia peccata, aut secundum ordinem ad præcedentem pœnitentiam, aut simul secundum ordinem ad præcedentia peccata et ad præcedentem pœnitentiam. Si primo modo : ergo ex quolibet peccato mortali innascitur talis reatus : quia eadem ratio est de uno, et de omnibus aliis, quod falsum est. Si secundo modo : ergo ex quolibet secundo innasceretur reatus tantus, quantus est duorum peccatorum, et ex tertio quantus est trium, et ex quarto quantus est quatuor, et sic de aliis : et hoc absit, quia sic numquam peccator posset satisfacere. Si tertio modo : tunc bonum conjunctum malo facit majus malum, quod est impossibile. Idem sequitur si quarto modo dicatur esse : ergo hæc opinio est impossibilis.

Tertia opinio.

Propter hoc venit opinio tertia, et dicit, quod propter quatuor peccata redeunt præcedentia peccata, et non propter alia : et illa extrahuntur ex *Littera*. Hæc autem sunt odium fraternum, apostasia a fide per hæresim, et contemptus confessionis propter objectionem supra inductam, et pigritia pœnitentiæ. Tunc enim dicunt, quod Deus facit ei non valere pœnitentiam præteritam : et de hoc antiqui fecerunt versum, quia fere omnes in hac erant opinione. Versus autem est iste :

Fratres odit, apostata fit, spernitque fateri,
Pœnituisse piget, pristina culpa redit.

Sed tunc quæritur, Quid sit specialiter in his peccatis, propter quod dicitur redire prior culpa potius quam in aliis? Aut enim habent hoc ex parte speciei, aut ex deformitate radicis. Si primo modo : tunc per homicidium debet redire præcedens culpa, quia majus peccatum est quam odium fraternum : et hoc non dicitur, nisi in odio fraterno supponatur quodlibet peccatum contra proximum, quod non est verum secundum eos. Si ex deformitate radicis habet hoc. Contra : quia tunc ex peccato in Spiritum sanctum debuit redire præcedens culpa, quia deformissimam habet radicem : et hoc iterum non est verum secundum eos.

Adhuc, Si aliquis inspiciat auctoritates quæ in *Littera* inducuntur, plura inveniet, propter quæ Sancti dicunt redire peccata. In sexta quæ est Bedæ super Lucam, ponitur incuria negligentiæ, vel otii : et in septima quæ est ejusdem, adjungitur cupiditas humana. Ergo videtur, quod non tantum his quatuor de causis revertantur peccata.

Quarta opinio.

Ideo fuerunt quidam de quarta opinione, sequentes Magistrum in *Littera*, dicentes quod propter solam ingratitudinem peccata revertuntur.

Sed Contra hos opponitur : quia ingratitudo non invenitur nisi uno trium modorum : aut enim dicit actualem redditionem mali pro bono, corde, ore, vel opere factam : aut dicit non curationem beneficii suscepti actualem, scilicet aut quod beneficium non reputetur, vel minus reputetur quam sit : aut dicit habitualem quamdam immemorationem beneficiorum, per hoc quod agit aliquid contra beneficium. Primis autem duobus modis ingratitudo est speciale peccatum, divisum ab aliis, non conjunctum cuilibet peccato sequenti : ergo per ingratitudinem illis duobus modis sumptam non ponitur redire peccatum propter quodlibet sequens peccatum. Si ergo tertio modo sumatur ingratitudo, quæratur quid ipsa sit, quod tantæ est efficaciæ? Videtur autem, quod non sit actus peccati : quia unus actus peccati distinguitur ab actu alterius peccati in specie : et ingratitudo conjuncta est cuilibet peccato sequenti : ergo ipsa non est actus peccati. Eodem modo vi-

detur, quod nec sit circumstantia : quia circumstantia unius non est circumstantia alterius : et ingratitudo una est cujuslibet peccati sequentis. Adhuc videtur, quod nec sit effectus peccati sequentis : quia diversarum causarum diversi sunt effectus : sed ingratitudo est unius rationis consequens diversa peccata consequentia pœnitentiam : ergo nec actus est, nec circumstantia, nec effectus peccati : ergo videtur, quod nihil peccati sit : ergo per ipsam non potest reverti peccatum præcedens.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum videtur mihi in ista quæstione, quod peccatum nec idem numero, nec idem specie, nec æquali reatu, umquam revertitur : sed ex ingratitudine peccati sequentis dicitur reverti quantum ad improperationem et deformitatem peccantis, quæ est ingratitudo major, quam si ei peccatum dimissum non esset : et ideo ampliores meretur increpationes, et condemnationem justiorem : et aliter non potest intelligi qualiter peccata revertantur.

Ad hoc autem intelligendum quidam invenerunt distinctionem eorum quæ sunt ex peccato in pœnitente : tenetur enim pœnitens ad dolorem commissorum, et detestationem admittendorum, et memoriam accepti beneficii, quod tantum est, ut infra patebit, quanta sunt ea quæ sunt dimissa : constat autem, quod hæc tria omnia interrumpit peccatum sequens : et ideo innascitur ei quædam deformitas ingratitudinis ex comparatione ad dimissionem præcedentium peccatorum : cui enim multa sunt dimissa, magis tenetur gratias agere, et turpius est ei contra remittentem peccare : et sic præcedentia peccata non ut peccata, sed ut tanta dimissa, quantitatem dant ingratitudini sequenti : et quoad hanc redire dicuntur, quia quoad hanc quodammodo resultant in peccato sequenti. Si autem aliquo alio modo revertuntur, ad præsens non intelligo præter objecta inducta.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod Ezechiel non intendit, quod non recordentur justitiæ ad minorem punitionem, quia hoc esset contra Dei misericordiam : sed intendit, quod non recordentur ad vitæ æternæ consecutionem : et hoc verum est. Ad om nem mam

AD ALIUD dicendum, quod justitia numquam est ita æqualis, quin plus sit ad indulgentiam, quam ad condemnationem, quia aliter crudelis esset. Si tamen detur æqualis esse : tunc dicendum, quod non sequitur : quia non est simile quod pro simili inducitur : bonum enim opus de se habuit spiritum vivificativum, quod postea potest valere ad meritum : sed malum opus non habet aliquid sustinens ipsum, quo revertente postea possit redire : unde multo deficientius est malum, quam bonum. Similiter bona opera omnia in gratia habent unionem, et ideo revertente gratia possunt redire : sed mala opera nullam habent unionem omnino nisi aggregationis, quæ simpliciter pluralitas est, sicut unio acervi : et ideo cum nihil habeant unionis, quo revertente redire possint, non possunt redire ut bona. Qualiter autem bona revertantur, supra inquisitum est. Ad 2

AD ALIUD dicendum, quod in humanis multa fiunt ad cautelam et timorem futurorum : sicut ipsa lex quæ peccantem manumissum revocat in servitutem : hoc enim reddit cautiores, et infert aliis timorem, et sine talibus cautelis vivere non posset homo civiliter : sed in divinis non est ita, sed directe sunt ad normam justitiæ, et præcipue in condemnatione et punitione peccatorum : quia non punit Deus umquam ultra condignum. Ad 3

AD ALIUD dicendum, quod numquam punitur pro illa parte quæ ei dimissa est : sed talis punitur in inferno in perpetuum pro peccato præterito, sicut veniale conjunctum mortali punitur in æternum : sed tamen in inferno minus punitur, quam puniretur si numquam pœnituisset. Ad 4.

AD OMNIA autem quæ in contrarium Ad objec

sunt usque ad secundam opinionem, concedi possunt de plano.

opinio secun- jam. Sed de secunda opinione puto dicendum, quod falsa est, nisi hoc modo dicatur, quod reatus sequentis peccati habet majorem deformitatem ex comparatione ad præcedenti admissa.

Et omnia quæ circa hanc opinionem objiciuntur, puto concedenda.

opinio- tertiam. Ad tertiam opinionem puto iterum dicendum, quod falsa est : tamen ad hoc quod quærit, quæ fuit ratio quare posuerunt illa quatuor peccata ? Dicendum, quod ideo potuit esse, quod præcedentia peccata quærunt remissionem ex parte Dei et proximi et ipsius pœnitentis. Et ex parte Dei quidem magis in genere est apostasia a primo eorum quæ sunt in justificatione : et hæc est fides : et ideo quia peccat contra primum in justificatione, quoad Deum redit peccatum : quoad proximum autem charitas communicans bene facit ad remissionem peccati, quia meretur charitas Ecclesiæ justificationem impiorum : et ideo iterum peccans contra hoc, peccat contra justificationem : et tunc redit peccatum pro eo scilicet. Ex parte autem pœnitentis sunt duo operantia : unum contra culpam, dolor scilicet informatus gratia et contritione : et contrarium hujus est pœnitentia pœnitentiæ. Aliud autem operatur contra pœnam ex vi clavium : et contra hoc est contemptus confessionis injungentis satisfactionem. Alia autem non sunt ita directe contra justificationem : et ideo per ea non redit.

Et per hoc patet solutio ad objectum circa hanc opinionem, si aliquis vellet eam sustinere : posset enim dici, quod peccatum non ex quantitate deformitatis in actu habet, quod faciat redire peccatum, nec ex quantitate deformitatis in radice, sed ex hoc quod peccat contra facientia justificationem. Tamen ego puto, quod etiam ista opinio falsa sit, sicut dictum est prius.

Ad opinionem quartam. Ad ultimam opinionem dicendum, quod nec propter ingratitudinem peccati revertitur, nisi sicut dictum est in principio solutionis : et tunc ingratitudo secundo modo accipitur pro habituali immemoratione beneficiorum, et præcipue illius beneficii, quod dimissa sunt peccata.

Ad objectum contra, dicendum quod nec actus, nec circumstantia, nec effectus est peccati sequentis, sed quædam deformitas consequens peccatum per hoc quod interrumpit habitualem gratiarum actionem : et sic est aliquid peccati, eo modo quo defectus aliquid dicitur esse defectus : nec tamen sequitur, quod sit actus vel circumstantia vel effectus proprius : quia defectus non habet nisi defectum pro causa.

Si autem quæratur, Quare Sancti in *Littera* tangunt illa peccata quæ tangunt ? Dicendum, quod de quatuor jam patet : quia directius in illis peccatur contra justificationem : duo autem quæ sunt incuria et amor mundi, generalia sunt, et potius ponuntur pro radicibus peccatorum, quam pro peccatis : quia ex ipsis frequentius incidunt frequentia peccata, quæ ingratitudinem inducunt.

Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICULUS II.

An peccatum veniale etiam redeat per ingratitudinem sicut alia?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, A, post initium : « *Quoadusque redderet universum debitum*, etc. »

Utrum ex hoc habeatur, quod veniale redit per illum modum, quo concedendum per ingratitudinem redire alia ?

Videtur, quod non : quia

1. Quod non est contrarium charitati, nec etiam est contrarium ingratitudini :

sed veniale non est contrarium charitati : ergo, etc. : ergo non debet redire propter ejus oppositum, scilicet ingratitudinem.

2. Item, Non dicitur redire propter ingratitudinem, nisi quod ingratitudinem facit majorem : sed venialia non faciunt majorem ingratitudinem : ergo non revertuntur in ipsa. PRIMUM patet ex præhabitis. SECUNDUM autem patet ex hoc, quod quæcumque non auferunt nec diminuunt charitatem, illa non augent ingratitudinem : et sic constat propositum.

Sed contra. IN CONTRARIUM autem est *Littera* : quia

1. Dicitur hic *universum debitum*, et in illo includuntur peccata venialia.

2. Item, Cum oratio Dominica sit pro quotidianis quæ sunt venialia, et in illa dicitur, « *Dimitte nobis debita nostra :* » ergo venialia includuntur sub debito.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quod non revertuntur debita venialia, nisi per illum modum quo alia : et bene concedo, quod hoc modo revertuntur.

Ad 1 et 2. AD OBJECTUM contra, dicendum quod est dispositio in contrarium disponens, et sic contrariatur fervori charitatis. Et per hoc remissio ejus auget ingratitudinem.

Eodem modo patet solutio ad sequens.

ARTICULUS III.

An originale etiam redeat per ingratitudinem ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, A, post initium : « *Sed etiam originalia*, etc. »

1. Originale enim non est nisi unum, contra quod ordinatur baptisma : ergo videtur, quod non revertatur : quia si reverteretur, cum non deleatur nisi per baptismum, oporteret rebaptizari : et hoc hæreticum est dicere.

2. Præterea, Cum originale sit unum, qualiter pluraliter vocat *originalia ?*

Solu Ad RESPONSIO. Dicendum, quod originale secundum suam essentiam numquam redit : sed redit modo prædicto : quia dimissio ejus auget debitum gratiarum actionis, et auget ingratitudinem.

Ad 1 AD SECUNDUM disputatum et responsum est in libro II *Sententiarum* in tractatu de *peccato originali* [1].

ARTICULUS IV.

An ille cui plura dimissa sunt, magis tenetur ad gratiarum actiones, quam ille qui servavit innocentiam ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, A, paulo ante finem : « *Tot ergo debuit cogitare dona Dei, quot mala sua*, etc. »

Et quæruntur hic tria, scilicet quis tenetur magis ad gratiarum actiones, scilicet cui plura dimissa sunt, vel ille qui servavit innocentiam ?

Secundo, Penes quid attendatur gratiarum actio major vel minor ?

Tertio, Utrum plurium donorum sit una gratiarum actio, et una ingratitudo, vel plures ?

Quæst AD PRIMUM objicitur sic :

1. In corporalibus magis valet continua sanitas, quam interrupta et restituta : ergo similiter in spiritualibus plus valet continuatio innocentiæ, quam a pœnitentia restitutio gratiæ : sed de majori bono magis sunt gratiæ agendæ : ergo ad ma-

[1] Cf. II Sententiarum, Dist. XXX et seq. Tom. XXVII hujusce novæ editionis.

jores gratiarum actiones tenetur innocens, quam pœnitens in pristinum statum restitutus.

2. Adhuc, Dignior est status innocentiæ et securior, quam pœnitentiæ : quia pœnitens nescit sibi peccatum dimissum esse, sed innocens certe scit, quia non est admissum : ergo ut prius.

Sed contra. IN CONTRARIUM :

1. Luc. VII, 42 et 43 : *Quis ergo eum plus diligit ?... Æstimo quia is cui plus donavit. Et ille*, scilicet Jesus, *dicit ei : Recte judicasti :* sed plus dimissum est pœnitenti : ergo plus tenetur diligere ergo et amplius gratias agere.

2. Adhuc, Adjutus in periculo tenetur liberatori, cui non tenetur hic qui numquam adjutus est : sed innocens numquam adjutus est, pœnitens autem est adjutus : ergo ad majores gratiarum actiones tenetur pœnitens, quam innocens.

Quæst. 2. SECUNDO quæritur, Penes quid attendatur quantitas gratiarum actionis?

Videtur autem, quod penes quantitatem donorum : quia gratiarum actio est de donis perceptis recognitio beneficii cum laude et obsequio : ergo de majori dono major est gratiarum actio, et de minori minor.

Sed contra. SED SI hoc concedatur, Evangelium videbitur esse contra : quia dicunt omnes, quod charitas maximum est donum : et tamen Evangelium videtur velle, quod plus debet gratias agere cui plus est dimissum, ut patet ex prius inducta auctoritate.

Quæst. 3. TERTIO quæritur, Utrum de multis sit una gratiarum actio, et una ingratitudo?

Videtur autem, quod non : quia sicut differunt causæ propriæ, ita differunt causata : sed causa propria gratiarum actionis est perceptio doni : ergo diversorum donorum diversæ sunt gratiarum actiones et ingratitudines : et habetur propositum.

RESPONSIO. Dicendum, quod primum articulum hujus quæstionis determinat Augustinus in libro de *Virginitate*, dicens quod « cæteris paribus, uterque ad æquales tenetur gratiarum actiones ; quia a tot quot pœnitentem gratia Dei eripuit, a tot innocentem ne caderet præservavit : nec stare potuit, nisi illo præservante : » si autem in cæteris pares non sint : tunc magis tenetur qui majorem charitatem habet, et cætera dona majora. Unde in illis nihil prohibet unum magis teneri in ratione unius, et reliquum in ratione alia : quia in talibus operationes se habent sicut excedentes et excessæ. Solutio. Ad quæst. 1.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod est ut sic, et est ut non : quia si interrupta sanitas major est quam continua, non est verum quod dicit : si autem æqualis est, et cætera sunt paria, tunc est verum. Et ita est etiam in spiritualibus : quia tunc vitatio periculi magnum bonum est, de quo non tenetur qui in periculum incidit. Ad 1.

AD ALIUD dicendum, quod non concludit, nisi quantum ad hoc : in cæteris autem potest esse oppositum, ut dictum est. Ad 2.

AD ALIUD dicendum, quod in contrarium objectum probat ex pluribus teneri pœnitentem, quia ex dimisso et commisso, sed non plus : et ita loquitur Dominus, Luc. VII, 42 et 43. Ad object. 1 et 2.

Et per hoc patet solutio ad totum primum.

AD ID quod secundo quæritur, dicendum quod duplex est quantitas, discreta, et continua. Spiritualis autem discreta quantitas gratiarum actionis attenditur penes numerum donorum, et spiritualis quasi continua attenditur penes magnitudinem, et præcipue penes magnitudinem charitatis, quia illa excellentior est omni dono alio. Ad quæst. 2.

AD ID quod objicitur in contrarium, jam patet solutio per antedicta.

AD ID quod tertio quæritur, dicendum quod gratiarum actiones non respiciunt Ad quæst. 3.

dona secundum speciem differentia, sed secundum quod sunt divinæ largitatis et magnificentiæ indicativa : et quia hoc modo sunt in ratione una, ideo gratiarum actio est una specie, et debent esse multæ numero per diversitatem recordationis donorum : et per consequens ingratitudo est una per speciem potens dividi in plures numero.

Et per prædicta patet etiam solutio ad objecta : quia non est verum, quod diversitati donorum in specie diversæ debeantur gratiarum actiones specie : quia non hoc modo respicit dona gratiarum actio, sed modo prædicto.

C. *Quid sit hic sacramentum et res ?*

Post prædicta restat investigare, quid in actione pœnitentiæ sit sacramentum et res. Sacramentum enim signum est sacræ rei. Quid ergo hic signum est ? et quæ est res sacra hujus signi ? Quidam [1] dicunt sacramentum hic esse quod exterius tantum geritur, scilicet exterior pœnitentia, quæ est signum interioris pœnitentiæ, scilicet contritionis cordis, et humilitatis. Quod si est, non omne sacramentum Evangelicum id efficit quod figurat. Exterior enim pœnitentia non efficit interiorem, sed potius interior causa est exterioris. Sed ad hoc inquiunt illi, hoc esse intelligendum de illis sacramentis, quæ in Novo Testamento instituta sunt, ut est sacramentum baptismi, confirmationis, et corporis Christi. Sacramentum vero pœnitentiæ, sicut et conjugii, ante tempus gratiæ, etiam a primordio humani generis fuit. Utrumque enim institutum fuit in primis parentibus.

Item, Si exterior pœnitentia sacramentum est, et interior res sacramenti : sæpius præcedit res sacramentum, quam sacramentum rem. Sed nec hoc inconveniens est. Nam et in aliis sacramentis quæ efficiunt quod figurant, hoc sæpe contingit.

Quidam autem dicunt exteriorem pœnitentiam et interiorem esse sacramentum, nec duo sacramenta, sed unum : ut species panis et vini non duo sunt sacramenta, sed unum. Et sicut in sacramento corporis, ita etiam in hoc sacramento dicunt aliud esse tantum sacramentum, scilicet exteriorem pœnitentiam, aliud sacramentum et rem, scilicet interiorem pœnitentiam, aliud rem et non sacramentum, scilicet remissionem peccatorum. Interior

[1] Gandulphus (Nota edit. Lugd.)

enim pœnitentia, et res est sacramenti, id est, exterioris pœnitentiæ : et sacramentum remissionis peccati, quam signat et facit. Exterior quoque pœnitentia et interioris signum est, et remissionis peccatorum.

ARTICULUS V.

An sacramentum pœnitentiæ habeat tria sicuti cætera, scilicet rem tantum, signum tantum, rem et signum simul?

Deinde quæritur de secunda parte hujus distinctionis quæ incipit ibi, C, « *Post prædicta restat investigare*, etc. »

Et in principio statim quæruntur quinque.

Primum est, Utrum istud sacramentum sicut cætera habeat tria, scilicet rem tantum, signum tantum, rem et signum simul?

Secundum est, Quid sit in eo signum tantum, et quid res et signum, et quid res tantum?

Tertium, Utrum sit unum signum, et unicum signum et res, et una res vel plures?

Quartum, Utrum ipsum sit unum sacramentum?

Et quintum, Secundum quem modum sit unum?

Ad primum horum sic objicitur :

1. Nihil eorum quæ totam rem suam perficiunt interiori operatione, habet signum sacramentale : pœnitentia totam rem suam perficit operatione interiori vel perficere potest : ergo nullum habet signum sacramentale. Probatur prima ex diffinitione signi sacramentalis in principio libri posita. Secunda autem probatur : quia ex interiori contritione dimmittitur frequenter totum peccatum, imo totum peccatum cum tota sui pœna potest deleri, antequam umquam fiat aliquid exterius.

2. Adhuc, Omne illud quod nullam habet materiam extrinsecus oculis suppositam per ministros Ecclesiæ ministrandam, ipsum nullum habet signum sacramentale : sed pœnitentia tale quid est, vel potest esse : ergo nullum habet signum sacramentale. Probatur prima per diffinitionem sacramenti, quam dat Hugo, quod « sacramentum est visibile et corporale elementum, extrinsecus oculis suppositum, ex similitudine repræsentans, ex institutione significans, et ex sanctificatione invisibilem gratiam conferens. » Secunda autem probatur, sicut ante habita præcedentis argumenti.

In contrarium hujus objicitur per hoc quod pœnitentia est sacramentum : sed omne sacramentum est sacræ rei signum, cujus imaginem gerit et similitudo existit : ergo et pœnitentia, Sed contra.

Responsio. Dicendum, quod aliud judicium est de pœnitentia, secundum quod est virtus movens liberum arbitrium in peccati detestationem, ut supra dictum est [1] : et aliud, secundum quod est sacramentum. Secundum enim quod est virtus, non habet ista tria, sed est movens liberum arbitrium in modum naturæ cujusdam ad detestandum peccatum perpetratum in quantum perpetratum est. Secundum autem quod est sacramentum, dolorem habet pro materia, et gratiam pro forma, et exteriora signa habet, consistens in tribus partibus, scilicet contritione, confessione, et satisfactione : et hæc omnia supra sunt notata [2] : sic enim Solutio.

[1] Cf. Supra, Dist. XIV.

[2] Cf. Supra, Dist. XV.

illæ tres partes sunt omnes simul, non actu, sed volo. Secundum autem quod est virtus, non habet conjunctum votum confitendi ministro Ecclesiæ, nec satisfaciendi satisfactione erogata sub clavium potestate.

Ad 1. Ad primum ergo dicendum, quod pœnitentia secundum quod est sacramentum, non perficit rem suam interius, imo habet conjunctum votum ad exterius procedendum : et hoc est signum ejus in quo procedit ad manifestationem exteriorem.

Ad 2. Ad aliud dicendum penitus eodem modo.

ARTICULUS VI.

Quid in sacramento pœnitentiæ sit signum, et quid res et signum, et quid res tantum ?

Secundo quæritur, Quid sit hic signum, et quid res et signum, et quid res tantum?

Dicit autem Magister in *Littera*, quod exterior pœnitentia est siguum tantum, interior autem res et signum, et dimissio peccati res tantum.

Sed contra hoc objicitur : quia

1. Secundum hoc res præcedit signum tempore, cum in aliis sacramentis signum præcedat rem : remissio enim peccati præcedit exteriorem pœnitentiam.

2. Adhuc autem objicitur sic : Multa ante exteriorem pœnitentiam in hoc sacramento exterius aguntur : ergo videtur, quod exterior pœnitentia non sit signum primum et principale pœnitentiæ : agitur enim confessio et multa alia ante exteriorem pœnitentiam, quæ est injuncta satisfactio.

3. Adhuc, Est signum futuri, quod dicitur *prognosticum* a Medicis et Astronomis : et est signum præsentis quod dicitur *hycos* vel *typus* : et est signum præteriti quod dicitur a Tullio *rememorativum*, in tertio *Rhetoricæ* : ergo sacramentale est aliquod istorum signorum. Et constat, quod nullum nisi prognosticum : et illud semper præcedit signatum : ergo in pœnitentia cum sit sacramentum, nullum potest esse signum quod non præcedat peccati remissionem : ergo videtur, quod exterior pœnitentia non sit signum.

4. Adhuc, Si exterior pœnitentia dicitur *satisfactio injuncta*, sicut Magister videtur velle, videtur quod multi contriti et confessi decedant sine sacramento pœnitentiæ : qui tamen salvantur, quia multi decedunt sine exteriori satisfactione : et hoc videtur esse inconveniens.

Adhuc, In præcedenti distinctione habitum est, quod secundum quantitatem doloris et devotionis moderanda est satisfactio : ergo quibusdam nihil imponetur, scilicet quibus sufficit dolor interior et devotio : et ita illi non haberent de signo sacramenti pœnitentiæ, quod absurdum est.

5. Aliter autem objicitur contra idem, scilicet quod nihil exteriorum potest esse signum sacramentale in pœnitentia : quia in sacramento novæ legis signum est causa, et efficit quod figurat : sed exteriora in pœnitentia non efficiunt, sed interiora : ergo videtur, quod non sunt signa sacramentalia.

Sed contra. In contrarium hujus objicitur, quod omne sacramentum habet signum sensui extra subjectum : sed in pœnitentia solum exterior pœnitentia est sensibus subjecta : ergo ipsa sola est signum, sicut dicit Magister in *Littera*.

Solutio. Responsio. Ad hoc dicendum cum Magistro in *Littera*, quod exterior pœnitentia est signum tantum, et interior signum et res, et dimissio peccati in culpa et pœna est res tantum. Sed exterior pœnitentia non dicitur meo judicio tantum satisfactio injuncta : sed potius in communi ad tres partes pœnitentiæ accipiendum

est signum doloris exterius in gestu, voce confessionis, et opere satisfactionis injunctæ : et hoc secundum tres partes pœnitentiæ dividitur, scilicet quod signum doloris extra est signum appropriatum contritioni, et confessioni extra enarratio, scilicet appropriata confessioni, et acceptio exterior satisfactionis est signum satisfactionis. Res autem et signum simul, sicut dicit Magister, est pœnitentia interior : et hæc similiter in communi accipienda est, scilicet secundum quod est dolor voluntarius cum voto confitendi et satisfaciendi per claves. Res autem tantum est dimissio peccati in tota culpa et tota pœna : et hæc duo divisibilia sunt, quia contritioni respondet signum quod est dolor interior gratia informatus : confessioni autem votum confitendi quo jam confitetur intra, et satisfactioni votum satisfaciendi quo jam amplectitur injunctam pœnitentiam intra. Similiter res dividitur : quia in contritione est dimissio culpæ et pœnæ æternæ, et in confessione dimissio pœnæ in purgatorio, et in satisfactione dimissio pœnæ temporalis.

Ad 1. Ad hoc autem quod primo objicitur, dicendum quod Magister solvit in *Littera :* quia quandoque non est inconveniens rem præcedere signum, ut in baptismo adultorum fit frequenter : sed quia hoc accidit, ideo aliter potest dici, scilicet quod aliter est in sacramento tantum, et aliter in eo quod est virtus et sacramentum. In his autem quæ sunt sacramenta tantum, semper natura præcedit signum, etsi tempore quandoque comitetur, quandoque subsequatur : sed in pœnitentia quæ est virtus et sacramentum, pœnitentia ut est virtus, est ante eamdem secundum quod est sacramentum, hoc est, actus virtutis est ante actionem sacramenti, et cum virtute non potest esse simul peccatum : et ideo res secundum quod inducit totam in culpa et pœna peccati dimissionem, signum præcedit aliquod in natura, vel in tempore quandoque.

Ad 2. Ad aliud jam patet : quia comprehenditur sub satisfactione confessio, et quidquid exterius apparet.

Ad 3. Ad aliud dicendum, quod hoc est signum præcedens rem secundum aliquam partem : et hoc sufficit propter causam dictam.

Ad 4. Ad aliud dicendum, quod non decedunt sine sacramento : quia non tantum dicitur exterior pœnitentia sacramentum, sed verius interior : sed sequitur, quod sine quodam signo quod est in sacramento decedunt : et hoc non est inconveniens : imo etiam sine sacramento, sed tamen cum re sacramenti non est inconveniens aliquos salvari, sicut habitum est in tractatu de *baptismo*.

Ad 5. Ad aliud dicendum, quod illa objectio quorumdam in loco isto fundatur super falsum : quia nullum sacramentorum omnium habet signum rei causativum : aqua enim non causat sanctificationem, sed potius virtus verborum in aqua : et species panis et vini non causant corpus Christi, sed potius verba in tali materia, et sic de aliis. Et hoc est quod dicit Magister Hugo, quod « ex sanctificatione fit sacramentum invisibilem gratiam conferens. » Unde falsum est quod dicit : sed sufficit, quod illud quod est res et sacramentum, cum forma et materia sit significativum et causativum : et hoc quidem hic fit, quia dolor cum signis suis est materia et gratia formata : et hoc sanctificat, quia in tali dolore causat remissionem peccatorum.

ARTICULUS VII.

An in sacramento pœnitentiæ signum sit unum vel plura ?

Tertio quæritur, Utrum sit unum signum, et unicum signum et res, et unica res, vel plures ?

Videtur autem, quod unica : quia

1. Unius sacramenti res debet esse unica : sed pœnitentia est sacramentum unum : ergo, etc.

2. Adhuc, Magister in *Littera* non tangit nisi unum, scilicet exteriorem pœnitentiam et interiorem, et peccati dimissionem : ergo, etc.

Solutio. Responsio. Dicendum, quod sunt plura et unum diversis respectibus. In communi enim accepta pœnitentia, prout claudit in se tres partes suas, unum est signum tantum, et unum signum et res, et similiter est res una tantum. Quod qualiter sit, in præcedenti articulo quæstionis dictum est. Si autem accipiantur partes actus pœnitentiæ, tunc ista tria habent divisa : et hoc etiam ibidem dictum est.

Ad 1. Ad objectum ergo dicendum, quod non est nisi unum in communi, sed in particulari in hoc et in aliis sacramentis sunt plura : sicut patet in Eucharistia, ubi sunt signa species panis et vini.

Ad 2. Ad aliud dicendum, quod Magister non tangit ista, nisi secundum quod sunt totius pœnitentiæ in communi.

ARTICULUS VIII.

An sacramentum pœnitentiæ sit unum vel plura ?

Quarto quæritur, Utrum istud sacramentum sit unum vel plura ?

Videtur autem, quod unum : quia

1. Non sunt nisi septem sacramenta novæ legis, et istud est unum illorum : ergo est unum : si enim daretur, quod esset plura, sequeretur quod plura quam septem essent sacramenta novæ legis.

2. Adhuc, Duo sunt genera peccatorum, scilicet originale, et actuale : et unum sacramentum, scilicet baptismus ordinatur contra originale : ergo et unum contra actuale : sed hoc est pœnitentia : ergo videtur, quod pœnitentia non sit nisi unum sacramentum.

In contrarium hujus objicitur : quia ubi sunt plura signa et plura signata, ibi sunt plura sacramenta.

Responsio. Dicendum, quod fere totum patet per dicta : sacramentum enim pœnitentiæ est unicum sacramentum : et sic dictum est supra [1]. Res ejus est unica, scilicet deletio totius peccati actualis in culpa et pœna : et ad hanc deletionem ordinatim veniunt tres partes, sicut medicinæ sunt tres receptiones sigillatim et ordinatim operantes. Solutio

Ad argumentum ergo dicendum, quod una res est in communi et unum signum et causa : et tamen non sequitur, si plura essent quæ sunt signa tantum, quod essent plura sacramenta : et instantia est in Eucharistia, in qua sunt plura signa, nec tamen plura sacramenta : et hæc est causa, quia sacramentum contrahit unitatem a re, et præcipue ab eo quod est res et signum : et hoc unum est in Eucharistia : et hæc causa propter quid in talibus est, quia unum et idem signabile est signis diversis : et ideo diversitas signorum non facit unitatem vel diversitatem rerum.

ARTICULUS IX.

Qualiter sacramentum pœnitentiæ sit unum ?

Quinto quæritur, Qualiter sit unum ?

Dicitur enim *unum* multis modis, ut distinguunt diversi Auctores. Est enim unitas substantialis trium personarum in

[1] Cf. Supra, Dist. XV.

una substantia divina : personalis in Christo : spiritualis, in qua homo sanctus et Deus, unus spiritus sunt [1]. Præter has est aggregativa ut acervus lapidum : et constitutiva, ut membra corpus unum constituunt : et nativa, ut corpus et anima naturaliter unum perficiunt hominem : et conjugativa, qua vir et mulier sunt una caro.

Solutio

Videtur autem, quod nullo horum modorum sit sacramentum unum. Et patet,

1. Per singulas unitates de facili deducenti.

2. Adhuc, Dionysius multos ponit modos *unius* dicens, quod quæ sunt multa numero, sunt unum specie : et quæ multa specie, sunt unum genere : et quæ multa processibus, sunt unum primo. Qualiter ergo dicetur hoc sacramentum unum ?

Solutio. Responsio. Determinatio istius quæstionis multum pendet ex dictis in distinctione XV, circa principium : dico tamen, quod est unum unitate nativa in divisione Bernardi, quæ est ex materia et forma : omne enim quod est ex forma et materia, reducitur ad unitatem nativam in divisione illa : forma autem est gratia, et materia dolor, cum signis suis exterioribus manifestabilis vel manifestatus : et sic patet solutio.

Et nota, quod quidam dixerunt, quod sit hæc specialis unitas quæ dicitur sacramenti : et hunc modum unitatis ponit Boetius in libro de *Unitate et uno :* sed ille modus ad unitatem nativam habet reduci secundum divisionem Bernardi.

Nota etiam, quod quidam dicunt unitatem esse principii secundum divisionem Dionysii : et hoc nihil est : quia *principium* vocatur ibi a quo multa procedunt non per modum unum : et est secundum aliquem modum per prius et posterius in aliquo illorum : sicut ab ente procedunt genera generalissima : sed post hoc in divisione ipsum est specie unum, eo modo quo ipsa species constans ex materia et forma dicitur specie unum.

ARTICULUS X.

An sacramentum pœnitentiæ indiguit institutione ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit, ibi, C, § 1, in fine : « *Sacramentum vero pœnitentiæ, sicut conjugii,* etc. »

Et quæruntur quinque circa institutionem.

Primum est, An indigebat institutione ?

Secundum, Utrum ante peccatum fuit institutum, sicut dicit Magister in *Littera ?*

Tertium, Utrum tempore legis naturæ sit institutum, et qualiter sit ?

Quartum, Qualiter tempore legis Mosaicæ ?

Quintum et ultimum, Qualiter tempore legis Christi ?

Ad primum horum proceditur sic :

1. Nullum horum quæ dictat natura homini, indiget institutione : sed pœnitentiam necessariam esse post peccatum perpetratum, dictat natura homini : ergo pœnitentia non indiget institutione.

2. Adhuc, Magister Hugo dicit, quod « sacramentum est ex institutione significans. » Ex hoc accipitur, quod si non esset institutio, nec significaret, nec obligaret per modum sacramenti. Inde procedo sic : Omne quod æqualiter obligat ad satisfaciendum, facta institutione, et non facta, non est institutum per modum sacramenti : sed pœnitentia hoc modo æqualiter obligat : ergo pœnitentia

[1] Cf. S. Bernardum, Serm. 44.

non est instituta per modum sacramenti. PROBATIO mediæ. Sit, quod non instituatur, adhuc ipsa necessaria est peccanti volenti satisfacere : sic autem non est de baptismo et aliis : ergo constat propositum.

3. Adhuc, Institutum per modum sacramenti, non efficitur causans nisi a virtute instituentis et formæ : sed pœnitentia non habet sic causationem suam : ergo non est instituta sicut sacramentum. PROBATIO minoris. Pœnitentia enim si non sit instituta, adhuc movebit in peccati destructionem, et sic constat propositum.

Sed contra. IN CONTRARIUM hujus est diffinitio sacramenti, quam ponit Magister Hugo, quod est ex institutione significans : ergo videtur, quod omne sacramentum habet institutionem.

Ad idem est illud quod dicitur in *Littera*.

Solutio. SOLUTIO. Dicendum, quod aliud est de pœnitentia secundum quod est virtus, et aliud de pœnitentia secundum quod est sacramentum. Virtus enim non habet institutionem, sed est de dictatis a natura : sed ad sacramentum exigitur institutio : quia omne sacramentum existit in ritu quodam exteriori sibi essentiali, qui ritus est in dispensatione ministrorum : ideo non videtur concedendum, quod sacramentum ut sacramentum dictetur a natura, sed potius sacramentum ut est virtus, vel pœnitentia est virtus.

Ad 1, 2 et 3. AD PRIMUM ergo dicendum, quod non dictat ratio pœnitentiam esse necessariam ut est sacramentum, quod est cum aliqua morbi ostensione cum signo clavium vel cum clavibus : imo si non esset institutio, sine tali pœnitentia posset esse salus.

Per hoc etiam patet solutio ad duo sequentia, et ad totum de hoc articulo quæsitum.

ARTICULUS XI.

An sacramentum pœnitentiæ sit institutum ante statum peccati ?

Secundo quæritur, Utrum institutum fuit hoc sacramentum ante peccatum ?

Videtur autem, quod sic : quia dicit Magister in *Littera*.

Adhuc, Cum Dominus dixit : *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris* : constat, quod intellexit de morte pœnitentiæ : quia de morte corporis non fuit verum : et hoc dixit ante peccatum : ergo pœnitentiam instituit ante peccatum.

IN CONTRARIUM hujus objicitur sic : Sed co

1. Pœnitentia non est nisi peccati præcedentis : ergo prænuntiatio pœnitentiæ prænuntiat peccatum futurum : sed prænuntians peccatum futurum antequam sit, revelat homini suum casum futurum, quod fieri non debuit, ut probat Augustinus : ergo et pœnitentia ante peccatum institui non debuit.

2. Adhuc, Causa necessario præcedit suum causatum : sed lapsus est causa institutionis pœnitentiæ : ergo lapsus fuit ante institutionem : ergo videtur, quod ante peccatum non debuit institui pœnitentia.

RESPONDEO cum Magistro, quod pœnitentia secundum quod est in remedium casus, instituta fuit ante peccatum : quia cum Dominus pronus sit ad miserandum, prius adhibuit remedium, quam culpa admitteretur : ut in culpam incidens, inveniret statim remedium paratum. Soluti

AD OBJECTUM contra, dicendum quod non ex hoc revelavit : quia non sequitur, quod aliquis peccabit ex hoc quod peccata pœnitentia indigent, non enim ex con- Adobje

ditionali potest inferri antecedens : sed verum est, quod scivit Adam se esse possibilem ad peccandum : et si peccaret, quod remedio indigeret. Et sic patet solutio ad primum.

ad object. 2. Ad aliud dicendum, quod lapsus est causa institutionis : sed non oportet, quod sit in actu : sed sufficit, quod sit in possibilitate : sicut sapiens medicus parat medicinam morbo, quem possibile est surgere.

ARTICULUS XII.

An sacramentum pœnitentiæ sit institutum in lege naturæ ?

Tertio, Quæritur de institutione ejus in lege naturæ.

1. Dicit enim Magister Hugo de sancto Victore in libro de *Institutione sacramentorum*, quod « quamdiu morbus est, est tempus medicinæ : » sed morbus fuit in lege naturæ : ergo et medicina est.

2. Adhuc, In *Littera* dicitur, quod a primordio generis humani fuit. Ergo videtur, quod fuit tempore legis naturæ : quia nulla lex fuit a primordio generis humani, nisi tantum lex naturæ.

3. Adhuc, Super illud Genesis, III, 9 : *Vocavitque Dominus Deus Adam, et dixit ei : Ubi es ?* dicit Glossa : « Dum vocat, notat quod ad pœnitentiam revocat. » Ergo pœnitentia tunc instituta fuit.

4. Adhuc, Pœnitentiæ sacramentum habet tres partes : contritionem, confessionem, et satisfactionem : hæc omnia fuerunt in lege naturæ : ergo et sacramentum pœnitentiæ. Probatio. Adam contritus est, quia doluit de peccato : confessus est, quando dixit [1] : *Mulier, quam dedisti mihi sociam*, etc. [2] : pœnitentiam a Domino accepit, quando dixit ei : *In sudore vultus tui*, etc. : et Hevæ : *Multiplicabo ærumnas tuas*, etc. [3].

In contrarium hujus objicitur : quia Sed contra.

1. Hugo enumerans sacramenta legis naturæ, dicit esse decimationes, sacrificia, oblationes : et horum nullum est pœnitentiæ sacramentum : ergo videtur, quod pœnitentia non fuerit sacramentum legis naturalis.

2. Adhuc Hugo : « Sacramenta legis naturæ non præcepto inducta videntur, quia ex consilio ad votum proposita : » sed constat, quod ex præcepto quilibet ad pœnitentiam obligatur : ergo non est sacramentum legis naturæ.

Ad hoc dicendum, quod hoc sacramentum quamdam institutionem habuit in lege naturæ. Et contritio quidem instituta est, quando dixit : *Adam, ubi es ?* Unde Glossa exponit : « Vide in qua miseria es, id est, recognosce et confitere peccatum tuum. » Sed satisfactio in hoc quidem : *In sudore vultus tui*, etc. Et hæc suffecerunt in lege naturæ : quia adhuc non oportuit recognoscere peccatum coram homine, et ab ipso exspectare pœnitentiam injunctam. Solutio.

Dicendum ergo ad primum, quod Magister Hugo non enumerat sacramenta, nisi ipsa signa futuri liberatoris et liberationis per Christum, quæ nullam gratiam ex opere operato contulerunt. Pœnitentia autem semper contulit gratiam aliquam, licet non plene, sicut in Novo Testamento facit. Ad object. 1.

Ad aliud dicendum, quod hoc dictum Hugonis intelligitur de his quæ signa erant tantum, secundum illam diffinitionem, quod sacramentum est sacræ rei signum tantum, eodem modo quo omnia signa patrum liberatorem futurum esse loquuntur. Ad object. 2.

[1] Genes. III, 12.
[2] Genes. III, 18.
[3] Genes. III, 16.

ARTICULUS XIII.

Qualiter sacramentum pœnitentiæ fuit institutum tempore legis Mosaicæ ?

Quarto, Quæritur de institutione pœnitentiæ in lege Moysi.

1. Videtur enim tunc fuisse iterum instituta, sicut patet, Levit II et III, ubi dicitur quid offerendum pro peccato animæ principis et synagogæ : cum igitur pœnitentiæ taxatæ sint in lege veteri pro peccatis, videtur quod instituta sit ibi specialiter pœnitentia.

2. Adhuc, De pœnitentia videtur dici in Proverbiis, XXVIII, 13 : *Qui abscondit scelera sua non dirigetur, qui autem confessus fuerit et reliquerit ea misericordiam consequetur.*

Item, De contritione, Joel, II, 13 : *Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra.* Et in Psalmo L, 19 : *Cor contritum et humiliatum*, etc. Ergo videtur pœnitentia tota instituta fuisse in lege veteri.

Sed contra. IN CONTRARIUM hujus objicitur, quod pœnitentia est satisfactiva per claves : ergo ante claves non fuit institutio pœnitentiæ : sed claves non fuerunt in Veteri Testamento : ergo nec pœnitentiæ institutio, ut videtur.

Solutio. SOLUTIO. Dicendum, quod secundum modum quemdam instituta fuit pœnitentia in Veteri Testamento : et hic modus patebit in sequenti articulo quæstionis.

AD ARGUMENTUM contra, dicendum quod non fuit instituta secundum quod est dimissiva pœnæ ex vi clavium, sed secundum quod cum gratia et pœnitentia exteriori fuit remedium actualis peccati : lex enim non diminuebat onera, sed potius augebat. Et sic patet solutio.

[1] Cf. Supra, Dist XIV.

ARTICULUS XIV.

Qualiter institutum est sacramentum pœnitentiæ tempore legis Evangelicæ ?

Sed contra.

Quinto et ultimo, Quæritur de institutione ejus in Novo Testamento.

Videtur enim, quod non sit instituta in Novo Testamento : quia

1. Omne illud quod ante Novum Testamentum observatum est, superflue in Novo Testamento institueretur : sed pœnitentia ante Novum Testamentum instituta et observata est : ergo superflue in Novo Testamento esset instituta : sed nihil superflue in Novo Testamento fecit Christus : ergo in Novo Testamento non instituit.

2. Item, Si instituit, ubi instituit? Si dicatur quod, Matth. III, 2 : *Pœnitentiam agite*, etc., eadem ratione instituit Joannes, Matth. III, 2, qui ab eadem sententia incepit prædicationem.

Si dicatur quod, Matth. VIII, 4, ubi dicit : *Vade, ostende te sacerdoti*, sicut supra habitum est [1]. CONTRA : Nec textus ibi expresse dicit, nec ex ipso nisi valde allegorice potest haberi.

Adhuc, Si pœnitentiam ibi instituisset prout est in Novo Testamento, videtur quod sacerdotibus Novi Testamenti debuit committere administrationem : sed econtra videtur, quod misit ad sacerdotes Veteris Testamenti : ergo ibi noluit instituere pœnitentiam, secundum quod observari debuit in Novo Testamento.

Adhuc, In institutione baptismi non misit ad sacerdotes Veteris Testamenti : ergo nec in institutione pœnitentiæ secundum quod est Novi Testamenti.

Si dicatur quod, Joan. XX, 22 et 23, instituit, ubi dixit : *Accipite Spiritum*

sanctum : quorum remiseritis peccata, etc. CONTRA : Ibi dedit potestatem habentibus claves : et hoc est aliud quam instituere pœnitentiam : ergo non instituit pœnitentiam : ergo videtur, quod nihil instituit, quia in istis locis magis instituere videbatur.

Ad contra. IN CONTRARIUM hujus objicitur sic :

1. Legislatoris est ordinare totam vitam : sed Christus est Legislator : ergo, etc. : sed vitæ magna pars est in statu pœnitentiæ : ergo a Legislatore instituendus est modus pœnitentiæ : ergo a Christo instituta est pœnitentia : quia pro constanti relinquitur, quod quidquid instituendum erat ad salutem, hoc est a Christo institutum.

2. Adhuc, Alia sacramenta quæ præcedebant alio modo, sicut ordo, et matrimonium, a Christo novam acceperunt institutionem : ergo et pœnitentia novam institutionem accipere debuit.

3. Adhuc, Talis modus confessionis et satisfactionis ex vi clavium, numquam nisi in nova lege fuit : ergo in nova lege institutus esse videtur.

Solutio. AD HOC dicendum, quod in pœnitentia sunt quatuor, scilicet recognitio necessitatis medicinæ contra morbum peccati, et recognitio peccati perpetrati cum proposito emendandi, et manifestatio peccati secundum genus in signo aliquo coram homine, et explanatio peccati per circumstantias cum fide dimissionis pœnæ ex vi clavium. Et quantum ad primum horum pœnitentia instituta est ante peccatum, quantum ad secundum in lege naturæ, et quantum ad tertium in lege scripta ante gratiam, et quantum ad quartum in lege Domini, scilicet gratiæ. Et semper prius continetur in posteriori, et posterius sicut perfectius se habet per additionem ad illud quod est prius, ut patet cuilibet per se. Est enim recognitio medicinæ in cognitione peccati cum proposito emendandi per pœnitentiam. Similiter coram homine manifestans peccatum, emendam promittens, recognoscit peccatum cum proposito emendandi : sed non convertitur. Et similiter declarans peccatum cum circumstantiis, et quærens veniam per claves et satisfactionem, explanat ipsum coram homine, etc.: sed non convertitur. Et per hoc patet qualiter pœnitentia diversimode considerata, diversas habuit institutiones.

Ad 1. AD PRIMUM ergo dicendum, quod ultimo modo numquam fuit ante instituta pœnitentia, nec etiam observata : et ideo necessaria fuit institutio.

Ad 2. AD ALIUD dicendum, quod alio modo in omnibus illis locis quæ tacta sunt, habuit institutionem pœnitentia. Est enim in pœnitentia ipse actus doloris voluntarii, et minister cujus claves partem pœnæ diminuunt et taxant pœnitentiam injunctam, et potestas illarum clavium. Et quoad primum horum instituta est pœnitentia, Matth. III, 2 et seq. Quoad secundum, Matth. X, 5 et seq. : quoad tertium, Joan. XX, 22 et 23. Et quoad opus ministrorum adhuc instituta est, Joan. XI, 44, ubi dixit discipulis, quod solverent Lazarum et sinerent eum abire.

AD PRIMUM objectum contra, dicendum quoad Joannis non erat instituere, sed viam præparare : unde sua prædicatio erat via ad pœnitentiam, et Christus per institutionem dedit pœnitentiæ locum, quia, sicut dicitur, Act. IV, 12 : *Non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.*

AD ALIUD dicendum, quod discipuli adhuc non erant positi in ministerio ordinis : sed erant tantum adhuc ministrorum Novi Testamenti typus : et ideo ad typicos sacerdotes misit, innuens in ministerio quod veris sacerdotibus debetur.

Et per hoc patet solutio ad totum.

Et hæc de *Pœnitentiæ* tractatu dicta sufficiant.

INDEX DISTINCTIONUM,

CAPITUM ET ARTICULORUM IN LIB. IV SENTENTIARUM.

(DIST. I-XXII)

PROLOGUS. 1
EPILOGUS SUPRA DICTORUM. 2

DE SACRAMENTIS ET SIGNIS SACRAMENTALIBUS.

DISTINCTIO I.

De sacramentis in genere.

A. *De sacramentis.* 3

ART. 1. An sacramentum sit necessarium? 4
2. An sint septem sacramenta, vel plura? et, An sacramenta substantialem ordinem habeant ad venialem? 6
3. Quæritur de ordine sacramentorum. 10
4. Quæ sit differentia inter gratiam donorum et virtutum, et eam quæ confertur in sacramentis? 11

B. *Quid sit sacramentum?* 13

ART. 5. Quæritur de diffinitionibus sacramenti. 14
6. An in sacramentis signum sit res aliqua? 17

7. An ea quæ significandi gratia tantum instituta sunt, sint solum signa et non sacramenta? 18
8. An offerre sacrificia carnalia sit bonum in genere? et, An fuit juris naturalis? et, An jusiificabant? 19
9. An veniale virtute sacramentorum veteris legis remittebatur? 22
10. Quare in nova lege non est aliquid curans irregularitatem sicut in veteri? 23
11. An oblationes et sacrificia debuerunt esse ante legem? et, Utrum tunc omnes tenebantur cognoscere rationes figuræ in qua positæ erant? 24
12. Quis est effectus cineris vitulæ rufæ et aquæ quæ fiebat per commixtionem ejus? 25

C. *De causa institutionis sacramentorum.* 25

ART. 13. An triplex causa institutionis sacramentorum a Magistro sit bene assignata? 26

D. *De triplici genere exercitationis.* 27

ART. 14. An in omni sacramento sunt duo, scilicet verba, et res? 28

E. *De differentia sacramentorum veterum et novorum.* 28

ART. 15. Utrum sacramenta veteris legis dederunt salutem, sicuti sacramenta novæ legis? 29
16. Utrum Testamentorum fuit gravius? 30

F. *De circumcisione.* 31

Divisio textus. 31
ART. 17. An circumcisio a Damasceno sit bene definita? 31
18. An circumcisio etiam impresserit characterem? 33
19. An circumcisio justificabat? 34
20. Quid dicatur *sinus Abrahæ*? et, An parvuli decedentes sint in aliqua miseria? 35

G. *De viris qui fuerunt ante circumcisionem, et de fœminis quæ fuerunt ante et post.* 36

ART. 21. Quare fœminæ non circumcidebantur? 37

H. *De institutione et causa circumcisionis.* 38

I. *Quare die octavo, et petrino cultro?* 38

K. *Quare in baptismum mutata sit circumcisio?* 39

L. *De parvulis defunctis ante diem octavum.* 39

ART. 22. An omnes tenebantur ad circumcisionem? 40
23. An tres causæ circumcisionis tactæ a Magistro sint bene assignatæ? 40

DISTINCTIO II.

Introductio ad sacramenta novæ legis, et de baptismo Joannis.

A. *De sacramentis novæ legis.* 42

Divisio textus. 42
ART. 1. An contra omnes pœnas debent ordinari sacramenta? et, Quæ sit eorum divisio? 42

B. *Quare mox post hominis casum non fuerint instituta?* 44

C. *Quod sacramentum conjugii fuit ante peccatum.* 45

ART. 2. Quare non fuerunt sacramenta instituta mox post hominis lapsum? 45

D. *De baptismo.* 47

ART. 3. An baptismus Joannis contulit gratiam? 47
4. An baptismus Joannis erat in pœnitentiam, et non in remissionem peccatorum? 49

E. *Quid utilitatis habebat baptismus Joannis?* 49

ART. 5. Quare dicitur *baptismus Joannis*? 50
6. An baptismus Joannis fuerit sacramentum 51

F. *De forma baptismi Joannis, et de baptizatis ab eo.* 51

ART. 7. An baptizati a Joanne fuerint rebaptizandi? 52

DISTINCTIO III.

De baptismo.

A. *Quid sit baptismus?* 54

Divisio textus. 55
ART. 1. An diffinitiones baptismatis sunt bene assignatæ? 55

B. *De forma baptismi.* 59

C. *Si in nomine Patris tantum vel Spiritus sancti possit tradi baptismus?* 60

D. *Quæstio Ambrosii.* 61

E. *Perstringit præmissorum intelligentiam cum determinatione cujusdam dicti.* 61

ART. 2. An sit aliqua forma baptismi? et, De singulis verbis positis in forma baptismi. 62

F. *De institutione baptismi.* 68

G. *De forma in qua baptizaverunt Apostoli ante passionem Christi.* 68

ART. 3. Quando baptismus est institutus? 69

H. *Quare in aqua tantum fiat?* 70

ART. 4. An conveniens materia baptismi sit aqua? 70

I. *De immersione, quoties fieri debeat?* 72

ART. 5. Utrum in baptismo necessaria sit trina immersio, aut una sufficiat? 73

K. *Quando circumcisio amisit vim suam?* 75

L. *De causa institutionis.* 75

ART. 6. An adveniente baptismo cessaverit circumcisio? 75

M. *Quæritur, An baptismus aperuit cœlum, quod non aperuit circumsicio?* 77

ART. 7. An baptismus aperuit cœlum? 77

DISTINCTIO IV.

De baptismo per comparationem ad recipientes.

A. *Quod alii suscipiunt sacramentum et rem, alii sacramentum et non rem, alii rem et non sacramentum.* 79

Divisio textus. 79

ART. 1. An in parvulis qui recipiunt rem et sacramentum, sit æqualis effectus baptismi? 80

B. *De ficte accedentibus.* 81

ART. 2. Quid sit fictio? 82
3. An fictio possit impedire baptismum? 84
4. Qualiter redeat effectus baptismi cessante fictione? 84

C. *Quomodo intelligatur illud*, Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis? 86

ART. 5. An verum sit illud dictum Apostoli, *Quicumque baptizati estis, Christum induistis*? 87

D. *De illis qui suscipiunt rem, et non sacramentum.* 87

ART. 6. An baptismus sanguinis et pœnitentiæ suppleat vicem baptismi qui fit in aqua? 89
7. An latro in cruce fuit martyr, et baptizatus baptismo sanguinis? 90

E. *Quæ videntur obviare prædictis.* 91

ART. 8. Utrum parvuli qui in utero matris moriuntur, vel nati sine baptismo decedunt, æterno supplicio, vel sensibili puniantur, aut pœna damni tantum? 93
9. An orandum sit pro parvulis? 94

F. *Quid prosit baptismus his qui cum fide accedunt?* 95

ART. 10. An unus et æqualis sit effectus baptismi in omnibus baptizatis? 96
11. An pœnalitas cui per peccatum addicti sumus, per baptismum non tollatur? 97

G. *Cujus rei baptismus qui datur jam justo, sit sacramentum?* 98

ART. 12. An in ficte baptizato res præcedat sacramentum? et, Utrum non recedente fictione sit vere signum? 99

H. *Si parvulis datur in baptismo gratia qua possunt in majori ætate proficere.* 99

ART. 13. An parvulis in baptismo datur gratia? et, Utrum habeant virtutes? 100

DISTINCTIO V.

De ministro baptismi.

A. *Quod baptismus æque sanctus est a bono et a malo datus bono vel malo.* 102

Divisio textus. 103

ART. 1. An ille qui dabet baptizare, debet habere ordinem et jurisdictionem, et esse justus? 103

2. Utrum ebriosus, homicida, adulter possunt baptizare? 106

3. An hæreticus et schismaticus possunt baptizare? 107

B. *De potestate baptismi et ministerio.* 108

ART. 4. Quæ est potestas quam Dominus sibi retinuit, et quam ministris dedit, et quam potuit dare et non dedit? 109

5. An Joannes novit Christum, et quid de eo novit? 111

C. *Quæ fuit potestas baptismi quam potuit Christus dare servis?* 111

ART. 6. An Christus homo habuit potestatem dimittendi peccata? 112

DISTINCTIO VI.

Quibus est collata potestas baptizandi?

A. *Quibus liceat baptizare?* 114

B. *Quod nullus in materno utero baptizetur.* 115

C. *Si baptismus sit verbis corrupte prolatis?* 116

Divisio textus. 117

ART. 1. An quilibet potest esse minister Ecclesiæ? 117

2. An hæreticus potest baptizare? 118

3. An character est in aliquo genere, et in quo genere: et si in genere qualitatis, in qua specie? 120

4. An diffinitiones characteris sint bene assignatæ ? 123
5. Quæ et quot sunt sacramenta imprimentia characterem ? 129
6. An in tribus sacramentis imprimentibus characterem, character impressus sit unus, et si quis eorum est plures ? 132
7. Quomodo se habet character sacramentorum Christi ad characterem bestiæ ? 133
8. Quis est effectus characteris ? 134
9. Quæ gratia est sanctificatio in utero, et quando datur, et quantum valet ? et, An talis esset baptizandus si nunc nasceretur ? 135

D. *Leo papa.* 138

ART. 10. An aliquis invitus, amens, dormiens, potest baptizari ? 139

E. *De illo qui pro ludo immergitur.* 139

ART. 11. An aliquis potest jocando vel mimice baptizari ? 140

F. *Quod duo tempora erant in quibus baptizabantur homines.* 141

ART. 12. An in electis baptizandis debent servari duo tempora, scilicet Paschæ et Pentecostes ? 141

G. *De responsione patrinorum.* 142

ART. 13. An venientes ad baptismum, fidem debent profiteri ? et, An illa professio sit votum ? 143
14. An parvulus ad ætatem veniens, tenetur ad ea quæ pro ipso voverint patrini ? et, An patrini obligati sunt tamquam fidejussores fidei eorum ? et, Quo sensu patrini dicant, *Credo.* 144

H. *De catechismo et exorcismo.* 145

ART. 15. Quare catechizantur parvuli ? et, Ad quid valet catechismus ? 146

DISTINCTIO VII.

De sacramento confirmationis.

A. *De confirmatione.* 148

Divisio textus. 149
ART. 1. An sacramentum confirmationis sit necessarium ? 149
2. An sit aliqua materia determinata confirmationis, et quæ est illa ? 151
3. An materia sacramenti confirmationis sit chrisma ? 154
4. An non ordinatus potest confirmare ? et, An ordinatus non Episcopus ? 157

5. An sacramentum confirmationis conferat gratiam? et, An illa gratia sit gratum faciens, et distincta a gratia baptismi? 159

B. *Melchiades.* 165

ART. 6. An sacramentum confirmationis debeat dici majus sacramentum aliis? 166
7. An detur confirmatio in digniori parte corporis, scilicet in fronte? 167
8. An sacramentum confirmationis debeat dari utrique sexui? et, In qua ætate debeat conferri? et, Qualiter confirmandus debeat præsentari? 168
9. An confirmatio imprimat characterem? 171

DISTINCTIO VIII.

De Eucharistia.

A. *De sacramenta altaris et Eucharistiæ.* 173

Divisio textus. 174
ART. 1. An Eucharistia sit sacramentum majoris gratiæ quam baptismus? 174
2. De quatuor figuris Eucharistiæ. 176
3. Quæ sit causa, quare hoc sacramentum *viaticum* dicatur? 179
4. An sacramenta Christianorum sint anteriora sacramentis Judæorum? 180

B. *De institutione sacramenti.* 181

Divisio textus. 181
ART. 5. An sacramentum Eucharistiæ sit debito et congruo tempore institutum a Christo? 181

C. *De forma.* 183

ART. 6. An ista sit debita forma, *Hoc est enim corpus meum.* 184
7. Quæritur de forma quæ dicitur super vinum, et de singulis verbis in ea prolatis. 192
8. An forma quæ dicitur super panem exspectat formam quæ dicitur super vinum? 198
9. An sacramentum hoc sit frequentandum post cœnam sicuti Christus ipsum instituit? 199
10. An hoc sacramentum post prandium celebretur? et, Quæ comestio sive potatio arceant a perceptione sacramenti? 202

D. *De sacramento et re.* 203

ART. 11. An Eucharistia sit etiam sacramentum, an non? 205

12. Quid sit sacramentum ? Quid res ? et, Quid sacramentum et res simul? 207
13 An sacramentum sit unum vel plura ? 208

DISTINCTIO IX.

De suscipiente sacramentum Eucharistiæ.

A. *De duobus modis manducandi.* 212

Divisio textus. 213
ART. 1. An sint duo modi sumendi Eucharistiam, scilicet sacramentalis, et spiritualis, et quomodo distinguantur ? 213
2. An sit aliquis modus spiritualis sumendi Eucharistiam ? et, Quid sit in tali modo unde dicitur *manducatio?* 216
3. Quare tantum duo sunt modi manducandi prædicti, et penes quid differant ? 218
4. Qualis unio requiratur ut aliquis manducet corpus Christi sive spiritualiter sive sacramentaliter ? 219
5. An corpus Christi sumptum transeat in ventrem ? et, Quamdiu maneat ? 220
6. An antiqui Patres aliquo modo comederint sacrramentaliter ? 221

B. *De errore quorumdam qui dicunt a bonis tantum corpus Christi sumi.* 223

Divisio textus. 224
ART. 7. An mali accedentes, aliquid accipiant corporis Christi ? et, Quo modo maneat in ipsis corpus Christi ? 224
8. An mali percipiant corpus Christi ? 226
9. An malus plus peccet communicando, quam alio genere peccati ? 230
10. An pollutio nocturna impediat a communione ? 233
11. An aliquà fœditas corporalis, ut menstruum vel hujusmodi, impediat a perceptione corporis Christi ? 237
12. An indigne sumens corpus Christi id efficiat, ut malum fiat quod accipit ? 238

C. *De intelligentia quorumdam verborum ambiguorum.* 238

ART. 13. An sacerdos petat ut Christus qui nunc sub specie panis accipitur, manifesta visione accipiatur ? 239

DISTINCTIO X.

De errore majoris inconvenientiæ circa Eucharistiam.

A. *De hæresi aliorum qui dicunt corpus Christi non esse in altari nisi in signo.* 241

Divisio textus. 242

Art. 1. An corpus Christi vere sit in altari, aut solum sicuti signatum in signo? 242

2. An verum sit quod dicit Magister, *Non hoc corpus quod videtis manducaturi estis?* 246

B. *Determinatio præmissorum.* 248

Art. 3. An hoc verum sit quod dicit Magister, *Ipsum quidem, et non ipsum corpus quod videbatur, manducatur?* 249

4. An sacramentum Eucharistiæ bene dicatur componi ex visibili elementorum specie, et carne Christi? 250

5. An caro sit sacramentum carnis, et sanguis sacramentum sanguinis? 251

C. *Quæ sit intelligentia præmissorum?* 252

Art. 6. An communicantes sumant Dominum suum? et, An corpus Christi quotidie formetur? 253

D. *Auctoritatibus probat verum corpus Christi esse in altari, et in id panem converti.* 255

Art. 7. An virtus verborum consecrationis sit virtus creata, vel increata? et, Quando datur illa virtus, utrum in principio, medio, vel fine verborum? 257

8. An majoris potentiæ sit de pane facere corpus Christi, quam de nullo facere aliquid? 260

9. An oporteat quærere naturæ ordinem in Christi corpore? 261

10. An in sacramento Eucharistiæ potest dici creari corpus Christi per Spiritum sanctum? et, Utrum per Spiritum fiat transsubstantiatio? 262

DISTINCTIO XI.

De transsubstantiatione.

A. *De modo conversionis.* 264

B. *Oppositio.* 264

Divisio textus. 265

ART. 1. An in sacramento corporis Christi sit aliqua conversio sive transmutatio? 265

2. Qualis est hujusmodi transmutatio vel conversio? 268

3. Utrum illa transmutatio fiat subito sive successive? 271

4. Quomodo hæc transmutatio se habeat ad operationem naturæ, et mirabilium sive miraculorum? 275

C. *Augustinus in libro* Sententiarum Prosperi. 277

ART. 5. An mutatio quæ est in sacramento Eucharistiæ, sit similis mutationi quæ dicitur *augmentum*? et, An adjuncta sit ei loci mutatio? 278

6. An istæ locutiones sint concedendæ, *Panis potest esse corpus Christi: Panis mutatur in corpus Christi: Corpus Christi fuit panis: Panis erit corpus Christi?* 279

D. *Asseruut quidam dictum panem transire in corpus Christi.* 282

ART. 7. An panis in consecratione annihiletur, aut in præjacentem materiam redigatur? 284

8. An in sacramento Eucharistiæ cum corpore Christi manere substantia panis et vini? 286

9. An hora immolationis aperiantur cœli? et, Ad quid cœli sunt aperti? 287

DISTINCTIO XII.

De formis remanentibus, et de materia sacramenti Eucharistiæ.

A. *Quare sub alia specie?* 289

Divisio textus. 289

ART. 1. Quare Christus sub alia specie quam propria dedit corpus? 290

B. *Quare sub duplici specie?* 293

ART. 2. An in sacramento Eucharistiæ necessaria sit duplex species? 294
ART. 3. An bene dicat Magister, quod *vinum operatur sanguinem, in quo sedes animæ a Physicis dicitur?* 2r5
4. An sub utraque specie sumatur totus Christus? 297
5. An bene dicatur, quod hoc sacramentum non debet iterari? 298

C. *Quare aqua admisceatur?* 299

ART. 6. Quare hoc sacramentum datur sub specie panis et vini? 299
7. An sacramentum debet dari sub specie panis et de frumento? et, An alia grana possunt admisceri? 302
8. An debeat fieri consecratio in azymo, vel fermentato? 305
9. An aqua debeat admisceri vino, et quantum aquæ? et, Qualiter peccent qui omittunt? 308
10. An species sacramentales aliis liquoribus admixtæ, corrumpantur, an maneant salvæ? 311
11. An aqua et vinum quæ miscentur in calice possunt separari? 314

D. *Julius Papa.* 315

ART. 12. An calix possit esse aqua sola, aut vinum solum, aut mixtum ex utroque? 316
13. Quale corpus Christus dedit discipulis suis, an mortale et passibile, vel immortale et impassibile? 316
14. Quid de corpore Christi esset factum, si ab aliquo discipulorum fuisset consecratum in triduo, aut servatum in pyxide? et, An anima existens in limbo etiam potuerit esse in corpore consecrato? 318
15. An Christus in cœna in propria persona sumpserit corpus suum? 321

E. *Ubi illa accidentia fundentur?* 323

ART. 16. An in sacramento Eucharistiæ maneant accidentia sine subjecto? 323

DISTINCTIO XIII.

1. De fractione et partibus. 2. De sacrificio altaris.

A. *De fractione et partibus.* 332

Divisio textus. 333
ART. 1. An possibile sit aliquid frangi in sacramento? 333
2. An fractio prædicta sit in corpore Christi, aut in formis tantum? 336
3. An quando Christus ostendit se discipulis in via in specie peregrini, fecerit actum simulatorium sive illusorium? 337

B. *Aliorum opinio.* 338

ART. 4. An consecratione facta maneant omnia accidentia, et etiam soliditas mathematica secundum esse reale ? 338
5. An fractione facta maneat unum sacramentum, sed plures sint ibi formæ ? 340

C. *Aliorum opinio.* 341

ART. 6. An opinio illa sit vera quæ dicit corpus Christi essentialiter frangi, et dividi : et tamen integrum, et incorruptibile manere ? 341
7. An confessio Berengarii qui confessus est coram Papa panem et vinum qui in altari ponuntur, post consecrationem, non solum sacramentum, sed etiam verum corpus Christi esse, etc., sit vera ? 342

D. *Sententia probabilior.* 343

ART. 8. An opinio illorum sit vera qui dicunt, quod in sacramento nulla fractio vel partitio fit, quæ non sit in substantia ac in sacramento ? 345
9. An potest dici, quod accidentia post consecrationem maneant in aere ? 345
10. Quomodo totum corpus Christi sub tantilla forma contineatur in sacramento ? 346
11. An quisque fidelium communicans accipiat totum Christum vel partem suam ? et, An totus Christus est in qualibet parte hostiæ? 351
12. An vere dicatur, Christus per partes manducatur in sacramento, et manet integer totus in cœlo, manet integer totus in corde tuo ? 353
13. An ubi pars corporis est, ibi sit et totum secundum Hilarium ? et, Quale sit illud *ubi*, quando dicitur : *Ubi est princeps, ibi rex ?* 355

E. *Quid illæ partes significent ?* 356

Divisio textus. 357
ART. 14. Quid significent partes, in quas hostia dividitur a sacerdote celebrante ? 357
15. An communio et fractio hostiæ sint signum ejusdem vel diversorum ? et, Quid significet quælibet ? 360
16. An aliquis existens in peccato mortali, potest accedere ad communionem, et accipere corpus Christi ? 361
17. An sacerdos debeat repellere aliquem in peccato mortali existentem ? 363
18. An habenti peccatum mortale liceat videre corpus Christi, et quomodo ? 365
19. An ille qui aliter celebrat quam institutum est a Christo, peccet mortaliter ? 366
20. An existenti in peccato mortali debeat sacerdos dare hostiam consecratam, vel non consecratam ? 367
21. Quare communicaturus specialiter jubetur dimittere debitoribus suis ? 368
22. An Magister bene dicat, quod spiritualiter manducat qui innocentiam ad altare portat ? 368

F. *Si illud sit sacrificium, etsi sæpius immoletur Christus?* 368

Divisio textus. 370
ART. 23. An Christus immolatur in omni sacrificio? 370
24. An Christus quotidie immoletur in sacramento? 371
25. An sacramentum Eucharistiæ valeat contra venialia peccata? 372

G. *De causa institutionis?* 375

ART. 26. An sacramentum Eucharistiæ congruo tempore sit institutum a Christo post cœnam? 376
27. An quotidie sit communicandum? 378
28. An ter in anno sit communicandum? 380

H. *Si hæretici et excommunicati hoc sacramentum conficiant?* 384

Divisio textus. 386
ART. 29. An malus etiam sacerdos conficiat? 386
30. An præcisus ab Ecclesia etiam potest conficere? 388
31. An missa boni sacerdotis sit melior quam missa mali sacerdotis? 390
32. Quare specialiter prohibetur a canonibus, quod missa vel sacramenta non recipiantur ab hæreticis, simoniacis, schismaticis, et notoriis fornicariis? 391
33. An corpus Christi verum sit melius corpore Christi mystico? 392
34. An bene dicatur *missa*, quia cœlestis missus est ad consecrandum vel vivificandum? 393
35. Quomodo intelligendum sit illud, *Maledicam benedictionibus vestris*? 395
36. Quare dulcedo sacramenti non sentitur a sumentibus? 395
37. An sacerdos extra altare et sine sacris vestibus potest celebrare? 396
38. An mus vel aliud animal brutum potest sumere corpus Christi? 396

I. *Quid faciat hæreticum, et quid sit hæreticus?* 398

ART. 39. Hæreticus quis sit, et unde dicatur? 398

DISTINCTIO XIV.

De sacramento pœnitentiæ.

A. *De pœnitentia.* 400

Divisio textus. 403
ART. 1. An sacramentum pœnitentiæ bene ordinetur quantum in ordine sacramentorum? 404

2. An pœnitentia sit secunda tabula post naufragium ? 406
3. An pœnitentia est virtus ? 406
4. An pœnitentia sit virtus generalis vel specialis ? 411
5. Utrum pœnitentia sit in uno genere, vel in pluribus ? 414
6. An pœnitentia sit justitia ? 417
7. An pœnitentia sit charitas vel alia virtus ? 418
8. In qua vi animæ est pœnitentia ? 420
9. An pœnitentia sit prior aliis virtutibus ? 422
10. Qualiter pœnitentia timore concipiatur ? 423
11. Quare pœnitentia non concipiatur amore, vel alia virtute ? 424
12. An definitio pœnitentiæ sit bene assignata ab Ambrosio ? 425
Divisio textus. 429
ART. 13. An vere pœnitens possit cadere, et de cætero damnabiliter peccare ? 429
14. An aliquis lavari possit per pœnitentiam usque ad munditiam ? 431
15. An illis qui iterant peccata, prosint priora lamenta ? 432
16. An ille qui commissa plangit tamen non deserens, pœnæ graviori se subjiciat ? 432
17. An velle non peccare aut cessare a peccato sit vera pœnitentia ? 433
18. An peccata deleantur per pœnitentiam secundum quod est virtus, vel sacramentum ? et, An habent duos actus, scilicet plangere, et odire ? 434
19. An eleemosyna auferat culpam, et peccatorem mundum faciat ? 436
20. An omnia ante acta bona per pœnitentiam sequentem vivificentur ? 438
21. Utrum omnia mortificata possunt vivificari ? 441
22. An opera mortificata quoad omnia quæ sunt in ipsis, vivificantur ? 442
23. Per quid vivificentur opera mortificata ? 443
24. Quomodo et secundum quem modum dicitur *vita*, quando dicitur quod opera mortificata fiunt viva ? 445
25. An tertia diffinitio pœnitentiæ sit bene assignata ? 446
26. An peccator debet semper dolere, et de dolore gaudere ? 447

B. *Determinatio intelligentiæ dictorum.* 450

ART. 27. Qui dicuntur perfecti ? et, Quæ est pœnitentia perfectorum ? 450

C. *De solemni et unica pœnitentia.* 451

ART. 28. Quot sint modi pœnitentiæ ? 452
Expositio textus. 453

D. *Auctoritatibus probat, quod non semel tantum, sed frequenter peccata dimittantur per pœnitentiam.* 453

ART. 29. An sæpius iterata pœnitentia, semper de criminibus datur venia toties quoties ? 455
30. An resurgens per pœnitentiam a peccato, resurgat in majori charitate quam prius habuit ? 456
31. An sit aliquod summum malum ? 460
32. An mali possunt reverti ad virtutis viam per pœnitentiam ? 461
33. An ad primum statum sit reditus per pœnitentiam ? 465
34. An David debuit puniri propter numerationem ? 466

DISTINCTIO XV.

Error secundus circa sacramentum pœnitentiæ.

A. *Quod pluribus irretitus peccatis non potest pœnitere de uno vere, nisi de omnibus pœniteat.* 467

Divisio textus. 468

Art. 1. An de uno peccato potest agi pœnitentia, alio peccato in delectatione retento ? 468

2. An pro uno peccato potest consurgere duplex tribulatio ? 472

3. An pœnæ quæ commutant in bonum, et injunguntur in satisfactione, sint justæ, an non ? 473

4. An quinque modi quibus flagella contingunt, sunt bene assignati et distincti ? 473

B. *Quæ sit intelligentiæ præmissorum ?* 477

Art. 5. An Deus puniendo peccata, servet mensuram debitam ? 478

6. An per sententiam sacerdotis præveniatur sententia judicis ? 479

7. An pro levi culpa, ut in sabbato colligere ligna, debuit infligi mors ? 479

Divisio textus. 480

Art. 8. An sine fide aliqua pœna sit satisfactoria ? 480

9. An satisfaciens in peccato mortali satisfecerit ? 480

C. *Quomodo accipienda sunt præmissa ?* 481

Divisio textus. 483

Art. 10. An satisfaciens indigeat gratia gratum faciente ut satisfaciat ? 484

11. An oporteat quemlibet satisfacere qui deliquit ? 485

12. An diffinitio satisfactionis sit bona ? 486

13. Quomodo differt opus satisfactionis ab aliis operibus pœnitentiæ ? 489

Expositio textus. 490

Art. 14. An eleemosyna sit in genere virtutis ? 490

15. An eleemosyna sit bene diffinita ? 492

16. An eleemosyna sit de præcepto, vel de consilio ? et, si de præcepto, sub quo ? 494

17. An eleemosyna sit pars satisfactionis ? 497

18. Qualiter eleemosyna distinguatur ab aliis partibus satisfactionis ? 498

19. An eleemosyna magis consistat in voluntate interiori, vel in dato exteriori ? 499

20. An eleemosyna potest esse sine compassione, vel compassio sit ei substantialis ? 500

21. An sepultura sit eleemosyna, vel species eleemosynæ ? 501

22. De eleemosynis spiritualibus. 503

23. An eleemosynæ spirituales corporalibus sunt meliores ? 504

24. Ex quo potest vel debet fieri eleemosyna ? 506

25. An uxor de bonis mariti, aut econtra, an monachus, aut filiusfamilias, aut famulus possint dare eleemosynam ? 509
26. An daturus eleemosynam, debet ordinate incipere ? 511
27. An verum est illud, *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam ?* 512
28. An immundis nihil sit mundum ? 513
29. An verum sit quod nihil prodest orare, jejunare, et alia benefacere, nisi mens revocetur a peccato ? 513
30. An satisfactio extra charitatem, sit iteranda redeunte charitate ? 514

D. *Secundum quosdam fuit satisfactio.* 514

E. *Perstringit dictorum summam ut alia addat.* 516

Divisio textus. 516
Art. 31. An bonum mortuum factum extra charitatem, potest umquam reviviscere ? 516
32. An bona opera facta extra charitatem diminuant incendium inferni ? 517

F. *Auctoritates alias inducit contra eos qui dicunt de uno peccato pœnitentiam agi, altero tacito.* 518

Divisio textus. 519
Art. 33. An Deus potest sanare de uno peccato et non de alio ? 519
34. An omnes quos Christus sanavit in corpore, sanavit etiam et in anima ? 520
35. Utrum a Deo possit dimidia sperari venia ? 521
36. An et quæ sint lacrymæ mentis ? et, An culpabiliter durus sit, qui lacrymis non ostendit dolorem peccati ? 521
37. An hoc dictum Magistri valeat : *Si ergo pœnites, cur facis quæ male fecisti ?* 524
38. An duo modi falsæ pœnitentiæ a Magistro sint bene assignati ? 524

G. *Repetit de vera pœnitentia, ut addat.* 526

Art. 39. An et quæ sit vera pœnitentia ? 526
40. An perfecta pœnitentia cogit peccatorem omnia libenter sustinere ? 527
41. An possit dici, quod aliquis nequiverit emendare peccatum ? 528
42. Quid sit restitutio ? 528
43. Quid debeat restitui ? et, Qualiter est restituendum ? 531
44. Cui debet fieri restitutio ? 533
45. Qualiter habent se opera restitutionis ad opera pœnitentiæ ? 534

DISTINCTIO XVI.

De pœnitentiæ partibus.

A. *De tribus quæ in pœnitentia consideranda sunt.* 536

Divisio textus. 538
Art. 1. An sacramentum pœnitentiæ sit unum ? 539

2. An istud sacramentum habeat partes, et quæ sint illæ partes? 541
3. An pœnitentia prædicetur de omnibus partibus suis simul in summa, an sigillatim? 543
4. An sicut Deum tribus modis offendimus, scilicet corde, ore, et opere : ita tres partes pœnitentiæ respondent istis tribus modis offendendi? 545
5. An tribus differentiis peccati quæ sunt cor, factum, et consuetudo, correspondeant tres partes pœnitentiæ? 546
6. Quid sit contritio in genere? 548
7. Quid sit contritio propria diffinitione? 552
8. Quæ sit differentia inter compunctionem, attritionem, et contritionem? 559
9. Cujus partis animæ est contritio? 561
10. An contritio semper eodem modo fuerit in Novo et Veteri Testamento? 562
11. Quid sit primum movens ad contritionem? 563
12. An confessio sit in præcepto et obliget omnes? 564
13. An confessio sit de jure naturali vel positivo? 569
14. Quam differenter confessio fuit in lege naturali, veteri, et nova? 572
15. An confessio sit actus virtutis, vel tantum sacramenti? 573
16. An diffinitiones pœnitentiæ sint bene datæ? 575
17. An aliquis et quis articulus fidei moveat ad confessionem? 581
18. Cui attributo in Deo innititur confessio? 582
19. An sufficiat per Joannem facta institutio ad satisfactionem? 582
20. An satisfactio sit in præcepto? 584
21. An idem sit satisfacere, et dignos fructus pœnitentiæ facere? et, Qui sunt fructus digni pœnitentiæ? 586
22. An circumstantiæ aggravent, peccatum? 588
23. An circumstantiæ aggravent, relinquendo actum in eadem specie? 591
24. An pœnitens tenetur confiteri omnia peccata sua, et circumstantias? 593
25. An pœnitens teneatur revolvere circumstantias in contritione et satisfactione? 594
26. Quæ et quot sunt circumstantiæ aggravantes peccatum? 596
27. Quæ circumstantiarum vitium magis aggravat? 602
28. An pœnitens debet se ponere omnino in judicio et potestate sacerdotis, nihil sui juris sibi reservans? et, An teneatur ingredi religionem si sacerdos injungat? 605
29. An contritio potest intendi? 607
30. An per aliquid et penes quid attenditur intensio contritionis? 610
31. Quanta debeat esse contritio? 611
32. An contritio debeat esse æqualis de omnibus peccatis? 614
33. An contritio possit esse brevis et finita? 615
34. Quanta debet esse quantitas contritionis respectu voluntatis peccandi vel non peccandi? 617
35. An sit aliquis status ultra quem non intenditur, neque crescit contritio? 619
36. An oporteat confessionem esse integram? 620
37. An hypocrisis sit bene diffinita? 624
38. An hypocrisis sit speciale peccatum, an generale conjunctum aliis? 626
39. In quibus operibus frequentius apparet hypocrisis? et, In quo actu pejor sit? 627
40. Quomodo hypocrisis se habeat ad inanem gloriam? 628
41. An hypocrisis sit semper peccatum mortale vel veniale? 629
42. An bonæ conscientiæ confortatio requiritur in eo qui debet communicare? 630
43. An ludi sint peccatum mortale, et qui, et qui non? 632
44. An digni fructus virtutum dicantur digni fructus pœnitentiæ? 634

B. *Quæ sit falsa satisfactio?* 635

ART. 45. An pœnitentiæ quæ non imponuntur pro qualitate criminum secundum auctoritates canonum, debeant dici *falsæ pœnitentiæ?* 635
46. An militia, negotiatio publica, vectigalia, et pedagia, sint licita vel illicita? 636

C. *De tribus actionibus pœnitentiæ.* 638

D. *De satisfactione venialium.* 640

ART. 47. An bene dividatur pœnitentia a Magistro? 640
48. An pœnitentia sit ante baptismum? 642
49. An pœnitentia sit fundamentum, et qualiter sit? 644
50. Quæ sint in illo fundamento? et, An pœnitentia quæ est fundamentum, sit virtus vel sacramentum? 645
51. An idem sit fundamentum rerum sperandarum Christianæ religionis, et præmii æterni? 648
52. An fides præcedat pœnitentiam? 649
53. An omne peccatum exprimatur in decalogo? 650
54. An bonorum sit pœnitentia? et, Utrum boni et humiles de venialibus debeant agere pœnitentiam? 652
55. An aliquis non habens debitum, possit dicere orationem Dominicam? 653

DISTINCTIO XVII.

De confessione sacramentali, et de his quæ ad eam spectant prout habet rationem remedii quantum ad necessitatem ex parte confitentis.

A. *Tria proponuntur quærenda: primum, an sine confessione dimittatur peccatum?* 655

Divisio textus. 657
ART. 1. An in sola contritione dimittatur peccatum? 657
2. An votum debeat pro operatione reputari? 662
3. An sufficiat confiteri solo Deo? 663
4. An per genitum pœnitentiæ ante oris confessionem dimittatur peccatum? 664
5. An omnes teneamur ad oris confessionem? 664
6. An confessio necessario debet fieri in charitate? 665
7. An sicut anima est vita corporis, ita Deus est vita animæ? 668
8. An in pœnitente confessio præcedit justificationem? 669
Divisio textus. 670
ART. 9. Quid sit justificatio impii? 670
10. Quæ sint illa quatuor quæ requiruntur ad justificationem impii? 673
11. Quis sit ordo eorum quæ requiruntur ad justificationem impii? 677
12. An justificatio impii est naturalis vel miraculosa? 679
13. Cujus attributi sit justificatio impii? 681

14. An justificatio impii sit effectus justitiæ vel misericordiæ? 682
15. Quid sit motivum ad justificationem impii? 683
16. Quomodo habeant se ad invicem dilectio, prædestinatio, vocatio, electio, justificatio, et magnificatio? 684
17. Quid sit sanatio mentis? 687
18. An renovatio mentis fiat per virtutes, et per gratiam? 688
19. An sanitas mentis et renovatio imaginis sint idem, vel differant? 689
20. An sanitas mentis fiat per gratiam prævenientem? 690
21. An sanitas mentis fiat per gratiam sacramenti? 690
22. An prædicta sanitas fiat subito, vel successive? 691
23. Sanatio et renovatio in quo differant? 692
24. An confessio liberet animam a morte? 693
25. An modi purgationis a peccato secundum Magistrum sint bene distincti? 695
26. An pœnitens teneatur aliis a sacerdote suam pœnitentiam manifestare? 696
27. An teneamur confiteri in conspectu populi? 697
28. Quare dicatur aliquod peccatum *veniale?* 697
29. An desperatio veniat ex contemptu, vel ex timore? 698
30. An verum sit quod dicit Magister, *Nullus debite gravioris pœnæ accipit veniam?* 699

B. *Cui sententiæ potius consentiendum sit?* 699

ART. 31. An confessio est virtus? 700

C. *Si sufficit soli Deo confiteri?* 700

ART. 32. An oporteat confiteri homini? 702
33. An verum sit hoc dictum Magistri dicentis, *Lavant lacrymæ delictum, quod voce pudor est confiteri?* 704
Expositio textus. 706
34. An recognoscens peccata sua potest aliquid adversus proximum suum in corde suo tenere? 706
35. An aliquis potest confiteri suo conservo? 706
36. Qualis debet esse confessio? 707
37. An temporalibus pœnis mutantur æterna supplicia? 713
38. An aliquis potest agere pœnitentiam nescientibus aliis? et, An seipsum aliquis potest excommunicare? 714

D. *Quod non sufficit soli Deo confiteri si tempus adsit, si tamen homini possit,* 715

ART. 39. An soli sacerdoti sit confitendum, vel confessio facta cuilibet homini valeat? 717
40. An sacerdoti proprio sit confitendum? et, An valeat confessio facta cuilibet sacerdoti? 720
41. An plures possunt esse proprii sacerdotes? 726
42. Utrum, posito quod unus proprius sacerdos habeat plures coadjutores, facta confessione uni, teneatur confessus confiteri alteri si ille præcipiat? 728
43. An aliquis ex privilegio potest audire eos qui sunt alterius subditi? 733
44. An aliquis privilegiato confessus, teneatur etiam confiteri proprio sacerdoti? 735
45. An aliquid utilitatis consequatur si quis confiteatur privilegiato? 737
46. An diffinitiones scandali sint bonæ? 737
47. An scandalum bene dividatur in activum et passivum? 740
48. An scandalum sit speciale peccatum distinctum ab aliis peccatis? 741
49. An scandalum semper sit peccatum mortale? 742

50. An scandalizare aliquo modo conveniat bonis? 744
51. Quorum est scandalizari? 745
52. Quæ sunt illa quæ dimittenda sunt propter scandalum? 746
53. An indulgentia percipiatur in contritione vel confessione? 748
54. An per signa sine scripta possit fieri confessio? et, An per interpretem? 749
55. An peccata aliquando dimittantur in contritione, aliquando in confessione? 750
56. An sola justitia utatur Deus, vel etiam misericordia in condemnatione? 751
57. An semper necessarium sit confiteri suo sacerdoti? 751

E. *De tertio articulo, scilicet an sufficiat confiteri laico?* 752

Art. 58. An aliquis potest confiteri suo socio, et ad quid valeat illa confessio? 754
59. An confessio facta laico socio sit sacramentum? 755
60. Qualis sacerdos est quærendus? et, Quæ sint conditiones sacerdotis confitentis? 755
61. An volenti confiteri, sed morte prævento, votum reputetur pro facto? 756
62. An diversa sollicitudo sit habenda penes pœnitentes? 756
63. An excommunicatus ab Ecclesia, et non a Deo, sit vitandus? 758
64. An teneamur ad confitenda venialia? et, An reiteranda est confessio eorum quæ dicta sunt? 758

F. *Hic aperit qualiter supra dictæ auctoritates intelligendæ sunt.* 759

Expositio textus. 760

DISTINCTIO XVIII.

De confessione sacramentali in se, quantum ad potestatem absolventis virtute clavium in foro pœnitentiali.

A. *De remissione sacerdotis.* 762

Divisio textus. 762
Art. 1. An in Ecclesia claves aliquæ sint necessariæ? 763

B. *De clavibus.* 765

Art. 2. An diffinitio *clavis* posita a Magistro sit bene data? 766
3. Quot sint claves? 767
4. An scientia discernendi inter lepram et non lepram, sit clavis Ecclesiæ? 770
5. De secunda clave quæ est ligandi et solvendi potestas, an sit communicabilis? 772
6. An hæreticus habens ordinem, etiam habeat clavem? 773

C. *De usu clavium.* 774

ART. 7. An sacerdos valeat absolvere a culpa et a reatu pœnæ æternæ ? 774

D. *Si sacerdos potest dimittere vel retinere peccata ?* 775

ART. 8. An peccatum debeat et possit dici *tenebra* ? 777
9. An fiat absolutio a debito æternæ pœnæ per absolutionem a sacerdote factam ? 780
10. An verbum Dei dimittat peccata ? 781

E. *Quod sacerdotes etiam dimittunt et tenent peccata suo modo.* 782

ART. 11. Quæ et qualis sit potestas sacerdotum in dimittendis peccatis ? 783
12. An charitas Ecclesiæ dimittat peccata ? 785

F. *Quomodo sacerdotes ligant vel solvant a peccatis ?* 786

ART. 13. An sacerdos Evangelicus differat a sacerdote Legali ? 787
14. An Legalis sacerdos habuit claves ? 788

G. *Alius modus ligandi et solvendi.* 789

H. *Quomodo secundum hos modos intelligendum sit illud*, Quodcumque ligaveris, etc. *?* 790

ART. 15. An dictum illud Salvatoris sit verum, *Quodcumque ligaveris super terram*, etc. ? 791
16. An diffinitio excommunicationis data a Magistro sit bona ? 792
17. Quot modis fiat excommunicatio ? 793
18. In quem ferenda est excommunicatio ? 794
19. An quilibet qui habet claves, potest excommunicare ? 795
20. Qualiter ferenda sit excommunicatio ? 797
21. An participare cum excommunicato sit peccatum mortale ? 798

I. *Quæ sint interiores tenebræ et interior macula ?* 799

ART. 22. An macula, caligo, fomes, et alia quæ sunt in peccatore, possunt dici esse a Deo ? 800

DISTINCTIO XIX.

De confessione sacramentali in comparatione ad suscipientes.

A. *Quando hæ claves dantur, et quibus ?* 802

Divisio textus. 803
ART. 1. An Christus habuit claves ? 803

2. An clavis æque sit ad claudendum et aperiendum ? 804
3. Quomodo clavis se habeat ad ordinem ? 804
4. An ostiarii habeant claves ? 805
5. An reges inuncti habeant claves ? 806
6. An congregatio habeat claves ? 807
7. An abbatissæ et priorissæ quibus committuntur regimina mulierum, habeant claves ? 808
8. An per clavem jurisdictionis valet aliquis plus una vice ante absolutionem a priori excommunicari ? et, An absolutus ab una excommunicatione, sit absolutus ab alia ? 810
9. An sacerdos potest uti clave jurisdictionis adversus majorem, æqualem, vel minorem se ? 811
10. An aliquis clave jurisdictionis potest uti in subditos alienos ? 812
11. An Episcopus potest absolvere nolentem ? 812

B. *Si alteram clavem omnes habeant, scilicet potentiam ligandi et solvendi ?* 813

Art. 12. An boni et mali habentes jurisdictionem, habeant claves ? 814

C. *Aliorum sententia verior.* 816

Art. 13. An boni et mali æque recte et digne habent potestatem clavium ? 817
14. An Moyses et Aaron fuerunt sacerdotes, et quam differenter ? 818
15. An Caiphas bene dicatur prophetasse ? 818

D. *De hoc quod scriptum est in Malachia :* Maledicam benedictionibus vestris. 819

Art. 16. An hæretici vel mali prælati Christiani conferant benedictionem ? 819

E. *Qualis debet esse judex Ecclesiasticus ?* 820

Art. 17. An fraterna correctio si bene diffinita a Magistro ? 821
18. An ille qui debet corrigere, debet esse irreprehensibilis ? 822
19. An omnes teneamur ad fraternam correctionem ? 824
20. An correctio fraterna sit omnium in omnes ? 825
21. An in correctione fraterna servandus sit ordo aliquis ? 826
22. Quomodo differat correctio fraterna a correctione judicis ? 828
23. An Deus juste liberavit meretricem, non invento qui projiceret primum lapidem ? 828
24. An in lege veteri per cerimonialia dimittebantur venialia ? 829
25. An omnis qui ligat alios sit justus ? 829

DISTINCTIO XX.

De confessione sacramentali quantum ad opportunitatem temporis respectu pœnitentiæ mortalium in se.

A. *De his qui in fine pœnitent.* 830

Divisio textus. 832
Art. 1. An in fine vitæ dari potest pœnitentia ? 832

2. An sanus pœnitens potest conjicere de certitudine charitatis,an odio an amore dignus sit ? 832
3. An Deus seram pœnitentiam exaudiat ? 832
4. An sero pœnitens habeat libertatem arbitrii ? 833
5. Quid sit ignis purgatorii, an corporeus, vel spiritualis ? 833
6. In quo loco sit purgatorium ? 836
7. An ignis purgatorius sit æternus vel temporalis ? 837
8. An pœna purgatorii excellat omnem pœnam quam quis passus est, aut pati potest in hac vita ? 838

B. *De his qui hic pœnitentiam non complent.* 840

Art. 9. An horrendum sit incidere in manus Dei ? 841
10. An veniale peccatum potest mutari in mortale peccatum ? 842
11. An si peccator semper viveret, semper peccaret ? 842

C. *De illo cui sacerdos indiscretus injungit parvam pœnitentiam.* 842

Art. 12. An qui injunctam pœnitentiam non perfecerit, tenebitur illam in purgatorio perficere ? 844
13. An latro statim ut conversus fuit, paradisum ingredi meruit ? 844
14. An mensura temporis satis aperte præfigitur pœnitentibus ? 845

D. *Quod morientibus non sit imponenda satisfactio, sed innotescenda.* 845

E. *In necessitate non est neganda pœnitentia vel reconciliatio.* 846

Art. 15. An notificari debeat pœnitenti quantum oporteat facere secundum canonem, non tamen injungere ? 847
16. Indulgentia sive relaxatio quid sit ? 847
17. An relaxatio etiam habeat effectum, et an valeat ? 849
18. Cui valeat indulgentia ? 852
19. An indulgentia æqualiter valeat danti et facienti hoc quod Ecclesia requirit, et habenti voluntatem faciendi, sed non facienti propter defectum facultatis ? 856
20. An Papa existens in peccato mortali, potest dare indulgentias, etiam ei qui est in peccato mortali ? 856
21. An Episcopus possit facere et dare indulgentias ? 857
22. An sacerdos simplex conferre possit indulgentias ? et, An unus laicus possit alteri dare suas indulgentias ? 858

F. *Quod presbyter non reconciliet inconsulto Episcopo, nisi in necessitate cogente.* 859

G. *An oblatio ejus sit recipienda, qui curreus ad pœnitentiam prævenitur morte.* 860

Expositio textus. 860

DISTINCTIO XXI.

De confessione sacramentali quantum ad opportunitatem temporis respectu pœnitentiæ venialium.

A. *De peccatis quæ post hanc vitam dimittuntur.* 861

Divisio textus. 862
ART. 1. An aliqua venialia dimittantur post hanc vitam? 862
2. An sint aliqui qui ædificent lignum, fœnum, et stipulam? et, Quid illa significent? 863
3. An lignum, fœnum, stipula, ædificentur super fundamentum? 864
4. An ignis purgatorius sit vel non sit post mortem? 865

B. *Quod alii citius, alii tardius purgantur in igne.* 868

ART. 5. Quare pœnæ inferni nominantur multis nominibus, purgatorii vero non nisi uno nomine? 868

C. *Oppositio.* 869

ART. 6. Quid intelligitur per ædificantes aurum, argentum, et lapides pretiosos? 870
7. An existentes in purgatorio purgentur voluntarie vel involuntarie? 871

D. *Opinio quorumdam cum objectione.* 872

ART. 8. An in damnatis veniale puniatur æternaliter? 873
9. An animæ in purgatorio punientur per dæmones? 874
10. An error iste Græcorum veniat approbandus, qui dicunt nullum ante diem judicii intrare cœlum vel infernum, sed in mediis locis conservari? 875

E. *De generali confessione, quid prosit?* 879

ART. 11. An oportet in confessione omnia criminalia sigillatim exprimi? 880

F. *Nemo confiteatur peccata quæ non fecit.* 880

G. *De pœnis sacerdotis qui peccatum publicat confitentis.* 880

ART. 12. An piæ mentes debeant ibi cognoscere culpam ubi culpa non est? 881

DISTINCTIO XXII.

Ostendit quantum confessionis contemptus obsit.

A. *Si peccata dimissa redeant?* 883

B. *Aliorum sententia.* 885

Divisio textus. 885

ART. 1. An peccata dimissa redeant per quodlibet recidivum? 885
2. An peccatum veniale etiam redeat per ingratitudinem sicut alia? 889
3. An originale etiam redeat per ingratitudinem? 890
4. An ille cui plura dimissa sunt, magis tenetur ad gratiarum actiones, quam ille qui servavit innocentiam? 890

C. *Quid sit hic sacramentum et res?* 892

ART. 5. An sacramentum pœnitentiæ habeat tria sicuti cætera, scilicet rem tantum, signum tantum, rem et signum simul? 893
6. Quid in sacramento pœnitentiæ sit signum, et quid res et signum, et quid res tantum? 894
7. An in sacramento pœnitentiæ signum sit unum vel plura? 895
8. An sacramentum pœnitentiæ sit unum vel plura? 896
9. Qualiter sacramentum pœnitentiæ sit unum? 896
10. An sacramentum pœnitentiæ indiguit institutione? 897
11. An sacramentum pœnitentiæ sit institutum ante statum peccati? 898
12. An sacramentum pœnitentiæ sit institutum in lege naturæ? 899
13. Qualiter sacramentum pœnitentiæ fuit institutum tempore legis Mosaicæ? 900
14. Qualiter institutum est sacramentum pœnitentiæ tempore legis Evangelicæ? 900

Sancti-Amandi (Cher). — Ex typis DESTENAY, BUSSIÈRE Fratrum.